P. ANDREAE PINTI RAMIREZ, VLYSIPONENSIS, SOCIETATIS IESU, DEIPARA AB...


Andrés Pinto Ramirez,
Charles Audran, ...




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
38 P
10
ROMA











P. ANDREAS
PINTVS
RAMIREZ
De Conceptione B. Mariæ Virg. in




P. ANDREÆ
PINTI RAMIREZ,
VLYSIPONENSIS,
SOCIETATIS IESV,
DEIPARA AB ORIGINIS
peccato præseruata:
OPVS CATHEDRIS,
& suggestibus non inutile:
Vbi, postquàm scholastico tenore quædam breuiter expenduntur; fusissimè deinde ab Scriptura, & Patribus, amœniores semitas exerrat calamus.
Tomus vnus, Indicibus necessariis clarus.
Nunc primùm prodit.
LVGDVNI,
Sumpt. Hær. G. Boissat, & Laurentij An...
M. DC. XLII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





REVERENDO ADMODVM P.

P. MVTIO VITELLESCHI,

SOCIETATIS IESV PRÆPOSITO GENERALI.



BÆRATVS tandiu, ecce fidem iam venio liberaturus. Debebam post incarnati Verbi, Conceptæ Mariæ laudes: ausus illas sub optimi Patriarchæ, has sub Nomine tuo iam diuulgo. Nihil Redemptori similius Genitrice: tu spirans Ignatij simulacrum. Maria Genitum refert, tu Genitorem. Summus Filius, Matri summæ præluxit ad encomium: ad patrocinium præluxit suauissimo Filio, Pater suauissimus. Ergo,


Te per MARIÆ *facinorum laudem precor,*
Genitor, tuiq; nominis semper mihi
Lumen secundum. *Seneca in Fur.*

Trepido, adſtes, erigas cadentem. Parthenica Conceptio diſcutitur: huic autem (inter tot alia munia) myſterio propugnando, haud nutante priſcæ traditionis fide, Societatem hanc editam accepimus. Ecquò Amazo ingentis iam virtutis non peruadet, quæ repens adhuc, vnius Laynèz ſui, docta iuxtà, ac præferuida pietate, piiſſimam pro Deipara immaculata gnomen, Tridentino applaudente, roborauit? Hydram centicipem ſuffocat adultus Hercules: nimirum, in cuna, immiſſos iam Dracones ſuffocarat: infantis magna, maiorum viri præceſſerant augurium, è faſciolis leoninam, è crepundiis iam clauam meditantis. Iure itaque te, Societatis Caput, non tam rogem, quàm exigam in munimen. Maria in chartis, etiam Hæreticorum morſus timet: quæ in cælis latratus vilipendit. Si ſcriptam foues, quam viuam veneraris, iam augurer, ſub æneo muro, væ gingiuis, ſi properent, cruentandis. *Sis bonus, ô, felixque tuo*: inde feliciùs ſub auſpiciis tantis, daturo meliora.

R.P.V. humilis in Chriſto filius, & ſeruus.

ANDREAS PINTO.

Lectori.



Lectori.

PARTVRIEBAT *Deiparæ laudes D. Basilius Seleucus orat. de Annunc. dúmque auiditati timor obstrepit, dum releuat timorem auiditas, sic erupit:* Copiosam præconiorum materiam comperiet, qui sacram Deiparam Virginem, laudibus efferre instituerit. Ego verò, cùm non ignorem infirmitatem meam, tantarum rerum ponderi, haudquaquam parem esse; mole exterritus, multùm, diúque me continui. *Et tamen, quantus esset Basilius, aurea eius attestantur Scripta, sæcula debuccinant. Unde ergo timoris causa?* Nec enim, *inquit*, quorumlibet est, promeritas Virgini laudes persoluere; sed eorum, qui diuinæ gratiæ lumine insigniter illustrati sunt. *Aude tamen, Sanctissime Pater, Doctor eximie. Si nequis, de pretioso munere condignas; potes tamen de affectu piissimo, pretiosas. Quid vltrà hæsites?* Qui Deiparæ, *subdit*, Virginis laudes depromere aueo; formidare debeo, necubi fortè, à veritate aberrem; & dum eam, oratione honorare studeo; aliquid per imprudentiam, ipsâ indignum, dixisse deprehendar. *Et quidem meritò, si non tam de se humilis; quàm de me verus, sermonem institueret Seleucus: hæc est enim periculosissima alea in hoc negotio, ne, qui digna non possumus; dum saltem exhibere pia contendimus, indigna immiscuisse arguamur. Sed quid facerem? Si Maria, condignos Scriptores quæsierit, conticebitur. Habet hoc suprema rerum dignitas, vt voluére quidam, in summa felicitate infelicius, vt nunquam pro dignitate commendetur: ego verò, hinc excellentiorem felicitatis cumulum, manifestiùs deprehendi existimarem. Quid enim beatius, quàm ibi degere, quò nulla laus, licèt immensùm pennata, euehi præsumpserit? Ibi degit Deipara beatissima. Unde Damascenus in Cant. Eccles. sono 1.* Omni laudum lege, ô Virgo, gloriæ tuæ maior est excellentia. *Inuideret sibi Maria, si præconia pro meritis indiceret: immane quantùm decresceret, si qua creata mens, etiam immane crescens, hanc pertingeret. Adspirabit votis, spero, dum veteres, & sanctissimos eius Encomiastas, vmbra sequor: nec tam illorum recalcandis, quàm adorandis vestigiis assuesco; nusquam vel leuissimum vnguem deuiatus.* Basil. Sel. Damasc.

Non itaque est animus, quæ iam alij feliciùs, pro Deiparæ honore desudarunt, obtrudere renouata: sed, si quid possumus, denuò laborare. Puduit, malè recoctam crambem, nauseabundi sæculi obiicere palato. Quidquid de pomposa pulchritudine vernantius, aut in Scripturæ diuinæ, aut in sanctorum Patrum viridariis, vel etiam incuriosos oculos alliciebat; ab aliis, coronandæ Mariæ iam decerptum est: viliora sunt, quæ remanent colligenda; solúmque de minùs obsoleto decore, gratiosa. Huc adigitur, quisquis serus, post alios venit. proprium magis fasciculum, quàm fascem, ab alienis messibus daturus. In quo, id mihi maximè fuit consilij, vt acumina plerunque illa, quæ tan-

tùm

tùm flore delectant, nec fructu saturant, hinc abiiciam. Nec tam olfactum, quàm gustum, palpatum iui: fulcitur quippe Maria floribus; sed simul stipatur pomis: florigera de fructibus, fructuosa de floribus, serta cupit. Opus igitur nostrum sic procedit. Adduco in medium rationes D.Thomæ, harúmque mente breuiter examinata, curo pro viribus, vt Doctorum vertex etiam nobis fauere, piæque sententiæ Patronus videatur. Deinde, quidquid ex D.Thoma, ad honorem Deiparæ, scholastico tenore breuiter eruo, fusissimè deinde, ab Scriptura, & Patribus confirmo. Hic tenor Operis: hic Authoris scopus.




PARTHE



PARTHENICO NVMINI ADSPIRATVRO SVSPIRIVM.



INNVLO æris crepitu, contra Thessala carmina, excantatæ Lunæ opem allatam, (imò irrogatam iniuriam,) nugantur Corybantes: nescias enim, vtrùm graue magis, an quòd duro veneficio torqueri, an quòd reboanti egère beneficio crederetur. Quàm præstat ficto, factum! Pio carmine, diuinam excantamus Lunam: tinnulo cordis suspirio, opem non tam afferimus, quàm contrahimus. Rarius, quod addiderim. Deridiculum mendacis Mathesis, apud Rabbinos, circunfertur Oraculum: *Si Luna Ioui coniuncta, super caput Serpentis collocetur, interimque scientiam à Deo petas, impetrabis.* En profanus Astrologiæ delirantis enthusiasmus, quo è syderum conspectibus, sic orans, voti compos, vt impos sui Deus existimetur. Interim tamen infelix superstitio, felix mihi facit Omen: capio lubens. Huc ades, ô Maria, rebus vim, verbis pondus allatura. Tu Luna indeficiens, non falso Iouis, sed vero Iehouah Numini coniunctissima, obtrito inferni Serpentis capite, fausta influis. Benignum, fusæ Preces, Horoscopum sortimini: intrepidæ, properate, neque ventis ludibrium debituræ, neque obliuionis pelago amandandæ: imò cælestis Zephyri subuectæ flatibus, arcanum diuinæ scientiæ pelagus ingressæ, guttulam saltem nobis asportabitis. Audior: litaui prece: accingor operi: nihil desperandum, Christo duce, & Auspice Matre: hæc, in aliena etiam mitis, ille mitissimus: ecquid in sua? Aut quibus aliis labores impensos volo? Certè nulli. Non est fallere καρδιογνώστας, quibus, si nihil magnificentius obtuli, nihil tamen amantius offerre potui.



Pintus de Concept. B.M.V. ** *Alfonsus*

Alfonsus del Caño Prouincialis Societatis IESV *in Castillana Prouincia.*

POTESTATE ad id mihi facta à Reuerendo admodum P.N. Mutio Vitteleschi nostræ Societatis IESV Præposito Generali, facultatem facio; vt liber *de Conceptione B. Mariæ*, à P. Andrea Pinto nostræ Societatis compositus, & eiusdem Societatis grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Vallisoleti, in Collegio S. Ignatij P. nostri, 6. Iulij 1640.

ALFONSVS DEL CAÑO.

Censura Operis.

NOS infrascripti testamur, nihil nobis in hoc Opere *P. Andreæ Pinti Ramirez, è Societate Iesu*, prorsus occurrisse à bonis moribus, & Catholica fide, Theologorúmque placidis alienum. In cuius rei fidem hoc testimonium, manu nostra subscriptum, dedimus. Lugduni 10. Octobris 1641.

IOSEPH GIBALINVS, è Soc. IESV.

CAROLVS DV LIEV, è Soc. IESV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunensi.*

EGO Ioannes Gayetus, Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis: Opus, quod inscribitur, *P. Pinti Ramirez, è Societate* IESV, *Deipara ab originis peccato præseruata*: trium Societatis eiusdem Theologorum iudicio probatum, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 4. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant. Permitto Laurentio Anisson, Bibliopolæ Lugdunensi, vt ad decem proximos annos excudere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni, 28. Octobris 1641.

IOANNES GAYETVS.

Imprimendi facultas.

IOANNES Claudius de Ville, in sacra Theologia Magister, in Ecclesia S. Crucis Custos, & D.D. Alphonsi Ludouici Duplessis de Richelieu, Eminentissimi Cardinalis ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis, Vicarius Generalis Substitutus: Opus inscriptum, *P. Pinti Ramirez, Deipara ab originis peccato præseruata*, à Theologis visum & approbatum, in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni die 30. Ianuarij 1642.

DE VILLE.

ELENCHVS



ELENCHVS ANTHOLOGICVS.

ANTHOLOGIA I.

Mariæ priuilegia, cæteris maiora, & celeriora.

ANTHOLOGIA II.

Maria absque Christo non futura.

ANTHOLOGIA III.

Maria minùs idonea Mater, non præseruata.

ANTHOLOGIA IV.

Maria gratia plena, nullibi vacua.

** 2 Deipara

ANTHOLOGIA V.

Maria ad communes leges non est ex omnibus.

ANTHOLOGIA VI.

Redemptio præseruatiua vera, & excellentior.

ANTHOLOGIA VII.

Christus erga Matrem Dux præmuniens.

ANTHOLOGIA VIII.

Christus erga Mariam Altor prouidus.

5 Cætera

ANTHOLOGIA IX.

Christus erga Mariam præcauens Gubernator.

ANTHOLOGIA X.

Christus erga Mariam Medicus præseruator.

ANTHOLOGIA XI.

Maria competentem iustitiam originalem acquisiuit.

ANTHOLOGIA XII.

Visio beatifica præseruandæ Mariæ congruè assignata.

4 Cætera

ANTHOLOGIA XVIII.

Mariæ vel honor, vel infamia in Christum deriuatur.

ANTHOLOGIA XIX.

Maria culpam originis, id est, vitiorum radicem euitauit.

ANTHOLOGIA XX.

Maria humilis obedientiæ princeps, ex Adamo non rebellauit.


ANTHOLOGIA XXI.

Maria Dei thronus puriſſimus ad delicias.

FINIS ANTHOLOGIARVM.

APPENDIX.

DEIPARA



DEIPARA AB ORIGINIS PECCATO PRÆSERVATA.




EX TERTIA PARTE D. THOMÆ QVÆSTIO XXVII.

De Beatæ Virginis sanctificatione.

IN SEX ARTICVLOS DIVISA.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Beata Virgo, Mater Dei, fuerit sanctificata ante Natiuitatem.



AD primum sic proceditur. Videtur, quòd B. Virgo non fuerit sanctificata ante Natiuitatem ex vtero: dicit enim Apostolus 1. ad Cor. 15. *Non prius, quod spirituale est: sed prius, quod est animale, deinde quod est spirituale.* Sed per gratiam sanctificantem nascitur homo spiritualiter in filium Dei secundùm illud Ioan. 1. *Ex Deo nati sunt.* Natiuitas autem ex vtero, est natiuitas animalis. Non ergo Beata Virgo fuit priùs sanctificata, quàm ex vtero nasceretur. 2. Præterea Augusț. dicit in epist. ad Dard. *Sanctificatio, qua efficimur templum Dei, non nisi renatorum est.* nemo autem renascitur, nisi priùs nascatur: ergo Beata Virgo non fuit priùs sanctificata, quàm ex vtero nasceretur. 3. Præterea, quicunque est sanctificatus per gratiam, est mundatus à peccato originali, & actuali: si ergo Beata Virgo fuit sanctificata ante Natiuitatem ex vtero, consequens est, quòd tunc fuerit emundata ab originali peccato: sed solùm originale peccatum poterat

eam impedire ab introïtu regni cæleſtis: ſi ergo tunc mortua fuiſſet, videtur, quòd ianuam regni cæleſtis introïſſet: quod tamen fieri non potuit ante Paſſionem Chriſti: *Habemus enim fiduciam in introïtum Sanctorum per Sanguinem eius*, vt dicitur Heb. 10. Videtur ergo, quòd Beata Virgo non fuerit ſanctificata, antequàm ex vtero naſceretur. 4. Prætereà, peccatum originale contrahitur ex origine; ſicut peccatum actuale ex actu: ſed quandiu aliquis eſt in actu peccandi, non poteſt à peccato actuali mundari: ergo etiam nec Beata Virgo à peccato originali mundari potuit, dum adhuc eſſet in ipſo actu originis, in materno vtero exiſtens.

Sed contrà eſt, quòd Eccleſia celebrat Natiuitatem B. Virginis: non autem celebratur Feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto: ergo B. Virgo in ipſa ſua Natiuitate fuit ſancta: fuit ergo in vtero ſanctificata.

Reſpondeo, dicendum, quòd de ſanctificatione B. Mariæ, quòd, ſcilicet, fuerit ſanctificata in vtero, nihil in Scriptura canonica traditur: quæ etiam nec de eius Natiuitate mentionem facit. Sicut tamen Auguſt. in Sermone de Aſſumptione ipſius Virginis, rationabiliter credit, quòd cum corpore ſit aſſumpta in cælum, (quod tamen Scriptura non tradit:) ita etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in vtero. Rationabiliter enim credimus, quòd illa, quæ genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis maiora gratiæ priuilegia acceperit. Vnde, vt legitur Luc. 1. Angelus ei dixit: *Aue, Maria, gratiâ plena.* Inuenimus autem, quibuſdam aliis hoc priuilegialiter eſſe conceſſum, vt in vtero ſanctificarentur: ſicut Ieremias, cui dictum eſt Ier. 1. *Antequàm exires de vuluâ, ſanctificaui te.* & ſicut Ioannes Baptiſta, de quo dictum eſt Luc. 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* Vnde rationabiliter creditur, quòd Beata Virgo ſanctificata fuerit, antequàm ex vtero naſceretur.

Ad primum ergo dicendum, quòd etiam in B. Virgine prius fuit id, quod eſt animale; & pòſt, id, quod eſt ſpirituale: quia priùs fuit ſecundùm carnem concepta; & poſteà ſecundùm ſpiritum ſanctificata. Ad ſecundum dicendum, quòd Aug. loquitur ſecundùm legem communem, ſecundùm quam per Sacramenta non regenerantur aliqui, niſi priùs nati: ſed Deus huic legi Sacramentorum potentiam ſuam non alligauit, quin aliquibus ex ſpeciali priuilegio gratiam ſuam conferre poſſit, antequàm naſcantur ex vtero. Ad tertium dicendum, quòd B. Virgo ſanctificata fuit in vtero à peccato originali, quantùm ad maculam perſonalem; non tamen fuit liberata à reatu, quo tota natura tenebatur obnoxia, vt, ſcilicet, non intraret in Paradiſum, niſi per Chriſti hoſtiam: ſicut & de Sanctis Patribus dicitur, qui fuerunt ante Chriſtum. Ad quartum dicendum, quòd peccatum originale trahitur ex origine, in quantum per eam communicatur humana natura, quam propriè reſpicit peccatum originale: quod quidem fit, quando proles concepta animatur. Vnde poſt animationem, nihil prohibet, prolem conceptam ſanctificari: poſteà enim non manet in materno vtero ad accipiendam humanam naturam; ſed aliqualem perfectionem eius, quod iam accepit.

EXAMEN

EXAMEN TEXTVS D. THOMÆ.

1. *Immunitas Conceptionis de Festo probatur.*


OSTQVAM Angelicus Doctor argumenta sanctificationem Virginis oppugnantia proposuit, robustissimam, quam putauit, in contrarium obiecit rationem, à Natiuitate Mariæ ecclesiastico Festo celebratâ. Hinc etiam cæcus videat, robustius planè telum pro opinione pia contorqueri. Sic arguo: Ex Festo Natiuitatis arguit S. Doctor sanctificationem: ergo ex celebritate Conceptionis festiuiùs longè hodie agitata, Conceptionis inferret sanctitatem: ergo contra mentem D. Thomæ nihil molimur, qui ex prædicta, & tot aliis rationibus, Conceptionem purissimam defensamus. Pergo iam, Duce tanto securior.

2. Deinde, postquàm idem S. Doctor pro vtraque parte de more dubium ventilauit, iam in corpore art. quid ipse sentiat, ingenuè fatetur, & aperit ingeniosè, asserens, Virginem in vtero fuisse sanctificatam: cùm enim hoc seruis priuilegialiter concessum credatur, indignum visu, si Dominæ denegetur. Ex qua ratione aliam mihi efformo. Sic argumentor: Per Christum Angelis, & protoparentibus originalis gratia conceditur: ergo indignum est, si Angelorum Reginæ, & Protoparentum coronæ eadem gratia, quoad conuenientes effectus, denegetur: cùm meliori iure prærogatiuæ omnes Dominæ, quàm seruis debeant conuenire. Nec effugies, si dixeris, gratiam hanc originariam, siue primam, id est, non mundatiuam, Angelis, & protoparentibus ex mente D. Thomæ per merita Christi non fuisse concessam; ac proinde nihil Filium promeruisse seruis, quod Matri inuidisset: cùm Christus post Angelorum lapsum, & protoparentum culpam præuisam, fuerit prædestinatus, vt expressè habetur 3. p. q. 1. a. 3. & 4. non, inquam, effugies: quia in quauis opinione ex consensu Ecclesiæ, & Patrum, Maria Domina & Regina est; Angeli verò serui: ergo ex doctrina D. Thom. in hoc loco, in quouis priuilegio loquentis, non erit melioris conditionis vllius creaturæ seruilis gratia primitùs accepta, quàm dominantis Mariæ: vndecunque illa concedatur.

Maria in quauis opinione Angelorum Regina.

3. Adde, nihil difficiliùs in Thomistica doctrina, quam huius prædictæ primæ quæstionis resolutionem, cum asserto quæstionis octauæ concordare: vbi expressè D. Thomas Christum Caput Ecclesiæ (quæ ex Angelis, hominibúsque componitur) constituit. Et quamuis de prima gratia Angelis promerita in tota 3. parte videatur D. Thomas ex industria sententiam suam noluisse patefacere: tamen, cùm absolutè dicat quæst. 7. art. 9. Christo gratiæ plenitudinem constitutam, tanquàm principium vniuersale habentium gratiam; & Angeli in sua natura gratiæ sint capaces, necessariò huic principio subiicientur. Deinde, cùm art. 4. quæst. 8. clarè affirmet, Ecclesiam istam, cuius Christus Caput est, ex Angelis, & hominibus constare: & ibidem art. 1. dixerit a Christo in omnia membra Ecclesiæ gratiam deriuatam: legitima est consequentia, etiam Angelos ibi comprehendi. Sed en expressa verba Angelici Doctoris ad illud Ioann. 1. n. 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.* vbi ita D. Thomas: *Omnes*, inquit, *Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, & Iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt: & etiam omnes Angeli.* Nec respondeas, gratiam in prima productionis periodo Angelis datam, in hoc loco à D. Thoma non comprehensam; sed alias temporis subsequentis: cùm enim Patriarchæ, Apostoli, & alij nullam gratiam habuerint absque Christo; sequitur, Angelos, qui à Sancto Doctore in eadem serie ponuntur, eodem modo esse debitores. Et pendes quid ibidem addat: *Quia plenitudo*, inquit, *gratiæ, quæ in Christo est, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus creaturis intellectualibus.* nisi fortè Angelos ab intellectualium numero deturbes. Benè ergo pro pia sententia ex huius articuli doctrina deducitur argumentum: si enim per Christum serui in prima existentiæ suæ productione gratiæ prærogatiuam habuerunt, frustrà hanc maternæ productioni, id est, Conceptioni denegaueris. Hæc breuiter de mente huius articuli in communi: nihil enim ardentiùs optandum, quàm piæ sententiæ Patronum habere D. Thomam.

Christus Angelorum, & Adami integri Caput.

Sed priusquam singula priuato examine pro Conceptionis immunitate trutinemus: lubet priùs diuinorum decretorum seriem contexere, quam in hac materia iudico probabiliùs a Societatis nostræ eximio Theologo inuentam: tum, quia ad illius gustum fusè in hoc Opere è floridis Scripturæ, & Patrum testimoniis disputabo: tum, quia ex illa concordatur doctrina D. Thomæ de Christo simul Capite Angelorum, nec nisi de peccato præuiso, venturo: quæ tot tragædias visa concitasse: &, vt è re mea est, materiam magis innuo, quàm confirmo: quia, quod in illa difficilè inuoluitur, in aliis Tractatibus de Incarnat. scient. Dei, & actib. liberis, abundè nostri ad rem suam confirmarunt. 4.

Decretorum diuinorum series in re Concept. à P. Bernardo de Aldrete pulchre excogitata.

In primo signo decreuit Deus producere magnum numerum creaturarum ex infinitis penè, 5

quas in thesauris possibilitatis recognoscit: non tamen pro hoc signo determinauit, quænam in indiuiduo essent futuræ: determinationem enim, & explicitam indiuiduationem reseruauit in signum aliud, vt illa quodammodo dilatio, in gloriam Christi etiam redundaret; si ipse Christum suum venturum determinaret in signo subsequenti: vnde creaturæ, quæ ex vi dicti decreti ob solam Dei gloriam futuræ erant, etiam ob gloriam Christi determinatam existentiam sortirentur: dùmque non determinat certum, sed magnum numerum, dabatur locus, vt præfinito & decreto posteà Christo, posset creaturarum numerum adaugere, quę aliàs non futuræ, nisi Christus decerneretur. Exemplo res erit manifestior. Decernit Princeps edere ad sui pompam, & gloriam spectacula nonnulla: nec quot, & qualia decernit: quia non decernit adhuc de conuocando amico Principe: quem si vocauerit, ad tanti etiam hospitis gloriam, præfinita vagè spectacula determinabit: imò & ob illum alia, quæ aliàs non futura, prædictis addere festinabit. Sic, demptis imperfectionibus, in re nostra: nescio enim, quomodo negari possit ab Scriptura, plures filios Patrum oratione impetratos aliàs non futuros; cùm tamen oratio efficaciam ob Christum sortiatur. Imperfectionem, quam in hoc vago Dei decreto aliqui suspicantur, iam alij felicissimè amandarunt: do tantùm Scripturæ locum. Reuelat Deus Iosuę, vnum ab exercitu peccasse, nil aliud insinuans: sicut & Apostolis, vnum futurum traditorem: tunc sic arguo: Cognoscat Deus hanc reuelationem, & comprehendat: certè in hoc medio præcisè cognito, non determinatum aliquem, sed vagè cognoscit peccantem, & proditorem: ergo cognitio vaga ex se non inuoluit imperfectionem. Ratio à priori est: quia illa est alicuius obiecti primarij cognitio perfectissima, qua, quantùm in ipso cognoscibile est, perfectiori modo comprehenditur. Dices, saltem imperfectionem esse non posse, Deum se pro illo signo determinare, vt obiectum cognosceret determinatum. Nego: illa enim impotentia, vt sic dicam, non necessitatis fuit, sed libertatis: noluit pro tunc se determinare, nec determinatum cognoscere, vt hoc posteà cum Christi gloria perpetraret. Quid adhuc hęsitas? Pende in ipso Deo exemplum euidens ex communi Theologorum sententia, quam sæpe in Cantico mystico inculcaui: Prisci Iusti Incarnationis accelerationem meruerunt. tunc sic argumentor: Antecedenter ad has præuisas preces Christus futurus à Deo noscebatur; nec tamen pro tunc certa aliqua, sed vaga temporis differentia apparebat: ergo vagi obiecti notitia nullam inuoluit imperfectionem: nec indeterminatio impotentiam. Res meo iudicio plana.

Præuiso Christo determinatur adauctior creaturarum numerus.

Decreta Dei vaga, nõ imperfecta.

6\. Venio ad secundum decretum: cuius tenorem vt capias, aduerte. Hæc propositio (quam ex nostris iam probaram suppono) habet determinat m veritatem: *Si decreuero condere creaturas, Adamus peccabit.* licèt enim illa conditio primo aspectu impertinens videatur ad Adami peccatum; illa tamen mediatè conduxit, vt ponantur aliquæ conditiones, quibus positis peccatum Adami infallibiliter erat futurum, idque liberè ab Adamo patrandum; quia etiam his positis potuisset non esse tale peccatum. Posito ergo iam primo decreto, quod posui: hæc etiam est verissima: *Sed decreui condere creaturas: ergo Adamus peccabit.* Itaque in decreto condendi vagè creaturas, & in scientia media proximæ propositionis, infallibiliter cognouit, Adamum cum posteritate illi adunata, peccaturum. Cognouit, inquam, peccaturum, non peccantem: quia nondum existit decretum permittendi illius peccatum. Dices, videri ista repugnantia. Falleris: quia tunc peccatum permittendum, nec dum pro isto signo permissum, habet futuritionem extrinsecam, ex toties prædicto illo primo, & scientia media resultantem. Aduertendum, posse aliquid habere talem futuritionem, in qua, vt extrinsecè futurum, cognoscatur, antequam existat in illo signo, in quo determinatum & præsens intelligitur: cognoscatur, inquam, futurum extrinseca futuritione, non intrinsecą: hæc enim intrinseca includit essentialiter existentiam ipsius à decreto determinante: quod sic ex dictis (si vera iudices) probo, meo iudicio, euidenter: Deus decreuit futurum aliquem ex hominibus vagè, & indeterminatè acceptis: ergo in illo decreto videt futurum aliquem. Habet enim illud decretum necessariam connexionem cum existentia alicuius vagi, & indeterminati: & tamen nullus existit intrinsecè, nisi adueniat secunda volitio per modum applicantis priorem: quia nunquam est verum dicere: Existit aliquis intrinsecè futurus. quin etiam sit verùm dicere: Existit talis homo determinatus, qui tamen in primo decreto non talis apparet: cùm tamen ibidem iam quodammodo sit futurus. Ergo necessariò futuritio rei alia extrinseca, & intrinseca alia est admittenda. Deinde, relicto priuato isto modo philosophandi, ex communi doctrina rem deduco. Ponamus, habere Deum reflexam, vt sic dicam, volitionem, qua vult volitionem directam existentiæ Petri: quid enim in hoc supposito trepides repugnantiæ? tunc sic insurgo: In illa volitione reflexa, antequàm volitio directa existens cognoscatur, iam suo modo cognoscitur Petrus vt futurus; quia ab illa volitione aliquid, vltra possibilitatis meræ statum, comparauit: atqui pro illo signo non est verum dicere: Existit intrinsecè futurus. cùm adhuc non videantur existentes in se causæ illum immediatè producturæ: ergo cernitur extrinsecè futurus. Tandem mille exemplis, admissâ scientiâ mediâ, res potest confirmari.

Duplex rei futuritio, intrinseca, & extrinseca.

His positis. Post primum decretum, in quo Deus vidit Adami peccatum extrinsecè, & non intrinsecè futurum; habuit determinatum decretum in secundo signo rationis, mittendi Saluatoris in peccati remedium: atque ita, antequàm peccatum permissum in suo proprio decreto intelligatur, & ante decretum producendi quamcunque creaturam determinatè; Christus determinatè definitur: ac proinde Christus ex vna parte est primogenitus omnium creaturarum, quod Patres, quod Scriptura clamat: ex alia est verum dicere, Christum non venturum, nisi peccante Adamo: quia iam Adam, & peccatum eius, sub extrinseca existentia noscebantur: Christum enim ex vi præsentis decreti non venturum, nisi præuiso peccato, mihi semper certissimum ex Scriptura. Laboraui, vt D. Thomæ sententias conciliarem: tum ob Sanctissimi Doctoris reuerentiam: tum, quia, si Christus Angelorum Caput, & gratiarum 7.

Christus non venturus, si Adam non peccaret.

tiarum omnium fons intelligatur; robustius argumentum suprà factum pro conceptione iam manebit: quia indignè creditur, prærogatiuam Angelis seruis à Christo concessam, Matri Dominæ denegatam.

8. Ab aliis decretis facilè me expedio. Vbi Deus præfiniuit Christum Redemptorem, merita Redemptoris etiam determinauit. Deinde in alio signo per merita Redemptoris sic præuisa decernit ante omnes creaturas Mariæ existentiam, vt sit, quod Patres testantur, Primogenita cæterarum creaturarum: & in ipso decreto producendi Mariæ existentiam ex meritis Christi, alias non futuram, in eodémque signo, (vel si mauis in decretis virtualiter distinctis,) decreuit Deus per eadem merita, tot, ac tantas gratiarum vsuras Virgini impertiri, & in Matrem Saluatoris eligere. Cúmque, vt dixi, simul præuideret Adami posteritatem illi vnitam originali macula fœdandam; Mariam speciali ob Christum priuilegio segregauit, ne Adamo ad culpam, sed solùm ad carnem vniretur: vt non solùm non fœdaretur culpa; sed etiam ab illius proximo debito liberaretur. Deinde in alio signo cæteras decreuit creaturas. Quidquid hîc difficile occurrit, partim ex supradictis, partim ex aliorum scriptis facile iam redditum: quibus supersedeo; quia mihi vnicus scopus probare tantùm, hanc 27. quæst. D. Thomæ posse in fauorem Deiparæ conciliari, ne Doctorum Alpha aduersum sustineamus. Nunc singula trutinemus articuli nostri verba, quibus aliquid ponderosius incubuerit.

Maria, Dei Primogenita, post Christum.

9. MAIORA PRIVILEGIA.] Rationabile putat S. Doctor, vt Mariæ maiora priuilegia, quàm omnibus aliis Sanctis concedantur: quia genuit Vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Deinde, vt vides, ponit hanc minorem: *Inuenimus autem quibusdam hoc priuilegium concessum, vt in vtero sanctificarentur.* Consequentia legitima videbatur: *Ergo Maria maius aliquod priuilegium accepit.* Et tamen solùm infert D. Thomas: *Ergo rationabiliter creditur, quòd B. Virgo sanctificata fuerit, antequàm ex vtero nasceretur.* Visa nobilitate principiorum, ni illam interpreteris, degenerat conclusio. Vide in simili: Soli maior lux debetur, quàm stellis: stellæ lucent vt quatuor: ergo Sol vt quatuor lucebit. Apage. Iustæ sanè consequentiæ vigorem agnouit D. Anselmus homil. de Concep. Mar. *Si Ieremias*, inquit, *qui in gentibus erat prophetaturus, in vulua est sanctificatus, & Præcursor Domini, Ioannes, Spiritu Sancto ex vtero Matris est repletus: quis differere audeat, totius seculi Propitiatorium, mox in sua Conceptionis exordio, Spiritus Sancti illuminatione destitutum?* Hoc sanè est maius illud priuilegium, quod Angelicus Doctor voluit inferre. Cùm ergo illis celeritas priuilegiata, maior celeritas Virgini debebatur.

Maiora Mariæ priuilegia.

10. Dices, Thomæ neruos eò intendi, vt à fortiori procedat: si enim maiora habuit Maria, quàm Ieremias, & Ioannes, priuilegia; ergo à fortiori & commune hoc cum illis, quod solùm in propositione articuli contendebat. Ego non negauerim id inferri morali euidentia: at neque tu negaueris, maius aliquid etiam inde formalissimè inferri posse, & pro pietate in Virginem debuisse. Dices iterum: Satis ad rem erit, si dicatur, Mariam paulò post Conceptionem maiores gratias; seruos verò post multos dies, longéque minores gratias,

consecutos. Sed cùm Anselmo nego id satis. Causa illa est: quia ex doctrina D. Thomæ dignitas Matris huius, sicut & vnio hypostatica, & visio beatifica, est quodammodo infinita: ergo, si possibilis est Conceptio sancta, illi debetur: nam, quid iactetur peperisse *plenum gratia, & veritatis* Verbum, cui condoleremus, quòd Dæmoni parenti culpæ, & mendacij obtulisset primitias?

Maria dignitas penè infinita.

Tendit argumentum hoc meum apostolico illi adhæsurum: Paulus enim sic habet Hebr. 1. n. 2. de Deo sibi Christum hæredem constituente: *Quem constituit heredem vniuersorum: per quem fecit & secula: qui, cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbō virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit: cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu?* Vnde infertur absolutè Christi hominis dignitas eminentissima: ergo & proportionaliter Mariæ, inquam ego: cui enim Sanctorum dixit: *Mater mea es tu?* proportionaliter, inquam, ad Christum: sed quæ sine vlla proportione, & comparatione ad seruos & ministros reputetur. Grauiter & planè theologicè D. Bernardinus de Sena tom. 4. Ser. 36. p. 3. de Maria: *Ideo meritò gratiâ plena: quia contemplando Deum, & cuncta creata plusquam Paulus Apostolus raptus in tertium cælum sine comparatione: quia si essent tot Pauli, quot sunt creaturæ, non attingerent suum contemplari: nam Paulus fuit vas electionis; Maria verò Virgo fuit vas Diuinitatis.* Non solùm in contemplatione; sed etiam in omnibus aliis, vbi eadem ratio maternitatis militat; Sanctorum ad Mariam comparatio reiicienda: ergo in sanctificatione vterina Sanctis communi, aliquid sine comparatione maius in Maria concedendum, quódque magis ad Filium plenum gratiæ, & veritatis, accedere videatur. 11.

Nullo modo cæteris creaturis comparanda.

VNDE, VT LEGITVR LVC. I.] Ex eo, quòd Maria salutetur ab Angelo, *gratia plena*, infert D. Thomas, fuisse in vtero sanctificatam. Hinc sic arguo: Non benè constat gratiæ plenitudo ex mente Angelici Doctoris sine vterina sanctificatione: sed, si hæc sanctificatio non esset in instanti Conceptionis, adhuc illa plenitudo foret vacua ex parte: ergo in illo instanti facta est. Minorem, in qua sola est difficultas, probo authoritate Doctoris magni ponderis, & authoritatis apud Ecclesiam. Is est D. Bonauentura Serm. 2. de B. Virg. Maria: *Dico*, inquit, *primò, quòd Domina nostra fuit plena gratiâ præueniente in sua sanctificatione; gratiâ, scilicet, præseruatiuâ contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratiâ præuenta, præseruatáque fuisset.* Plures alios, qui huc facerent, congerit ad rem suam princeps Virginis propugnator Salazar cap. 39. à num. 5. Mihi satis ad rem meam, si Seraphico Doctore, Angelicum Doctorem explicarim. 12.

Mariana gratia plenitudo.

Oppones, plures alios in Scriptura, quin ab originali, gratiæ dono, maculâ præseruarentur, plenos gratia appellari: ergo & Mariam plenam dici potuisse, quin præseruaretur. Respondit iam citatus Salazar, ad alios 13

sumi verbum ἐκπλήσ : at in Maria verbum, χαριτόω : idque in præterito : vt ad nullum tempus præteritum recurras, sub quo Mariæ gratia non adhæreret. Benè. Addo, non esse leuem hanc obseruationem: constat enim, Lucam Euangelium suum, & Acta apostolica Græcè, vt nunc habemus, scripsisse : temeréque putabitur, tam signatè vni Mariæ hanc vocem, & in præterito, κεχαριτωμένη, fuisse attributam, cæteris denegatam: nisi aliquid in Deipara ab aliis diuersum notaret expressum.

Quàm studiosè Lucas hanc inculcet.

14\. Sed lubet pro Deipara hoc telum non solùm amouere; sed etiam pro nobis apparare, idque ex prædicta huius articuli doctrina. Sic argumentor : Maria omnibus aliis maiora priuilegia accepit : sed alij pleni fuerunt Spiritu Sancto in vtero, vt Baptista: ergo Maria magis plena : ergo & meliori modo : vt Baptista post tempus in vteri statione; Maria verò in Conceptione impleretur. Probo sequelam: quia id, vt hodie ferè omnes Theologi probant, & in toto hoc libro dissero, non repugnat Filij potentiæ : & aliunde infinitam quodammodo decet Matris dignitatem. Allucet dictis ratio eiusdem D. Thomæ hic art. 6. Nullos alios, præter Deiparam, Ieremiam, & Baptistam in vtero credendos sanctificatos, contendit Sanctus Doctor. Deinde sic concludit : *Nec est credendum, aliquos alios sanctificatos esse in vtero, de quibus Scriptura mentionem non facit : quia huiusmodi priuilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus præter legem communem, ordinantur ad vtilitatem aliorum, secundùm illud* 1. *Cor.* 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: *quæ nulla proueniret in sanctificatione aliquorum, nisi Ecclesiæ innotesceret.* Vnde sic infero : Gratia specialis ordinatur in aliorum vtilitatem, ideóque datur : ergo eò maior dabitur, quò maior aliorum vtilitas, à persona, cui conceditur, speratur : sed à Mariæ sanctificatione tantam vtilitatem Orbis accepit, quantam à pura creatura accipi posse fas est credere : ergo, quantam fas est credere vterinam sanctificationem adepta est : ergo & à Conceptione: hoc enim licet, & decet tantam Patronam.

Quæ inde in nos vtilitas.

15\. Dices, totum argumentum ruere : quia locus Apostoli citatus de gratiis gratis datis, & non de gratia iustificante communiter explicatur. Fateor, hunc esse germanum Apostoli sensum, quem etiam apertè habet idem S. Thomas in explicatione illius Epistolæ : sed, quandoquidem ille in hoc loco eundem ad gratiam sanctificantem Mariam, Ieremiam, & Baptistam deduxit; iam licet illum in sua interpretatione adducere ad rem nostram. Potest tamen, ni fallor, ex scriptis verbis elici, hanc gratiam vterinè sanctificantem, quamuis in se talis sit; ast quoad modum aliquid gratis datæ redolere. Sed quidquid sit, nihil est contra rationem factam ad hominem. Pergo.

16\. In hoc eodem art. 6. Angelicus Doctor respondens primo argumento, contendenti, solam B. Virginem videri in vtero sanctificatam, (ideò enim illi concessum hoc priuilegium, vt idonea esset Mater Dei, quod Ioanni, & Ieremiæ non conuenit,) sic scribit : *Ad primum dicendum, quòd B. Virgo, quæ fuit à Deo electa in Matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quàm Ioannes Baptista, & Ieremias, qui sunt electi, vt speciales præfiguratores sanctitatis Christi : cuius signum est, quod Beatæ Virgini præstitum est, vt de cætero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter : aliis autem sanctificatis creditur præstitum esse, vt de cætero mortaliter non peccarent, diuinâ eos gratiâ protegente.* Sed, quàm neruosum ex præseruatione mortalis, & venialis culpæ, ad originalis maculæ præseruationem fiat argumentum; alibi ex doctrina eiusdem D. Thomæ latè probabo : nunc aliud ad rem præsentem. Sic efformo : Maria eligitur, & sanctificatur, vt sit Mater idonea: sed magis idonea Mater erit, si non solùm maiorem, quàm serui; sed & nobilioris generis gratiam Domina consequatur, quàm serui : ergo nobiliorem consecuta. Semper hoc suppono non repugnare : quia iam Ecclesiæ consensu probatum est. Ex quibus omnibus iam patet, cur Maria, dum plena gratiâ dicitur, non debeat secundùm aliquam sui partem vacua reputari.

Maria vnde Mater idonea.

Ad primum ergo, &c.] Respondet D. Thomas fatendo, etiam in Maria prius fuisse, quod est animale, quàm id, quod est spirituale: quia priùs fuit secundùm carnem concepta, & posteà sanctificata. Sed in primis hæc responsio, qua parte parthenicæ Conceptioni officit, inde non tenenda; sed potiùs piè interpretanda, quòd supponit generationem animalem necessariò priùs tempore futuram, quàm spiritualem, cùm ad hanc rem, & ad Pauli locum (si fortè huc facit) prioritas naturæ satis, superque fit : & Maria vel proximè, vt volunt aliqui, vel remotè (imò nec etiam remotè,) obnoxia reatui, in eodem puncto temporis, vt art. 2. probo, potuit sanctificari, & de facto sanctificata est: quod Protoplasti exemplo demonstrat hîc Suarez. Tunc sic arguo : Paulus rectè explicatur de prioritate naturæ: ergo, si hoc tardauit aliquos, vt in instanti Conceptionis puram affirmarent Mariam; inualido scipione vsi sunt. 17.

Gratia non supponit naturam prioritate temporis productam.

Deinde locus Pauli mille alias, vt nemo nescit, sortitur interpretationes, quibus supersedeo : quia cuiuis obuiæ. Sed demus, hanc etiam esse germanam; meritissimò tamen de Virgine negabitur : cùm de illa, nec etiam arctissima Apostoli verba, ex mente Tridentini necessariò veniant intelligenda. Sed in re præsenti opponendus Damascenus loco aliàs trito pro Conceptione; mihi tamen apto nato, & altiùs trutinando. Ergo Damasc. Orat. 1. de Natiuitate Virg. post aliam rationem, cur Maria ex sterili Anna nasceretur : *Quanquam alia altior, & diuinior ratio à me afferri potest : etenim natura gratiæ cedit; & tremula stat, progredi non sustinens: quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est : verùm tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Seriò affirmo, noluisse Damascenum, quòd animale naturæ, spirituali gratiæ diceretur præcedens : non quòd in ratione subiecti; essentia sanctificationi dictà prioritate non supponeretur; sed, quia in destinato tempore Mariam producente, sic celer gratia naturæ imbuendæ conuolauit, vt per hyperbolen priùs adesse gratiam, quàm naturam in illa formatione videretur : nec Maria vnquam præsens realiter, quin sancta 18.

Quàm id verum in Maria.

ſancta diceretur: quaſi, ſi fieri poſſet, expectaret natura, vt gratia effectus ſuos priùs ederet: vt germen vndique gratioſum ſic prodiret.

19. Roboro argumentum hoc ex ſimili acumine Chryſologi Serm. 89. de Baptiſta ab ſterilibus concepto: *In Zacharia, & Elizabeth ſtupet ſexus, frigeſcit caro, membra ſopiuntur, tempus præterit, ætas tranſit; aboleſcit totum, quidquid eſt, & humani ordinis, & negotij coniugalis: vt diuino munere, non partu ex hominibus Angelus naſceretur.* Quaſi in Ioanne natura timeret gratiam præuenire: & quantùm poſſet, ſe à naturalibus corruptionibus exueret, vt humano Angelo aptaretur. Quidni ergo ad Mariam, ad humanorum, cæleſtiúmque Angelorum Principem, natura venire trepidaret, niſi ita coniuncta gratiâ: vt hæc quodammodo illi, & prior, & præuia occurrere videretur?

Baptiſta encomium.

20. Adhuc aliunde, dum Mariam oppugnat, minùs vrget hæc reſponſio D. Thomæ: cùm enim argumentum procedat de natiuitate *ex vtero*: ipſe de natiuitate *in vtero* reſpondet: cùm faciliùs argumento, vt iacet, (non vt proponi poterat,) reſponderet, falſum ſupponere: cùm tres, Maria, Ieremias, & Ioannes, Sancti naſcerentur, in quorum partu non priùs, ſed ſimul natura, & ſanctitas prodierunt. Dices, in his fuiſſe priuilegium: argumentum verò rectè de ordinario modo procedere, quo homines priùs ex vtero naſcuntur animales, & poſteà per gratiam fiunt ſpirituales. Sed tunc robuſtior inſurgo: Ergo, quemadmodum verba Pauli communiter prolata contra natiuitatem ex vtero, priùs animalem, deinde ſpiritualem, priuilegialiter exceptionem patiuntur: etiam alia verba Pauli de omnibus in Adamo peccantibus priuilegialiter exceptionem capere poſſunt: & licèt ordinariò aliæ conceptiones ſint fœdatæ, poterat Mariæ Conceptio eſſe puriſſima: ergo & in Conceptione ipſa non opus fuit, vt præcederet tempore animale ſpirituali: cùm vtcunque explicetur hæc animalitas, & ſpiritualitas Pauli, iure ſuo priuilegium non fraudetur. Attende.

Communes leges priuilegium admittunt apud Deum.

21. Ad secvndvm.] Ad hoc argumentum, quod aſſerebat, gratiam ex Auguſtino non eſſe niſi renatorum; neminem verò renaſci, quin priùs naſcatur: ac proinde non potuiſſe Virginem ſanctificari ante Natiuitatem: facilè reſponderi poſſet, & formaliùs aptari reſponſionis primæ doctrina; Auguſtinum natos, & renatos hic vocare de eſſe naturæ, & gratiæ, ſiue in vtero, ſiue ex vtero: rigoroſam verò natiuitatem ex vtero non attendiſſe. Aptiſſimè tamen reſpondet D. Thomas, Auguſt. loqui ſecundùm legem communem, ſecundùm quam per Sacramenta non renaſcuntur homines, niſi priùs nati ex vtero per naturam: Deum verò huic Sacramentorum legi non alligaſſe potentiam ſuam, quin *aliquibus ex ſpeciali priuilegio gratiam ſuam conferre poſſit, antequàm naſcantur ex vtero.* Et emphaticè dixit, *ſuam*: quaſi liberam rem, non vinculatam, quam quoquo modo voluerit, poſſet profundere. Vnde clarè infertur, vt olim Ieremiam, & Ioannem, potuiſſe Deum per alia decreta in vtero aliquos ſanctificare, lege communi diuina Sacramentorum non obſtante: (quanuis ego id nunquam fieri, niſi Pontifex aliud decernat, exiſtimarim:) tunc ſic argumentor: Non minùs abſoluta, & determinatiua enunciatio legis eſt illa: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* quàm illa: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* ſed, ex D. Thoma, ſine prioris iniuria, de potentia abſoluta poteſt aliquis ſanctificari modò; & ſi fortè moriatur, tunc intrare regnum cælorum, quin ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcatur in Baptiſmo: ergo, licèt aliquis diſpenſaretur in eo, quòd non peccet in Adamo, adhuc Paulinæ legis verba ſarta, tectaque remanerent. Nec te turbet diuerſitas terminorum: nam illud, *niſi quis*, virtute vniuerſalitatis eſt æquipollens huic, *nullus, niſi qui*: imò & ex imbibita negatione naturæ malignioris quàm illud, *omnes peccauerunt.*

Idem de prædicto priuilegio probatur.

Ad tertivm.] Benè in ſua ſententia reſpondet ad argumentum D. Thomas: ſed certè, vt iam aduertit hîc Suarez, & Mariâ ab originali peccato præſeruatâ locum teneret prædicta doctrina: neque enim Maria ob naturæ obnoxietatem ſine præuio Chriſto cælum ingrederetur fortè præmortua: vnde ſic arguo: Maria, ſiue in Conceptione præſeruata, ſiue poſteà mundata, Chriſto præmoriens à cæli poſſeſſione retardaretur; quia ex communi Scripturæ, & Patrum ſenſu primus cæli ingreſſus Primogenito Chriſto ſeruabatur: ergo, quantùm eſt ex hoc capite, fruſtrà illam originali culpæ immergimus. Probo antecedens: quia gratiam præſeruantem tantùm ponimus, vt impediret culpam originalem, & ius ex meritis Chriſti daret ad regnum: non vt poſſeſſionem, niſi præuio Chriſto, traderet: ergo Maria præſeruata licèt gratior, tamen communis legis obnoxietate Chriſtum in Limbo cum Patriarchis, & Iuſtis ſperaret. Dices: Niſi Maria originaliter peccaret, non haberet obnoxietatem ſperandi. Liberè id aſſumis: vnde probas? An, quia, vt putas, ſi in inſtanti Conceptionis præſeruaretur, non poſſet dici habere reatum culpæ, ac proinde nec à Chriſto diceretur liberata? Sed hoc falſum eſſe ſtatim patebit num. ſequenti. Addo: quanuis Maria non diceretur obnoxia culpæ debito; adhuc poſſe dici obnoxiam retentioni in Limbo: quia vna obnoxietas ab alia intrinſecè non dependet. Vnde vice verſa, ſi Deus decerneret condonare peccata per Chriſtum, & non decerneret, vt Chriſtus primus cælum ingrederetur; antiqui Iuſti in cælum ante Chriſtum reuolarent. Exemplo rem illuſtro. Deus decreuit (vt ſuprà dixi) dare Angelis gratiam per Chriſtum: & tamen non decreuit, vt poſteriores Chriſto beatificarentur. Ideò exemplum, quia non vndique quadrat: ſed in re clara illud ſatis. 22.

Chriſtus hominum primus cælum ingreditur.

Ad qvartvm.] Obiectio, cui reſpondetur, meo iudicio, facilis eſt. Peccatum originale eſt ex origine, ſicut actuale ex actu: ſed actuale, dum actu committitur, non remittitur: ergo nec originale in ipſa origine. Et tamen, dum obiter piam opinionem videtur impugnare, Doctor Angelicus fatetur in ipſa origine non condonatum peccatum, id eſt, in ipſa Conceptione non ſuſpenſum; ſed poſteà, licèt in vtero: quæ vterina ſtatio, non tam propriè origo, quàm perfectionum originis eſt comparatio. Sed, ſi argumentum 23.

gumentum aliquid probat, vt benè notant ibi noſtri Interpretes, apertè probat, nec etiam per diuinam potentiam aliter poſſe fieri: quia, perſiſtente actu peccaminoſo, implicat contradictionem, ſi dicatur, eatenus remiſſum peccatum: ergo, ſi comparatio eſt ſana, perſiſtente origine, ſiue conceptione, implicabit contradictionem, originalem culpam aboleri. Sed hoc non implicat, vt ex communi conſenſu totius Eccleſiæ conſtat, puriſſimam Conceptionem celebrantis: ergo comparatio nulla. In hoc ergo cardo vertitur totius difficultatis, an ſit poſſibile, in ipſo conceptionis momento eſſe aliquem obnoxium culpæ; & tamen in ipſo culpam non ſubire: quod quia iam egregiè actum, & euidenter (ni cæcutire velis) probatum eſt à multis, non recudo. Vide Suarium tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 4. & paſſim alios.

In eodem inſtanti datur obnoxietas culpæ, & libertas.

24\. Vnâ tantùm ſagittâ ex Angelicâ pharetrâ depromptâ attingo ſcopum. Sic argumentor: Ex conditione pacti initi cum Adamo omnes homines morti deſtinantur, quolibet momento incurrendæ: & tamen in illo ipſo momento, (quoduis aſſignes,) quo homo obnoxius eſt morti, poteſt Deus aliquem à morte præſeruare: ergo in quouis momento ex vi eiuſdem pacti, aut alterius, homines ſubeundo peccato ſint obnoxij, potuit nihilominùs aliquis ab illius actuali contractione præſeruari. Conſequentia videtur legitima. Maior eſt D. Thomæ, & communis omnium. Minor, in qua ſola apparet difficultas, claret ex eodem Doctore 1. 2. quæſt. 81. art. 3. vbi ita: *Dicendum eſt, quod probabilius, & conuenientius tenetur, quòd omnes illi, qui in aduentu Domini reperientur, morientur, & poſt modicum reſurgent, vt in tertio pleniùs dicetur. Si tamen hoc verum ſit, quod alij dicunt, quòd illi nunquam morientur, (ſicut Hieronymus narrat in quadam epiſtola ad Miner. de reſurrect. carnis,) dicendum eſt ad argumentum, quòd illi, etſi non moriantur; eſt tamen in eis reatus mortis, ſed pœna aufertur à Deo.* Tunc ſic vrgeo. Reatus pœnæ ſtat cum præſeruatione ab ipſa pœna: ergo reatus culpæ cum præſeruatione ab ipſa culpa: neque enim maior aliqua ratio apparet. Ergo D. Thomas pro nobis eſt.

Id exemplo mortis oſtenditur.


25\. Reſpondebis, rem eſſe longè diuerſam: quoniam in noſtro caſu primus inſtans eligitur, in quo datur aperta repugnantia, ſi ſimul ſit obnoxietas culpæ, & ſanctitas: quia idem eſt tunc eſſe obnoxium, & eſſe in culpa. At verò in caſu mortis res longe diuerſa: eſt enim obnoxius aliquis aliquandiu; & paulò pòſt a morte præſeruatur. Contrà, quia, vt iam alij clariſſime probarunt, longe aliquid diuerſum eſt, eſſe obnoxium culpæ originali, & eſſe in eadem. Contrà deinde, ad illud, quod de reatu mortis reſpondes: Aut in illo puncto indiuiſibili, quo quis à morte præſeruatur, eſt morti obnoxius, vel non: ſi primum, habeo intentum: ſi ſecundū, & illum non obnoxium dicis: ergo pro illo inſtanti propriè non præſeruatur; quia præſeruatio actualis requirit actualem obnoxietatem. Reſpondebis iterum, in illo ipſo inſtanti non eſſe obnoxium: quia adeſt præſeruatio: & tamen benè dici actualiter præſeruari, quia habuit obnoxietatem inſtante antecedenti. Contrà: quia hæc eſt vera propoſitio: Illi, qui non debet, non condonatur. ergo & hæc: In illo puncto, in quo non debet, non illi condonatur. Quidquid reſpondeas, effugium erit, non amor veritatis. Contrà ſecundò: quia, ſi reatus inſtantis præteriti ſoluitur per condonationem inſtantis ſequentis, etiam reatus inſtantis futuri ſoluetur per condonationem inſtantis præſentis antecedentis: quid enim iuſti diſcriminis aſſignabis? Ergo iam cogeris redemptionem aliquam præſeruatiuam deglutire, quod in Maria negas.

Exemplum mortis vrgetur.

Periocha Examinis.

SEd iam à ſeuero formalis conſequentiæ ſupercilio, ad florilegia Patrum, & Scripturæ veniamus: & quidquid in hoc articulo (idem in reliquis fiet) præcipuè demonſtrare conati ſumus, in Mariæ obſequium amœnioribus Anthologiis demonſtremus. Rem ad has claſſes reduco. Maiora priuilegia Dominæ debentur, quàm ſeruis; & proinde etiam celeriora. Maria ſine Chriſto non futura. Maria dignior, & magis idonea Mater de præſeruatione, non propriè diceretur gratiâ plena, niſi præſeruaretur. Maria non eſt ex omnibus: & proinde verbis Pauli non comprehenditur.

Adeſto ſcribenti propitia, Deipara.



ANTHO

ANTHOLOGIA I.

Mariæ priuilegia cæteris maiora, & celeriora.

§. I.

Rebus sibi designatis decus, & benedictiones Deus accelerat.



26. SOLET Deus gratiæ, aut gloriæ suæ administris, decus, & benedictiones accelerare: imò semper ad talia celerrimam quamlibet præuertit festinationem. Producitur in ipsis mundi cunabulis cælum, & terra: tunc illo velut spreto, ornandæ terræ Dominus festinat: *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum.* Genes. 1. n. 11. Sic illa vernat herbida, florida purpurascit, floribus gemmat, fructibus ditescit: cælo interim incompto, & inornato. Maius est, quod sequitur: de cælo enim adornando addit Textus: *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt praeesset diei; & luminare minus, vt praeesset nocti: & posuit in firmamento cæli.* n. 26. Posuit, inquam, in firmamento luminaria, quæ extra firmamentum fuerant creata: cùm autem extra cælum, & terram nihil esset; Solem, & Lunam, quos Deus non tam è cælo tulit, quàm cælo intulit; in terra productos fuisse clarum manet. Sed, quorsum, inquis, ornatus terræ priùs describitur, & curatur, quàm cæli nobilioris? Imò, quorsum ornatus ipse cæli, priùs terræ addicitur, quam cælum beat? Quia Sol iste, & Luna Christum, & Ecclesiam referebant. D. Anastas. Sinaïta Hexam. 4. postquàm latè hunc typum explicauit, iam ad rem meam sic concludit: *Si autem ad hæc contradicit carnalis Iudæus, aut auditor: dic mihi tu, cur, cùm fecisset Deus firmamentum, non statim cum eo fecit stellas, & Solem, & Lunam? quomodo quando aperuit terram, protinus eam ornauit herbis, & fructibus, & arboribus lignorum?* Deinde post multa in hanc rem subdit: *Fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cæli: primùm fecit, & tunc ea suprà posuit. Vbi autem ea ab ipso erant facienda nisi supra terram? non enim erat alius locus extra cælum, nisi terra, vbi facta sunt ab ipso Deo, & deinde sublata sunt sursum. Vide mihi rursus hic quoque terram ante cælum à Sole illuminari: & sic ad cælum, Christum (qui est Sol) remittere, post eius compositionem, & constructionem, quæ facta est supra terram.* Et iterum post paginam: *Hæc omnia priùs in terra facta sunt, deinde cælo sunt tradita: tanquam si terra ante cælum ditata sit Christi mysterio, & aduentu. Deinde post compositionem, & constructionem, ad cælum, & ad intelligenda, quæ sunt in cælo, luminaria transmittat in eius assumptione.* Morosiùs tractaui hunc locum: quia illum ad rem aliam passim afferri audio; sed prauè intellectum, interpolatum, & mutilatum. Posses dicere, parari floridas terræ vestes, floribus purpuram, antequàm cælum (quodammodo de zelotypia cæruleum) nudis parietinis constans, stellis condecoraretur: vt Sol ibi in ipso solo creandus molliter reclinaretur; & recens editu, radios vagiens, repens iubar, per condigna Principi tapetia deuolueretur. Imò Sol ipse gaudens terram beat, adblanditur solo, puluerem osculatur, antequàm cælum conscendat: quia ipsa terra prior, quàm cælum, Christi Domini pedibus conterenda. Nónne hoc est festinare priuilegia, vt Sol præludat Christo, in cuius obsequij præmium, ipsi Soli præludunt flores: & terra cælo comptior priùs amœnatur? Et tardaret, credo, ornandæ Matris Animæ; qui pedum scabello dolando, & comendo sic festinauerat?

Sol, & Luna, cur in terra creentur.

En terra compta, en cælum adornatum. Pende adhuc terram: iam denuò tota in viuos partus funditur, balat in pecora, mugit in armenta, in feras rugit, repit in serpentes, n. 24. & tamen post tantam fœcunditatem, tot animatas diuitias, tot aut spirantes sensus, aut census pretiosos; nusquam benedictio. Vbi verò aqua squamescit in pisces, plumescit in alites, additur statim n. 22. *Et vidit Deus, quòd esset bonum, benedixitque eis dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris.* Vnde hoc discrimen? vnde tam maturatum aquatilibus beneficium? Certè quòd in aqua baptismatis fideles erant aliquãdo sanctificandi. Idem D. Anastas. lib. 5. de Christo, Sole iam ad cælum erecto, & Spiritum Sanctum inde mittente. *Per hunc ergo*, inquit, *& non per alium modum ex aquis quidem genitas animas, nempe, per Baptismum regeneratas benedixit Deus dicens: Crescite*, &c. & post pauca: *Tunc tanquàm medius stans Christus inter terrestria, & marina animantia; & ad ea, quæ sunt è terra genita oculos defigens, & dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, qui fertur super aquam, non intrabit in regnum cælorum.* Benedicuntur itaque iam tunc partus aquæ: quia aqua benedicendas animas erat productura: vt festinetur in signo, quod erat in re posteà exequendum. Et non sanctificabitur Matris productio? nõn accelerabitur Conceptionis illius benedictio, quæ posteà gratiæ productorem, & authorem Baptismatis erat conceptura? 27.

Aqua in typum Baptismi celeriter benedicitur.

28. Et benè alludit Sinaïta ad illud Genes. 1. n. 2.

Terra

Spiritus Sanctus celer benedicendo. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* In hoc maximè (vt in Cantico ad cap. 8. probaui) æternus Amor, Spiritus diuinus à profano amore condistinguitur, quòd cæcus iste, & tenebricosus sic vrat, vt non illuminet: at verò illius faces non solùm igne vrente, sed & illuminātibus flammis splendescant. Quis ergo non miretur, immisso in Orbem terrarum Spiritu diuino, non discussas ab abysso tenebras, solúmque aquas tanti splendoris beari claritate? Sed respondet aptè idem S. Doctor lib. 1. *Apertè cognoscimus, quòd tenebræ sensiles erant, super abyssum sensilem: & Spiritus Dei ferebatur super aquam sensilem: siue spiritus aeris, quem nominare ventum sit consuetudo hominum; siue Spiritus Sanctus prius sanctificans, & describens gratiam Sancti Spiritus: ambobus enim est opus, nempe, & aerio spiritu, vt instar Crucis spiret in aquam Baptismatis, & Sancto Spiritu, vt sanctificet.* At certè multò erat condignius, & congruentius, vt festinaret Spiritus Sanctus Virgini fouendæ, vnde erat Dei Filium educturus: & cùm aquæ vix è nihilo erumpentes Baptismi gratiam post tot annorum millia ministraturæ, tam maturo & celeri benedictionis fomento custodiri videantur; haud ferendum, vt id Mariæ paulò pòst Deiparæ in Conceptione denegatum existimetur.

29. Quid? digniórne partus renascentium per Baptismum, quàm partus nascentis Christi perfecturi Baptismum? Apage. Vides fœda omnia in cælo, & in terra, nondum compta, adhuc impolita: & solam interim aquam non perfectione quauis, sed ipso perfectionis principio celerrimè adornatam: & inter conceptiones alias fœdatas, parthenicam Conceptionem comptam inficiaberis? Benè D. Hieron. tomo 2. epist. ad Ocean. *Rudis, inquit, mundus, necdum Sole rutilante, nec pallescente Luna, nec astris micantibus, incompositam & inuisibilem materiam abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat: solus Spiritus Dei in aurigæ modum super aquas ferebatur: & nascentem mundum in figura Baptismi parturiebat.* *Spiritus Sanctus aquas aurigans Infitos parturit.* Benè ergo Maria in initio viarum Domini possessa, iam Spiritus sancti baiula quodammodo habenda; & in ipsa Conceptione festina illius gestatrix reputanda: quæ in præcipuum instrumentum mundo melius reformando assumebatur.

30. Trita (etiam in re Conceptionis) ad hunc locum verba Tertulliani de Baptismo, cap. 3. sed in hanc priuatam mihi celeritatem altiùs examinanda. *Habes, inquit, ô homo, in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia: dehinc dignationem, quòd Spiritus Sancti sedes, gratior, scilicet, cæteris tunc elementis: nam & tenebræ tota adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude: solus liquor semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subiiciebat.* *Aquæ excellentia.* Præterea, quæ iam alij de huius aquæ ad Mariam analogia ponderarunt. Tu mihi pende, vocari aquam *de suo puram*, non quòd à Deo puritatem non acceperit; sed, quia, dum cuncta abluit, & mūdat, nullius tamen indiget mundatione, quasi ob hoc maximè dignum Deo vectaculum præpararet. *Deum, nisi puritas non portat.* Vt iam videas, Mariam, cuius intercessione omnia mundantur, licèt tot gratias haberet; at mundatiua præhabitæ labis gratiâ non indiguisse: sed ex vi prædicti suprà decreti immunem, & puram à peccato, (licèt ad sanctificationem gratiâ indigeret,) vt sic dignum Deo vectaculum subiiceret.

Sed omnes prædicti Patres, & alij plusculi accceleratam gratiæ benedictionem referunt in hac aqua, tanquàm futuro Baptismatis instrumento. 31. *Instrumenta sua Deus nobilitat.* Maius aliquid cogito. Etiam præcisa hinc Baptismatis ratione foueret statim diuinus Spiritus aquas tanquàm materiam nobilium, sed naturalium productionum assumendam. D. Ambros. Hexam. 1. cap. 8. ita: *Ornando enim polos cæli germinaturis terris pulchrè Spiritus superferebatur; quia per ipsum habebant nouorum partuum semina germinare,* &c. *Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat in plerisque, & congruit, sic habet: Et Spiritus Dei fouebat aquas, id est, viuificabat, vt in nouas cogeret creaturas, & fotu suo animaret ad vitam.* Accelerat fouendæ aquæ, vnde naturalia germina producenda: & lentaret, puto, fouendæ Virgini, vnde diuinus fructus germinaturus? Fotus naturalis vbertatis festinus aquæ paratur: & vbertas tardantis gratiæ, Deiparæ disponeretur? Sed adhuc vnum verbum de Baptismo.

Iam satis sanctificatæ aquæ de fouendo Baptismo videbantur ab Spiritu fouente: sed ecce noua, & festina dispositio. 32. Vix Orbi aperto se immittit Christus, cùm Baptismo demittitur. *Tactus Christi mundat.* *Venit Iesus à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur.* Matth. 3. num. 13. non vt ab aquis recederet sanctificatus; sed, vt seipso aquas sanctificaret. Atqui nónne satis, si Christus paulùm aquæ attingeret, & sanctificaret in mysterium? Nónne satis, si foris baptizaretur? Cur ingreditur flumen, vt colligitur ex num. 16. Vt dum omnia flumina è mari oriuntur, & viuæ partes maris appellantur, inque mare, vt loquitur Scriptura, tandem recurrunt; Iordanis ipse sanctificatus, mari (licèt occultis meatibus) miscendus, mare totum, & proinde omnes aquas sanctificaret: vt omnes, quotquot erant, aquæ partes in Baptismatis ministerium sanctificatæ indidem crederentur. Faucet Ambros. Serm. 18. *Ideò baptizatur Christus, non vt sanctificetur ab aquis; sed, vt ipse aquas sanctificet; & purificatione sui purificet fluenta illa, quæ tangit: consecratio enim Christi, consecratio maior est elementi: cùm enim Saluator abluitur, iam tunc in nostrum Baptismum tota aqua mundatur: & purificatur fons, vt secutu is postmodum populis lauacri gratia ministretur.* Quasi, ni *tota aqua* munda persisteret, minùs apta Baptismo deueniret: nec satis apta Deipara maiori ministerio, si qua sui parte fœdata crederetur, ni eius Conceptio munda intelligeretur.

§. II.

Aliunde prædicta pia celeritas illustratur.

33. Emergamus iam ab his aquis, quas alibi feliciùs iterum enatabimus. Nunc & aquas, & terram, & aëra, & cælorum concamerata conuexa intueamur: & post tot ornatus impendia, pendebis adhuc,

adhuc, cuinam tot pulchritudinis fabricæ præparentur, audiéſque, totum hunc mundum in hominis gratiam adornari: & tamen non adhuc homo, qui primogenitus dignitate, origine postremus tunc creatur. Causam subdit Alcuinus quæst. 9. in Genes. *Cur, inquit, homo sexto die creatus est, cùm propter rationem nobilior cæteris esset creaturis, quæ ante se factæ sunt? Vt primùm Creator mundum, quasi domum præpararet; & post introduceret habitatorem, id est, dominum domus.* Festinauit, scilicet, Deus domicilium multò antè homini disponens, quod posset simul cum homine concreare. At, cur non festinaret sibi augustius palatium in Virgine paraturus? aut, cur virtute futuri Filij, præmia, quæ posset, Matri non acceleraret?

Homini in Principem creato, palatium præparatur.

34. Certè non ille talem se gessit apud alios. Audit Abraham felicissimè promissum sibi Isaac: accipit: & Deo de generosissimo affectu immolandam iam victimam recuperat: tunc longè felicius nuncium capit de semine suo stellis componendo; &, quod maius est, de Christo stellarum Principe incarnando: & subdit statim Textus: *His itaque gestis, nunciatum est Abrahæ, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor, fratri suo: Hus primogenitum, & Bus fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum, & Cased, & Azau*, &c. Genes. 22. num. 21. Inter tot fausta sydera promissa, inter faustissima Saluatoris nuncia, filij Melchæ statim nominantur: nec intermisso calamo, Christi, & horum genealogia computatur: & vnde tanta dignitas familiæ, vt in tanto articulo memoretur? Putes, quia inter hos *Bathuel*, de quo additur: *Ac Bathuel, de quo nata est Rebecca.* Sed certè satis videbatur, si iste solus apponeretur, vt nuptiæ Isaac, & Rebeccæ posteà noscerentur. Quorsum ergo tam longus catalogus in dignitate pari constitutus? Respondet idem Alcuinus quæst. 209. *Cur nominantur Scriptu[r]a filios fratris Abrahæ? Quia de illis, & de illorum stirpe aliquid postea celebre esse legitur gestum. Itaque Hus vnus erat, de cuius stirpe Iob descendit. Sic enim scriptum est in exordio Voluminis eius: Vir fuit in terra Hus, nomine Iob.* Quid comparationis est inter Iobum, & Iesum? inter Mariam, & Melcham? In gratiam vnius Iob tetrauia, & atauus celeri honore præparantur: & in gratiam Iesu proximæ Matri claudicantia dabuntur priuilegia?

Ataui iam de posteris Iustis prædecorantur.

35. At quidem ille nec etiam vigesimæ cognatæ, & remotissimæ, quæ tunc expediebant priuilegia, denegauit. Enarrabat Iacob Iosepho suo, quot, & quanta beneficia diuinis benedictionibus acciperet consignata: adoptabat huius filios in suos, & propriis filiis in Patriarchas nepotes interserebat, & subdit statim Rachelis suæ mortem concludens: *Et sepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Genes. 48. num. 7. Et quorsum, inquis, inter benedictiones faustas, infausta mors Rachelis? Quorsum inter adoptionis primordia, luctus prodromus? Credo, vt qui benedictiones suas exponebat, & à Deo accepta beneficia memorabat, similia vxori concessa non subticeret: & sic vtrunque parentem præuiis benedictionibus affectum hilaris recognosceret Ioseph: cui æquè felix pater de vita à Deo beneficiis cumulata; quàm mater de sepultura, in loco Christi Natiuitati designato collocatâ. Sic Christus præuius Racheli decorandæ. Fauet August. tom. 4. lib. 1. in Genes. quæst. 165. *Fortè, inquit, ad rem pertinuit commemorare, ibi sepultam matrem Ioseph, vbi Christus fuerat nasciturus.* Non tardaret conceptæ Matri gratiam impertiri, qui defunctæ cognatæ celerrimus parauerat sepulturam?

Idem de Christi remotis consanguineis.

Sed, quidni animas festinus sic condecoret, qui etiam inanimatis locis propterea festinat exornandis, licèt post infinita sæcula seruituris? Pergebat in Mesopotamiam Iacob, diuertit dormiturus in montem; cui inter dormiendum scala illa mystica cernitur: cernuntur ascendentes, & descendentes Angeli; imò ipse Deus summitati eius perspicitur innixus. Inundabant ibi gloriæ, pluebant benedictiones: fabros Angelos, & ipsum Dominum architectum cœlestis illius portæ iudicares: ideò exclamat: *Verè Dominus est in loco isto: & ego nesciebam.* Genes. 28. n. 16. Quasi diceret: Speciali modo assistit Deus huic monti: fouet locum istum. Et vnde, relicto quodammodo cælo, tot epilogantur gratiæ in hoc angulo? Respondet ibi Lyranus: *Quia beneficia, & mysteria diuina erant ibi implenda.* Fundatum post longa sæcula fuit in illo loco templum Ierosolymitanum, vbi Deus colebatur: passus in eodem monte Christus Dominus, (de quo ibi fusiùs idem Author;) ideò tot ante annorum millia, locus ille fotus, & sancto patrocinio præmunitus: & Maria, qui Dei Verbo viuum & excellentius erat carnis suæ templum erectura, quæ erat ipsum fundendum Sanguinem ministratura, festinantia dona gratiæ non sortiretur? 36.

In virtutis ministerium, insensibilia loca adornantur præuiè.

Sed audi adhuc, quid dicatur de Iacob ibidem, n. 17. *Pauénsque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Prætereo, quòd in hac scala, quæ domus Dei, & porta cæli dicitur, passim à Sanctis Patribus Maria intelligatur: tu solùm mihi pende Patriarchæ pauorem, loci terribilitatem in medio splendore tanto trepidantis: vbi Rupertus hic lib. 7. cap. 23. sic scribit, licet Ecclesiam intelligat: *Dominus est in loco isto, cum dicit; subaudiendum est præsentiâ gratiæ: nam & in isto, & omni loco est magnitudine præsentiæ*, &c. *Notandum, quòd non ipsum Dominum, sed locum pauescit. Quidnam pauoris, vel quid terroris secundum se locus iste poterat habere?* Et post pauca respondet: *Quid significaretur huiusmodi somnio, prævidit: illúmque locum, cuius iste figura erat, expauit: qui, videlicet, locus Ecclesiæ Dei est.* Et quantò magis paueret Iacob virginei vteri mysteria? aut quantò ista aliis Ecclesiæ mysteriis augustiora? Si ergo locus, qui Ecclesiæ typus erat, iam tunc assistenti gratiæ fauore muniebatur; quantò magis Maria in ipsa Conceptione muniretur? 37.

Ecclesiæ dignitas.

Strictiùs tamen adhuc ad hunc locum Alcuinus q. 226. sic habet: *Quòd futurum erat in terra promissionis Deum timere, & colere, tabernaculúmque ei fieri; eúmque, qui est super omnia benedictus Deus, pedibus ambulare in ea.* Terram Christo calcandam festinâ prouidentiâ Deus tuetur: carnem Christo sumendam improuidè fœdari culpâ, & posteà tardè mundari existimemus? Cùm igitur ex omnium ferè Doctorum sententia Incarnatio Christi hîc Iacobo fuerit reuelata; ideò enim ex eius semine n. 14. Tribus omnes dicuntur benedicendæ: non mihi dubium, Mariam præuidisse, quæ antonomasticè, & Deo domus, 38.

Terra tangenda Christo, beatur præuiè.

domus, & nobis porta cæli (vt clamant Scripturæ, & Patres) facta est. Audi igitur iam Chaldæum ad hunc locum: *Quàm terribilis est locus iste! non est locus communis; sed locus, in quo beneplacitum est coram Deo* Non est Maria commune Deo, & Dæmoni diuersorium: solius Dei præsentiam admittit: qui, sicut in Filio semper; sic etiam in Matre semper sibi benè complacuit: nec ita in hoc habitaculo complaceret, nisi eius fundamento, Conceptioni, scilicet, lucem festinus adhiberet.

Maria nihil habet commune.

39. Incepturus Deus mundum ab idearum suarum expromere thesauris, sic describitur in Scriptura: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas: dixítque Deus: Fiat lux. & facta est lux.* Genes. 1. n. 2. Ante cætera cæli, terræque ornamenta lux producitur: nondum Orbis palatium emittitur, cùm lux accelerata præmittitur. Et cur ita? Quia minùs congruè ædificium disponeretur, nisi festinus de luce cogitaret supremus Architectus. Pulchrè D. Ambros. Hexam. 1. cap. 9. *Vnde vox Dei in Scriptura diuina debuit inchoare, nisi à lumine? Vnde mundi ornatus, nisi à luce, exordium sumere? Frustrà enim esset, si non videretur,* &c. *Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamiliàs struere desiderat: antequàm fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat, explorat: & ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu: lux est, quæ reliquos domus commendat ornatus.* In hoc autem distinguitur ab humano architecto, diuinus noster: quòd, licèt vterque festinus cogitet de luce; at ille, non nisi erecto iam ædificio per fenestras lucem immittit: hic verò, cuius dictio est operatio, dum fundamenta ponit, lucem communicat: ideò addit idem D. Doctor: *Fiat lux. plena vox luminis; non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu: naturæ opifex lucem locutus est, & creauit,* &c. *Non ideò dixit, vt sequatur operatio: sed dicto absoluit negotium.* Qui terreno ædificio ad ipsa fundamenta lucem accelerat; Mariani ædificij longè dignioris fundamento, id est, Conceptioni, lucem tardus inuideret? facili verbo potens, denegaret?

Rerum fundamenta à Deo decorantur.

40. Est in hanc rem elegantissima Ambrosij eiusdem descriptio de ortu frumenti, ibidem, lib. 3. cap. 8. *Cùm se,* inquit, *granum illud resoluerit, herbam germinat. Grata ipsa iam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satiui similitudine sui prodit: vt in ipso suæ stirpis exordio, cuius generis herba sit, recognoscas, atque in his herbis fructus appareat: paulatimque adolescit vt fœnum: culmóque pubescens erigitur, & assurgit. Ast, vbi se geniculat a iam spica sustulerit; vagina quadam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interiùs: ne tenera eius primordia, aut frigus lædat, aut Solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæua decutiat.* Sed de prouidentia Dei erga naturalia, passim argumenta potes elicere, ad celerem eiusdem prouidentiam erga Mariam. Hîc solùm mihi pende, quantùm exactiùs Mariana spica foueretur, vt futurum granum è cælo descensurum dignè confoueret: quam in ipso suæ stirpis, id est, Conceptionis exordio grata uiresceret, vt cuius generis herba esset, qualem productura fructum, nosceretur: imò vt in ipsa, tanti fructus iam dignitas appareret.

A pullulanti herba fructus dignoscitur.

Prædicta hucvsque festinatio excitat mihi memoriam tituli illius, quo maximè appellandum Christum Dominum testatur Deus apud Isaïam: *Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera spolia detrahere, festina prædari.* cap. 8. n. 3. vel, vt legunt LXX. ταχέως σκύλευσον, *celeriter spoliato.* Et causa celebris cognomenti additur statim n. 4. *Quia, antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrē suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Vbi D. Hieron. ita habet: *Antequam humanum corpus assumeret: & iuxta infantiam Patrem vocaret Deum, Matrem Mariam: auferetur Damasci fortitudo, & spolia Samariæ per Regem Assyriorum: vt nec dum natus, populum suum domum Dauid sola inuocatione saluaret.* Atqui ego non crederem tam festinum ducem, tam celerem spoliatorem, qui antequàm corpus assumeret, antequàm incarnaretur, sola inuocatione inuitatus pennas aquilæ sumebat ad populi auxilium: eundem plusquàm testudineo gradu Matris liberationi aduenisse. Imò puto, minùs congruè Christum appellandum Dæmonis prædatorem, si Matrem Dæmonis prædam fuisse pateretur: qui ex præseruata Matre, felicia salutis auspicia cæteris importabat. Attende. 41.

Christi innocatio, salus festina.

Christus à salute Matris, salutaria nobis fecit auspicia.

Dubitaui sæpè, cur cùm, ipso creato cælo, Sol non crearetur: cur, posito throno, Iudex statim non assideret: cur diei præses, lucis quæstor, Orbis lampas, oculus firmamenti in quartum diem creandus reseruaretur, Genes. 1. n. 16. & putaui adblanditum fuisse Deum Planetæ optimo, & festinum illius honori præcauisse. Creabatur Sol, vt inter cætera sydera, hominibus præcipuum esset temporum signum, & auspicium: vtque in singulis diebus, benignus, & placidus eius influxus haberetur: præuidebat aliunde fore, vt homines diem quartum, inter atros, & infaustos computarent: ergo Soli consulens, illum in die quarto producit, vt iam Sol huius diei reprehensores coarguat, quodammodo dicens: Quid atrum mihi diem quartum inter cæteros imputatis, qui mihi natalis origo designatur? aut quid à me salutaris temporis auspicia speratis, si inauspicatam mihi originem impingitis: Grauiter, & acutè D. Ambros. Hexam. 4. cap. 9. ita habet: *Pulchrè igitur, vt arbitror, cessit dies quartus. Quomodo ergo quartum plerique confuerunt cauere, & inutile putant hoc numero aliquid ordiri, quo totus noua luce mundus emicuit? an sinistris Sol cœpit auspiciis? & quomodo aliis potest bona signa dare, qui sibi eligere diem sui nesciuit exortus? aut quomodo signa eius probant, cuius ortum non probant?* Sic non sinistris auspiciis, id est, materna Conceptione fœdata, cœpit diuinus Sol iustitiæ, victor celerrimus: diem suum, id est, Mariam reddidit purissimam: & vt omnibus salutis signa daret, exortum, & originem suam, in ipsa voluit origine, salutis participem: vt iam, tuti Solis nostri vincentis signa, tanquàm bona, probaremus; quia illius exortum, (id est, Mariam) optimum, & faustissimum comprobamus. 42.

Dies quartus olim infaustus.

* * *

§. III.

Celer, imò & præuius maledictionis auerruncator Deus, erga illa, quæ pretioso ministerio destinantur.

43. *Maledictiones, celer, imò præuius, auertit Deus.* SED tolerandum vtcunque aliquibus, (minùs piis,) si hoc decore, & benedictionibus præuiis Maria spolietur: quòd autem maledictioni culpæ etiam immergatur, piis auribus fateor intolerabile omninò iudicandum. Celeri benedictione non donatur Deipara, durum dictu: at sceleris maledictioni traditam expauesco: quasi verò oculatior Deus, vigilantior Dominus in maledictione ab aliis celeriter, imò præuiè auertenda; quàm in Matris maledictione præuiè auerruncanda. *Diuina cura erga Paulum.* Minatum spirans furit in Ecclesiam Paulus, dúmque pergit in Damascum fideles perditurus, sanguine satiandus, deturbatur, in ipso casu felicius erigendus: & ex vase venenum despumante, in vas salutem propinans tunc consecratur. Hæc ex Actis Apost. sunt fide sancta: & tamen audis illum Galat. 1. num. 15. *Cùm autem complacuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam*, &c. *continuò non acquieui carni, & sanguini.* Et vnde segregatus ab vtero, qui post tot à natiuitate annos segregatus? Nouit, credo, (accepta reuelatione,) destinatum sibi auxilium celerrimum, quo penè in ipso vtero, & incunabulis, certè in primo rationis vsu maledictionis culpæ labem euitaret: neque datum, quia scientiâ mediâ præuidit Deus, fore, vt ille tam sufficiens de se auxilium eneruaret; in tempus illud congruum reseruans, quo ipsum auxilium de consensu præstando efficax præuidebatur. Benè ergo celeriter se vocat segregatum quoad diuinam pietatem, *Scientiam mediâ agnouit Chrysostomus.* qui solùm de sua duritie præuisa, tam ingens beneficium quodammodo retardauit. Audiant, qui verissimam hanc Societatis doctrinam, vt nouam, calumniantur, Chrysostomum in Matth. cap. 19. hom. 65. ad medium: *Quando autem visum est ei? Quando certè obtemperaturus erat: nam ipse à primis etiam incunabulis voluisset: sed, quia illum renixurum sciebat; tunc voluit, cùm animam ipsius penetraturam vocationem non ignorabat. Sic & latronem cùm posteà vocauit, potuisset anteà ipsum vocasse; sed vocatus ille non paruisset: nam, si Paulus ab initio non paruisset, multò minùs ipse latro.* Vides, quàm celer, maledicto culpæ ab Apostolo Gentium tollendo, ex se volaret Deus: quia tanto ministerio destinabatur: quidni ergo ad Mariam augustiori longè muneri addictam, celerior adueniret? Nisi iam somnies, hanc, Conceptionis suæ gratiæ, renixuram.

44. *Idem ab eodem probatur, & efficax auxilium à libertate.* In vineam suam colendam operarios Dominus conduxit: & alios quidem hora nona, alios etiam vndecima, id est, in extrema penè vitæ periodo: Matth. 20. nec tamen in maledicto culpæ, & otij torpore iacentes tandiu, inepti ministerio tanto reputantur. Frustra ergo, dicat aliquis, acceleratam maledictionis medicinam, ad alta ministeria obtrudimus. Sed pende, quî parabolam incipiat Matthæus: *Simile est regnum cælorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineã suam.* dicto cap. n. 1. Certè ipse accelerauit primo mane hos tales a maledicto inertiæ segregare: quia tamen renixuros, ex prædicta doctrina, cognoscebat; tunc vocauit, cùm de congrua temporis circunstantia futurum auxilium efficax præsciuit. Idem Chrysost. citatus: *Sed, inquies, non statim omnes conduxit? Omnes quidem ille ab initio conduxisse voluisset: si verò non omnes eodem tempore paruerunt, a voluntate vocatorum hæc differentia resultauit: idcircò alij mane, alij tertia, alij sexta, alij nona, alij vndecima hora vocantur: quia tunc obtemperaturi erant.* Nihil clarius dici potuit de efficacia auxilij à libertate arbitrij pendente. Maneat ergo ad rem nostram, celerem maledictionis amolitorem à se fuisse Dominum, vt erga Mariam celerrimum aucupemur.

Sed parum erat, si celer abolendæ admissæ iam maledictioni Dominus adueniret: præuius occurrit, festinat præseruator. Annunciatur matri sterili fœcundus partus; & desperanti penè fœminæ spei optimæ filius Samson promittitur: additque Angelus: *Caue ergo, ne bibas vinum, ac siceram; nec immundum quidquam comedas: quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero.* Iudic. 13. n. 4. quod idem repetitur n. 7. Vbi Rupertus apud Glossam: *Mulieris huius sterilitas; Beata Maria, secundùm figuram, est virginitas: & quod ait: Caue, ne vinum bibas, &c. mystica præparatio est. In his verbis intelligitur: Spiritus Sanctus superueniet in te.* Sed tu mihi considera, *Etiam ebrietatis vmbra mala.* quàm præuius Deus à Nazaræo suo non solùm ebrietatis maledictionem; sed & maledictionis huius vmbram expellat præseruator: qui nec etiam materno sanguine in vtero nutriendus, immundum aliquid, aut inebrians saltem per matrem attingere permittitur: tunc quàm lato discrimine Nazaræus noster Christus à Samsone discernitur; tam decenter in Matre ab omni maledictione iudices præseruatum.

45. *Columba venustas Dæmone non fœdanda.* Rapit oculos columbæ pulchritudo: candore argentum prouocat, aurum flauescente dorso: quot colli plumas gyrat, tot lucis flores rotat, imò tot gemmas: nunc roseos pyropos vibrat, nunc hyacinthos amethystinos: iam cærula vernat in sapphiros, iam in topazios pallidula amœnatur: punica grana protenduntur in rostrum, & in calceos coralia substernuntur: grata quiescit, saltat gratior, osculatur venusta: totas Veneris suæ Charites probat non fabulosas. Quàm aptum alliciendæ fœminæ instrumentum! Hanc indue, Dæmon, & Euam longè faciliùs superabis. Et tamen ille serpentem vultu deformem, oculis igneum, lingua trisulcum, squamis asperum, horridum spiris, Genes. 3. dicitur assumere. Et cur ita? Respondet ibi Hugo Victorinus apud Tilm. loco iam aliis in re Concept. adducto; sed in mentem meam aliter ponderando. *Venit ad hominem in serpente callidus hostis, qui fortasse, si permissus fuisset, in forma columbæ venire maluisset: sed hoc vas sibi Spiritus Sanctus reseruauit: quia profectò dignum non erat, vt Spiritus malignus formam homini odiosam faceret, in qua postmodum eidem Spiritus Sanctus apparere debuisset.*

debuisset. Examinemus illud: *Vas Spiritus Sancti reseruauit.* quia tot post sæcula, tot ab illa columbarum generationes, adhuc vas minùs purum, nisi à maledicto serpente præseruaretur: quasi licèt *postmodum* appariturus; iam ab initiò, Spiritus Sancti formam tutaretur. Vide infrà, n. 1432.

47. *Columba absque felle Maria.* Nimirum, atro veneno infecta à serpente columba, & amaritudinem experta fellis aliunde expers, inhabilis Spiritui Sancto portando redderetur. Hinc ergo est, quòd dum columbam nostram vocat, sic ait idem Sanctus Spiritus: ***Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*** Cant. 2. num. 14. Quasi, nisi semper in foraminibus, & cauerna, siue gratiæ latibulis à serpentis incursu reseruaretur, nec esset decoris debiti, nec dulcedinis requisitæ. Fauet Dionys. ad illud Cant. 2. num. 10. ***Surge, propera, columba mea.*** de quo ita art. 8. ***Columba mea, in qua nunquam fuit radix amaritudinis, fellea austeritas: sed simplicitas sapientialis inuiolata.*** I nunc, & columbam dulcissimam tam nouo genere Spiritus Sancti baiulam, maledicti serpentis commacula veneno: qui etiam columbinam formam phantasticam sumendam a maledictionis vmbrâ reseruauit.

48. *Aqua de Baptismo priuilegia.* Rebellat in Creatorem beneficum Protoplastus, & in sibi subiectis creaturis ipse, totáque sequenda posteritas punitur: vnde audit: ***Maledicta terra in opere tuo.*** Genes. 3. num. 17. vt laborioso sudoris rigatu spinas germinet misero, qui Paradisi flores cælesti fotos Zephyro decerpebat: vt sudatâ bestiali pascatur herbâ, qui poma è ligno vitæ facilia contempserat. Benè habet, discat iam gemens, quæ degener conculcauit. Ast, cur eidem pariter mare non maledicitur? Cur mare fatigandum commerciis, piscatu conuoluendum, volandum velis, remis verberandum, timone scindendum, carinis persulcandum, maledictionis immune perseueret? Respondet Alcuinus ibi quæst. 10. *Quod prædestinauit*, inquit, *Deus in aquis abluere peccatum, quod de fructu terræ contraxit homo.* Aquæ aliò productæ, quia præuiso peccato destinantur deinde in Baptismum ad culpæ remedium, tota festinatione immunes à maledictione præseruantur: multò longiùs igitur à maledictionis amaritudine erit Maria, quæ aliàs non futura, solùm in Saluatoris Matrem destinatur: & si aquæ in terræ oppositionem præseruantur celeriter; quis Mariam Euæ oppositam condemnabit?

49. *Aqua sale degradata.* Non patiatur, quæso, Maria innocentissima, quod innocentes aquæ aliquando per summam iniuriam passæ sunt. Euerterunt olim Anabaptistæ Hæretici templa, eiecerunt Catholicos: imò & templorum nonnulla quasi piis, & Romanis cæremoniis polluta, & contaminata, aquis sale multo conspersis expiare præsumebant. Contra hos, nescio an dolenter magis, an magis eleganter Optatus Afer Mileuitanus lib. 6. contra Parmen. sic scribit: *Iam illud quale est, quòd in multis locis etiam parietes lauare voluistis: & inclusa spatia salsâ aquâ spargi præcepistis? O aqua, quæ dulcis à Deo creata es; super quam, ante ipsius natalem mundi, Sanctus Spiritus ferebatur! O aqua, quæ vt purum faceres Orbem, lauisti terram! O aqua, quæ sub Moyse, vt naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora suauissimis haustibus satiasti! Restabat tibi post promotionem non leuiter degradari. Præsentia Moysi in te amaritudo moritur: & Schismaticis hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur. Pares patimur bellum, pares expectamus vindicem Deum.* Posset exclamare pietas, imò & veritas: O Maria, quæ tanquàm vitæ dulcedo nobis data, ab initio, & ante sæcula Sancti Spiritus templum parabaris! O Maria, quæ vt mundum peccati illuuione sordidum mundares, in Christo salutis aquam viuam effudisti! O Maria, quæ melioris Legislatoris meritis, & viuifico Crucis ligno præseruata, non tam vt aqua Mara salsuginem amisisti, quàm intemeratam dulcedinem admisisti; vt inde Mater gratiæ fidelium omnium pectora recreares! Restabat tibi post tot augmenta gloriæ degradari. Dei fauore immunis coleris, & hominum adhuc iudicio tua immunitas vexatur: à quibus tamen benignior non expectas vindictam, sed pœnitentiam.

Monebat Sara Abrahamum suum de ancillæ, déque malè morati pueri expulsione: ille, vt pater erat, asperiora, contra priuignum, monita vxoris reputans, dissimulabat: ad quem tunc Deus: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Genes. 21. num. 12. Sed hem, dices, & meritò: audiat saltem vocem Saræ, id est, (ex sacra phrasi,) obediat in hoc negotio Saræ Abrahamus: cur omnia eius imperia suscipere præcipiatur? Quale hinc exemplar coniugibus, quo velint fœminæ viris imperare? quo timeant mariti subiici vxoribus? Attende. Ante protoparentum culpam Eua amoris, & fragilioris sexus iure marito subdebatur: quòd autem Adamo posteà innato timore, & quodammodo seruiliter subderetur, is quidem maledictionis illatæ effectus fuit: ideò iam peccatrici dicitur: *Sub viri potestate eris.* Genes. 3. num. 16. vel, vt in Sixtianis legitur: *Ad virum tuum conuersio tua.* Cæteræ ergo fœminæ hanc maledictionem euitant tandem post mortem in beata vita: at Sara, quæ sanctissimè degebat, adhuc viuens hanc maledictionem auerruncat. D. Hieron. contra Heluidium, in fine. *Defecerunt, inquit Scripturæ*, (ait Hieronymus,) *Saræ muliebria: post quod dicitur ad Abraham: Omnia*, &c. *Quæ non est in partus anxietate, & dolore: quæ deficientibus menstrui cruoris officiis mulier esse desiit, à Dei maledictione fit libera, nec est ad virum conuersio eius: sed è contrario, vir subiicitur ei, & Domini voce præcipitur: Omnia, quæcunque dicit tibi Sara, audi vocem eius.* Itaque Saræ, quia per ætatem libidinis ardor, partus dolor, per virtutem praua quæuis propensio deerat; maledictio subiectionis viro, tollitur festinè: Mariæ, quæ in virginitatis Sacrarium, in partum incorruptum destinabatur, præuiâ gratiâ maledictio subiectionis Dæmoni non arceretur? Alius deglutiuerit. 50. *Vxor sancta imperat marito.*

* * *

§. IV.

§. IV.

Deipara, diuinus Microcosmos: Pandora sacra: cui gratiarum primitiæ consignatæ.

51. SED, quid mirum, maiora, & celeriora, quàm cæteris Iustis, Mariæ priuilegia concedantur; si verissimum illud de illa dici potuit: *Diuisa per omnes, in vnum collecta tenes?* Maria quidem perfectionum omnium, quæ singulis diuiduntur, diuinus Microcosmos, & is perfectior. Dicebam suprà n.33. ideò hominem post mundum creatum fuisse, vt disposito iam palatio disponeretur. Sed esto id verum de præcipuis Orbis partibus: quis tamen adhuc non miretur, hominem omnibus visibilibus creaturis dignitate primum, origine postremum, omnibus postponi? Quis non miretur, non solùm cælum, & terram; sed bruta quæuis, & viliores formicas, arbores, plantasque abiectissimas, vetustiorem generis prosapiam, quàm homo iactare posse? Respondet optimè Tertullianus lib.2.cont.Marc.cap.4. *Cùm cognoscendo Deo hominem prospexisset bonitas Dei ipsius, etiam hoc praeconio suo addidit, quòd priùs domicilium homini commentata est; aliquam postmodum molem maximam, postmodum & maiorem: vt in magna, tanquàm in minore proluderet, atque proficeret.* Sic pictor, vel quiuis alius artifex, cùm opus aliquod parat in artis suæ pulcherrimum ostentamentum, priùs in aliis proludit, tanquàm profecturus. Sic, qui optimos in purissima charta deducere conatur characteres, priùs in aduersariis, libero calamo, solutâ manu proludens lineas depingit. Proludit ergo quodammodo, & videtur Deus in omnibus aliis proficere creaturis, vt posteà hominem, tanquàm opus perfectissimum, ostentaret.

Proludit, & quodammodo discit Deus in cæteris: homini tandè producendo.

52. Illud tamen in Tertulliano caligat adhuc, quòd cùm cæteri Scriptores soleant hominem microcosmon, id est, mundum paruum appellare: ille tamen de Orbis magna hac machina, tanquàm de minore, in qua proluderetur, loqui videatur: quasi iam non homo microcosmos; sed, si fas dicere, megacosmos, siue mundus magnus veniat appellandus. Amouet tamen cultus Afer nodum occultiori, vt solet, elegantiâ: *Vt in magna*, inquit, *tanquàm in minore proluderet, atque proficeret: & ita de bono Dei, id est, de magno, ad optimum quoque eius, id est, ad maius habitaculum promoueretur.* Quasi dicat: Diuina bonitas totum mundum in hominis palatium dedicauit; at hominem, sibi in palatium proprium destinauit: mundus verò, licèt quantitate maior, minor dicendus quoad dignitatem: homo verò, qui quantitate minor, quia excellentia præstat, maior dicendus: maius ergo hominis habitaculum, quia optimum: minus Orbis, quia tantummodo bonum appellandum. Et meritò: vt enim innumeras aliorum humani microcosmi, & illas elegantissimas prætereeam descriptiones: quis hanc meam, sit licèt hiulca, non tamen verissimam existimabit? Pende cælum Sole suo, & stellis illuminatum; sordebit, si viuidos, &

Homo microcosmos de quãtitate, de excellentia megacosmos.

Hominis, & mundi analogia.

nitentes oculos è serena fronte aspicias irradiantes. Non index celebrior Iris, dum arcuatur, quàm cogitabundi hominis arcuata supercilia. Non tot è diuerso fulgore nubes variant colores, quot è diuerso affectu multicolores vultuum species. Remissiùs tonat æther, quàm vox irata: penetrabilius fulmine, verbum eloquens: lacrymis cedunt pluuiæ, auræ suspiriis. Nullis floribus, nullo gramine sic grata vernat terra, quibus capitis coma decens, mollis barbæ lanugo non præferatur. Hæc de vna corporis arce, de humano capite: cætera membrorum prætereo: nec mentis penetrare adyta præsumo temerarius. An non naturæ microcosmos homo, & is perfectior?

Puto igitur, sicut in naturæ ordine, quidquid perfectionum peregit Deus, perfectiorisque hominis, id est, excellentioris microcosmi proludium apparauit: sic in ordine gratiæ Mariam Microcosmon Ecclesiæ reddidisse, in qua excellentiùs longè diuisæ per singulos Iustos perfectiones, tanquàm in pulchriori epilogo, reperiantur. De hoc piissimè D.Thomas de Villanoua, Conc. 3. de Natiu. Virg. *Sed iam ad dona, gratias, & virtutes transferamus. De his quid dicere possumus, nisi quòd illi datum est, quantùm capax est pura creatura? Vnde, sicut in creatione mundi, in homine collecta est omnis creatura, ideò microcosmus: sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio: vnde Microcosmus Ecclesia dici potest.* Primæua protoparentum gratia, illibata Angelorum origo prolusit Mariæ: in illis, quæ tunc Deus concedebat, quodammodo proficiens, ad originalem Deiparæ gratiam parabatur: & in minùs digno Angelorum habitaculo, ad augustius accingebatur habitaculum. 53.

Maria, Ecclesia Microcosmos.

Sed maius aliquid latet in Microcosmo nostro diuino: sic enim summa est, & epilogus, vt proptereà index etiam sit perfectionum omnium, quas Deus cæteris creaturis subdiuisit. Certè proinde rebus epilogum constituimus, vt primo statim aspectu in illo totius operis mysteria cognoscamus, facilique periochâ penetremus. Illud Genes.1.n.1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* aliqui Græci codices sic exponunt: Ἐν κεφάλαιον, id est; *in capitulum*, seu *in recapitulationem.* Sed, quænam, inquis, priùs opera Deus produxerat, in quorum recapitulationem, cælum, & terra formarentur? Equidem, licèt non iam productorum, at producendorum omnium pulcherrima erat ista recapitulatio. Causam aperit Ambrosius Hexam.1.cap.4. his verbis: *Ἐν κεφάλαιον, vt dicamus Latinè, quasi summam operis: quia rerum visibilium summa cælum, & terra est: quia non solùm ad mundi huius spectare videntur ornatum; sed etiam ad indicium rerum inuisibilium; & quoddam argumentum eorum, quæ non videntur: vt est illud propheticum: Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Quod secutus Apostolus aliis verbis in eadem conclusit sententia dicens: Quia inuisibilia eius per ea, quæ facta sunt, intelliguntur: authorem enim Angelorum, & Dominantium, & Potestatum facilè intelligimus eum, qui momento imperij sui hanc tantam pulchritudinem mundi, ex nihilo fecit esse.* Quantò ergo perfectior summa Maria in genere gratiæ, tantò meliùs, tantò clariùs Angelorum puritatem denotabit, vt visâ immaculatâ 54.

Maria index omnium perfectionum.

eius origine, immaculata Spirituum omnium productio intelligatur.

55. *Pandora prisca.* Hinc ergo est, vt dum omnium donorum in singulis diuisorum summam contineat Maria, vna omnium perfectionibus splendere videatur. Irati Dii, (fingunt,) & hominum scelera pertæsi Pandoram efformarunt, cui, vt ex nominis notatione constat, singuli dona sua communicarunt, vt fallendis hominibus pernicies dulcis veniret, suauis pestis. Quo donorum cumulo eò pulchritudinis dicitur peruenisse, vt ipsa Numina raperet in admirationem. Vtcunque sit, veteres sub fabuloso integumento, in hac fœmella Euam voluerunt expressam, quæ homines in lamentabile duxit præcipitium. Sed en, verum Numen in hominum remedium format Antieuam Mariam, in qua sic Sanctorum omnium dona cumulauit, vt inde sibi, si minùs stuporem; at impensum amorem conciliaret. D. Thomas de Villan. Conc. 2. in Annunc. *In Poëtarum figmentis legimus, Pandoram quandam mirâ sui pulchritudine etiam suis factoribus stupori fuisse. Hæc nostra Pandora Deo suo non stupori, sed amori magis fuit: placuit virginitate, placuit puritate, placuit humilitate, placuit denique omnigena morum virtute.* Pandora dum omnibus resplendet cumulis gratiarum: sed sacra, & diuina Pandora, imò de benefico munere Antipandora. *Maria, sacra Pandora: de munere Antipandora.*

56. Propterea Mariam Angeli demirantes exclamant: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Cant. 3. num. 6. Pende illud, *vniuersi*, vt dum nihil à tam communi termino excluditur, acceleratam angelicæ originis puritatem non remoueas, nec diuinam Pandoram (contra Pandoræ nomen, quod *omnia dona* sonat,) originali gratia velis spoliatam. Nimirum, talem decebat esse, quæ in factoris sui Matrem producebatur. Guillelmus hic in Cat. Delr. *Quæ nihil deesse potuit spiritualium aromatum ei, quæ genuit fontem charismatum.* Et meritò: quia, vt infrà fusissimus probabo, nihil Sanctissimæ Matri Filius denegaret. *Maria Matri nihil deesse potuit.*

57. Hic solùm ad rem præsentem tantummodo ostendam, redemptionis primitias, & meliores eius fructus Deiparæ communicatos: vt, dum constat, (quod in Examine probaui,) Angelis, & protoparentibus originalem gratiam Christi meritis concessam; celeriùs hoc priuilegium Deiparæ communicatum intelligamus. Inuisebat Maria amicam cognatam: dum autem de encomiis sibi ab ista assignatis in diuina rapitur encomia prædicanda, sic incepit: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 1. num. 47. Prætereo enim, quòd cùm Dominum vocat, absolutè pronunciat: at, suum, addidit, cùm nuncupat salutarem. Ibi immoror, cur *salutari meo* dixerit, non *nostro*: cùm in omnium salutem Saluator adueniret? Nunquid misericordiæ Mater communem multis salutem inuidebat, & publicum thesaurum sibi vni tantummodo appropriabat? Absit. Pulchrè Hugo Victorin. hìc tom. 1. *Nec tacitè, inquit, prætereundum, quòd cùm Dominum nominaret, nihil addidit: cùm verò Saluatorem, non simpliciter Saluatorem, sed suum Saluatorem nominauit. Omnipotens enim Deus potestate, qua vniuersæ creaturæ dominatur, Dominus omnium est: sed pietate, qua quosdam tantùm, & non omnes ad vitam reparat, Saluator non omnium est*, &c. *Meritò igitur Beata Virgo, quæ se singulariter electam videbat, quia singulariter gratiam acceperat: quasi priuilegio quodam electionis diuinæ confirmata, fiducialiter ipsum, quem pro salute mundi Filium conceperat, suum, etiam cum lætitia, & exultatione, Saluatorem vocat.* Omnium Christus Saluator ad sufficientiam, multorum quoad efficaciam: sed singulari priuilegio Mariæ Saluator appellatur: quæ non ita, puto, exultaret, si salutem præseruatiuam seruis ob Filium concessam, sibi denegatam (primitias redemptionis potiùs, & singulare priuilegium accepturæ) condoleret. Imò ideò singularis hæc gratia: quia etiam inter originales gratiosissima. *Mariæ visitatio.* *Singulariter salua per Filium: & redemptionis primitias accepit.*

Regressi ab Ægypto filij Iacob narrarunt patri, quæ sibi cum Iosepho ignoto adhuc euenerant: & post longas de mittendo Benjamin altercationes, addit Textus: *His dictis, cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias.* Genes. 42. num. 35. Ferè omnes isti viri priuatam familiam habebant, & eam inter famis angustias suspirantem, quam vt reficerent, putares statim è vestigio, vt accesserunt, priuatim sibi frumenta effusuros: & tamen omnes in domum patris tendunt, & non nisi præsente patre, déque euentibus omnibus facto certiore, saccos aperiunt. O quid facitis? paruuli vestri eiulant, panem petunt; & non est, qui frangat eis: quid priùs tandiu apud patrem immoramini? quid apud illum saccos aperitis? Respondet optime Oleaster hîc: *Hoc, inquit, hic miror, quàm obedientes fuerunt isti patri, vt non ausi sint saccos suos, nisi eo vidente, aperire: vt ipse priùs acciperet, quod vellet.* Imò mirarer ego, si benè morati filij non morarentur, vt allatorum fructuum suorum primitias, priusquàm cæteris suis, patri optimo consecrarent: vt foret mirandum, si Crucis suæ primitias, & fructus meliores præseruatiuæ redemptionis, Angelis priùs Christus, quàm Matri optimæ consecraret. 58. *Parentibus priùs, quàm filiis succurrendum.*

Post longum faustarum precationum catalogum, quo Iosepho suo blandiebatur Iacob, tandem sic concludit: *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium æternorum, fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Genes. 49. n. 26. Annunciatur inter benedicendum Christus, qui desiderium è cælestibus collibus suspirabatur: quasi ab illius aduentu, & meritis benedictio implementum sortitura. Videbatur ergo Abrahami benedictio huc inuocanda, cui expressior tanti boni promissio facta fuerat: & tamen id subticet Iacob, & benedictionem sibi factam inculcat, benedictionem suam filio largitur, & hanc benedictionibus patrum confirmatam: vt, dum illa sua filio erat immediatior in causa, foret etiam ad effectus efficacior. Idem Oleaster ad hunc locum: *Videtur, inquit, ex hoc loco sequi, tantò benedictiones fore robustiores, quantò fuerint proximiores.* Neget igitur Mariæ benedictionem diuinam efficaciorem; qui illam Nato pariter, & Patri Deo proximiorem denegauerit: (quod tamen in hac quæst. clarè fatetur D. Thomas.) Audes? 59. *Parentum benedictio eò efficacior, quò proximior.*

Non id putabat Bernardus, qui in Serm. ad illa 60.

illa verba Apocal. 12. sic scribit: *Mulier*, inquit, *amicta Sole: planè amicta lumine, tanquàm vestimento: non percipit fortè carnalis: spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo, qui dicebat: Induimini Dominum Iesum Christum. Quàm familiaris ei facta es, Domina! quàm proxima! imò quàm intima fieri meruisti! Quantam inuenisti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo: & vestis eum; & vestiris ab eo: vestis enim substantiâ carnis; vestit ille te gloriâ suæ maiestatis: vestis Solem nube; & Sole ipso vestiris.* Amoueamus oculos carnales, vt Mariam Deo proximam, & intimam contemplemur: & dum proximam viderimus, nihil medium inter Filium, & illam cõtemplemur: mediaret verò origo illa pura Angelorum, si maculata Mariana Conceptio interueniret: si alia creatura robustiorem benedictionem saltem originalis gratiæ, & pulchras fructuum Crucis primitias sortiretur. Ideò ad illud Cant. vbi Christus ad Mariam: *Surge, propera, amica mea.* cap. 2. num. 10. LXX. vertunt: *Surge, veni, proxima mea.* cui tanquàm proximiori robustior, & proximior benedictio debebatur.

Mariam Deo proximam carnalis non intuetur.

61. Hinc illa eiusdem Mariæ vox in eodem Cantico: *Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* cap. 7. n. 7. vbi benè Dionysius art. 24. *Si per palmam*, inquit, *intelligatur Crux Saluatoris; hanc vtique optima Mater vnà cum Filio suo ascendit affectu, & per imitationem dignissimam, compassionémque maximam, &c. sicque apprehendit fructus eius, id est, merita passionis Christi.* Nullum redemptionis fructum præterit Maria, nullum ab illa Christi meritum alienum. Cùm ergo meritis Christi starent boni Angeli, ne caderent, & inde protoparentibus originalis gratia concederetur; quare inter alios, hos fructus non decerptos Mariæ existimabimus? In palma victoriosa semper, Crux merita Christi Virgini communicans effigiatur, ne vnquam à Dæmone victam existimemus: neque vsquam Crux palma victoriosior, quàm dum pleniorem fructuum suorum vbertatem Virgini reseruauit. Et benè tot ante sæcula ascensus iste felix enunciatur: quia omnes ascensiones suas, etiam ab ipsa Conceptionis aurora in Cruce sibi disposuit Maria. Neque mirum: ascendente enim Cruce, tanquàm felicissimo astro, Maria ortum habuit: non solùm sub hoc sydere futura felicior; sed etiam absque illa nullatenus futura. Sed hinc iam ad secundum Periochæ propositum manuducimur.

Maria omnes fructus Crucis decerpsit.

Maria absque Christo passibili non futura.

ANTHOLOGIA II.

Maria absque Christo non futura.

§. I.

Noua, & illibata sunt, quæ in obsequium Christi apparantur.

62. ANTE omnem creaturam, electam fuisse Mariam, neque omninò futuram, nisi Christus in remedium peccati mitteretur, dixi in Examine articuli. Et meritò: quia, si Maria priùs quàm decerneretur Christus, futura intelligeretur; minùs apta illius obsequio, & materno ministerio videretur venire: quia ex vi prioris decreti, & efficacis, iam aliis etiam ministeriis destinabatur: cùm è contra, hinc maximè Christi decus crescat, & excellentia, quòd res, quibus intimè vtitur, nouas, & illibatas, nec alieno vsui requirat destinatas. Prostrata morte, Dæmone triumphato, spoliato Tartaro in cælum Christus conscendit, nube vectus, fulgida Angelorum militia constipatus. Vbi ad ætheream arcem peruenitur, exclamat triumphalis exercitus ad Angelos, qui cælestibus mœnibus præstabant excubias: *Attollite portas, Principes, vestras: & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* Ps. 23. num. 7. vel, vt legit Symmachus: *Transferte*, & benè, cùm transferendæ, & amouendæ dicuntur, tunc *æternales* vocantur: vt, dum durationis illarum, quæ videbatur æterna, iura frangi videntur; vrgens maioris imperij necessitas exprimatur. Sed quid in his portis è sapphirina lapidicina subtractis, quid in stellatis liminibus, quid solaribus emblematis, in adamantina striatura ineptum, vt eà Rex gloriæ non deberet introire? Pende ly, *vestras*: nimirum, portę erant, quas iam purissimis licèt, imò purificatoriis aliàs pedibus cælestes Principes, & supremi triuerant Seraphini: id satis, vt Christo, sibi in similibus noua postulanti, minùs aptæ viderentur. D. Ambr. de fide, 4. cap. 1. *Debuit*, inquit, *nouo Victori, nouum iter parari.* Ne sordesceret, si priùs aliis destinaretur. Et nota obiter, in Mariano cælo Conceptionẽ quodammodo portam esse, & frontispicium, vnde cætera penetralia conspiciuntur: ne hanc Christo à Dæmone conculcari permittendam existimes, qui vilioris cæli ianuã à solis Seraphinis calcatã repudiauit.

Idem iam fusè probatur.

Christo illibata omnia apparanda.

Christi ascendentis gloria.

Et certè non aliunde gratiùs præseruata Mariæ Cõceptio illustratur, quàm si ex vi, & meritis passuri Christi creata intelligatur: licèt enim plures alij, vt suprà dixi, ex vi decreti Christum determinantis decernerentur, aliàs non futuri: nullus tamen in tam intimum ministerium parabatur, vt meliùs Christi Sanguinis fructibus potiretur. Cape cum aliis prædictum locum Psalmi simpliciter, de aperiendis portis Saluatori: vt clausæ ob culpam Adami Paradisi portæ iam nobis à Christo apertæ intelligantur: & dubitabis adhuc, cur tollendæ inde portæ præcipiantur, quasi semper aperta illarum cauitas relinquenda: an iam custodia non indiget Paradisus? 63.

Sanguis Christi, & clauis aperiendo, & securitas cælo tuendo.

Certè non indiget: quia apertio, & Christi meritis facta, & eius Sanguine obfirmata, serpenti iam, ad vniuersale damnum aliud, interdicta. Abbas Cellensis de Panib. cap. 25. *Sit tibi*, inquit, *clauis reserationis cæli, Sanguis Passionis Domini: non obfirmabunt valuas suas cæli, cùm viderint Sanguinem ad se leuari de visceribus Christi: aperiuntur denique portæ Paradisi, vt ad ipsum sanctificatur, meliori, & puriori sanctificatione: ne deinceps admittat præuaricatorem, cùm sustinuit Satanæ transgressionem. Attollite portas, Principes, vestras: quia nobiscum deferimus claues non manu factas.* Vt noua stabilitas Paradisi, & cæli, ne ibi Adamus à serpente, aut Angelus à superbiâ induceretur iterum, à Christi Sanguine proueniens intelligatur. Benè ergo ibi securitas datur, custodia remouetur: & putes, Matrem, vnde hunc Sanguinem sumpsit, non custodiret? Sed redeo.

64. Minùs erat, si nouam sibi portam præciperet Christus; quia vetus iam fuerat ab aliis conculcata: certum puto, etiamsi non prætcalcaretur, ex eo solùm, quòd indifferens destinaretur, vt Christo, & aliis posset deseruire, non placituram: nec ita placituram Mariam, si indifferens in alia ministeria decerneretur, & posteà in Matrem eligeretur. Nunquam certè futura Maria, nisi etiam in mente Dei noua, & illibata destinaretur. Attende. Religiosissimæ illæ fœminæ, quæ de vngendo Corpore Dominico cogitabant, non tam condita vnguenta, quàm simplicia aromata emisse dicuntur: *Emerunt aromata*. cap. 16. Marc. n. 1. Et quidem in eo temporis articulo nihil alienius videbatur. Commoriebantur Christo, dolore consepultæ: nihil interim apud illas, nisi lacrymæ vberes, ardentia suspiria: & tamen tunc terunt aromata, oleo odorato miscent, ignem applicant, massam suauem ligant, condiunt vnguentum. Et quantò faciliùs, ne locus debito planctui eriperetur, vnguentum iam conditum pretiosissimum à nobiliori emerent pigmentario? Sed nouerant ingenium Domini. Vnguentum certè in domo pigmentarij tantùm vngendis mortuis hominibus condiebatur: quis enim somniaret vngendo Deo posse, & debere condiri? ad minus in taberna venditioni expositum, indifferens iacebat, vt ab aliis humano cadaueri vngendo emi posset: sicut à piis fœminis vngendo diuino Corpori emebatur. Vnctio ergo de se indifferenter Christo, & aliis destinata; indidem tam intimo ministerio inepta erat. D. Bernard. Ser. 12. in Cant. *Emunt*, inquit, *non vnguenta, sed aromata: & vnctio in obsequium Domini non facta assumitur; sed noua conficitur.* Non præuisa futura Maria absque Christo; quia talis ad alia ministeria indifferens cerneretur, & proptereà iam minùs placitura: quid si Dæmoni subiicienda?

Christo intimè seruiturum, nec etiã mente aliis destinandum.

65. Maius aliquid dicam. Non solùm si quâ sui particulâ res polluatur; aut, si indifferens Deo, & hominibus iaceat, inepta venit: verùm etiam si destinata soli Deo, aliquam habeat particulam, quæ, quanuis à toto semota, nec Deo seruitura, fœdetur; iam tota res diuino ministerio minùs decens existimanda. Mirum est lectu, qua curiositate Tabernaculum suum, & omnia Tabernaculi instrumenta præceperit Deus construenda. Videbatur ergo ad intimius altare prolixiores longè apparatus exigendos: & tamen audi, quid dicat de lapideo; *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: nam, si leuaueris cultrum super eum, polluetur.* Exod. 20. num. 25. Et cur rude, & impolitum altare mandatur, cùm tam intimè Deo seruiturum? Imò propterea: mauult enim impolitum, quàm pollutum. Et vnde pollueretur cultro? Aduerte. Lapides è rupe sua eruti ad altare, & Deo destinati, si ferro, & scalpello polirentur, aliquas necessariò in terram mitterent particulas hominibus conculcandas: & licèt hæ particulæ Deo non deseruirent; iam tamen altaris sui Deus sic zelotypus, vt pollutum habeat, si etiam semotas à se particulas habuisset aliquando conculcatas. Primasius ibi ex Hebræorum doctrina, sic factum ait, ne eueniret, *particulas aliquas scalpello abrasas in terram decidere.* Eruta Maria à naturæ nostræ metallo, & Deo destinata, quanuis secundùm illam Conceptionis suæ particulam (demus id gratis) incarnando Verbo non seruiret: iam tamen minùs pura & apta foret, si illa eius particula, ab homine, nedum à Dæmone calcaretur. Sic vndique non solùm noua, sed illibata accedere debebat.

Dæmoni nec abiecta particula concedenda.

Nisi fortè dixeris, non digniorem Mariam quouis altari. *Altare de terra*, inquit Deus, *facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra.* Ibidem, num. 24. Et cur altare, siue figura Christi, cremandis holocaustis, id est, consumendis peccatis, de terra fieri præcipietur, cùm de pretiosiori metallo possit, nisi vt terrena nostra natura in Christo mediatrix intelligatur? Quis ergo diuinam hanc terram peccatorum expultricem de terra subiecta peccato dixerit assumptam: & non potiùs de terra immaculata? Benè Abbas Cellens. cap. 21. *Filius*, inquit, *est altare de terra sancta: quia corpus habet de Matre sine macula: in quo cremantur holocaustomata, dum condonantur peccata. Domina nostra nihilominus altare est terrenum: quia refugium est miserorum. Et quid amplius ei assignare possumus diuini muneris, & honoris, quàm vt, quod verum est, fateamur, Genitricem eam esse Dei, & hominis?* Non sit, quæso, misera; nec habeat conculcatam particulam altare illud, quod in refugium miseris, & conculcatis nobis destinatur: nec tradatur peccato, quæ nisi in peccatorum remedium non futura. 66.

Maria altare terrenum immaculatum.

Hinc capies locum illum Cant. 8. n. 5. *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Hanc *malum* arborem de Crucis ligno plures explicarunt: & à Græco ἐξήγειρα, *excongregaui*, vel *segregaui*, ereptam Mariam à reliqua turba probauit magnus Salazar. Sed tu mihi ad rem meam iam pende, verbum, *suscitare*, in sacra Pagina passim sumi pro, *creare, producere, generare.* Ideò Moyses de Christo ad populum locutus: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Deuter. 18. n. 15. Neque enim in hac Christi suscitatione, priorem aliquem eius lapsum poteris fingere, vnde suscitetur: sed mera eius productio declaratur. Sic in hoc loco, credo, dicitur Maria sub Crucis tegmine suscitata, non solùm quòd præseruaretur à communi matre peccatrice: sed etiam, quia Crucis, id est, passibilis Christi intuitu, ab statu possibili, ad futuritionis statum; & inde ad existentiam duceretur. 67.

Suscitare, in sacris est creare.

Maria Crucis intuitu producta.

ceretur, aliter non creanda: vt noua, & illibata tam sacro ministerio aduentaret. Huc apto verba D. Andreæ Cretensis Orat. de Cruce apud Gretser. post multa: *Et quid*, inquit, *his immoror? Si Crux non esset, Christus in terra non fuisset: & si Christus in terris non fuisset, non Virgo, non secunda Christi generatio fuisset.* Quasi æquè certum putet cum D. Thoma, non incarnandum Verbum, nisi ad Crucem, & peccati redemptionem; quàm non futuram Virginem, nisi passibilis Christus decerneretur.

68. Inde ortum puto, vt Maria *Cruciformis* appelletur. Nemini ignota verba illa D. Epiphanij de Virgine: *Dico illam esse thronum simul, & Crucem: extendens enim sanctas vlnas Dominum portauit: thronus Cherubicus, Cruciformis, & cælestis.* Vt nihil de terra habere; sed tota cælestem puritatem spirare crederetur: quæ sic Cruci conformabatur, vt dum illius intuitu creatur, Crucis culpam expellentis, Dæmones superantis innocentiam, & victorias imitetur. Fatentur id Angeli locuti ad Mariam: *Statura tua assimilata est palmæ.* Cant. 7. num. 7. id est, Cruci, quæ palma Christi gloriosa, vt vidisti suprà num. 61. vt sic statura Mariæ tota Cruciformis esset: quandoquidem solùm præuisâ Cruce, non solùm præseruata; sed etiam fuerit producta. Vide ergo, quàm de hac nouitate procedat illibata Maria, quamque immeritò Dæmoni aliquando tradatur superata, quæ Crucem Dæmonis superatricem sic expressit. Imò & ideò Crux, cui assimilatur ibi Maria, palma dicitur: vt in Maria nihil nisi palmas aspicias, & triumphos. Nam, si ad alios effectus hic respiceretur, credo, Maria, quæ tota Filio similis, cedro potiùs, quàm palmæ compararetur: (Christus quippe cedro comparatur, Cant. 5.) sed, quia victoriarum Crucis æmula prædicabatur, palmæ Crucis necessariò comparanda. Benè Hailgrinus ibi, ad Mariam: *Statura*, inquit, *videlicet, rectitudo bonæ intentionis, & sanctæ operationis, assimilata est palmæ: vt, sicut palma, id est, arbor triumphalis Crucis Dominicæ, terribilis est malignis Spiritibus: sic Beata Virgo merito suæ rectitudinis malignos Spiritus terreat, & expellat.*

Ideò Cruciformis ad victoriam.

§. II.

Christum sibi hoc beneficio deuinxit Deus, dum Mariam aliàs non futuram, solùm in eius ministerium destinat efficaciter, & plenâ diuinæ artis industriâ producit.

69. VM omnia ad Christi sui gloriam Deus destinaret, (quem propterea creaturarum primogenitum probauimus in Examine;) illisque Christum sibi de amoris teneritudine deuinciret, quem sibi arctissimè obligatum piissimus exoptabat, id curauit, vt sibi illum raro quodam adstringeret beneficio, eoque (si vnionem excipias hypostaticam) excellentissimo: nimirum, si illi Matrem, aliàs non futuram, destinaret; eamque perfectissimo conderet artificio: vt per excellentiam inter diuinarum manuum opera, excepto ipso Christo, perfectissimum opus haberetur. At quidem non solet Deus rebus aliunde obuiis & paratis; sed denuò destinatis, & constructis, quos sibi vult arctissimos, obligare: neque res illas, quas in tantum effectum irrogat, nisi tam mira condere perfectione, vt earum speciali modo author, atque promotor ostentetur. Vtrumque si probo, non leue pro Examinis nostri doctrina telum torquebitur, vrgebit argumentum: an verò probem, Lector, etiam non beneuolus, iudicabit.

Mariâ in Matrem datâ, Christum deuincit Pater.

Postquàm creaturas omnes, Adami dominio subiecerat Deus, addit sacer Textus: *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.* Genes. 2. n. 20. Expressiùs in Hebræo de Deo: *Adæ verò non inuenit adiutorium*, &c. Quæsieratne Deus adiutorium Adamo? Non crediderim: frustrà enim diuinos oculos in quærendo aliquo dixeris occupatos, quod tandem non inuenturos prænoscebant. Cur ergo non inuenisse dicitur, qui non quæsierat; cùm non inuenta res supponat inquisitionem? Quia posset inquirere: & licèt minùs perfectè simile; at saltem de natura corporea simile aliquod adiutorium illi inuenire: sed noluit. Et cur noluit inter tot creaturas iam productas: cùm, si iuuandæ vires, leonem posset, & equum admouere: si fouendæ deliciæ, flores, & auiculas varias assignare? Quia Adamum impensiùs sibi nouo aliquo beneficio volebat obligare: neque magnum, si de rebus iam paratis, & vulgariter creatis sumeretur. Oleaster ibi: *Noluit inuenire*, inquit, *vt daret ipse; & hominem sibi ex hoc beneficio deuinciret.* At quàm perfecta conderetur Eua, satis ponderat Textus, dum ait: *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Ibidem, num. 22. Quasi non tantâ curâ faber ædificium, quantâ Dominus fœminam originali gratia implendam fabricaret. Obligabatur ergo Adam de munere sibi vni destinato, & propterea impensissimè ad perfectionem elaborato. Nec aliunde Christus Patri id cupienti, strictiùs ligaretur; quàm si Mariam non inter turbas paratam, sed sibi vni destinatam, & inde perfectissimam acciperet, & ab initio gratiosam: ne in hoc cælestis noster Adam, Adamo terreno cedere videretur. 70.

Ingens Dei donum, vxor sancta.

Creauerat Deus in principio cælum, & terram: & hanc deinde arboribus consperat, amœnarat floribus, fontibus irrigarat: quæ inter, & voluptatis Paradisum venustissimè produxit: & tamen additur posteà: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat.* Genes. 2. num. 8. A principio creauerat, quando terram in partus virentes cap. 1. num. 11. fœcundauit: neque tunc eius productio insinuatur, ne cum cæteris rebus vulgariter tam faustus locus productus intelligeretur. Et benè, *plantauerat*: quasi cætera terræ vireta leui verbo fierent: hîc industriè, & quasi adhibita manu laboraret. Ipse arbores seuit, herbas depinxit, riuulos deriuauit, quasi tanti horti plantator ostentaretur: quasi hortus è priuata tanti Authoris cura, & tactu, sic felix erumperet. 71.

Paradisi artificium.

erumperet. Posses de hoc canere meliori iure, quod Venantius lib. 6. de horto Regis sui:

Mitior hic astat, vbi molli blanda susurro
Aura leuis semper pendula mala quatit.
Hæc magno inseruit Rex Childebertus amore:
Charius ista placent, quæ manus illa dedit.
De cultore trahit mellitum planta saporem,
Forsan & hic tacitos miscuit ille fauos.
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis,
Suauis odor nari, dulcis in ore sapor.
Qualiter ille hominum potuit prodesse saluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet?

Suauiorem Deus homini apparat Paradisum. Sed, cur, si tota terra homini parabatur, solùm illi Paradisi sedes dicitur assignata? Quia hoc dono tam impensè curato, amores dilecti hominis captabat Deus: quia, cùm cætera etiam aliis ministeriis, & brutorum habitaculo deseruirent; hæc sedes in solius hominis domicilium destinata, & propterea cultissimè producta nosceretur. D. Basilius Seleucus Orat. 2. *Neque donatoris desiderium vniuersa terra, nec concessum mare satiauit: sed extructum manu sua Paradisum, deliciosam sedem dilecto concessit.* Minùs putaret Deus concessisse Christo, quanuis illi cæteras omnes adscriberet creaturas; nisi in solius gratiam Marianum plantaret Paradisum ita perfectum vndique, & illibatum, vt in illo plantatoris excellentia monstraretur.

Amores hominis captat Deus nouis beneficiis.

72. Vidisti viri vxorem, & habitaculum: vide & corporis eius creationem. *Formauit*, inquit Scriptura, *Deus hominem de limo terræ.* Genes. 2. num. 7. Dulciùs LXX. *Finxit Deus hominem.* Quantò tenerior fabricandi tenor? Qui sapphirinam cælorum massam fastidiuit, quam solam operatorio verbo dignam deputauit; luto quodammodo inuoluitur, & instar figuli tractat limum conuoluens. Verbo Domini cæli firmati sunt: & manus ipsæ Domini fecerunt hominem, hominem plasmauerunt. Quasi communis ille, & peruius verbo operandi modus huc ineptus, & humanæ carni noua immediatiùs plasmandi ratio reseruaretur: vt sic pulchrum, & condignum animæ metaretur hospitium; & seruata proportione de venustate cum spiritu decertaret. Quæres, quorsum tam noua destinetur productio, productum tam excellens? Et respondet optimè Tertul. de resurrect. cap. 6. *Limus*, inquit, *toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia: & ipsa in primis affectione, qua lineamenta ducebat*, &c. *Quodcunque enim limo exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus.* Destinatur noua ratio producendi Christianæ carni: & in illius gratiam tot ante sæcula in Adamo impensâ curâ affabrè factis fingitur lineamentis à Deo. Qui non, puto, obdormiret in matre illi vulgari, & aliàs futurâ cateruatim, assignandâ: in Carne eius immediata, (imò & ipsissimâ,) a traducis mundandâ infectione, quo illum sibi longiùs obligaret, non inuigilaret?

Hominis dignitas ob Christum.

73. Amœnissimè describit Sapiens ferculum, siue currum Salomonis, in cuius columnis argentum substat ad bases, striatur ad corpus, frondescit ad peristylia: cuius reclinatorio aurum flammescit, ascensui substernitur purpura, & mediis azarotis sectiles gemmæ disponuntur: dignus materiæ comptus, quam Libanus de incorruptibilitate, déque odore celebrem ministrarat. Quæris, quorsum tantus apparatus? Quia non ignobilior debebat esse is, cuius ipsemet Rex authorem se exhibebat, & artificem: *Ferculum*, inquit, *fecit sibi Rex Salomon.* Cant. 3. num. 9. Quasi ipse ligna dolaret, asperaret metalla, purpuram consueret: vt inter duodecim millia curruum, quæ dicitur habuisse 2. Paral. 9. hic vnus non solùm ab illo habitus, sed etiam ab illo priuatim factus describatur; scilicet, *propter filias Ierusalem*, siue animas sanctas, cælestis noster Salomon illum construxerat: quas sibi non ita promeriturum credebat, si illis ex vulgaribus curribus aliquem destinaret: aut, si denuò destinatum, non talem elaboraret, vt non solùm materiam superaret opus; sed & opus ab ipso artifice gratiùs proueniret. Gilbert. Serm. 17. *Vehiculi*, inquit, *quo estis ad lectum portandæ, pulchrâ varietate describit ornatum: etiam in itinere Sponsus vobis procurat ipse delicias: ferculum hoc quidem gratum est in materia; sed ab authore est gratius: ipse enim Salomon ferculi huius est author, & artifex.* Quasi sorderent sponsabus deliciæ, nisi ab ipso priuatim sponso procurarentur: ni priuatum ferculum tale appararet, vt ipsius artifex meritò diceretur.

Sponsa sancta delicias parat Christus.

Transfer id ad rem nostram: imò ne transferas; sed translatum meliùs audi à Guillelmo in Catena: si priùs pendis, cur dicatur, *sibi fecisse* currum Salomon diuinus, *si propter filias Ierusalem* fabricatur? Sed ferculum Marianum, & Deo gestando deseruiuit; & propter animas, quæ eius ope ad thalamum gloriæ deferuntur, optimè sanè dicitur apparari. Nunc audi Guillelmum: *Ferculum*, inquit, *fecit, quo spiritaliter ipse ferretur: creauit sibi verus pacificus Matrem, cuius virgineo vtero portaretur. O beatum ventrem, qui Dominum portauit.* Nota illud, *creauit sibi*: quia non aliter futura, nisi in Matrem Dei crearetur: nec digna Mater Dei, nisi tam splendido apparatu fabricaretur: & credas tanti currus primitias Dæmoni delibatas: & qui sessorem diuinum posteà gestaret, priùs Dæmonis pompam gestaturum? 74.

Maria Christi ferculum gloriosum.

Percussis Philisthinis, & Sacerdotes suos consulentibus, de remittenda arca sic respondent: *Arripite*, inquit, *& facite plaustrum nouum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro*, &c. *tolletisque Arcam Domini, & ponetis in plaustro.* 1. Reg. 6. num. 7. Summa celeritas, vt nemo nescit, in verbo *arripiendi* denotatur: & tamen non plaustrum aliquod, quanuis nouum iam factum; sed denuò sibi imperant faciendum: & benè cùm ad Satrapas, & vrbis nobilissimos sermo fiat, dicitur, *facite*: quasi aut illis seruile ministerium imponatur, & fabrorum imperentur exercitia: aut tam affabrè fieri curarent, vt dignum Satraparum opus videretur: nimirum, promerendo Deo in Arca veneranda, nefas putarunt, si plaustrum licèt nouum, at in alia ministeria indifferenter factum, assumeretur: aut, si non tale fieret, vt Dynastas condeceret. Lyranus: *Facite*, inquit, *plaustrum: ad ponendam Arcam desuper reuerenter.* Quæ certè irreuerenter poneretur, nisi plaustro in id tantùm destinato, & denuò facto, quantumque res poscebat perpolito: quo sibi eius 75.

Dei opera nō tam per seruos, quàm per teipsum cura.

eius fauorem promerendum sperabant: & propterea putarem ab Israëlitis plaustrum combustum, vaccasque in holocaustum oblatas, num. 14. ne quod in tantum munus fuerat destinatum, profano deinceps ministerio posset deseruire. Putarem ergo ponendo Christo suo, Arcæ viuæ, non minùs curiosum fuisse Deum: idque promerendis Christi amoribus factitasse: quod diuinis promerendis fauoribus Philisthini perficere studuerunt.

76. Et, vt id obiter notem, nō caret mysterio, quod additur de vaccis, *quibus non est impositum iugum:* cur enim detrectaturæ iugum, & insuetæ: cùm potiùs assuetæ oneri lubentiùs subeundo, eligendæ videantur? Nisi quia attrita profano iugo ceruix, horrori credebatur futura Diuinitati in Arca assistenti. Vnde benè hic Glossa interlin. *Non impositum*, inquit, *iugum peccati.* Et non horreret Deus gestari à Maria, quæ peccati iugo fuerat subiecta? Putarem huc allusisse D. Epiphanium Orat. de laudibus Mariæ: *Tu*, inquit, *iuuenca nunquam iugum experta, quæ vitulum genuit*, &c. *Quid dicam, & quibus verbis explicabo gloriam radicitùs fundatam?* Et quàm aptè, *radicitùs fundata* dicitur Mariæ gloria: frustrà enim iuuenca nunquam iugum experta diceretur illa, quæ ab ipsa radice, id est, conceptione, iugum culpæ sustulerat inglorium: nec ita gloria vernaret in ramis, quæ de infectione culpæ ridiculam radicem ostentabat. Benè fundatur radicitùs, quæ nisi radicitùs fundanda non fundaretur: quæ solùm in diuini germinis truncum fundabatur.

Maria absque iugo, & radix gloriosa.

§. III.

Quàm sint perfecta opera, quorum se Deus authorem vult existimari.

77. V Æ hucusque dixi, probant, quàm soleat Deus sibi denuò selectissima, nec aliàs obuia instrumenta destinare; obitérque vidimus, quàm ea perfecta soleant perpetrari: & vtrunque ostendimus in Deipara. Nunc paucis adhuc videamus, quàm perfecta sint illa, quorum se Deus ostentat authorem: vt eorum, quę destinat, aliàs non futura, quorúmque præcipuè est author, excellentia denotetur. Vidisti suprà, quàm miro artificio, & cura homo crearetur quoad carnem: pende deinde, quantò ad animam perfectior edatur. *Inspirauit*, inquit Textus, *in faciem eius spiraculum vitæ.* Genes. 2. num. 7. vbi Lyranus: *Significatur*, inquit, *spes, quæ charitate formata spirat ad cælestia.* Vt, vbi primùm homo, statim gratiæ pulchritudine decorus, & spe gloriæ excellens appareret. Nimirum, opus erat, quod inter cætera Deus, tanquàm magis proprium, ostentabat: non debuit minori præfulgere dignitate. At, cur, inquis, non solùm perfectum de natura; sed etiam, quantùm est ex parte Dei, adornatum stabili gratiâ exhibetur? Quia inter visibilia opera solus homo in Spiritus Sancti templum parabatur: nec in id veniret perfectus, nisi sanctus. Tertul. lib. 3. contra Marc. cap. 10. *Ædificaturus*, inquit, *esset hominem, scilicet, sanctum, in quo potiori templo inhabitaret Dei Spiritus.* Neget maiores prærogatiuas singularissimo operi, Mariæ, inquam, qui illam inter omnes potissimùm fuisse Spiritus Sancti templum de summa puritate denegauerit.

Deus priuatus author nō nisi rei perfectissimæ.

Spiritui Sancto templa munda dicanda.

Seueríssimas minas in populum intentabat Deus: & posteaquàm victûs robur, & Principes, & strenuos inde amouendos testatur; concludit, amouendum etiam *sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici*; vel, vt alij legunt, *sapientem architectum.* Isai. 3. n. 3. Qualem operum excellentiam ab hoc architecto profectam existimaueris, cuius ablatio, grauissimarum pœnarum summa existimatur? Neque mirum. Spiritus Sanctus erat, cuius ædificium Ecclesia, & illa absque macula, absque ruga, absque defectu. Tertul. citatus cap. 8. *Sapientem*, inquit, *architectum, Spiritum, scilicet, Sanctum, qui ædificat Ecclesiam; templum, scilicet, & domum, & ciuitatem Dei.* Et si talem sibi Deus domum ædificat, vt ipsius se proferat architectum; iam facile est augurari, qualem ipse sibi Matrem ædificauerit. Meritò proinde D. Thomas Valent. Episcop. *Quæ gloria*, inquit, *quis decor, quis candor, quæ virtus, quæ gratia non decuit Matrem Dei? Homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus. Qualem ergo faceret artifex, qui elegit eam, vt nasceretur ex ea?* &c. *Cogita ergo Virginem quandam pulcherrimam, purissimam, humillimam, sanctissimam, & perfectissimam; ex omni parte integram, & consummatam: illa est Mater Dei. Et maior est, quàm excogitare potes, aut intuitu mentis describere*, &c. Plura habet Conc. 3. de Natiuit. 78.

Eorum ipse Spiritus Sanctus architectus.

Alludit autem obiter S. Doctor ad illud Ps. 86. num. 5. *Nunquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?* Qui locus in Sixtianis sic ex Græco vertitur: *Mater Sion dicet: Homo.* & deinde absque interrogatione. Scio Græca correctiora putari habuisse, μήτηρ, non verò μήτι. Sed mihi satis, & plusquàm satis, de Matre locum legi à multis Patribus. Et licèt plusculi in hac Matre Ecclesiam intelligant: at Mariam intelligendam voluit Ambros. Orat. de excessu fratris sui Satyri. Quam explicationem festiuissimam vocat D. Ildefonsus. Vide & Hesychium Orat. 1. & Hieron. tom. 4. Serm. de Assump. Mar. Et quidem meliori iure Deus homo Matrem Mariam, quàm Ecclesiam appellabit. Sed esto: intelligamus Ecclesiam: cuius fundamenta in montibus sanctis: cuius portæ (id est, initium) super omnia tabernacula Iacob dilectæ Deo: de qua gloriosa dicta sunt, vt in eodem Psalmo fusè describitur: mihi enim multò inde robustius insurgit argumentum: nec enim scieueris vsquam explicare has Ecclesiæ laudes, nisi à Marianis laudibus mutueris exemplum: aut plusquàm Augustinum in loco difficillimo te scire fatearis. Ergo ille ibi ita: *Ecce*, inquit, *Mater Sion dicit: Homo. Quis homo? Qui homo factus est in ea. In ea ipse factus est homo, & ipse fundauit eam. Quomodo in ea factus est, & ipse fundauit eam? Vt in ea fieret homo, iam fundata erat. Sic intellige, si potes. Etenim mater Sion dicet: Sed homo: mater Sion dicet: homo autem factus est in ea: ipse autem fundauit eam, non homo: sed Altissimus. Sic fundauit ciuitatem, in qua nasceretur, quomodo creauit Matrem, de qua nasceretur.* Vno verbo: 79.

Ecclesiæ excellentia.

verbo: quâ homo nascitur, & Matrem vocat: quâ Deus est Altissimus, ipsam priùs fundauit. Opus ergo Marianum perfectissimo sanctæ ciuitatis, siue Ecclesiæ operi exemplar præbuit. Maria præcipua est, cuius primæ originis fundamenta in sanctitatis montibus fundantur. Maria est, cuius portæ, (id est, conceptio, per quam vitam ingressa est,) super omnia sanctitatis tabernacula diliguntur. Maria est, quam Christus, tanquàm homo, Matrem dixit: & tanquàm quasi opus excellentissimum fundauit. Et benè priùs Mater dicitur, deinde fundata: quia solùm, vt esset Mater, fundabatur. Vt non solùm sit Maria opus perfectum: sed etiam perfectorum operum idea gloriosa. Sed lubet in hac idea, & opere Mariano, quod Deus aliis posuit exemplar, paululùm immorari.

Maria Deo idea cæterorum operũ.

80. Tabernaculi constructionem parabat Moyses, ad quem tunc Deus: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. n. 40. Exemplar, nimirum, cæleste, quod archetypon erat Tabernaculo. Sed ecce Paulus idem ferè enarrans sic ad Hebræos, cap. 8. n. 5. & cap. 9. n. 23. loquitur, vt sacrificia Tabernaculi, vmbras, & exemplaria cælestibus fuisse asseueret: Tabernaculum, & eius vasa vocet, *exemplaria quidem cælestium.* Vnde ergo tam contrariæ primo aspectu ab ipsa veritate sententiæ proferuntur? Respondet optimè Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 2. *Quoniam*, inquit, *priùs cælestia Moyses vidit: & postmodum carnalia populo illi Sancta Sanctorum fecit: ipsa cælestia, illi exemplaria dicuntur, & sunt. Porrò Hebræi (ad eos enim eã epistolã Apostolus loquitur) priùs Tabernaculum, & cætera omnia manufacta nouerunt: & de illorum similitudine commonebantur ab Apostolo, vt se extenderent ad agnitionem cælestium. Rectè igitur istis è contra, terrestria hæc, dicta sunt exemplaria fuisse cælestium.* Non potuit Tabernaculum perfectum, ad perfectioris cæli exemplar non deduci: neque Ecclesiæ, id est, viui Tabernaculi perfectio, ad Mariæ cælo purioris ideam non conformari: timerémque, ne carnalia tantùm noscere arguerer, si contrà, exemplar dicerem Mariæ fuisse Ecclesiam: & quod inde est, si quòd Ecclesia (licèt purissima modò) priùs fœdata fuerat; ad eius normam, Mariam priùs fœdatam existimarem.

Ignorãtia est, cælestibus terrenam normam dare.

81. Salutauerat Elisabeth Mariam, cui tunc ista: *Beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. num. 48. Et cur, quænam magna sint ista, non prodit Deipara? Quia, si aliqua proferret; cætera, quæ non exprimeret, fortasse aliquis minora existimaret. Magna sibi facta indifferenter protulit; vt omnia in illa magna nosceremus. Magna eius Conceptio, magna Natiuitas, Annunciatio magna, magna Maternitas: & ideò absolutè potentem, id est, omnipotentem Deum appellauit: vt, dum omnia posse creditur, nihil, quod congruum foret, illi denegasse credatur. Benè Hugo de Sancto Vict. ibi: *Et ideò, inquit, fecit mihi magna, quia potens est: & singulariter magna, quia singulariter potens. Propterea non ait: hoc, vel hoc potest: sed potens, inquit, est: vt omnipotentem intelligas, qui absolutè potens dicitur: quia omnia potest.* Erat Maria, vt dixi, diuinæ manus opus excellentissimum, de cuius fundatione gloriabatur Altissimus: & qui illa, quorum author signatus vult haberi, excellentia facit; in opere hoc singularissimo singularissimè potens, & inde singularissimè operans haberi, & laudari concupiuit.

Maria visitans cognatã, quæ sibi facta testetur. Idem numeris seqq.

Et emphaticè, puto, magna hæc omnia, non sibi à Domino data, sed ab ipso facta pronunciat: vt in illorum singulis nihil ad perfectionem defuturum à tam diuino artifice præsumi posset. De Iustis ad Dominum loquebatur Moyses dicens: *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: Sanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Exodi 25. n. 17. Multa quidem parat suis Deus, idque mediis creaturarum instrumentis: aliquorum tamen, quæ eximia sunt, ipse se vnicum authorem testatur, & operatorem. Et cur ita, inquis? Quia in iis, quæ generali concursu fiunt, & medio instrumento, aliquid à causa secunda defectuosum poterat pertimeri: in iis verò, ad quæ speciali modo Deus concurrit, nihil deesse potest; nihil, quod non sit optimum, reperiri. Sic explicandus Origenes ad hunc locum: *Dei*, inquit, *ut nobis solliciti prouidentia, & amor apertè declaratur: non enim dicit, Sanctuarium manu hominis factum; sed manu Dei. Quid ergo? Propter te Deus plantat, & ædificat: agricola efficitur, structor efficitur, ne tibi aliquid desit. Audi & Paulum dicentem: Dei agricultura: Dei ædificatio estis.* Quia nihil deesse poterat in eo, cuius ipse Deus ædificator dicebatur. Non solùm magna accepit Virgo; sed illa specialissimè à Deo facta: vt non solùm puram conceptionem intelligas; sed illam in suo genere purissimam. 82.

Hominibus delicias parat Deus.

Nec interest, quòd magna ista, perfectissima etiam non diceret Maria: prudentissimæ, & iam Spiritu Sancto plenæ fœminæ loquebatur; quæ, vbi magna illa à Deo specialiter facta audiret, etiam perfectissima intelligeret. Post aliarum creaturarum productionem de mari addit Moyses: *Dixitque Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, terram; congregationésque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Genes. 1. num. 9. & num. 10. In aliquibus Hebræis codicibus, (non in omnibus,) & item in aliis versionibus, hæc vltima commendationis verba: *Vidit Deus, quòd esset bonum.* desunt. Demus ergo, sine commendatione productum mare à Moyse describi: & cogitemus, cur nobilissimæ creaturæ, pulcherrimo elemento, [quod, vt ait Ambrosius citandus, ita placet, vel cùm surgentibus albescit cumulis, & verticibus vndarum, & cautes niuea rorant aspergine; vel cùm æquore crispanti clementioribus auris, & blando serenæ tranquillitatis purpurascentium præfert colorem, &c. bonum, tanquàm hospitium fluuiorum, fons imbrium, delibatio alluuionum, inuectio commeatuum: quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur: subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum, &c. nam illud quid dicam, quòd vnda peccatum abluat, & Sancti Spiritus aurã salutaris aspirat?] cogitemus, inquam, cur elemento tali commendatio denegetur? Respondebit Ambr. Hexam. 3. 83.

Maris pulchritudo.

cap. 5.

cap. 5. initio: *Cùm enim, inquit, dixerit Deus, quia factum est: sic satis esse putant vocem operatoris, ad celebratæ operationis indicium.* Satis est, si se Deus authorem maris, & mare ab ipso vno factum testetur, vt bonum etiam sine commendatione intelligatur. Et plusquàm satis, vt Maria vbique gratiarum mare cognoscatur, cuius omnia specialissimum authorem Deum sortiuntur.

84. *Maria imago Dei.* Denique, quidni singularissimè à Deo factam, & à Filio ipso dixerimus fundatam, quæ Filio perfectissima prosiliit imago? De Sole producto sic habet sacer Textus: *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli*, &c. *Et factum est ita: fecitque Deus duo luminaria magna.* Genes. 1. à num. 14. Pende mihi, priùs dixisse, deinde fecisse. Et quidem, si quis dicit, alicui dicit. Cui ergo dixit Deus, vt faceret luminaria? Certè Filio: vt per quandam appropriationem Solis creatio Filio Deo tribuatur. Sed, cur id maximè? Respondet Ambros. Hexam. 4. cap. 2. *Quis, inquit, hoc dicit? Deus dicit. Et cui dicit, nisi Filio? Deus ergo Pater dicit: Fiat Sol. & Filius fecit Solem: dignum enim erat, vt Solem mundi faceret Sol iustitiæ. Ipse ergo eum in lumen adduxit: ipse eum illuminauit: ipse ei donauit fundendi luminis potestatem.* *Causa, & effectus proportio.* Vt Sol humanus, qui quà poterat, diuinum exprimebat, & in fundenda luce imitabatur; priuatum sui authorem eundem haberet. Benè itaque specialissimè à Deo fundatur Maria, quæ eius perfectiones ad viuum referebat. De quo infrà fusissimè.

§. IV.

Christus ad meritum, peccati Redemptor destinatur: Maria Corredemptrix ad intercessionem: imò & ipsius Christi piissimè captiui pia Redemptrix.

85. *Maria Corredemptrix.* AD prædictam Mariæ futuritionem comprobandam, si non omninò euidens; satis tamen probabile aliunde deduco argumentum. Semper accessorium trahitur à principali, non è contrà. Cùm ergo de intercessione Maria accessoriè in peccati Corredemptricem destinetur: Redemptorem Christum de merito supponat, & ad illum aliàs non futura trahatur, necesse est. Si verò Maria peccati Corredemptrix semel constituatur, efficacissima inde ratio deducetur, ne peccati captiuam efficiamus, quam in culpæ Redemptricem destinatam nouerimus. Quid, si etiam piam piissimè captiui Christi, siue æterni Verbi ostendamus Redemptricem? Certè non foret captiua culpæ, quæ culpæ Liberatorem, à dulcissimo vadimonio sola valuit, & potuit liberare: quæ captiuum dulcissimum redemit. Perpendo singula.

86. Rogabant, & obsecrabant (expositio est Guillelmi infrà citandi) Mariam peccatores iam ad cælos euectam, ne miseros derelinqueret, auxilium importaret: & quia illud non semper (de probatione) statim impetrabant, etiam (vt pueri solent) tenere matrem, quasi obiectâ sui obliuione, & ignoratione, lacessebant: cùm enim in feruore tentationis positos aliqua latentiori de causa, illos Virgo non exaudiebat, & protegebat; pia Mater quodammodo ad tempus filios non agnoscebat; & quodammodo ignorabat, se esse, quod verè est, Matrem misericordiæ. *Hominum Patrona.* Ideò dicebant: *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum.* Cant. 1. num. 8. Quòd auxilium implorent Mariæ, nemo mirabitur, cùm non aliunde tutius sperarent. Sed, cur non præire potiùs, quàm abire post greges quandoque sollicitatur? Respondet Guillelmus hìc apud Delr. Do verba, vt ab Authoris sensu decerpta affert ipse Delrius: *Beata Virgo gregum præit vestigia, quando sacris exemplis eos prouocat ad imitationem sui: subsequitur, quando piis tuetur auxiliis: lupus enim gregi insidians (quia frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum) non à facie inuadit; sed occultis machinamentis quasi à tergo insidiatur: ideò necesse est, vt Christiani Patrona gregis, non solum ante faciem nostram per exempli ducatum gradiatur; sed & à tergo nos contra spiritualia nequitiæ, brachio non carneo tueatur.* Quæ hinc pro corredemptione Mariana ratio deducatur, si paululùm immoraris, iam depromo.

Blasphemabat impius Marcion, Redemptorem nostrum, non Deum Filium Creatoris esse Dei: sed Dei alterius incogniti, neque vsquam Prophetis reuelati, cuius homo creatura non erat: contra quem acutissimè Tertul. lib. 4. cap. 32. ita disserit: *Ouem, & dragmam perditam, Luc. 15. quis requirit? nónne qui perdidit? Quis autem perdidit? nonne qui habuit? Quis autem habuit? nónne cuius fuit? Si igitur homo non alterius est res, quàm Creatoris: is eum habuit, cuius fuit: is perdidit, qui habuit: is requisiuit, qui perdidit: is inuenit, qui quæsiuit: is exultauit, qui inuenit.* Quasi dicat: Christus iste Redemptor ouem quæsiuit, inuênit, & exultauit: ergo Redemptor iste Creator hominis erat, siue deperditæ ouis: & Dei Patris Creatoris Concreator Filius: nemo enim sedulus quærit, nisi quod amisit; nec propriè dicitur amittere, nisi quod habuerat. Si enim Deus tuus ille incognitus, vt fateris, homines non crearat, nec suos deputabat: quorsum alienos saluare festinabat? Probat ergo apertè, Redemptorem etiam esse Creatorem: neque enim nisi proprias oues veniret saluaturus: & Redemptoris munus de grege suo quæsito, & curato manifestat. *Homines, multis titulo, bona sunt Christi.* Pende nunc, quàm sedula Maria Dominici gregis Patrona constituatur; quamque de intercessione defendat gregem, quem Christus de merito redemit; neque Corredemptricem denegaueris: ac proinde neque lupinis faucibus ingestam dices, quæ gregi sibi commisso insidiantium luporum machinas depellit: quos ergo pro parte gratiæ creauit, tuendos curat. 87.

Sed non leuiter considerandum, quod in prædicto loco Cant. addunt ad Mariam gementes peccatores: *Et pasce hœdos tuos.* In hœdis, non tam peccatores iam conuersos, de quibus suprà, quàm adhuc in peccato persistentes solet semper intelligere 88. *Cur Mariæ peccatores adscribantur.*

intelligere Scriptura. Cur igitur scelerati adhuc homines, *tui* dicuntur, ô Maria? Quid luci cum tenebris, puritati cum fœditate, Deiparæ cum Belial? Nihil vnquam grauiùs dixit citatus sub eadem formula Guillelmus, vbi ita, (nihil in Christo ponens de merito Redemptore, quod Mariæ de intercessione Corredemptrici velit denegandum.) *Rectè hi vocantur: licet peccatores sint, hœdi Mariæ: tum, quia Psalmus in persona Christi, qui delictum non fecerat, sed delicta venerat purgare, dixit: Longè à salute mea, verba delictorum meorum. Tum, quia Propheta alius his verbis: In sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Zachar. 9. num. 11. Vinctos eius dixit, non, quos ipse vinxerat: sed, quos soluere venerat: tum, quia Medicus vsitato sermone vocat ægrum suum, non quem ipse fecit ægrum; sed, quem suscepit curandum. Sic pia Matris hœdi vocantur, non, quos ipsa fecit, vel vult esse hœdos, qui statuantur ad sinistram; sed quos magis, magisque conuertit in oues, ponendos ad dexteram.* Non aliunde Christus efficaciùs Redemptor intelligitur, quàm dum peccata nostra portans, sua fecit: non aliunde mundior cognoscitur, quàm dum sic factis suis coinquinari non potuit. Habes similis Mariam conditionis, quæ peccatores suos fecit, quos conuerteret; neque peccatorum commercio deturpatur: eius suffragio hœdi in agnos conuertuntur ad dexteram ponendi, eius intercessione redimuntur. Maneat ergo libera ab omni culpa, quæ culparum sic creditur auerruncatrix.

89. Nec quidem potuit Redemptricis conditionem non sortiri, quæ Redemptoris nobis ostium facta est. Vocauit se sæpè in Euangelio Redemptor noster Christus, *ostium*: quia redempti per illum ingredimur ad Patrem. Vocemus & nos Mariam Corredemptricem, quæ porta fuit, vnde ad nos Christus futurus ostium introiuit. Et quandoquidem peccata tantummodo sunt, quæ Dei ad nos ingressum prohibent: quia, vt benè Ambrosius Serm. 26. de Quadrag. *Inter Deum, & hominem peccata separant.* nihil peccati in illa cogitemus, per quam nobiscum Deus, verus Emmanuel sic coniungitur. Hoc erat, quod Deipara volebat, quando dixit: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.* Cant. 5. vers. 6. Sed, quid hoc tandem est, ô cæli ianua? Nunquid dilectus iste, tuus tantummodo? Nunquid tibi soli, tanto hospiti aperuisti? Imò quòd pessulum originalis culpæ aperuit, id est, à se remouit, & non habuit; dilectum non sibi soli admisit; sed Corredemptrix facta, ab aliis pessula culparum remouet Christum admissuris. Signentur gemma verba Honorij Augustod. in Sigillo apud Delr. ibi. *Sacra*, inquit, *Virgo ostium fuit, per quod Christus in mundum introiuit. Pessulum autem erat moles peccatorum hominum: quod id: ò ab ea apertum dicit, quòd à Spiritu Sancto præseruata, non sicut cæteri in peccato creditur concepta. Insuper & rectè viuendo peccata declinauit: sicque dilecto ingressus patuit; quia per ipsam ipsa misericordia in Ecclesiam venit. Quotidie etiam pessulum peccatorum remouet, & per eam ingressus gratia Christi ad nos venit.* Quasi originalis culpa præcipuus obex esset, qui Dei ad nos ingressum retardaret; non intraturus, nisi ostium ab hoc pessulo alienum inueniret: quasi quòd hæc labes deficeret Mariæ, illa iam Corredemptrix, culparum nobis obices queat per intercessionem remouere.

Maria Christi porta, quia absque peccato.

Ex hac prærogatiua præseruatiua, qua Maria originalis culpæ obicem remouit, factum est, vt non Redemptrix; sed, quoad licet, præseruatiua humani generis Redemptrix habeatur. Dum filios Zebedæi Dæmon ad primatus extollit; dum ambitioni satagit immergendos, & à Magistri degeneres humilitate: id curabat, vt schismata toti Collegio immiscens, viros illos, quos perditionis suæ futura instrumenta trepidus præsagiebat, perderet omninò. Et benè ad doli tanti machinam, admouet mulierem: *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Matth. 20. num. 20. Qui enim genus humanum creatum, per fœminam deturbarat: regenerandum modò impedire, euersis instrumentis, per aliam etiam fœminam sperabat. Sed, cur tam sedulè à Christo ruina præcauetur, Collegium præseruatur? Respondet ibi Hugo Card. *Qui Adam spoliauit per mulierem, istos separare volebat per matrem: sed non poterat perditio intrare per mulierem, ex quo de Muliere salus nostra processerat.* Præseruatur à culpa Collegium, & regenerando Orbi per Mariam reseruatur: quia, quæ ostium absque obice culpæ, saluti processuræ apparauerat; fixam nobis salutem, stabile remedium congruè de intercessione promerebatur. 90.

Iustos ab ambitione, & culpa præseruat Maria.

Hinc capies, quid sit illud Christi de Maria loquentis: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitricis suæ.* Cant. 6. num. 8. Suppono cum Guillelmo hic, hanc Matrem, gratiam esse redemptricem: *Mater*, inquit, *seu genitrix eius, sicut & omnium nostrûm, redemptrix illa gratia est, per quam regenerati sumus in filios Dei.* Et addubito, cur vnam tantùm hæc mater sibi arroget Mariam, cùm fideles omnes sibi pariter adoptaret? Sed vide vnam proptereà singularissimè dici: quia singularissimè electa prædicatur. Et cuinam tanto electa ministerio? Idem Guillelmus: *Quia non tantùm ad participationem, vt cæteri; sed etiam ad singulare quoddam ministerium gratiæ eiusdem specialiter est electa. Est etiam vnicè electa genitrici suæ, singulariter electa ad ministerium redemptionis, & regenerationis gratiæ. Insigne quipp. & singulare ministerium exhibuit gratiæ redemptrici, quòd ipsum Redemptorem sibi, nobisque genuit.* Et vnde gratia redimeret, nisi Redemptor esset? aut, vnde ex vi habiti decreti Redemptor esset, nisi adesset Maria? Fateatur redemptrix gratia Mariam Corredemptricem, absque qua suos effectus non produceret: præseruet benignè illam, quam saluandis aliis habuit instrumentum: sic *vnam* sibi pleno ore arrogabit, cui præripere malum malle debebat, quàm quod in cæteris fecit, sanare illatum. Et doleat idem Guillelmus, (qui aliàs piissimus in Deiparam; illam tamen originali labe voluit infectam,) quod suæmet rationis pondus eneruauit: imò iam beatus, suismet verbis gaudeat se conuictum. 91.

Maria singulariter filia gratiæ.

Et certè hanc ego prædicti decreti causam mittendi Christi per fœminam, putarem congruam. Cur enim Deus, qui à limo Adami corpus formauerat, & omnibus pulchritudinis dotibus delineatum exornarat, Adamum nostrum cælestem consimili artificio non plasmat; sed in vtero Virginis efformat, & ab vtero post nouem menses 92.

Et gratiæ dispensatrix.

menses adauctum vult immissum? Quantò dignior Christus, cui plasmatio illa, quæ videbatur decentior, seruaretur? Sed vt videbat humanum genus captiuum, in fœminam (a qua occasionaliter orta captiuitas) subiratum; voluit piissimè per fœminam itidem liberum exhibere: ne quereretur de fœmina instrumentaliter perdente, dum fœminam aliam instrumentaliter cerneret saluantem: & damnatricis odium remoueret, dum Redemptrici amorem exhiberet. D. Bernardus Serm. de Natiuit. Mar. *Vt excusaretur*, inquit, *Eua per filiam, & querela viri aduersus fœminam deinde sopiretur. Ne dixeris vltra, ô Adam: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito. Dic potiùs: Mulier, quam dedisti mihi, me libauit fructu benedicto.* Loquitur Sanctus Doctor de gratiis omnibus nobis effluentibus à Maria: ideò immediatè antè dixerat de Deo: *Cælesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit: redempturus humanum genus, pretium totum contulit in Mariam. Vt quid hoc? Fortè vt excusaretur.* Tota redemptionis gratia Mariæ priùs communicata, inde nobis dimanat: vt, dum tanti operis destinatur instrumentum, & gratiæ cooperatrix, minùs decenter in culpam detrudatur.

Amores inter vxorem, & maritum curat Deus.

§. V.

Cætera prædicti tituli expono.

93. VENIO ad alteram prædicti tituli partem, vbi Deiparam ipsius Verbi diuini posui Redemptricem. Et Verbum, inquis, diuinum captiuum quis audiuit? Attende iam. Verba esse æterni Patris ad Filium coæternum, illa Salomonis Prouerb. 6. voluit D. Thomas Valentinus infrà citandus: habentur autem num. 1. *Fili, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus.* Quasi dicat: Quandoquidem spopondisti, in hoc negotio non blandi Patris; sed iusti vindicis vices geram; non tam Patrem, quàm extraneum quodammodo me exhibebo. Ecquæ sponsio ista tam arcta, tam dura obligatio Verbi? D. Thomas Conc. 1. de Assump. Virg. *Humanum* inquit, *genus magnum debitum ex peccato contraxerat, quod cùm Deo persoluere non posset, captiuitatem incurrit. Assertus Filius Regis pro captiuo spopondit Patri, factúsque est fideiussor illius, cuius erat conditor; neque tamen habebat, vnde solueret. Instat Pater: Fili, spopondisti pro amico tuo, defixisti manum tuam: discurre, festina, suscita amicum tuum, redde debitum. Quid faceret fideiussor, qui vnde solueret pro peccato, non habebat? stipendia enim peccati mors, & peccati retributio pœna est; pœnas verò impassibilis pati non poterat.* Vt enim homo in culpæ vinculis; sic Filius Dei in vadimonij vinculis tenebatur. Verbum æternum sponsionis verbo tenebatur: nec dexteram promissione defixam vnquam solueret, nisi defixus Cruci satisfaceret. Ecquid agat? Nónne qui illi, vnde solueret, daret; piissimè captiuum liberaret?

Deus piè amore captiuus.

94. At, vnde illi datum pretium, nisi à Maria? Pulchrè idem D. Thomas ibidem, postquàm cætera misericordiæ opera à Mariâ erga Christum exercita describit latè, in periocha sic concludit: *Accepit igitur peregrinum, induit Chananæum, pauit quoque famelicum abundanti pectoris sui lacte, panem de cælo ipsa pauit, Angelorum panem ipsa satiauit vbere de cælo pleno. Neque solum hoc; sed etiam captiuum redemit.* Sed sunt plenissima mysterij, & pietatis verba, quibus redemptum Verbum, & redimens Maria ibidem describuntur. *Venit igitur*, inquit, *ad Virginis mensam, & inde numerosam pecuniam accepit, quam redderet creditori: accepit nanque carnem, vnde Patri redderet (pro amico, quem sibi fecerat ex seruo) tot pretia peccatorum. O quam plenè solutum est ab eo peccati debitum! ô quam benè numeratam pecuniam creditori dedit super Crucis mensam! quot flagella, quot alapas, quot punctiones, quot vulnera, quot iniurias, quot lacrymas, quot tormenta, denique atrocissimam mortem! Ecce captiui pretium, quo solutus est ab ergastulo. Pretium ergo redemptionis Christus persoluit: sed hæc mulier illi dedit, vnde solueret. Ipse Redemptor est: sed ab illa accepit, vnde redimeret. O quantum tibi tenemur, Virgo Beata! quid tibi pro tanto beneficio retribuemus?* Redemptor quidem Christus peccati: sed per Matrem ab sponsione sua, cui de pietate fuerat defixus, piè redemptus. Et non fateberis ad redemptionem peccati quodammodo Mariam Corredemptricem, quæ Redemptorem piissimum obligauit: Gaudebis carnem Mariæ ab Adamo infectam existimare, quæ redemptionis pecunia facta est? O numismata adulterina, neque creditori Deo probanda, si vnquam sub Dæmonis sigillo cuderentur! O dolosi nummi, si emendæ gratiæ, de ipsius peccati sacculo sumerentur! Quantumuis mundaretur omninò à falsarij notâ hæc pecunia, semper ad tantum lytron veniret minùs decens.

Omnia misericordia opera Christi corpori exhibuit Maria.

Deum captiuum redemit.

Et optimè meo iudicio à Valentino Archiepiscopo, doctissimo iuxtà, & sanctissimo, Maria libera huius pecuniæ, & purissimæ carnis suæ donatrix celebratur: vt, dum de iustitia debitorem sibi ipsum Filium, (ab ipsius Filij meritis,) in negotio redemptionis habet; etiam redemptionis, & reconciliationis nostræ victimam illi pro parte debere fateamur: & si non de iustitiæ effectu; at de affectu pietatis Corredemptricem nostram veneremur. Creationem Euæ expositura Scriptura sic habet: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius*, &c. Genes. 2. num. 21. Vt expergefactus repentè, visóque præter spem, & notitiam tanto munere, exultaret. Quis non putaret similiter Incarnationis mysterium peragendum, dormiente, aut non cogitante Virgine: vt grauidam se sentiens, & monita Sacramenti, insperato, & non præuiso beneficio vehementiùs afficeretur? Et tamen mittitur ad Virginem vigilem Angelus: captatur Virginis consensus: & ad eius, *fiat*, fit Verbum Caro. Vnde tanta discriminis ratio? Quia Euam sic generi humano in matrem destinabat Deus, vt nos vellet hoc tantummodo beneficio suo obligare: ne quid de Euæ formatione Adamo deberemus, à quo insciò, neque dante, sed patiente, Dominus absolutus carnem subtraxerat. At Christum sic nobis in 95.

In Maria Annunciatione.

Deum habet debitorem.

Pintus de Concept. B. M. V.

in Redemptorem destinabat, vt inde etiam obligatos nos vellet Mariæ, cuius libero consensu, nobis salutis victima parabatur: dúmque Redemptor carnem suam deberet Mariæ, nos ipsi piam corredemptioné deberemus. Nunc capies citatū Guillelmum ad cap. 1. Cant. vers. 1. *Incarnandus*, inquit, *Dei Filius ex Virgine, præmisit ad eam vnum ex familiaribus suis, vt auriculam eius reuelaret, & arcano, quod absconditum fuerat à sæculis, & generationibus, reserato, consensum, & cooperationem eius flagitaret. Quippe nolebat Omnipotens suæ Incarnationis miraculum operari in ipsa, non cooperante ipsa: nec carnem volebat sumere ex ipsa, non dante ipsa. Itaque non tantùm ex ipsa carnem suscipere voluit; sed etiam ab ipsa. Non sic olim, non sic, quando immisit soporem in Adam, vt de corpore nescientis tolleret, vnde illi mulierem formaret.* Ideò post multa, sic Angelum illi inducit colloquentem: *Tu venienti Vnigenito Dei occurre: & quoniam hilariter dantem diligit Deus; prompta, & hilari fide da illi de carne tua victimam reconciliationis humanæ.* Redimit ergo Verbum piissima sua sponsione obligatum, dum illi victimam spontaneam dat, Maria: nec victima redemptionis de carne fascinata sumeretur, cùm eximia, & segregata, decentiúsque litatura sumi posset.

96. *Maria caro, lana mundissima.* Huc accommodo verba aliàs nota, & celebratissima ex Proclo in Conc. Ephesino, de Maria: *Hæc*, inquit, *vellus mundissimum cælesti pluuia madens, ex qua Pastor ouem induit*, &c. *Hæc admiranda illius œconomiæ tela, ex qua, & in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta est: cuius quidem textor extitit Spiritus Sanctus; netrix, virtus ex alto obumbrans; lana, vetusta, villosáque Adami pellis; trama, impolluta virginis caro; radius textorius, immensa gestantis gratia; artifex, verbum per auditum illapsum.* Caro quidem erat illa Mariæ ab Adami vetustâ & villosâ carne descendens, impolluta tamen, & in qua nihil vetustatis, nihil fœditatis villosæ contraheretur: ab spurcâ lanâ vellus mundissimum oritur (sic ab spinis rosa, theriaca à veneno) victimæ reconciliationis induendæ. Obsordescebat lana in parentibus: sed dum tramatur in Virginem, tantum vellus ouis diuinæ tramaturam, nihil sordis admittere permittitur. Pergo.

97. *Sibi, & nobis Deum emit.* At posset quidem sic Virgo redimere Christum, vt Christus sibi, non Virgini manere videretur: at illa sic fuit Redemptrix, vt emptrix etiam eiusdem sibi fuerit: imò sic sibi emit, vt illum etiam nobis in Redemptorem compararet: vt dum Redemptrix sponsionis Verbi, & ipsius Christi emptrix, eundem nobis in pretium redemptionis humanæ communicauit; pia ob tantum beneficium humani generis Corredemptrix coleretur. Iustum fœnus, vsuras sanctas de Ægyptiis primogenitis occisis, à populo suo Deus reposcebat, & sibi Hebræos primogenitos postulabat, vnde addit: *Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes.* Exodi 13. n. 13. *In Maria Purificatione.* Sic parentes primogenitum suum redimebant, vt non solùm iure naturæ possiderent; sed etiam titulo emptionis sibi retinerent. Sed, qui nouerat sibi à Mariâ primogenitum, & vnigenitum nasciturum, vtque erat illa pro tẽpore legis obseruantissima, Christum redempturam, imò sibi empturam: cur legem condidit? O quid agis, æterne Pater? Christum tuum in seruum vendes Mariæ? Quid legem non abrogas? Imò, quæ est eius pietas, in hoc tantùm legem irrogauit, vt Maria, dum sibi Christum emeret, nobis quodammodo acquisito iure redemptionis pretium Corredemptrix communicaret. Grauiter D. Thomas Valent. Episc. Conc. de Purif. Virg. *Disponente*, inquit, *Deo, in seruum hodie venundatur Christus: vt ad eius merita titulum habeat vniuersum: in hoc enim lex illa primogenitorum tendebat, & propter hoc lex illa condita est. O magnum, & mirabile Sacramentum! ò mirum sapientiæ Dei consilium! lex pro omnibus primogenitis fertur; sed in vno solo intentio legis impletur. Statutum est veluti decreto, vt omnis primogenitus venderetur: vt cùm ille Virginis primogenitus nasceretur, ipse quoque emeretur à Matre, non sibi soli, sed mundo: & per hanc eius emptionem, in omnia illius opera mundus actionem sortiretur, & ius*, &c. Eat nunc aliquis, & subdat peccato, quæ pie Domina Domini Redemptoris, piissime serui, dici potuit.

Incarnationem Verbi suspirabat Dauid: & tandem faustissimè peragendam exultans decantabat: *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.* Psal. 84. n. 11. Sed mihi semper obscurum, cur sibi obuiare dicantur misericordia, siue pax; & veritas, siue iustitia: quasi è cælo altera, altera è terra proueniret: cùm non solùm è cælo misericordia venire; sed etiam iustitia videatur: quidquid enim rigorosæ iustitiæ Christus obtulit, ab vnione Verbi è cælo emissi promanarat? Sed certè, si ad supradicta attendis, cælesti misericordiæ, visa terrena iustitia obuiam processisse: si enim totus Christus à Maria nobis emitur, iam iusto emptionis titulo nostram in Christo iustitiam Patri offerimus: ideò subdit pulchrè citatus Doctor: *Et ita mundi redemptione fieret iustitia misericordia permixta, sicut scriptum est: Misericordia, & veritas obuiauerunt*, &c. *Ex hoc igitur iam Christus non sibi viuit; sed mundo, cui à Patre donatus est, & cui à Matre emptus est. Nunquid non omni celebritate digna festiuitas, in qua tot, & tantis meritis mundus ditatur; & ad nostræ redemptionis opus, ius acquiritur?* Non est certè pietatis, præseruantem Mariæ redemptionem, (quę Redemptorem, quem habuit, redemit, & sibi emptum, mundo sanato, & Angelis concessit præseruatis) denegare. 98. *Christus non sibi, sed nobis viuit.*

Hinc iam capies obscurissima aliàs verba Iobi: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret.* cap. 6. n. 2. Si enim calamitas ista, siue satisfactio inde ponderosior erat, vt Patres dicunt, non quòd ab ipso, sed quòd à Christi meritis, & satisfactione in statera Crucis valorem comparabat: cur satisfactionem Domini, quasi suam propriam, & à se toleratam, iactaret: nisi Dominum illum suum, iam sibi quodammodo seruum emptitium de pietatis prodigio existimaret? Ita est. Emit redimens Maria Christum prædicto modo seruum: & dum hunc nobis liberalissima tradidit donatione; sic omnia diuini serui nostri opera fecimus, vt iam nostro quodammodo pretio redimamur. Sordebunt ista, ni audis eundem Thomam citatum: *Si tu noster es, omnia quoque tua nostra* 99. *Christus piissimè nobis seruus.*

nostra sunt: cuius enim est persona, eius quoque sunt omnia bona persona. Nostra igitur sunt merita tua, nostra sunt vulnera tua, nostri vagitus infantis, nostri labores docentis, nostri dolores morientis. Quidquid in mundo egisti, quidquid laborasti, quidquid sustinuisti, quidquid meruisti, optimo iure nostrum est: quia tu noster es. O me diuitem tantis meritis! Exaggera nunc crimina, aggraua peccata, repete ad integrum debita: maiora sunt merita mea, maior est satisfactio mea, maiora sunt seruitia mea: mea, inquam, mea: non mea, quæ ego feci; sed mea, quæ à te suscepi: mea, quia mei (audebo dicere) serui, quem mihi hodie Virgo emit. Domine, stemus simul: iudicemur simul. Nolo me, Domine, seorsim iudices à te: sic enim verè damnatus sum. Si debita computas mea, meam quoque reputa solutionem. Non me separes à te, Domine, in iudicio: & scio, quia ad victoriam perueniet iudicium meum: nam etsi grauia sunt criminum onera; hæc tamen mea satisfactio, quasi arena maris grauior apparebit. Et putes seruam peccati, quæ Seruatorem ipsum, nobis in dulcissimum, & dominantissimum seruum tradere sic promeruit?

100. Adhuc semel, & iterum eiusdem Thomæ, (ô noscatur tantus Doctor!) piissima acumina trutinanda. Vt fideles à peccato, & quauis immunditia deterreret Apostolus, sic habet: *An nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* 1. Cor. 6. n. 19. Quasi pretioso immaculati Agni Sanguine redempti homines non possent in maiorem aliam euehi dignitatem, quàm vt purissima Spiritus Sancti templa dicarentur. Pende nunc Agnum istum non solùm tanto pretio Mariæ Matris emptorem; sed etiam ab eadem inuicem emptum, & augustius longè eiusdem Spiritus templum fateberis necessariò: vt illa mundata posteà, istud ab initio præseruatum intelligatur. Et cur ita? Quia quò maius est emere Deum, quàm à Deo emi; eò Maria præstat vniuersis. Atqui inquis: Emit Deus homines Sanguine suo: Maria Deum emit paucis syclis. At inde, inquam ego, gloriosior Maria celebratur: neque enim se tam vili venderet Mariæ, qui tam caro emebat homines, nisi vt empricis cresceret digna felicitas; quæ viliùs comparabat, incomparabiliùs cæteris præponebatur. Nunc iam Thomas: *O quàm minori emisti, Virgo, quàm Filius! Magna certè illa emptio, quam proclamat Apostolus: Empti enim estis pretio magno. Sed, audeo dicere, ista quodammodo maior est: quia non mundus; sed Dominus, & Creator mundi, non magno, sed exiguo pretio comparatur. Felices, quibus appretiatus est Deus: felicior Virgo, cuius est Deus.* Crescit quidem hominum dignitas, quòd tanti Deo emantur: sed non decrescit Dei dignitas, imò in immensum eius amor, & honor Matris, quòd Mariæ tam exiguo pretio redimatur. Eius, eius est, quam primam sibi voluit emptricem piissimam.

Maria quo vilius emit Christum, eò pretiosior existimanda.

101. Mirabar ego aliquando, cur desperatus Iudas, cùm tot alia mortis genera faciliora posset eligere, prolixiùs quæreret suspendium. *Abiens*, inquit Textus, *laqueo se suspendit.* Matth. 27. n. 5. Atqui inquis: Fur erat, & loculos habebat: agnatum autem furi supplicium est suspendium. Ita est. Sed, cur pridem tot furtis illaqueatus, laqueum non quæsierat? Quia nusquam clariùs exagitatâ conscientiâ se furem deprehendit, quàm dum Christum vendidit, quem proprias Mariæ, & ab illâ, diuitias nostras probè agnoscebat. Præuenit iudicium: quia vel leui morâ præiudicium sibi fieri instans pœna perorabat. Concludat tandem Doctor Valentinus: *Quid tu*, inquit, *misera Synagoga? quid, cæca, & malè cupida, cum proditore agis, vt ab eo compares Redemptorem? Vendere alienum ille non potest. Virginis Christus est: illa prior emit: secunda non valet emptio. De duabus venditionibus, prior iure valida est. Vnde & venditor ille videns, quia in cassum vendiderat, ne iudicio adstaret, suspendio se finiuit: cognouit enim, quia damnatus esset, quoniam vendiderat alienum. O bone Iesu, iam noster es, & duplici iure es: te nobis Mater emit: noster es, quia datus: noster es, quia emptus: duplici te iure possidemus.*

Pœna culpæ respondet.

102. At, quantùm ex hac redemptione Christus Dominus Mariæ obligetur, exemplo humano ad calcem huius Anthologiæ propalabo. Repudiabat filius conscientiam obligationis ingenitæ patri debitam: miseri parentis preces spernebat, inopiam non curabat: & duritiei tantæ prætextū obiectabat, quòd, cùm captiuus esset, à patre non redimeretur: de quo sic pater in iudicio (apud Quintil. declamat. 5.) disserebat: *Captum me, inquit, non redemisti. Quis non putet queri de filio patrem? Quenquàmne dicentem feras? Nihil tibi debeo: quia mihi lucis, vitæq; beneficium semel præstitisti: quia hunc spiritum, hoc corpus non ex indulgentiâ rursus accepi? Iniquissima magnorum conditio meritorum est, si quidquid non fuerit adiectum, de prioribus perit: & pessimo exemplo gratiam præteritis auferunt priora cessantia. Non redemi: non tamen ideò minus est, quod in hunc te diuinorum, humanorúmque conspectum de nostrâ protulimus animâ. Maria, terrásque, & infatigabiles syderum cursus, & cuncta sacro fulgore lucentia, nos, vt fruereris, ostendimus: has, quas subtrahis manus; hæc verba, quæ negant; de meo spiritu, de meis visceribus hausisti.* Quasi pater satis se obligantem putaret, solùm generando: & filius fateretur, nihil se posse negare, si pariter vt genitus, foret & redemptus. Nihil ergo inuideret Filius Mariæ, dum agnosceret Genitricem, ne dum agnoscens pariter Redemptricem. Ex dictis an probetur, quod de futuritione Deiparæ intendebam suprà num. 85. iam apparet. Pergo ad alia.

Parentibus quantùm debeatur.



ANTHOLOGIA III.

Maria minùs idonea Mater, non præseruata.

§. I.

Quàm soleant boni filij magis virtutibus animi, quàm corporis lineamentis patrizare: aliter improbi.

103. PROBAVI in Examine, n. 11. Mariæ, quâ Matri, optima priuilegia deberi: & arctiùs n. 16. ex eo, quòd D. Thomas, vt esset *idonea Mater*, voluit in vtero excellentiùs præ cæteris sanctificatam, dicebam præseruatam: cùm de præseruatione longè magis idonea Mater pararetur. Id ergo in hoc loco nobis fusiùs comprobandum. Primum verò rationis pondus inde deduco: quia, cùm Christus in humanis per omnia se hominem exhibuerit, & filium Mariæ perfectissimum; filij autem, si bonæ indolis sunt, & generosæ, soleant patrizantes, plùs parentum virtutes exprimere, quàm vultus: videtur necessariò inferendum, Christum in virtutibus excellentissimis, quas exhibebat, voluisse se visum matrizare; &, quod inde est, perfectissimam puritatem in Maria posuisse; quam deinde, licet perfectiori longè modo, exprimere videretur. Et quidem cùm plusquàm originalis gratiæ innocentia in Christo Domino cerneretur, perfectiùs matrizaret, si in Virgine similis innocentia, quamuis inferior, reluceret. Huc allusit D. Thomas Valent. Conc. 3. in Nat. Virg. *Fuit*, inquit, *Christus Matri suæ simillimus super omnes filios: vt, sicut in cælo, qualis Pater, talis Filius: ita in terra, qualis Mater, talis Filius. Cùm itaque mores, & proprietates matris, in filium ei infundantur: qualis debuit esse Mater illa, ex qua forma illa cælestis, & idea mundi, speculum illud lucidissimum, in quod omnes aspicerent, pulchritudo illa, quam omnes imitari debent, oriri & procedere debuit?* Illud: *Qualis Mater, talis Filius*, non omnimodè, sed proportionaliter, quod satis suprà expresserat S. Doctor, intelligendum.

Filij moribus magis, quàm sanguine parentibus respondent.

Maria Christo simillima.

104. Videamus ergo priùs, quàm soleant generosi filij parentibus adblandiri, dum illorum virtutes exprimunt: vt Christus cæteris filiis de reliquo longè benignior, in hoc etiam Matri adblandiens cognoscatur. Perceptæ fidei, concepto fascino, Galatæ renunciarant: ad quos tunc Paulus: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. cap. 4. n. 19. vbi D. Thomas Aquinas: *Id est*, inquit, *recipiatis similitudinem eius, quam vestro vitio perdidistis*. Erat itaque per virtutem recuperanda Christi Patris prisca similitudo, quæ solùm obducto vitio potuit aboleri. Sed adhuc in verbo, *formetur*, Græcè, μορφωθῇ, aliquid latere videtur ad rem aptius: re enim vera hæc verba (quod vtriusque idiomatis periti norunt) non figuram simpliciter; sed & hanc cum quadam venustate exprimere videntur. Hoc ergo voluit Paulus, vt quemadmodum corporei oculi, de corporea formositate filiorum, externam parentum pulchritudinem coniectant: sic spirituales, de morali iustorum pulchritudine, formosam parentis Christi sanctitatem coniectarent. Hoc tam anxiè votis parturiebat, quia id vnicè in optatis, Christo Patri optimo, esse cognoscebat. Idem Doctor Angelicus paulò pòst: *Donec*, inquit, *Christus formetur in vobis: id est, formosus aliis per vos appareat*. Adoptatos filios sibi per omnia similes exoptat Christus; & virtutum decore sic configuratos, vt in ipsis apparere formosus videretur: & non tam pulchrâm conderet sibi Matrem, quæ in ipsius Domini virtutibus exhibitis formosa appareret? aut non cuperet illa sic idonea fieri, vt per omnia in filio naturali reprimeretur: quando iste in filiis adoptiuis, quantam decet, expressam pulchritudinem requirit?

Christus in Sanctis formosior apparet.

105. Hinc illa vox prophetica: *Afferte Domino, filij Dei, &c. Afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius*. Ps. 28. n. 1. Aliqui in Sixtianis legunt, εὐπρέπειαν ὀνόματος, *pulchritudinem, & nominis formositatem*. Ecquæ hæc pulchritudo nominis, ecquæ formositas? Vocantur hi iusti, filij, & per consequens, Deus paterno titulo insignitur. Id ergo vult, vt mutui nominis pulchritudo seruetur: & in filiis tanto parente dignis, pulchra eius similitudo exprimatur. D. Petrus Chrysol. ibi Serm. 10. *Putásne*, inquit, *cælestes taliter appellat iste virtutes? aut homines, Dei aptat in filios, & terrenam carnem cælestem subleuat ad naturam? Homines frater, homines nuncupat hîc Propheta, quos Dei filios alibi sic decantat: Ego dixi: Dij estis vos, & filij Excelsi omnes. Audiamus, Fratres, quò nos intulit diuina dignatio, quò paternitas extulit nos superna: credamus nos Dei filios, respondeamus generi, viuamus cælo, Patrem similitudine referamus*. Est enim probis filiis innatum, paternæ virtutis indolem exprimere: nec vlla re gratiùs parentibus blandiuntur. Benè ergo idoneam sibi parentem eligeret Christus, cui per omnia, licèt excellentior, blandiri videretur.

Deus similes sibi optat filios.

106. Restituitur Zachæus gratiæ, dum ipse aliena debita restituit: additque Lucas: *Et ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eò quod & ipse filius sit Abrahæ*. cap. 19. num. 9. Equidem satis

satis probabile est, Zachæum Hebræum genere fuisse, non gentilem, ac proinde ab Abrahamo descendentem. Sed insurgit statim dubitatio. Si quòd filius esset Abrahæ, ingrediebatur salus eius domum: cur qui semper talis fuerat, tandiu antè salute priuabatur? Quia, licèt talis esset genere olim, non debebat vocari filius Abrahami, cui etiam in moribus non respondebat: nunc iam in virtutibus patrizans, & filij titulum recuperat, & salutem. Theophyl. ibi in Cat. aur. *Non autem*, inquit, *dixit: Quia filius erat Abrahæ. sed, Quoniam nunc est. nam priùs, quando erat publicanorum Princeps, nullam similitudinem habens ad Abraham iustum, non erat Abrahæ filius.* Solùm quippe hoc nomine dignus, quando de expressâ similitudine adblandiri parenti satagebat. Et satageret, credo, Deus idoneam Christo suo Matrem destinare, vt eidem Filius in omni puritatis genere adblandiri videretur: & quamuis omnes virtutes haberet excellentiores; nullam tamen numeraret, quam in Mariâ sub decenti mensura matrizans non videret.

Hæreditariū sanctæ patris nomen amittit filius nequam.

107. Torquebatur infernis flammis, flammarum auaritiæ succidaneis, infaustus diues: tunc exclamans: *Pater*, inquit, *Abraham, miserere mei.* Luc. 16. num. 24. Patrem vocauit Abrahamum; sed non patrem suum: cùm teneriùs persuadendo solatio dicturus videretur: *Pater mi Abraham.* Sed suppuduit miserum non patrizantem tenerioris vocabuli. Intellexit, credo, non posse vocari filium Patris hospitalissimi, qui inhospitalitatis titulos erexerat: & sic capacem verum vniuersalis nominis, quo Abraham *multarum gentium pater* appellatur; sibi vni iustè fatetur denegatum. Fortasse aliquid tale cogitabat etiam Chrysol. Serm. 123. vbi ita de diuite isto: *Iste, Fratres, intelligit se non esse filium, qui patitur: & pensat de suo merito, quod tam pij patris perdidit de natura: qui tunc vtique respondisset generi, si pius, si hospitalis, si misericors, in pauperem si fuisset humanus. Qui genitoris opera non facit, negat genus, Domino sic dicente: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Ille fidem generis probat, cui tantus paterni operis assertor assistit.* Improbus homo, & ideò non filius quî patrizaret?

Quem suppudet tenerioris appellationis.

108. Vnde iam capio, quid miris illis, & piissimis technis, quibus sibi Christum addixit, captaret Magdalena. Discumbebat Dominus apud Pharisæum diuinus hospes: nec etiam humanis hospitalitatis blandimentis, à rustico, aut magis proteruo, exceptus homine: accedit interim fœmina: *Et stans retrò*, inquit Lucas, *secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* cap. 7. num. 38. Scilicet, contraria iuxta se posita magis lucescunt: ideò Maria voluit rarum, & dulcem hospitalitatis suæ modum; inhospitali Pharisæi proteruiæ contraponere. Sed, quid, quæso, erat, cur tam anxiè Maria haberi hospitalissima cuperet; hócque maximè exhibito monumento Christo insinuari? Vt se Abrahæ filiam, & hospitalissimi Patriarchæ progeniem demonstraret. Sciebat huic in primis, & ouibus, quæ perierant Israël, venisse Saluatorem. Huic ergo sub hac industria sese obiectat; vt de more, & hospitalitatis amore, statim Abrahæ filia, feliciter patrizans agnosceretur: quando paternas virtutes Pharisaica durities denegabat. Mentior, aut vidit rem D. Paulinus epist. 4. vbi descripto Magdalenæ obsequio, sic ad Simonem: *At certè*, inquit, *tu potiùs hoc ministerium in domo tua recepto hospiti debuisses, si vel exemplo patrum tui hospitale seruasses: sed sufficit vobis ad superbiam, iactare patrem Abraham: & ideò te illa præuenit, quæ affectu fideli se potiùs patris tui filiam comprobauit.* Benè igitur reponitur ad sinum patris, quæ patri de cognata virtute sic componitur. *Nobis*, addit idem Paulinus, *ad salutem, & ad gloriam satis est Christus, & ille crucifixus, qui nos de lapidibus in Abrahæ filios excitauit: illos contrà de Abrahæ filiis in nostræ duritiæ lapides obrigescentibus.* Qui potens fuit Ecclesiæ mutare mores, Synagogà in peius ruere permissâ: facilè dedit, vt illa titulum, quo carebat, virtutis similitudine patrizans sortiretur: quem scelerum contagione adulterans amiserat.

Magdalenæ ars captando Deo.

Sic iam olim à Deo hac infamia perfida Synagoga notabatur: *Radix tua*, inquit, *& generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Ezech. 16. num. 3. de quo Tertul. cont. Iud. cap. 8. *Quorum*, inquit, *ex genere procreati non sunt; sed ob similem impietatem* Vt iam magis ad illos quis pertineat, quos morum, quàm quos vultus refert similitudine, & sanguinis origine; parentum semper indoli magis, quàm naturæ adscribendus. Benè D. Zeno Veron. Serm. de pudicitiâ: *Si Ecclesia*, inquit, *ideò Sponsa Dei est, quia pudica: ideò iugo thalami cælestis honorata, quia etiam post nuptias, manet postmodum virgo perpetua: nos, qui nascimur de tanto coniugio, omnifariè niti debemus, quemadmodum prosapiei nostræ nobilitatem, non relatione tantùm, sed etiam fidei similitudine approbemus.* Quia turpe est, matrem sine macula, & ruga iactare, cùm vndique maculatus, & rugosus ab speciosissimâ prosapia degeneres: frustraque illius dignitate præsumis honorari, cuius imitationem sumere dedignaris. Pulchrè item Iosephus de Machabæis Martyribus locutus: *Non ego*, inquit, *vos paruulos membrorum lineamentis, & totius vultus notis, matris æmulos dicam: sit hæc summa laudis in cæteris, quibus præter naturam, nihil animus dedit. Vos ergo similes mente, robore, fide asseram.* 109.

Impij impijs adoptantur.

Huc faciunt iustæ indignantis Dei minæ ad terram peccatricem: *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, &c. tres viri isti, si fuerint in ea: viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur.* Ezech. 14. num. item 14. quod in eodem Capite bis alibi repetitur. Sed, vbi sunt, dicat aliquis, viscera illa Dei, quibus ob decem iustos infami Sodomæ parcere destinabat: quibus pepercit Niniue puerorum innocentiâ commotus: quibus propter Dauid seruum suam custodiendam vrbem promittebat? Crescit, credo, in hoc loco acerbioris vindictæ causa, quòd qui puniendi dicuntur, filij nuncupantur: in cæteris locis hoc titulo non feruntur. Quasi acerbiùs, & irremissibiliùs in eos inuehatur, 110.

Naturæ priuilegia amittit peccator.

qui se de parentum vultu, & genere gloriantes, generosos eorundem mores ferre contempserunt. Fauet ibi Saluianus lib. 3. de prouid. hunc locum expendens: *Nam licèt*, inquit, *omnes admodum filij, membra parentum esse videantur: non putandi tamen sunt membra eorum, à quibus affectu cœperint discrepare: quia morum degenerantium prauitate, pereunt in talibus beneficia naturæ.* Et sic pereunt, vt nec etiam propter parentes consequantur; quod cæteri propter conciues suos consequuntur.

111. Mirum est, quàm vili pretio pretiosissimum Baptistæ caput vendiderit Herodes: cessabit tamen, si credimus Chrysologo putanti, saltatricem puellam, ipsiusmet Regis filiam fuisse. Et quid, inquis, tunc vidit in filiâ, vt illi indulgere tantoperè cogeretur? Vidit lasciuiam, vidit turpitudinem: & viuam quandam adulterantium parentum expressionem. *Die*, inquit Matthæus, *natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.* cap. 14. n. 6. Non enim poterat inter turpissimæ saltationis lasciuias, turpissimo parenti non placere. Rem narrat etiam Marcus: de qua Chrysol. Serm. 174. *Respondet*, inquit, *suo turpis generi, dum parenti complacet turpiori: de adultero nanque non nisi turpis debebat procreari: quæ fractis gressibus, corpore dissoluto, disiuncta compage membrorum, fluentibus ex arte visceribus, totâ Patri fieret deformitate formosior. Et reuera suam credidit tunc Herodes, cùm talem vidit: nam putasset alienam, si pudicam aliquantulùm peruidisset.* Vt iam, è contrà, pudeat generosum parentem, si filios foueat de vultu similitudine chariores, in quibus interna virtutum suarum forma non splendescat: nec mirentur filij, si à generoso alieni reputantur, cuius generositatem exprimere non curarunt.

Ab adulteris, lasciua vtplurimum proles procreatur.

112. Sed hinc aptum ad Baptistæ matrem gradum faciamus. *Fuit*, inquit Lucas, *in diebus Herodis Regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias*, &c. *& vxor eius de filiabus Aaron: & nomen eius Elisabeth.* cap. 1. num. 5. At, quot alios proximiores parentes habuit Elisabeth, eósque sanctos, cuius proximior filia dici potuisset? Cur ergo his prætermissis ad solum Aaronem reducitur prosapia? Respondet Chrysol. Serm. 89. *Aaron*, inquit, *primus Pontifex legis fuit, sacerdotij origo: propterea meritò prætermissis omnibus eius filia dicitur, cuius in se memoriâ protulit sanctitatem: quam tanti generis pia custos gloriosissimè transfudit in filium.* Quasi necessariò Aaronis esset filia appellanda, cuius pleniorem sanctitatem referebat; necessarióque talis esset futura, quæ Ioannem sibi magis de moribus, quàm de natura similem progigneret. Non possum hîc non transcribere, quæ allatis initio verbis addit in idem D. Thomas Valent. *Si Ioannes*, inquit, *Baptista propter solum testimonium, quod de Christo redditurus erat, ita perfectus fuit: Virgo Mater, quæ eum genitura erat similem sibi; & mores, & vitam suam in eum debebat transfundere, qualis esse debuit?* Idonei sanè magis mores ab origine puri in Christum transfunderentur. Pergo.

Baptistæ laus à parentibus.

Maria mores in Christum quodammodo transfusi.

113. Vnde iam patebit & rei veritas, & ratio consequentiæ in Apostolo ad Corinthios; *Rogo ergo*, inquit, *vos, imitatores mei estote: ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commone faciat vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni Ecclesia doceo.* 1. Cor. 4. num. 16. Quæri enim posset, si imitandum se volebat, cur ipse viuum exemplar non adiret, videntium affectum exacturus: quis enim ad tanta opera, ad tantam exemplorum potentiam hebesceret? Sed iure fecit: mittebat enim Timotheum spirans Paulini animi simulacrum, qui vias, (vt benè hîc notauit Doctor Angelicus,) id est, opera, & virtutes Pauli Corinthios doceret. Ideò meritò in hoc loco vocatur filius: quia, licèt nec vultum, nec sanguinem; ast mores Pauli ad viuum referebat. Bona ergo causalis illa: *Ideò misi.* quia, qui Paulo imitationem præsenti non negarent, neque filio simillimo negare possent. Dabit his lucem D. Chrysostomus hom. 1. ad pop. Antioch. *Non fuisset*, inquit, *tam beatus Timotheus, si Pauli filius à natura fuisset, quàm nunc est admirabilis, quoniam secundùm carnem nihil ad ipsum attinens. Per cognationem, quæ est secundùm religionem, in ipsius se adoptionem induxit, cum sedulitate, disciplinæ ipsius characteres in omnibus seruans. Sicut enim vitulus tauro coniugatus; sic iugum cum illo trahebat, vbique terrarum, & nihilo propter ætatem deficiebat: sed studium, vt cum præceptoris laboribus contenderet, præstabat.*

Pij piis adoptantur.

Hæc fusiùs, vt mores illustrem obiter, (id ab amicis doctioribus rogatus quandoque faciam,) congesta, satis probant, quàm sit filiorum proborum patrizare in virtutibus, quámque parentes aueant moribus potiùs, quàm vultu in filiis repræsentari; quámque optaret Virgo talem haberi, vt Christo per omnia similis, huic mores transfudisse quodammodo intelligeretur: vnde iam decuisse Deum, Matrem sic ab omni culpa præseruare, vt idonea magis mater etiam in hac originis innocentia matrizanti Christo respondere videretur. Congruentiorem adhuc huius rei coniecturam affert idem D. Thomas de Villan. cuius fusissima verba transcribere non grauabor. *Filij*, inquit, *imitantur parentes vtplurimum, & parentes transfundunt in filios non solum proprietates, & passiones, & ægritudines corporales, figuram, colorem, formam, motus, habitus; sed & passiones animorum, mores, ingenia, vitia, & virtutes: nam ex iracundis parentibus iracundos filios, ex mansuetis mansuetos, ex ingeniosis ingeniosos, ex rusticis rusticos, ex eloquentibus eloquentes, ex mutis mutos: vsque adeò vt ingenium, virtus, & eloquentia hæreditaria quodammodo videantur. Et si hoc in aliis, multò ampliùs in Christo: nam, cùm in aliis, patris, & matris communes sint filij, aliquid accipiunt à patre, & aliquid à matre; & fit ex duobus tertia quædam in filio mixtura, & similitudo. Christus verò, qui totus erat ex Matre, non habens patrem in terris; totus fuit Matri simillimus, non solùm formâ, & vultu, (hoc enim, qui viderunt vtriusque imagines ad viuum, asserunt, nunquam fuisse filium sic matri simillimum;) sed vultu, & moribus, verbis, & habitu. Illa humilis, ille humilis: illa mansueta, ille mansuetus: illa benigna, ille benignus: illa pauper, ille pauperrimus: illa purissima, ille purissimus: illa prudentissima, ille prudentissimus: illa piissima, ille piissimus: illa modesta, & sobria; ille modestus, & sobrius: denique in omnibus Mater nihil fuit, nisi Filij adumbrata imago; & Filius Matris expressa figura. Nam, etsi omnes Sancti, prout potuerunt, conati sunt* 114.

Christus Mariæ simillimus.

sunt assimilari Christo, & eum reddere, & imitari, (quia in hoc nostra perfectio consistit ;) nullus tamen potuit ex integro, sed ex parte : vnus in humilitate, alius in castitate, alius in mansuetudine. Sola Mater eum ex omni parte imitata est, eum reddens suis gratiis, & virtutibus : licèt in Filio perfectiores colores essent propter Diuinitatem coniunctam. Quid grauius?

§. II.

Subdo plura de Christo à Virgine nato ; déque magis idonea Matre, si præseruetur.

115. *Maria Diuinitatis amula.* DIvvs Ambrosius Serm. 16. de Natiuitate Christi, sic scribit : *Videamus*, inquit, *hic, Sol noster nouus quo fonte nascatur. Sic est verum, Deo oritur authore, Diuinitatis est Filius : Diuinitatis, inquam, integræ, incorruptæ, illibatæ. Intelligo planè mysterium : ideò enim secunda Natiuitas per immaculatam Mariam ; quia prior per Diuinitatem constiterat illibata : vt cui prior Natiuitas gloriosa extitit, ei secunda contumeliosa non fieret : hoc est, vt quemadmodum virgo Diuinitas ediderat ; ita eum & Virgo Maria generaret.* Quasi proportionaliter à Patre Deo, Christi Dei ; & à Matre fœminâ Christi hominis honor dependeret. Patrizat quidem Christus Deus de Deo, dum illibatam participat Diuinitatem : matrizat humanus ab humana decenter, dum carnem illibatam, & virginem assumit : contumeliosum putaret, si ab incorrupta, & virgine Diuinitate editus, posteà corruptam, & non virginem Matrem sortiretur : si vtraque, quoad posset, Natiuitas sibi inuicem non responderent. At, vnde, quæso, fœdior nobis Maria appareret : an, quòd absque culpa, & prohibito miraculo caro resignaretur, quæ posteà in integrum poterat restitui? an, quòd originali culpa semel admissâ posteà perfectissimè mundaretur? Cæcus videat, quantò hoc turpius. Qui ergo non virginem Matrem putaret contumeliosam; Matrem sibi peccatricem, decoram existimaret?

116. *Terra olim virgo & fœcunda.* Peccat protoparens, & audit à Deo : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea, &c. Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Genes. 3. num. 17. Sed istáne, inquis, maledictio hominis, an terræ est maledictio? Certè vtriusque : nam terra etiam in hominis pœnam maledicitur. Ecquid terra patitur? Opera, scilicet, & humanos labores. Nimirum, virgo priùs, sed fœcunda, diuino tantùm grauida verbo produxerat omnem herbam virentem, lignum omne pomiferum, nec aratro sulcante, nec semine suscepto: an non satis corrumpitur misera, & deuirginatur, quæ sulcos aratri patitur, semen violata excipit alienum? Nimirum, non dedecebat corruptio maledictam : quæ non maledicta virgo perseueraret, & non tribulorum, & spinarum ; sed felicioris partus in ipsa virginitate longè fœcundior. Sed vnde, inquis, terræ tanta prærogatiua, vt ante maledictionem post tot fœcunditates virgo permaneret? Quia ministratura Adami corpus animæ originaliter iustificatæ capax; decens erat, vt virgo, id est, non maledicta permaneret. Nunc audi, quid inde inferat Tertul. lib. de Carne Christi, cap. 17. *Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta : ex eâ hominem factum accipimus à Deo in animam viuam. Igitur, si primus Adam de terra traditur; meritò sequens, vel nouissimus Adam, vt Apostolus dixit, proinde de terra, id est, carne nondum generationi resignatâ in spiritum viuificantem à Deo est prolatus.* Terra, quia absque maledictione, fœcunda, & virgo Adamo destinatur : & Mariam virginem pariter, & fœcundam edendo Christo, à maledictione liberam non putabis? Imò, crederem, ideò secundùm hoc, & minus priuilegium accepit ; quia maius illud primum indepta fuerat : minúsque contumeliosum putaret Christus nasci à non virgine, sed iam sanctâ; quàm ab illa, quæ aliquando sancta non fuerat, & maledicta.

Et mihi mirum, virginitatem Mariæ sic à Deo dilectam, vt illam non solùm ab actuali culpa; sed etiam à leuioris infamiæ maledictione præseruaret, existimari : & aliunde ipsam virginitatem Christo seruituram grauissimæ originalis culpæ maledictioni subiectam computari. Attende. Destinat Iephte victor victimam, vnicam filiam : cui illa tantùm duorum mensium exorans indicit interstitium : *Vt plangam*, inquit, *virginitatem meam cum sodalibus meis.* Iudic. 11. num. 37. Nec satis deploratam virginitatem putarunt Israëliticæ fœminæ, quin postmodum per singulos annos, certis diebus, num. 40. eandem deplorarent. Sed, quid virgo deploretur occisa, quæ tam constanti animo, iusto (vt multi probabiliùs putant) patris voto implendo destinabatur? Cur non potiùs faustissimis acclamationibus celebretur? Respondet Guillelmus in Cat. Delr. ad cap. 3. n. 6. Cant. recurrens ad maledictionem, qua sterilitas damnabatur : vnde addit : *Filia Iephte in ætate nubili sine filiis moritura in Israël, virginitatem suam per duos menses fleuit in montibus : expians, scilicet, hoc modo maledictionem suam. Et quoniam lamentatione propriâ à tam graui maledicto non penitùs expiata videbatur ; conueniebant filij Israël singulis annis, & solenni luctu expiabant eam per dies quatuor. Ecce virginitas illis temporibus, præ amore sobolis, & metu maledicti, quàm exosa, & abominata, & quàm deserta res fuerit.* 117. *Virginitas Mariana ĉmendatur. Virginit[...] laus olim ignota.*

Pende nunc, vix Mariam, & illam duodennem, vt ferunt, desponsatam Iosepho describi, cùm statim de Spiritu Sancto grauida describitur : *Inuenta est*, inquit, *in vtero habens de Spiritu Sancto.* Matth. 1. num. 18. Et cur tam celeriter? Credo, ne vel leui tempore post nuptias ab hominibus sterilis putaretur ; & maledictæ sterilitatis (vt credebatur) vel etiam leuissimam incurreret suspicionem. Vt virginitas illa, quæ Deo per votum obligata, maluerat integritati seruandæ sterilitatem subire, quàm legalis maledictionis infamiam euitare ; etiam ab hac infamiâ præseruaretur. Fauet dictis, licèt celeritatem non perpendat, Guillelmus citatus. *Ad singularem*, inquit, *inter fœminas excellentiam excreuit : quæ prima hominum omnipotenti Deo, immaculati corporis, & cordis sacrificium studuit offerre : malens* 118. *Quod Deo sacratur, decoratur.*

vtique subiacere maledictioni, quàm libidinosæ corruptioni. Deus verò primam, ac præcipuam integritatis æmulatricem insigniter subduxit maledictioni, dando illi saluâ virginitate semen in Israël, & benedictionem amplissimam; benedictionem omnium gentium dedit illi, quando singulari miraculo fecit Matrem. Amore incorruptionis parata erat à sua gente elogium maledictionis incurrere: & ecce saluâ incorruptionis gloriâ totus ei mundus proclamat: Benedicta tu in mulieribus. Vide, quàm celeriter non tam resarcitur, quàm præcauetur virginitati, elogium inculpabilis infamiæ, suspicio maledictionis, ob merita virtutis, licèt ad tantam prolem obtinendam non condigna: & videbis, quantò celeriùs maledictio culpæ de Christi condignis meritis ab ipsa fœcunda iam præuisa virginitate præcaueretur. Sed hoc celeritatis prætermisso: pende ex mente Guillelmi virginitatem olim in omnibus fœminis, sicut in Iephtæa virgine, legali maledicto addictam in virgineâ maledictione præseruatam contra communem legem: & inferes contra eundem Guillelmum, potuisse ab originali culpa contra communem legem præseruari: imò & debuisse; quia magis idonea Mater, si inculpabiliter amitteret virginitatem, quàm si culpabili origine fœdaretur.

119. *Virginitatis perseuerantis præmia.* Ænigmaticè Eunuchis, qui se ob cælorum regnum castrarunt, id est, Ecclesiæ virginibus, præmia promittens Deus: *Non dicat*, inquit, *Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Isai. 56. à num. 3. Ambros. infrà citandus legit: *Dabo illis nomen æternum, & non deficient.* Quasi tam esset magnum intentæ virginitatis præmium iis, qui in illa persistentes durarent, nec ab incepto munere deficerent. Vnde optimè perseuerantiam Virginis, contra impios, qui illam post editum Christum, Iosepho copulatam blasphemabant, conuincit Ambros. de instit. virg. cap. 6. Transcribo pluscula. *An verò*, inquit, *Dominus Iesus eam sibi Matrem eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare cælestem: quasi eam, cui impossibile esset virginalis pudoris seruare custodiam? Cuius exemplo cæteræ ad integritatis studium prouocantur; ipsa ab huiusmodi, quod per se cæteris propositum foret, munere deuiaret? Et quæ esset, cui maius, quàm Matri, Dominus meritum reponeret, præmium reseruaret? Nulli enim vberiora, quàm virginitati deputauit munera, sicut Scriptura nos docet: sic enim per Isaiam: Ne dicat, &c. Aliis promittit, vt non deficiant: Matrem suam deficere patiebatur? Sed non deficit Maria, non deficit virginitatis magistra: nec fieri poterat, vt quæ Deum portauerat, portandum hominem arbitraretur.* Ecquid, quæso, fœdius, portare hominem maritum; an Dæmonem adulterum? incestare corpus legitimo congressu; an animam culpabili commercio conspurcare? Et tamen non idonea Mater eligeretur, nisi illa, quæ etiam à marito illibatam pudicitiam retineret: & putares idoneam, si spirituale stuprum pateretur? Adde minori indecentia post Christum portatum carnem inculpabiliter permitti corruptam; quàm animam ante portandum corrumpendam derelinqui: quia post egressum nihil iam à matre traheret, qui à matre ante ingressum præfœdata indecorior appareret. Concludit Ambrosius: *Nec Ioseph, vir iustus, in hanc prorsus fet amentiam, vt Matri Domini corporeo concubitu misceretur. Sed tamen Maria, suis, non alienis moribus defendatur.* Sic vellem hodie Mariam priuilegiis suis, non alienis scriptis esse defensam, ne aliquando dæmoniaco concubitu temerata in spiritu putaretur. Permansit virgo; quia virginum exemplar: credatur originaliter innocens; quia protoplasticæ, & angelicæ innocentiæ exemplar fuit, vt suprà dixi, & infrà sæpiùs confirmabo.

Maria virginitatis magistra.

Delato è Cruce Christo, quem impietas occidit, pietas sepeliuit; addit Textus: *Et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Luc. 23. num. 53. Sed, nunquid, qui vnicè erat inter mortuos liber, à cadauerum aliorum contagio læderetur? Nequaquam. Nunquid minùs resurgeret gloriosus? Minimè: sed tamen minùs decenter conderetur. Voluit quidem, vt priori secunda natiuitas responderet; & qui è tumulo carnis virgineo prodierat illibatus, è virgineo pariter tumulo petræ incorruptus prodiret. D. Ambros. Serm. 56. *Custodiuit*, inquit, *illud Iosephi tumulus incorruptum; sicut seruauit Mariæ Virginis vterus illibatum: hic enim viri pollutione non tangitur; ibi mortis corruptione non læditur: vbique beato Corpori defertur sanctitas, vbique virginitas: nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Dominica ergo & virgo vulua, & virgo est sepultura. Quin potiùs ipsam sepulturam vuluam dixerim; est enim similitudo non parua: sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit; ita & de Iosephi sepultura viuus surrexit.* Nihil non virgineum, sublimi tractandi sacri Corporis ministerio, venit idoneum: & solùm beata illa anima Mariana, quæ veræ matris, Animam Christi, & Corpus vnire potuit, non virgo, & constuprata à Dæmone adultero per originalem culpam existimetur? Certè minùs idonea sic veniret. 120.

Christus virgineo sepulcro commendatus.

§. III.

Anima peccatrix Dæmonis est scortum: inde diuina Zelotypia.



QVONIAM totum præteriti argumenti robur in eo posuimus, quòd animarum adulterum Dæmonem diximus: minúsque decens, minúsque idoneum videri, quòd Christus, qui corpus Matris virgineum sedulò procurarat; animam eius olim à Dæmone admitteret stupratam: videamus ex Scriptura, & Patribus, quàm propriè per culpam anima adultera, & constuprator Dæmon appelletur; quámque inde, tanquàm legitimus coniux, in zelotypiam Deus efferuescat. Virginibus sponso obuiam exeuntibus fideles animas Christus comparauit Matth. 25. *Quæ exierunt obuiam sponso,* 121.

Peccatoris anima, scortum Dæmonis.

n. 1.

n. 1. Et tamen dum accensas lampades gestare neglexerunt, à nuptiarum arcentur felicitate: *Et clausa est ianua.* n. 10. Sed, cur si minùs, vt sponsæ, non admittuntur; saltem tanquàm ancillæ non vocantur? Quia eo ipso, quòd sponsæ Christi esse desierant, iam Dæmonis scorta esse inceperant: nec poterant vllo titulo in Christi domo persistere, quæ præ tantis nuptiis turpissimas scortationes affectarant. Ideò benè Eusebius Gallicanus ad hunc locum, homil. de Natal. Virg. has Dinæ comparat, quæ relicto patris contubernio, in alieni Principis scortum deuenit misera. Ergo maximè contra Hæreticos sic concludit: *Quid enim*, inquit, *per Dinam, filiam Liæ, nisi simplices quosque, fatuos, & carnales, qui ad matris similitudinem, lippitudinem in oculis habentes, & lampades extinctas secum ferentes, facillimè decipi possunt?* &c. *Vnde fit, vt anima Deo desponsata, scortum Diaboli esse incipiat.* Non cæcam naturæ matris lippitudinem traxit Maria, quæ in ipso Conceptionis instanti (vt probabilis fert opinio) Deum vidit. Certè non admisit Dæmonem, ne vnquam illius scortum (horret auditus) dici videretur.

122. Deplorabat Ieremias sub nomine Ierusalem, animam vastatam, dicens: *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Thren. 1. n. 8. Vastatur funditùs anima miserrima: & vna præcipuè instabilitas denotatur: scilicet, quia stabile malorum pondus, de sola instabilitate compararat: mœrens enim Propheta infamem meretricem subnotabat, quam ab impressa notissima meretricis nota exprimebat. Vide, quid de hac Salomon: *Occurrit*, inquit, *mulier ornatu meretricio*, &c. *garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis.* Prou. 7. num. 10. Instabilem ergo animam, id est, vagam, & quietis impatientem, quid non meretricem appellaueris? Huic à viro suo Deo semotæ, adulteris Dæmonibus commixtæ, quæ mala non incubuerint? Grauiter Drogo Ostiensis lib. de sacr. Domin. Pass. *Quàm benè*, inquit, *dictum est: Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. peccatum peccauit, scelus coaceruauit; propterea instabilis facta est: nunc foris, nunc intus, nunc in angulis platearum, garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. Ecce quam benè depicta est meretricalis vecordia animæ meæ: & quid faciam? Reuertere ad priorem virum tuum, & noli diuaricari pedes tuos omni transeunti*, &c. *Redi ergo ad virum tuum priorem, & dic ei: Confige timore tuo carnes meas.* Maria, quæ in hæreditate Domini moratur, & in electis eius virtutibus, & gratiis misit radices, instabilis esse nequiuit, nec meretricià hac labe suffundi potuit.

Anima meretricalis vagatio.

123. Hinc illud Ps. 73. n. 19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* Vatab. legit: *Ne obiicias animam turturis tuæ cœtui hostium.* Turtur gemitu canens, pudore grata, fidelis compari, soliuaga volátu, benè iustorum animæ comparatur: quia nihil magis timet, quàm à sponso dimitti, quàm hosti obiici, adulteranda, scilicet, & corrumpenda. Et quid diuinam turturem Mariam Dæmoni obiiciemus violandam? Quid musicos gemitus planctui commiscebimus? Quid felle carentem amaritudine offundemus? Quid compari semper fidelem trademus adultero? Certè non illa talis. Vnde benè Alanus apud Delr. ad illud de Deipara: *Pulchra sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Cant. 1. vers. 8. sic habet: *Quia*, inquit, *alterius viri, quàm Christi, coniugium nesciuit: vel quòd continentiæ, & pudicitiæ in ea, tanquàm turturum volitet multitudo.* Et quantò fœdiùs non maritum virum, sed Dæmonem passa adulterum diceretur, quæ vni tantummodo Christo seruabatur Filio iuxtà, & Sponso?

Turturis pudicitia.

Solus veniebat Christus: ecquis enim ad secretum Sponsæ socios admittat? solus, inquam, deuotæ animæ amoribus fruiturus castissimis: & tamen quasi aliàs ab aliis venire soleret comitatus, vocat insusurrans: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea.* Cant. 5. num. 2. Nam, quorsum, *mihi*, si solus veniebat, qui nunquam secum alios afferebat? nisi, quia importunus, opportunus solet zelotypus amor fidei custodiam, dilectæ inculcare sponsæ? Vult ita sibi aperiatur, vt eo ipso anima intelligat, cæteris omnibus adulteri Dæmonis amoribus ostia claudẽda. D. Ambr. lib. de Isaac, cap. 6. *Aperi, inquit*, (ait Ambros.) *mihi; sed extraneis claude: neque ipsa foras ad villa materialia prodeas: neque tuum relinquens, lumen alienum requiras: quia materiale lumen tenebrosam infundit caliginem, vt non videatur lumen veræ gloriæ. Aperi ergo mihi. Noli aperire aduersario, neque locum des Diabolo.* Si quamuis animam sibi coniunctam zelotypus ab adultero custodit Deus: quantò vigilantior ab initio Mariam custodiret (quæ longè perfectiore modo Sponsa nominanda) ne locum daret Diabolo? 124.

Christus, amator zelotypus.

Sed parum erat, si peccatricis animæ adulter foret Dæmon, nisi etiam eiusdem, tanquàm vilioris scorti, leno extitisset. Audi, quid Christus Matth. 12. asserat: *Cùm autem immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit: tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui: & veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Vbi regressus inuenit mundatam, & ornatam, non ingreditur; sed tunc vadit, & vocat alios. An, quia ornatum, & munditiem timuit virtutum, & commilitones robustiori arci conuocat expugnandæ? Non crediderim: neque enim esset ornatus sanctus virtutum, sed prauorum affectuum meretricius, qui in anima, siue domo Dæmonis signatâ, dicitur exhibitus. Quid ergo alios vocat? Scorto suo vilissimo, & floccipenso coadulteros sollicitat ipse leno, indignum putans zelare, quam non tam vnicè concubinam habet, quàm publicè meretricem. Origenes infrà citandus, de anima peccatrice: *Prostituta*, inquit, *est cum Dæmonibus, & habet plures amatores, vt intrent ad eam. Modò Spiritus fornicationis, modò auaritia, post hunc veniet Spiritus superbiæ, & alij plurimi. Alter tamen alteri non inuidet, nec de zelotypiis mouetur: sed se inuicem inuitant: vnde adducit secum septem alios Spiritus nequiores*, &c. *sic nullam zelotypiam amatorum suorum patitur anima, quæ Dæmonibus est prostituta.* Certè non fuit in origine, domus meretricia Dæmonis, Maria, ad quam ille in toto vitæ decursu nullum, vel leuissimum defectum, leno sollicitus, adulter nunquam zelotypus potuit conuehere. 125.

Dæmon scorti sui non zelotypus; sed leno est.

Quàm alia diuina zelotypia! quàm alius Dei sibi 126.

Deus antonomasticè zelotypus. amor! Solus Sponsus animæ vult haberi tenerrimus: quique solus torcular calcauit Crucis, vnde sibi Sponsam comparauit; solus etiam adulterinis spretis furtis, furtiuis dimissis amoribus vult amari. Ideò Exodi 20. n. 4. *Postquam idola, id est, adulterinos amores iubet arcendos, concludit: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes.* Septuaginta non habent, *fortis*; sed noua Deitatis repetitio. *Dominus Deus tuus, Deus zelotes.* Quasi in re amoris, epitheton zelotis sibi vnicè veniat accommodandum. Non est Dæmon zelotypus, meretricem putat animam: amicos Dæmones fornicariis eiusdem abominationibus inuitat: scilicet, non laboribus Sponsam acquisiuit; sed scortum, vilis voluptatis pretio comparauit: ideò non solùm non dolet: verùm, quo aliis exponatur, sollicitat infamis: Christus verò sanctificans proprio sanguine Sponsam, sanctissimâ zelotypiâ prosequitur. Origenes ibi adductus à Glossa: *Nullam, inquit, zelotypiam amatorum suorum patitur anima, quæ Dæmonibus est prostituta: si verò coniuncta fuerit viro legitimo, id est, Christo, etsi aliquando fuerit peccatrix, vltra eam peccare non patitur, nec ferre potest, vt alludat adulteris: excitatur super eam zelus eius, & defendit coniugij castitatem.* Defendit quidem alias ab adultero post reconciliationem: at Mariæ nunquam reconciliatus; quia nunquam inimicus, tanquàm digniori Sponsæ, meliori zelotypiâ subuênit.

127. *Maria sponsa Spiritus incorrupti.* Ideò ad illam Christus: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum.* Cant. 4. num. 9. Cæteræ excitant in Christo zelum, vt dixit Origenes: Maria, vulneranti zelotypiâ accendit. Quidni si vnà inconcussam coniugij fidem, & nunquam violatum puritatis signaculum reseruauit? Benè Haïlgrinus Cardinalis ibi: *Vocat, inquit, sororem* (loquitur de Deipara) *propter humanæ naturæ contubernium: Sponsam propter inconcussam fidei constantiam. Ipsa etiam velut Sponsa Sponso suo familiarior maiorem in Sponsi bonis obtinet portionem.* Et quidni *maiorem*, si dum cæteræ ab illatâ plagâ sanantur; sola eius meritis, ab inferenda præseruatur? Nimirum, vt ait Ambros. lib. 3. de virg. *Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente: quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum.* & tamen effectu ipso concussa, & adulterata à Dæmone prædicabitur?

128. *Adulterare Christum, qui contendant.* Obiurgabat Isaïas Israëlem dicens: *Vinum tuum mixtum est aqua.* cap. 1. num. 22. Septuaginta legunt: *Caupones tui miscent aquam vino.* Certè, vt benè ponderat Ambrosius Serm. mihi 79. non de iis cauponibus Isaïas sermonem instituit, qui publico ministerio seruiebant, meram vini speciem fraudulentâ aquæ colluuione permiscentes: cùm id ad illum, more sæcularis Iudicis, pertinere non posset, cùm corruptis tabernarum vasculis, minùs ebrioso poculo populus vteretur. Sed illis vtique cauponibus loquitur, qui Ecclesiis præsunt, non tabernis: de his ergo post alia Ambros. *Sic possumus accipere, quòd iidem Iudæorum Sacerdotes aquam vino miscuerint, cùm Dominum Saluatorem, non sicut Deum susciperent; sed sicut hominem iudicarent: & syncera, ac mera eius Diuinitati turbidum quiddam, ac sordidum inferre voluerint dicentes ad eum: Quia, cùm sis homo, facis te ipsum Deum. Ioan. 10. Et iterum: Nos ex prostitutione non sumus nati, Ioan. 8. Dum enim se ab adulterio prostitutionis excusant, illum in Diuinitate natiuitatis suæ adulterare nituntur.* Miscebimus & nos quidem aquam vino, si synceræ, ac meræ Marianæ originis puritati, turbidum aliquid, & sordidum miscere voluerimus. Ego certè me prauum iam cauponem existimarem, si Mariam in puritate originis suæ adulterare, & Dæmoni niterer commiscere.

§. IV.

Originalis culpæ labes fœdissima; ideò idoneæ Matris aliena.

PRædicti argumenti vis, quo efficaciter, puto, probaui, Mariam minus idoneam Matrem futuram, si in spiritu per culpam adulteraretur, quàm si inculpabiliter virgo non permaneret: inde solùm poterat eneruari, si culpa originalis ea esset, quæ minùs fœda actualibus, nec adulterare spiritum, nec ita conspurcare animam videretur. Sed certè ea est, vt saltem quoad hoc longè fœdior, quàm quæuis actualis intelligatur. Probarunt id iam multis, Virginis propugnatores. Vnde & Suarius hîc disp. 3. sect. 5. §. *Vltimo loco.* addit: *Maior macula est originale peccatum, quàm aliquod actuale; & magis facit subditum Dæmoni.* Ne ergo iam factum faciam: tantummodo ea, in quæ illibata, vt puto, incidi, huc adducam: plura remittens danda, Deo fauente, in Examine art. 4. huius quæst. 129. *Originalis culpa fœditas.*

Sunt ergo ad hanc rem, vel etiam sub ipsa spurcitie, purissima; & sub ipsa delicati lectoris nausea, pretiosa verba grauissimi Scriptoris Petri Cellensis lib. de Pan. cap. 11. in hunc modum: *Mundus igitur iste quasi cloaca, plenus peccatorum fœtoribus: receptibilis est omnium malorum, tanquàm vniuersarum spurcitiarum. In hoc Adam prior purgauit ventrem: non ideò vt purgaret, vel releuaret; sed vt omnes posteros opprimens contaminaret. Sed, heu miser! vbi, aut in quem stercus primum proiecit? Certè iuxta Deum, qui illum creauit: & in animam suam: & in posteritatem sobolis suæ.* Quàm meritò hinc Maria eripiatur, ipse animus primo statim horrens aspectu prædiuinat: fastidit verò, & nauseat modestia, etiam ad auerruncamentum singula euoluere. Tu pende, quàm aliter de se loquatur Virgo: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum.* Cant. 6. num. 1. Alij: *Ad phialam aromatum.* de quo Psellus apud Delr. *Arcanâ, inquit, ratione descendit, sicut imber super lanam; sicut ros in vellus in vterum puræ, atque immaculatæ Virginis, vt in aromatum diuinorum mundam phialam.* 130. *Mundus cloaca est.* *Maria phiala aromatum.*

Iam paululùm defæcatior redeat Cellensis, qui addit: *Huiusmodi obscœnitate noluit Deus Paradisum diutiùs contaminari: sed conuallem istam, tanquàm cloacam, parauit, & ad proprios fœtores sorbendos, miserum inclusit in mundo, exclusit Parad so. Creuit malitia, impleta est cloaca: venit diluuium, vt deleret culpam, & mundaret cloacam.* Itaque semel tantummodo visus protoparentum sordibus Paradisus conspurcari: digna merces, 131. *Mundi sordes.*

merces, quòd decipientem serpentem non amouit; quòd à virctis suis squamosum draconem non fugauit. Nec ergo semel Marianus Paradisus potuit conspurcari, qui vel leuem serpenti ingressum interdixit. Nota pueris verba illa Damasceni Orat. 2. de Assump. Mariæ: *Ad hunc Paradisum serpens aditum non habuit.* Et benè, fugato serpente, nec etiam semel fœdatur Paradisus noster: quia, si aliquando fœdaretur, minùs idoneus, nec suscipiendo Christo deseruiret.

Maria, intactus Paradisus.

132. Vel etiam inter tristitiæ sacræ nubes, inter tenebrarum exercitam potestatem, viuificantis lucis suæ radios reseruat Christus, quibus lapsum Apostolum restituat ad salutem: *Et conuersus Dominus respexit Petrum.* Luc. 22. n. 61. Deinde subditur: *Et egressus foras Petrus fleuit amarè.* num. 62. O quò pergis, Petre? Siste paululùm: acue linguam: sermonem expedi; & decoræ confessionis verbis, prioris negationis emacula fœditatem. Deliquit lingua, sermo peccauit: satisfaciat illa, iste expurgetur. Quid lacrymas indicis oculis, dum tamen ori verba interdicis? Suspectum, nimirum, habuit sermonem, & diluendæ culpæ minùs idoneum: nec existimauit, sermonem semel fœdifragum in negatione, in confessione posteà fide dignum existimandum. Ambros. Serm. mihi 46. *Inuenio*, inquit, *quòd fleuerit; non inuenio, quòd dixerit: lacrymas eius lego: satisfactionem nō lego. Rectè sanè Petrus fleuit, & tacuit: quia, quod defleri solet, nō solet excusari: & quod defendi non potest, ablui potest,* &c. *Sermo in precando fortè fallit; lacryma omninò non fallit: sermo enim interdum non totum profert negotium; lacryma semper totum prodit affectum: & ideò Petrus iam non vtitur sermone, quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat: ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum: ac per hoc mauult causam suam flere, quàm dicere: & quod voce negauerat, lacrymis confiteri.* Sic minùs idoneus Paradisus noster suscipiendo fideliter Christo Domino, si priùs serpentem hospitem susciperet infideliter.

Petrus pœnitentia prudens.

Lacrymarum commendatio.

133. Sed, quidni serpens teterrimus, nec semel isthuc ingredi non posset, si Paradisus erat, sed longè custoditior? Mirantur aliqui diuini nostri Salomonis lectulum, tam impensis vigiliis custoditum: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël,* &c. Cant. 3. num. 7. Hoc, inquiunt, non tam pacifico thalamo, quàm bellico tentorio conuenientius. Sed vide, quid de hoc lectulo dicatur cap. 1. n. 16. *Lectulus noster floridus:* nimirum, vt esse pariter floridus Paradisus, vbi *flos ille campi* Christus vernaret; vbi ipse lignum melioris vitæ Iesus frondesceret, intelligatur. Sed quorsum, inquis, huic Paradiso tanta custodia? Quia prisco terreno longè dignior: si autem isti tuendo, ne iterum ingrediatur culpa, Cherubicas legis excubias, Genes. 3. num. 24. gladium versatilem: quid hîc fortissimos, omnes tenentes gladios, admireris? Gillibert. Serm. 16. *Ad portam*, inquit, *Paradisi angelicam custodiam cum gladio flammeo positam lego: an non quidam Paradisus lectulus Salomonis? Lectulus, inquit, noster floridus: denique ipse flos campi, ipse lignum vitæ: benè Paradisus deliciarum lectulus talis. Vides, quomodo amplæ deliciæ arctâ cinguntur custodia? lectulum enim Salomonis sexaginta fortes ambiunt.* Vide quàm aut Paradiso terrestri, aut animâ quauis sanctâ, Paradisus pretiosior Marianus: (in cæteris enim flos ille campi vernat, in hoc nascitur: in cæteris lignum vitæ virescit, in hoc plantatur:) nec dubitabis arctiori custodia munitum, ne semel admittat serpentem, quem saltem semel alij admiserunt.

Maria Paradisus custoditior.

134. Tandem concludit Cellensis de Noë homines in diluuio seruante. *Fra nimio*, inquit, *fœtore omnem fenestram arcæ bituminauit; & formam secundæ regenerationis, in qua veteres sordes expiantur, prætitulauit.* Quasi non tam, ne aqua intraret, quàm ne peccatorum fœtor arcam peruaderet, tanta cura fenestræ bituminarentur rimæ tenuiores: nimirum, regenerationis purioris seminarium in arca seruabatur: indignúmque foret, vt prisci peccati vel leuissimo halitu arca puritatem paritura intùs respergeretur. Ast quantò, quæso, purior arca Maria, vnde sanctificationis, & purioris regenerationis principium, Christus, scilicet, oriturus; ne priscæ maculæ labe fœdaretur? Benè Damasc. Orat. 2. de Nat. Virg. vocat, vt nemo nescit, vterum Annæ, *locum, in quo Deus sanctificationis arcam condidit.*

Peccati fœtor.

135. Sed, quod dixi de adultero Dæmone, originali culpa lenocinante; satis ex prædicta fœditate constat: & ingeniosè, vt solet, licèt obscurè, protulit Tertul. lib. de anima, cap. 41. vbi post multa de vtraque hominis natiuitate, sic concludit de anima: *Cùm ad finem peruenit reformata per secundam natiuitatem ex aqua, & superna virtute, detracto corruptionis pristinæ aulæo totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam à Spiritu Sancto; sicut in pristina natiuitate à Spiritu profano. Sequitur animam nubentem Spiritui, caro, vt dotale mancipium, & non iam animæ famula, sed Spiritus. O beatum connubium, si non admiserit adulterium.* Si eodem tenore in reformatione excipitur ab Spiritu Sancto, sicut in formatione excepta fuerat à Dæmone, siue profano Spiritu: hîc verò vt sponsa excipitur: certè ibi vt sponsa fuerat, id est, ad thalamum Dæmonis deducta, sponsa nomine, re ipsa adulteratrix: quam auet, ne vlteriùs feliciores nuptias nouis adulteriis commaculet. Ego, vt exhorrerem, Mariam Dæmonis scortum appellare: sic fœdatam origine dicere non auderem. Sed & aliud testimonium ex Tertulliano clarius indidem desumamus.

Peccatū originale, adulterium est.

136. Prædicaturus Apostolus salutem nobis per Christum importatam, sic præmittit: *Eramus naturâ filij iræ: sicut & cæteri.* Ephes. 2. num. 3. Sed hem, dicat aliquis: naturáne, an peccato in tantum malum prosiliuimus? Certè peccato. Quid ergo naturâ tales prædicamur, vnde ansa Marcionistarum, & Manichæorum blasphemiis dari videatur, vt naturam nostram à Dæmone authore pessimo productam contestentur? Planè non natura nostra à Dæmone producta; sed sic per culpam infecta originaliter, vt licèt non sit alia, alia tamen natura quodammodo iudicetur. Nimirum, sic totam naturam à Deo creatam corrupit in Adamo Diabolus: sic constuprauit adulter, vt legitimam, in spuriam sibi aliam verteie crederetur. Tertul. citatus cap. 16. *Cùm dicit*, inquit: *Fuimus aliquando naturâ filij iræ. irrationale indignatiuum sugillat: quòd non sit ex natura, quæ à Deo est: sed ab illa, quam Diabolus induxit. Dominus & ipse dictus sui ordinis Matth. 6. Nemo potest duobus dominis seruire. Pater & ipse cognominatus*

Idem confirmatur.

natus Ioan. 8. Vos ex Diabolo patre estis. Ne timeas & illi proprietatem naturæ alterius adscribere posterioris, & adultera: quem legis Matth. 13. auenarum superseminatorem, & frumentariæ segetis nocturnum interpolatorem. Itaque ab adulteratâ in Adamo naturâ totâ, iam adulterini nascimur, Diabolo progignimur parenti. Ipse Tertul. se explicat ibidem, cap. 41. de malis animæ à Dæmone occupatæ: *Malum igitur animæ, præter quod ex obuentu Spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit naturale quodammodo: nam (vt diximus) naturæ corruptio, alia natura est, habens suum Deum, & patrem ipsum, scilicet corruptionis authorem.* Nihil in tanto acumine clarius dici potuit.

137. *Maria specialis Filij sui Filia.* Verè ergo non solùm non adulterata Maria in se ipsa; sed nec in Adamo peccauit, in quo natura de cætero fuit adultera: ne & ita virgo in spiritu corrupta dici possit. Neque mirum: si enim natura per infectam originem ita Dæmonis fit adultera, vt & eius filia priuato quodam titulo nominetur: quî potuit cateruatim cum cæteris originali subiacere fœditati, vt filia Dæmonis diceretur: quæ, vt idonea esset Mater, specialissimo modo Filij sui Filia celebratur? *Quàm pulchri sunt*, inquit Salomon, *gressus tui, filia Principis!* Cant. 7. num. 1. Sed quid? Num & alij etiam per gratiam in filios adoptantur? Certè. Sed Maria singularissimo modo Filia producitur, & vt decebat, quò idonea Mater coleretur. Et meritò tunc Deus *Princeps* dicitur, vt supremi dominij potentiam, in condenda sibi hâc filiâ ostentaret. Pulchrè ibi Alanus apud Delr. *Tu es*, inquit, *principalis Filia Principis, Dei, videlicet, qui est Princeps Principum, & Dominus dominantium: qui specialiter te per gratiam genuit, specialiter informauit: ita tamen Dei Filia, quòd & Mater intacta.*

138. *Idem confirmatur.* Et benè non tam pulchri dicuntur gressus, siue affectus, quibus ad Deum ferebatur: sed, *quàm pulchri!* admirationis epitasi adhibitâ. Non enim eâ ibat pulchritudine, qua cæteræ animæ, sed alia longe defæcatiori, & puriori, quam etiam angelici Spiritus mirarentur. Miror piissimum aliàs Guillelmum, qui hæc nouerat; non tamen Mariam præseruatam posuisse. Ergo ille ibi ita: *Illa est*, inquit, *excellenter Filia Principis, quæ est etiam Mater Principis: neque enim in tantam adoptionis gratiam crescere potuisset, nisi authorem gratiæ genuisset. De sua carne dedit Principi substantiam carnis, & ab eo accepit vicissim prærogatiuam gratiæ amplioris. Idcircò non dicuntur simpliciter pulchri gressus eius, vt cæterarum filiarum Principis: sed, quàm pulchri! id est, quàm puri, & mundi affectus eius!* Certè puritas Mariæ, quæ, vt ex Anselmo discimus, ea est, quâ maior sub Deo nequeat intelligi; non talis foret, si fœditate originis respersa adulterum aliquando pateretur: nec decenter talis filia vocaretur Maria, si priùs Dæmoni filia aduenisset.

139. *Amantes se inuicem Deos vocant.* Sed, neque caret mysterio, quòd adulterum istum, & patrem, *Deum* etiam quodammodo naturæ corruptæ, vocet Tertullianus. Certè adulteri amasij se inuicem solent Deos appellitare. Notum illud Catulli ad Manl. de amica:

Qua mea se molli candida Diua pede
Intulit.

Sic Propert. lib. 1. eleg. 1. vt notant Interpretes, de amoribus iratis dixit:

Cùm tamen aduersos cogor habere Deos.

Et iterum eleg. 7. ad puellam:

Quòd nolim nostros, te, violasse Deos.

Sed quis non ita? Benè ergo adultera natura amasium suum Dæmonem, Deum blandiori vocabulo appellitabit. At, quis credat, Mariam, tanti Principis Filiam singularissimam, sic Dæmoni vnquam adultero seruiisse, vt illum Deum suum posset vocare? Certè non tantæ muniendæ filiæ Deus tardaret, qui Israëlitis filiis minorem, sed similem labem custauit.

Præcipiebat Deus Leuit. 18. *De semine tuo non dabis, vt consecretur idolo Moloch.* num. 20. Res plana. Difficultas est in versione Septuaginta, qui legunt: *Et à semine tuo non dabis seruire Principi.* quot enim Hebræorum filij (vt passim in Scriptura legitur) inuicem seruiebant; nedum Principibus? Cur ergo Septuaginta vetant, vt seruitus ab Hebræis filiis, Principi tribuatur? Non negant quidem synceram seruitutem; sed adorantem latriam. Superbi Principes se Deos dici volunt: prohibetur ergo Hebræo semini seruire Principi, quem inter blanditias Deum coleret, & appellaret. August. ad hunc locum tomo 4. quæst. 66. *Hic non video*, inquit, *quid intelligatur, nisi Principi, qui pro Deo colitur: non enim ait, δουλεύειν, sed λατρεύειν*, &c. Si ergo per originis peccatum sic adulteramus, sic Dæmoni seruimus ex Tertulliano, vt eundem nobis Deum habeamus; iam videbis, an id idoneam Dei Matrem deceret: & an idololatrico Principi inferno seruire permitteretur Filia Dei singularissima: cùm id erga humanum Principem idololatricum ab omnibus Hebræorum filiis arceretur. 140. *Superbus Diuinitatem affectat.*

Tandem de originalis culpæ fœditate audiendus D. Petrus Chrysol. Serm. 35. de hæmorrhoïssa illa, siue fœmina fluxum sanguinis patiente: *Quæ est*, inquit, *ista, quam sic genuinus sanguis naturalis debilitat? originalis morbus ad causas mortis, ad lethale vulnus, ad fœdi languoris adduxit angustias? & quam sic sordidauit vitiis, fœdauit criminibus, secretis vulneribus sauciauit: vt eam ars curare non solum, videre oculis non solum honestas pateretur: non praualeret lex ipsa mundare: imò quam lex ipsa iusserat arceri templo, prohiberi sacris, sanctis omnibus abstinere: & quam sic dixerat immundam, vt quidquid tetigisset, haberetur immundum? Ista est, Fratres, ista est, ista est Ecclesia, quæ primi hominis vulnerata peccato, toto diffluebat sanguine, tota originaliter defluebat in mortem.* Nihil correxi, (licèt locus ad medium paululùm deprauatus,) ne arguerer fortasse cætera interpolasse. Lege nunc, quæ SS. Doctores scribunt de Maria; & videbis sensisse, necessariò tam fœdum morbum ab illa exulasse. Hoc satis de fœditate, & adultera corruptione huius peccati, vt videas, quæ tantoperè virgo corpore, vt esset Mater idonea, eligitur; impensiùs ab animæ adulterio præseruandam: de quo plura in Examine sequentium articulorum. 141. *Originalis culpa languores.*

* * *

§. V.

§. V.

Degeneres à nobiliori patre hæredes ancilla profert.

142. *Hæredes ab ancilla degeneres.*



AGGREDIOR iam aliam rationem, cur minus idonea Mater Maria, nisi præseruaretur. Certè Christus æterni Patris hæres, per quem, id est, propter quem fecit sæcula, orbem creauit, minùs decenter ab ancilla quauis, nedum ab ancillâ aliquando Diaboli nasceretur. Præcauit quidem hoc Deus, ne hæredes, ab ancillâ de sorte, familiaribus suis nonnullis tribuerentur: & quid non præcaueret, ne sibi hæredem, ab ancillâ de vitio, constitueret? Triumpharat Sodomitarum Princeps Abraham; & post victoriæ lauream, tanquam scuto bonæ voluntatis, nouâ diuinæ protectionis promissione coronatur: tunc sic ille ad Dominum: *Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. Statimque sermo Domini factus est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus: sed, qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.* Genes. 15. num. 3. Pende illud, *statim*: quasi non pateretur Deus, vt vel etiam mente vernaculum, serui sui filium, hæredem imaginaretur Abraham. Maius est, quod addit Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 3. *Discant*, inquit, *homines coniugia non spernere, nec sibi sociare impares, vt huiusmodi suscipiant liberos, quos hæredes habere non possint: vt vel transfundendæ hæreditatis contemplatione, (si nullo intuitu pudoris mouentur,) digno studeant matrimonio. Sed, si Abrahæ sententia ad corrigendum minùs proficit; accipe oraculum Dei huiusmodi condemnantis hæreditatem: Non erit, inquit, hæres tuus hic: sed alter, qui exierit de te.* Ac si non minùs Abraham doleat de seruo sibi hærede relinquendo, quàm patres pudere debeat, si filios sibi tollant ab ancilla, quibus decenter hæreditatem nequeant transfundere. Sic dedecet seruile aliquid, ne vir ingenuus velit à degenere, & minùs libero hærede repræsentari. Vide modò, an satis dignè in Dæmonis ancillæ filio non solùm repræsentaretur Pater æternus; sed reuerà per vnitatem essentiæ consisteret.

143. *Filius è degeneri vxore, vix patri comparandus.*

Atqui, inquis, si tam seuerè Deus, ex mente Ambrosij, relinquendam seruili conditioni hæreditatem interdicit: vt etiam patres hinc deterreat, ne ab ancillis filios habeant, quos nequeant hæredes instituere: quid est, quod addit: *Sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem?* Quid enim non putaret Abraham, vbi videret natum Ismaëlem, hunc sibi à Deo hæredem designari, quem licèt ab ancilla; tamen de vtero suo egressum recognosceret? Sed sanè si satis verba perpenderet Abraham, calleret, non illum sibi hæredem arrogari: qui licèt quoad naturam, non tamen quoad decorem ab illius vtero egressus dici poterat. Et cur ita? Ambros. citatus: *Quem dicit alterum? Peperit enim Agar filium Ismaël: sed non ipsum dicit, sed dicit Sanctum Isaac: & ideò ait: Qui exierit de te. ille enim verè exiuit ex Abraham, qui legitimo coniugio procreatus est.* Non quòd spurius esset Ismaël, (absit; intercesserunt enim veræ nuptiæ, & legitimæ, licet secundariæ cum Agar, eo ipso iam liberâ:) sed quòd hæc vxor olim ancilla fuerat; satis videbatur, ne quoad decentiam, & paritatem coniugij, ex vtero Abraham ortus legitimè ad hæreditatem videretur, a matre vtique conspurcatus.

In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum Filium suum produxit Deus, quem etiam in tempore ab Sponsa hominem producere destinauit: & putemus, relictâ purissimâ & condignâ Sponsâ, quam poterat creare, ancillam olim Dæmonis elegisse? Quam vereor, ne Filius ipse Deus, qui, vt suprà dixi, quà talis, Matris etiam Sponsus erat; excusabilem quodammodo Arrianorum blasphemiam reddere videretur: dicerent enim meritò, se seruile aliquid in Verbo suspicari, quòd videbant in ancillæ connubium, vt hominem indueret, deuenisse. Audiamus Saluianum lib. 4. de Prouid. contra Dynastas aliquos iustè indignatum. *Illud*, inquit, *magis teterum, ac detestabile: quod quidem matrimonia honorata sortiti, alias sibi rursus seruilis status coniuges sumunt, deformantes sancti connubij honorem, per degeneris contubernij vilitatem: non erubescentes maritos se fieri ancillarum suarum: præcipitantes fastigium nobilium matrimoniorum in cubilia obscœna seruarum. Digni prorsus etiam illarum statu, quarum se putant dignos esse consortio.* Non præcipitauit quidem Deus fastigium gloriæ suæ, in ancillæ cubile à Dæmone olim obscœnum: ne seruilibus iunctus sponsalibus, seruilis conditionis dignus, impiis hoc se prætextu excusare conantibus, putaretur. 144. *Ancillarum connubia, & congressus vitandi.*

Certè Sponsam dignam, dignam cælesti rore concham quæsiuit Deus. Pulchrè Ioannes Geometra, Author antiquus, hymno primo de Virgine: *Maria, concha purissima cælesti rori concipienda.*

Χαῖρε, θαλάσσης κογχὴ, μάργαρον υἱὰ τεκοῦσα
Ἀστεροπῆς θείας, πορφυρέων τε ῥόων.

Salue, maris concha, margaritam filium pariens
Fulgore ex diuino, & purpureo latice.

Quàm autem, quoad possit, respondeat diuino fulgori immisso, latex purpureus, siue Marianus sanguis, aperit ipse sæpe: audi hym. 3.

Χαῖρε, δέμας παγὲν ὑψόθεν αἰγλήεντος ὀλύμπου,
Ἡμετέρης κακίης οὐδὲν ἀφελκομένη.

Salue, corpus formatum suprà, in splendido cælo,
Nostræ iniquitatis nihil contrahens.

Quasi sic puta caro in cælo formari visa, vt filium talem pareret: neque talis foret, si quid iniquitatis nostræ contraxisset. Τὸ, ἡμετέρης, vide infrà num. 1122.

145. *Dignus hæres decenter à Deo postulatur.*

Sed multa adhuc nobis in Abrahæ hærede ponderanda. Et pende primùm post factam sibi egregiam promissionem, prorupisse statim Patriarcham: *Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer.* Ibidem, n. 3. Oratio est affectus plenissima; &, si sapis, ex ipsa aposiopesi, & reticentia longè eloquentior. Quasi dicat: Ego orbus discedo: parum id: iste, iste Damascus serui mei filius, iste natalibus fœdatis ortus, mihi hæres substituetur! O quid magnum dabis, si totum sic degeneri hæredi transfundendum? Mallem nihil præsentares; si tamen in hærede digno non repræsenter. Ambrosius apud Glossam id ferè considerans: *A b ipso*, inquit, *Domino quam mercedē postulet Patriarcha, consideremus: non diuitias,* vt

vt auarus: non longæuitatem vitæ istius, vt meticulosus mortis: non potentiam, vt superbus: sed dignum quærit sui hæredem laboris. Desipiebant, scilicet, illi cuncta, nisi liberum, & dignum hæredem constitueret.

146. Postquam, nato iam Ismaële, promissum sibi Isaacum audiuit Abraham, & internum risum, spei timore mixtę, præbuit testimonium; Ismaelique suo, quo iam degebat hilaris, orat stabilitatem: audit iterum à Deo: *Sara, vxor tua, pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac: & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum.* Genes. 17. num. 19. Deinde Ismaëli etiam daturum bona promittit Deus: nihil tamen de pacto cum illo decernit feriendo: imò quasi à pacto expressè excludat, subdit iterum: *Pactum vero meum statuam cum Isaac.* n. 21. Sed, cur saltem partem fœderis illius, in quo venturi Christi promissio includebatur, vt vberiùs exhilaretur Abraham, ad eius primogenitum non deducit? Imò & ideò, quia promissi Christi fœdus inibatur: neque enim tantæ promissionis fœdus, nisi in religiosissimo filio stabiliendum, hærede dignissimo: & vix poterat ancillæ filius, à paternis Abrahæ moribus non degenerare. Oleaster ibi: *Licèt Ismael,* inquit, *esset primogenitus, non tamen placuit Domino cum eo pacisci: quoniam filij ancillarum mattes referre solent; & mores matris potius, quàm patris sequuntur.* Et ipsum, puto, Christum, fœdus immortale, hæredem sibi ab ancilla destinaret? Nugæ.

Ancillarum filij, matres referunt.

147. Quin potiùs puto, vt idoneè fœdus nobis Christus poneretur, ipsam eius Matrem in fœdus nobis purissimum designauit. Pulchrè Hailgrinus Card. ad cap. 7. vers. 6. Cant. de Maria: *Ista est arcus, de quo dicit Ecclesiasticus: Vide arcum: & benedic, qui fecit illum: valdè enim speciosus est in splendore suo: resplendet enim duobus coloribus, quorum vterque est alteri ad decorem: habet virorem aquæ, quæ mater est multorum animantium: habet & ruborem ignis, qui virgo est; quia nullum animal parit. His duobus coloribus Beata Virgo, velut arcus cæli, perfecta refulget.* Resplendet, nimirum, fœcunda virginitate, quæ Christum peperit virginitatis gloria permanente: ideò in cælestem arcum constituitur. At qualis iste arcus? Nosti ex Genesi, vbi dicitur ad Noë: *Arcum meum ponam in nubibus: & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Genes. 9. num. 13. Quis credat, captiuam fuisse illam, in qua libertatis nostræ fœdus constituitur? Quis dicat ancillam, per quam Deus ad misericordiam excitatur? Bene ibidem Hailgrinus: *De hoc arcu,* inquit, *dicitur ad Noë: Ponam arcum meum in nubibus cæli: & recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum. Ipsa enim in cælestibus assumpta, vt recordetur Deus misericordiæ, quam humano generi repromisit.* Et quas erga illam misericordias non exerceret, per quam misericordiæ recordatur?

Maria, pacis fœdus inter Deum, & homines.

Maria assumptio nobis vtilis.

148. Et mihi planè mirum, si nubes ista cælestis non ea foret, in qua nihil tenebrosæ seruitutis maculæ appareret. Prophetarat Dauid, positurum Christum *nubem ascensum* suum, id est, in throno nubis ad cælos ascensurum. Ab illo æuo crederem, nubes omnes ambitiosè obsequium tantum præstandum affectasse: vix Solem combiberet aliqua, & versicolore reflexu, ipsius Solis æmula appareret; cùm pulchritudinem venditans, quot radios rotaret, tot eligendæ suffragia putaret comparasse: re enim vera pulcherrima futura nubes, quæ tam pretioso muneri destinaretur. Audi tamen Lucam: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Actor. 1. num. 9. Nubes? Ecquæ nubes? Quam pulchra! Cur ergo eius venustas non describitur? Sanè non id putauit necessarium: quia necessariò supponebat intelligendum. Quid enim venustatis in illa nube non esset, quæ Dei hæredem, ad hæreditatis possessionem comparandam deferebat? Benè D. Ambros. ad hunc locum Serm. mihi 62. *Nubes ergo ab oculis Apostolorum suscepit Saluatorem. Videamus ergo, quæ ista nubes sit, quàm splendida, quàm præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur: nec enim poterat obscura esse, ac tetra, vel tenebrosa: quia scriptum est: Et tenebræ eum non comprehenderunt. tenebræ enim lucem gestare non poterant.* Deinde latè in hac nube dissimulatum Patrem inducit Filio amplectendo. Pondera nunc, si deferendo hæredi necessariò nubes non alicunde tetra destinabatur: an hæredi formando, & suæ carnis nube diuino Soli vestiendo, Matrem seruili notâ caliginosam Pater destinaret.

Christi ascensio gloriosa.

Sed redeat Abraham: neque enim sine examine dimittendum, quod dixit Oleaster, ancillæ matris mores vtplurimùm in filium transfusos. 149.
Iam longum tempus transierat, cùm Sara ad Abraham: *Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo.* Genes. 21. num. 10. Esto: non sit Ismaël primus hæres: cur saltem in secundis non numerabitur? Quia cauebat Sara, ne saltem pro parte Abraham indigni hæredis labe fœdaretur. Ast vnde indignum, & malum Ismaëlem Sara præuidebat? Iam in ancilla matre futuros filij mores agnoscebat. Oleaster hîc post alia: *Hic etiam,* inquit, *fundari videtur lex, quòd filij ancillarum non sint hæredes cum legitimis: discimus vtplurimùm filios ancillarum esse ad malum procliues.* Nec ergo partem hæreditatis habeat, qui totus prauus à solâ parte matris recognoscitur.

Filius ancillæ, matris mores imitatur.

Quamuis Christus ancillæ olim Dæmonis filius nasceretur, nihil certè procliuitatis in malum à matre participare voluisset: quia tamen, vt initio huius Anthologiæ fusè probaui, voluit haberi matrizator, & inde quidquid in illo puriùs splendebat, proportionatâ voluit puritate in Matre prænituisse: quis non videat, Matrem à seruitutis infamiâ præseruasse: ne blasphemis, & imprudentibus Hæreticis (qui, cum Caluino, Christum ipsum aliquandiu in Inferno garriunt cruciatum) videretur dari ansa ad effitiendum, ab ancilla Dæmonis matre, aliquid filium debiti, ad infernas pœnas comparasse? Et quidem non frustrà illi, (maximè Lutherani;) sed vt Christum obiter perstringant, fatentur, inter exosa sibi exosissimum, quòd Romana Ecclesia purissimam defendat Conceptionem. Facit huc, quod de nobilitate humana Virginis meditatur D. Thomas Valent. Conc. 1. de Natiu. Virg. vbi ita: *Licèt pauperem, & humilem Matrem elegerit Deus: sed tamen genere illustrissimam, nobilissimam, generosissimamque multò ampliùs secundùm carnem, quàm sit modò quæcunque illustris fœmina. Nanque ab antiquo,* 150.

Dedecus Mariæ in Christum deriuatur.

Maria etiam sanguine illustrissima.

multis

multis sæculis, longa progenie, à Patriarchis, & Regibus, & Sacerdotibus originem traxit. Recense nunc in toto Orbe, quænam sit, quæ tot Regibus, & Principibus polleat in origine. Nobilissima igitur fuit Virgo Maria secundum progeniem, & illustrissima, qualem decuit esse Matrem Dei futuram: neque enim decuit rusticam esse, & vulgarem: ne aliqua obscuritatis, & ignobilitatis nota redundaret in Filium. Si à matre rustica, & ignobili, nedum ancilla, nota aliqua in filium putaretur redundare: quid diceremus, si mater inferni ancillatus nota respergeretur? Sed magis ad rem nostram, quod statim subdit: *Nonnihil à bonis parentibus filij per generationem accipiunt: à bonis enim parentibus, bonos nasci filios, id est, benè inclinatos, vt in pluribus, videmus: nam, sicut colorem, & figuram, & habitus, & motus, ægritudinésque varias filij ex parentibus per generationem mutuantur: ita etiam mores, inclinationes, passionésque animæ ab eisdem traducunt.* Satis ergo constat, Christum eo modo, quem dixi, matrizantem, non ancillam, electurum, vt etiam ex hac parte non degener hæres, saltem generosior Patri adueniret.

151\. Tandem de Abrahami hærede aliud adnotandum. Demus nec malè moratam ancillam, & optimis moribus vernasse Ismaëlem; adhuc tamen seruili origine infectus, licèt Abrahæ aliunde filius, non idoneus hæreditati paternæ haberetur. Indurabat Abraham (pater erat) prædictis verbis Saræ satisfacere; ad quem statim Deus: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Ibidem, num. 12. Et vnde tantùm ponderis in verbis fœminæ, tantùm imperij in vxoris voce: vt vir prudentissimus, & is maritus Dominico præcepto illius obedientiæ adstringatur? Respondet pulchrè ex verbis Dei D. Ambrosius lib. 1. citato, cap. 7. *Nunquid potest in ancillæ filio semen tuum vocari? Non vtique, &c. Eiice & ancillæ filium, vt non habeat hæreditatis consortium, qui non habet originis priuilegium.* Imò, si filius videtur naturæ iure in hæredis nomen admitti; dum Ismaël ab hæredis titulo expellitur, etiam à filij nomine visus deturbari. Idem Ambros. eisdem causalibus verbis Serm. mihi 66. *Dicit aliquis,* inquit: *Vxorem non habeo: ideo mihi ancillam sociaui. Audi, quid dicat Scriptura ad Abraham: Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ. Si igitur filius ancillæ hæres non est: ergo nec filius est. Cur autem quæritur tale coniugium, de quo susceptus filius, nec successionis possit hæres esse, nec sanguinis? nec enim habere potest hæreditatis consortium, qui non habet originis priuilegium.* Habeat Maria originis priuilegium, ne si ancilla dicatur, minùs idoneus hæres Christus existimetur: & qui non solùm hæreditatis consortium, sed totam sortem adiuit, originis, à libera matre, priuilegio non defraudetur: nec Abrahamico decori vigilantior, quàm suomet ipse Deus existimandus.

Hæres ab ancilla, licèt probus, indignus tamen hæreditate.

Vix patri ingenuo, pro filio computandus.

* * *

§. VI.

Prædicta proximè ratio roboratur.

Deinde, cùm sic in parentibus filij computentur, vt, quod illorum est, istis tribuatur, si Maria semel ancilla constituitur; in Matre seruiisse quodammodo Filius præsumetur: quod quàm sit dictu durum, respuentes aures catholicæ protestantur. Post longum catalogum eorum, qui à primis Iacobi filiis descenderunt, vbi ferè triginta tres, ni fallor, numerantur; subdit Scriptura: *Hi filij Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ.* Genes. 46. n. 15. Proh fidem veritatis! exclamaueris: sex tantùm in Mesopotamia liberos genuit Lia; & vnde tot alij Liæ imputantur? Sed demus, quod verum est, nepotes omnes, à filiis suis genitos, Liæ assignari: cur tamen nepotes in Mesopotamia nati dicantur, cùm in diuersis longè prouinciis nascerentur? Quia, nimirum, sic isti in parentibus computabantur: vt, quoniam parentes ibi nati fuerant, etiam ibidem orti dicantur illorum filij. Nescit parentum patria, filiorum pariter patria non putari. Prudenter D. August. ibi tom. 4. quæst. 151. vbi post similem aliam quæstionem subiungit: *Quantò maior nunc quæstio est, quomodo triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syria natæ sunt: nisi quia illa locutio confirmatur: tanquàm ibi omnes orta sint, quorum parentes ibi orti sunt.* Non habuit vterinam Natiuitatem Maria in Ægypto culpæ, in terra seruitutis: ne Filio tam fœda patria, & seruitutis nota quodammodo imputaretur. 152.

Filij in parentibus computantur.

Parentum patria filiis adscribitur.

Enarratura Scriptura impudentem illam filij irrisionem, qua patris immodestam, de non præuiso effectu, nuditatem propalans denudauit; sic habet: *Quod cùm vidisset Cham, pater Chanaan, verenda, scilicet, patris sui esse nudata; nunciauit duobus fratribus suis foras.* Genes. 9. num. 22. Nemo nescit; aliquos post annos ab hoc euentu, natum fuisse puerum Chanaan: cur ergo iam eius nomen exprimitur; iam Cham, pater nondum existentis filij, appellatur? Vt futura iniquitas Chanaan, iam in iniquo patre deputaretur: imò & futurâ filij malitiâ, & fœditate, iam de præsenti pater respergeretur. Acutissimè D. Ambros. lib. de Noë, cap. 3. *Quæro nunc,* inquit, *cur non simpliciter dixerit: Vidit Cham nudationem Patris. sed, vidit Cham, pater Chanaan? Vtique Chanaan natus non erat: cur ergo nomen addidit filij: nisi, vt & vitio authoris deformaretur hæreditas, & author, filij nequitiâ grauaretur?* Certè ea debebat esse Mater Christi, etiam antequàm Mater esset, vt eius Filius in illa nullo vitio deformari videretur. Et certè si longè præstantior fuit Christus, quàm nequam Chanaan; nisi lippus non videas, cur iste nequitiâ futurâ patrem aggrauaret: Christus verò futura sanctitate Matrem ab ipso originis instanti, in qua ipse computabatur, à seruitutis nequitia liberans non condecoraret. 153.

Pater multò antè futurâ filij nequitia infamatur.

154. Pergit Ambrosius: *Et pater igitur in filio, & in patre filius redarguuntur: habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoque commune consortium.* Commune quidem: quia inuicem probra, & infamiam communicabant: vt filius tali dignus parente; tali filio dignus parens haberetur. Id benè in re alia enarratis turpibus gestis Heliogabali, & iustâ tanti monstri pœnâ voluit Lampridius in eius Vita: *Occisa est cum eo & mater Semiramira, opprobrissima mulier, & digna filio.* Non poterat vitiorum mancipium non edere, quæ tot vitiis fuerat mancipata. Bene ergo Cham in filio, & in patre arguitur Chanaan, qui inuicem mutuá notâ respergebantur. Si igitur ostendo luce clariùs, in Filio Mariam, & in Maria Filium non argui, sed laudari; constabit, credo, nullâ se mutuò notâ respersisse: & vt Filius liber & purus; sic Matrem putam, & liberam fuisse. Agedum stemus ratione.

Pater in filio, & filius in patre de malitia supponunt.

155. Laudatura Mariam Elisabetha: *Benedicta tu,* inquit, *inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. n. 42. Et quorsum benedictio fructûs, quando in solum benedicendum ventrem ferebatur? Certè, quia ita de fructu ipso venter benedicitur; vt fructus ipse Iesus de ventre commendetur: quid enim aliud voluit pia illa fœmella, cùm rapta in admirationem verborum Christi exclamat: *Beatus venter, qui te portauit.* Luc. 11. n. 15. nisi à purissima Matre Filium commendare? Humano more locuta credidit, non posse talem filium, nisi à tali Matre procreari. Guillelmus ad cap. 5. ver. 7. Cant. *Gloria Filij ad Matrem redundabat. Dicebatur Matri: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. dicebatur Filio: Beatus venter, qui te portauit.* Quasi inuicem gloria Matris in Filium redundaret. Expresse ibi Hugo Card. *In confusionem Pharisæorum, & laudem Filij Matrem commendauit: communis est enim laudatio Matris, & Filij eius.* Malus pater, & peior filius ideò inuicem redarguuntur: quia commune habent vitiorum: & non habeant bona Mater, & melior Filius commune puritatis proportionatæ consortium, qui inuicem alter in altero commendantur? Si laudatio Matris, & Filij communis ex Hugone: an non seruituris infamia communis reputetur?

In visitatione Mariæ.

Christus, & Maria inuicem in altero commendantur.

156. Redeo. Magis mihi mirum, expergefactum sanctum Noë, non filio peccanti, sed nepoti probri, & seruituris infamiam imprecatum, qui, vt dixi, longo pòst tempore nasciturus: *Maledictus Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis.* Ibidem, n. 25. Esto enim, quod volunt, sæuiùs patrem in filio puniri, quia huius pœnis acriùs quàm propriis torqueri solet: attamen, vnde iam infaustus puer non solùm destinatur pœnæ, tanquàm hæres; sed etiam tanquàm malus subiicitur culpæ maledictioni? Cur non solùm supplicij, sed etiam sceleris particeps denotatur? Quia non poterat existimari, Cham filium benè moratum editurus: cùm ipse erga patrem Noë, improbus, & malè moratus filius extitisset. Hoc visus cogitasse Ambrosius suprà citatus, dum subdit: *Nec poterat fieri, vt bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, & naturæ, & eruditionis degener extitisset.* Destinatus maledictioni creditur Chanaan à patre maledicto. Ne, quæso, benedictio creaturarum Christus, nisi à benedicta Matre cõgruè cognoscatur: & è contra, si Cham, quia in patrem suum malus, praui filij genitor putatur; Christus, qui tam bonus Pater erga nos adoptatos filios, & sanctos, fide colitur, qui iustificatos produxit; bonus in Matrem suam Filius intelligatur decenter. At quæ decentia, si quam præseruare potuit, non solum ancillam fratribus suis; sed etiam Dæmonibus subiecit?

Pater nequã bonum filium vix potest generare.

At non est istud diuinæ bonitatis ingenium pium, pietas benigna; quæ, dum posteros culpa sua prauos, de parentum nobilitat sanctitate; melius Mariam de sanctitate Filij, non solùm humana, sed etiam diuina nobilitate condecoraret. Maius aliquid infero ad rem meam. Catalogum filiorum Esaü exponens Scriptura sic subdit: *Hi Duces filiorum Esau.* Genes. 36. n. 15. Et cur praui homines, & idololatræ ab impio Esaü descendentes in Duces, id est, tot populorum Principes constituuntur? Cur non vulgari ignobilitati, ex puluere & radio excitandi deputantur? Vt sanctitas Iacobi patris Esaü amplior splenderet: vt, licèt posteri, quà praui, degenerarent; at, dum nobiles perseuerare permittuntur ob Iacobi virtutem, saltem qua parte fas erat, excellentem declararent. Id, licèt non ita clarè, voluit hic Oleaster: *Non fas, inquit, est Deo filiis Sanctorum prolem copiosam dare, nisi etiam nobilem dederit.* Nihil seruile, nihil non nobile, & illustre à Iacobo descendere, etiam admissa morum prauitate, passus est Deus: vt inde hominis, cuius in gratiam id concedebat, sanctitatem notaremus, quæ tot haberet testimonia, quot essent posterorum splendores. Si filiorum nobilitas probat parentum sanctitatem quandoque, cur Christus æternitatis nobilitas Mariæ non probauerit sanctitatem? & si hæc nobilitas in Christo summa, cur summa, quæ potest intelligi in pura creatura, & vndique libera sanctitas in Maria Matre non intelligatur? 157.

De parentum virtute, quãdoque praui filiis præmia conceduntur.

Tandem notum pro hac re illud Græcum Theognis sæpè Iuristis assumptum: 158.

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος·
Οὐδέποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον.
Neque enim è squillâ rosa nascitur, aut hyacinthus:
Sed neque ab ancillâ filius ingenuus.

Ancilla generosum partum edere nõ solet.

Non deceret itaque, vt summa illa Christi ingenuitas, vnde nos omnes seruili notâ abolitâ in ingenuam diuini patris adoptionem per Baptismum adducimur; à Matre ancillâ, vt à viliori plantario rosa nasceretur: imò putarem à Maria, vnde originem assumpsit, tanquàm à fonte purissimo, & à principio, cui optimam indidit ingenuitatem; communicandæ nobis posteà libertatis traditionem desumpsisse. Illustri monumento rem aperio.

Inceptурus Christus euangelicæ prædicationis nuncia faustissima, abiit in Iordanem ad Ioannem, *vt baptizaretur ab eo.* Ioan. 3. num. 13. Timet Ioannes tanti gesti nouitatem venerabundus; & potiùs à Domino exoptat baptizari. Tunc Christus: *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* num. 15. Ecquæ tam hîc arcta iustitia intercedebat, vt ab illa legali Ioannis cæremonia Euangelium Christi consecrans inchoaret? Respondet optimè Ambr. Serm. mihi 41. *Scimus, inquit, quod Ioannes Baptista typum legis gerebat: iustum ergo erat, vt ipse baptizaret Dominum: scilicet, vt quemadmodũ secundum carnem de Iudæis Saluator est genitus;* 159.

ita

ita & secundum spiritum, de lege Euangelium nasceretur: vt vnde successionem ducebat originis; exinde & traditionem consecrationis acciperet. Et quàm arctior iustitia, quantò huius decentius implementum, vt Christus à Mariâ consecrationis, id est, libertatis nostræ acciperet traditionem, vnde tantò veriùs, & naturaliùs ducebat originem? Ancillam putemus eam, vnde nostra libertas traditur, & consecratur? Apage. Sed hanc rationem alibi fusissimè dilatabo: nunc satis illud antiquissimi Auctoris monitum:

Christus à Matre inchoat salutis traditionem.

Μήποτε δουλεύσατα γυνὴ δέσποινα γίνεται.

Nunquam ancilla vxor, & domina constituatur. Nec nos rerum Dominam, Deique Sponsam, ancillam constituamus.

§. VII.

Mariani lactis generositas non sapit ancillam.

160. PHAVORINVS Philosophus apud Aul. Gellium lib. 12. cap. 1. postquàm latè de lactis nutrientis efficacia moribus fingendis disseruit, sic subiungit: *Quæ (malum!) igitur ratio est, nobilitatem istam nati modò hominis, corpúsque, & animum benignè ingenitis primordiis inchoatum; insitiuo, degenerique alimento lactis alieni corrumpere? præsertim si ista, quam ad præbendum lac tunc adhibetis, aut serua, aut seruilis, & vt plerunque solet, externa, atque barbaræ nationis.* Dedi de hac re (vbi etiam aliqua de Maria) totam Notationem 32. in Cant. vbi ideò Moysem seruili Ægyptio lacte abstinuisse probaui, ne qui euersurus Ægyptios parabatur, cum lacte Ægyptiam indolem combiberet. Inde huc omnia poteris transferre. Pende igitur, an expediret, vt Christus, qui euertendis Dæmonibus edebatur, à Dæmonis ancilla lac combiberet, vt à blasphemis, & impiis prauos inde (nefas!) traxisse mores notaretur. Benè Claudianus, qui vt immortalia gesta Imperatoris sui commendaret, diuino lacte nutritum asseuerauit. In 4. ergo Conf. ita de Honorio;

Lactis vis, moribus imprimendis.

Vberibus sanctis, immortalique Deorum
Crescis adoratus gremio.

Et creuerit ab ancilla, & non à penè Dea, verus Deus? Crediderit, quem non pudeat credidisse.

161. Suspirabat Maria Verbi Incarnationem, identidem à Salomone præuisa repetendo: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. n. 2. Cui statim (nam Sponsi verba esse, multi volunt) ibidem annuens Verbum respondit: *Quia meliora sunt vbera tua vino: fragrantia vnguentis optimis.* Quasi Incarnationis osculum, naturæ imprimendum, osculis Mariano pectori infigendis suauissimè compensans, accelerandam promitteret Incarnationem. Et vnde tam auidus Mariæ vberum Filius, qui in sinu Patris suauissimè conquiescit? Quid tam sitiens optat lac maternum, qui paterno nectare cælicolas inebriabat? Respondet ibi Alanus: *Quæ delectabiliora, quæ meliora, quàm illa vbera, quæ propinauerunt lac Christo; non ex libidinis fœditate, sed ex virginitatis fœcunditate? Talia optabat Christus vbera: à tali vbere lac sugere, quod non saperet carnis lubricum; sed virginitatis antidotum.* Fusè suprà probaui, multò fœdiùs Mariam poni spiritu adulteram, quam si inculpabiliter virgo non permaneret: & non sugeret Christus lac non virginis, quod saperet lubricam carnis corruptionem; ab ancilla verò olim, & adultera lactaretur, quod saltem minùs aliquid purum redoleret?

Lactis Mariani generositas.

Hinc in admirationem rapta Virgo proclamat: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Ibidem, n. 13. Pende ly, *mea:* emphaticè enim additur istud verbum. At, quid mirum, inquis, si Christus iam infans dignanter natus, ab vbere virgineo lactaretur, cùm non aliunde digniùs daretur sugere: Id planè meritissimò admiratur Maria, quòd cùm naturâ ipsâ Dea esse non posset; posset famula Dei, rerum omnium altorem alere lacte suo. Idem Alanus ibi: *Inter vbera commorabitur: quia à Virgine natus, à sola Virgine est lactatus. O beata Mater, quæ vbere eum lactat, qui omnibus vbera misericordiæ propinat. O mira res! filia lactat Patrem, creatura Creatorem, famula dominantem.* Quasi totam admirationem commoueat, quòd cùm famula Domini sit, lactaret Dominum, qui solùm ab vbere quodam diuino, si posset fieri, lactandus videbatur. Vnde, si non solùm Dei famula fuisset; sed & aliquando Dæmonis famula crederetur: id non iam admirationem inuolueret, sed indecentiam. Et benè non tã dicitur futurus inter vbera, quàm commoraturus: quia, vt vides ex Alano, & passim ex aliis, solius Matris vbera suxit Christus; indecenter ab aliis in peccato conceptis sumpturus nutrimentum: non mutat Christus infans vbera, maternis commoratur: quia decentem, in hoc mysterium, & ministerium, originis puritatem alibi non inueniret. 162.

Christus solius Matris lacte nutritur.

Vt pueri lacte, sic plantæ exsucto humore sustentantur: sua his præbet terra vbera, lac propinat: radicibus, tanquàm labellis, parato sibi lactis blandimento inhiant istæ; generosiùs excrescentes de qualitate libaminis, quàm de seminis origine. Hinc etiam educandis pueris lacte generoso, argumentum desumpsit citatus Phauorinus: *In arboribus etiam, & frugibus maior plerũque vis, & potestas est, ad earum indolem, vel detractandam, vel augendam, aquarum, atque terrarum, quæ alunt, quàm ipsius, quod iacitur, semen.* Sic quoad indolem, & generositatem plùs nutricibus, quàm parentibus similes plantæ iudicantur: si lætas virere cernimus, optimo, & incorrupto humore potas deprehendimus. At, cur lætissimũ germen, Christum, omni virore gratiæ vernans adorantes; non purissimo & originaliter innocenti humore pastum deprehendemus? Nihil Christus, etsi minùs purum lac potaret, ab indole sua diuina degeneraret: fateor: sed, quantò magis foret idonea mater nutrix, si sic ingenuum succum diuinæ arbori ministraret, vt illi quodammodo agnatus videretur: sic à virore suo, & fructibus saluberrimis, meritò quiuis lactis accepti ingenuitatem deprehenderet. Vide, quæ dixi Notat. illa 32. citata, de fœmina in Christo, Mariani lactis excellentiam æstimante. Nunc altiùs in hoc arborum penè lacteo libamine immoremur. 163.

Arbores plus generositatis à terra, & humore, quã à semine habent.

Discedebant ab aquis Mara Israëlitæ sic illarum salsuginem pertæsi, vt crederes, omnes illius deserti aquas habituros suspectas; præteritæque 164.

Idem firmatur.

que amaritudinis memores, nisi præmisso miraculo, quidquid ibi esset vndarum exhorrituros: & tamen in sequenti statim mansione subdit Textus: *Venerunt in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.* Exodi 15. num. 27. Ohe! quanta præteritæ salsuginis obliuio! O quid agitis? Securi, visis aquis, castrametamini: nec saltem de paulò antè gustata amaritudine, an similiter fontes isti afficiantur, addubitatis? Quid, si sitis irritamentum fuerit, quod putatis leuamentum? Vnde tam inuentæ dulcedinis certa præsumptio? Viderunt, scilicet, virentes palmas, suauissimum fructum, dactylos dulcissimos producentes: nec ambigendi ansa relinquebatur de aquarum dulcedine, quibus tam dulce germen alebatur. Necessariò foret nutrix dulcis, cuius alumnus dulcissimus notabatur. Fauet Ambros. ibi Serm. 24. ad finem: *Nec mirum*, inquit, *si potus dulcis est fontium, in quorum sinu cibus dulcior est palmarum.* Cernis in sinu parthenico virentem nostram palmam, fructum dulcissimum: scrupulosus fueris, si adhuc de irrigantis humoris dulcedine addubitaueris: si amara seruitutis labe lac infeceris.

165. Fixum ergo hîc, quod aiunt, ab actu ad potentiam argumentum. Ideò Propheta sterilitatem terræ descripturus: *Posuit*, inquit, *terram fructiferam in salsuginem.* Ps. 106. num. 34. Esset enim quantumuis priùs ferax, vbi salsum humorem suxit, sterilis est reddita: vnde & addit: *Posuit desertum in stagna aquarum.* nihil enim noceret sterilitas propria deserto, vbi felix rigatio combiberetur. Nihil in Christo cernis non feracissimum: vt nihil amaritudinis irrigationi lacteæ adiudicaueris. Ideò ab aliis vberibus abstinuit Christus, ne videretur sucto alieni lactis humore profanari: vt possis meliori iure dicere de Maria, quod nescio de qua matre dixit Quintil. declam. 18. *Natum de se continuò impatientiùs complexa, quàm reliquæ parentes, suis aluit vberibus, suo fouit amplexu.*

Christus nisi Matris vbera non suxit.

166. Satis vinculis, sed magis curis onerati Israëlitæ attingunt Babylonem, coniurati proinde diuinos hymnos profanis nunquam auribus admouere: ideò organa ad Euphratæas salices suspendunt: ingratum primo aspectu præmium, stipendium durum instrumentis, suauiter olim dulci vocis melodiæ respondentibus; suauissimam consonantiam ministrantibus. Adeste, afflicti Musici: quanuis deinceps in carcere sonoros cantûs numeros, in gemitus mœstitiæ funestos commutetis; quibus proinde aptior vinculorum stridor, quàm organorum venerit concentus: at saltem prisca organa, non ab amœnioribus plantis suspenderetis, vnde nunc floribus, nunc fructibus comerentur? Necessariò sterilibus plantis, salicibus arborum infelicissimis amandatis? Quid facerent? Non feliciores alias, quanuis diligenter quæsitas, inuenirent: & cur ita? Pende quid dixerint: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion: in salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Psal. 136. n. 1. de quo D. August. *Salices*, inquit, *ligna sunt infructuosa, & hoc loco ita posita, vt non aliquid boni possit intelligi de salicibus; alibi autem forsitan potest. Modò ligna sterilia intelligit, nascentia super flumina Babylonis. Rigantur hæc ligna de fluminibus Babylonis, & nullum fructum ferunt.* Quod deinde mysticè, & magis ad rem meam late exprimit: alibi a me cum pluribus aliis de felici irrigatione ad rem eucharisticam, altiùs ponderandum.

Omnia mundi sterilia sunt.

Nihil seruilis Babylonis igitur participabat Maria, cuius educatum germen nihil de sterilitate salicum participat. Cur quæreret lignum vitæ fœcundissimum, cuius semper fructus dulcescit gutturi nostro, sterilem salsuginem rigaturam? Cur generosissimus aleretur Christus ab illa, quæ Dæmoni præbuerat seruitutem: cùm etiam ab humana seruitute immunes nutrices suas cupiant viri optimi? Ideo Corn. Tacitus in lib. de clar. Orat. *Iam pridem suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella empta nutricis; sed in gremio, ac sinu matris educabatur.* Ne dum ancillam emerent nutricem filio, iam filij mores vendere, & generositatem fœdare putarentur. Decoriùs æternus Pater Filij propalauit alimentũ, dum in Filio totius perfectionis apicem expressit collocatum. 167.

Ancillæ lac indecorum.

Hinc capies, quorsum tenderent faustæ illæ piæ fœminæ acclamationes ad Iesum: *Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ suxisti.* Luc. 11. num. 27. Si enim, vt suprà num. 155. dixi, à maternis laudibus filius commendatur; & gloria Mariæ in Filium redundans hîc exprimitur: cur cum ventre, vbera pariter afferuntur? Laudetur venter, qui tanta puritate formatus, vt soli Deo portando consecraretur: at, cur pariter, & eodem tenore vbera commendentur, quæ de pietate, fortè accedentes viciniæ pueros, quandoque lactauerint? Communis ventris, & vberis laus affertur; quia commune vtrique inditum priuilegium. Nemini præter Christum vbera illa sucta; sicut nemini, præter illum, venter ille destinatus. Meliùs Guillelmus Cant. 4. n. 5. *Sicut non decebat, Matrem Verbi etiã alios parere: ita nec Matrem Verbi aliis sacra illa vbera admouere. Proinde, sicut materna viscera sibi sãctificarat, quibus vnicus portaretur: sic etiam materna sibi sanctificauit vbera, quibus vnicus aleretur. Ideò dictum est: Beatus venter*, &c. *& vbera*, &c. Bene ergo, vt à destinato ventre, sic ab vbere destinato commendatur. Sed, si attactu humani pueri lambentis, mi Guillelme, minùs decentia vbera Christo reputas; cur dominantis Dæmonis calcata pede, imperio subacta, adhuc tibi decentia putabuntur? 168.

Maria tantùmmodo vbera Christo admouit, non alij.

Grandius aliquid meditor. Non aliis præbetur lac Mariæ, (solo Deo dignum,) ne inde lactati infantes ab inscio vulgo Dij putarentur. Sic penè Dea Maria existimatur: sic eius lac purissimum, non seruile reputatur, vt si quos aleret, iam hi inscio vulgo olim pro Diis haberentur. Erroris huiusmodi ansam hominibus ignaris ereptam voluit Deus. Exemplo rem aperio. Fingunt à Deo Sole, conuiuio olim exceptum Dionysium, cui immortalem ambrosiam, & nectar diuinum Sol porrexit: quo, si sapis, iam Dionysium Deum fatebatur, qui ad epulas solis Diis concessas admittebatur. At, vnde Dionysij Diuinitatem Sol auguratus? Sanè, quia licèt à fœmina mortali nasceretur, diuino Iunonis lacte fuerat enutritus. Nonus Dionys. 4. 169.

Lac Mariæ quodammodò diuinizat.

Αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἔτερπεν ἀδαιτρεύτῳ παρὰ δείπνῳ,
Ψαύων ἀμβροσίης, καὶ νέκταρος· οὐ νέμεσις δὲ
Οὐ γλυκὺ νέκταρ ἔπινε, μετὰ γλάγος ἄμβροτος Ἥρης.

Quæ

Quæ properè olim sic vertebam:

Cui recreas mentem nullo discrimine cœna,
Ambrosiam, nectarque parans: dignúsque videtur
Nectare, lacte prius sacro, quem Iuno bearat.

Pende nunc, si nonnulli Hæretici Mariam naturæ cuiusdam cælestis somniarunt; an non etiam eius alumnos, Ethnicis condelirantes, angelicos, & penè diuinos effutirent.

170. At certè licèt lacte suo Deos non posset facere Maria: at illo sic ingenuo, & nulla seruili macula fœdato Deum alens, id præstitit, vt inde nos, licèt non per naturam; at per vnionis gratiam in Christo, & per gratiæ participationem Dij, &, vt loquitur Propheta, filij Excelsi omnes haberemur. Euangelizabat exultans Isaias, dicens: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* cap. 9. num. 6. Si nascitur paruulus, quidni etiam vt paruulus nutriatur? Sed illud dubium, cur dum nobis natus, & altus dicitur, id est, in nostram salutem editus, & nutritus; etiam nobis *datus* intelligatur: quasi puer Deus Deitatem nobis suam communicarit? Sed, si in illo alimur, & nascimur, & vnum cum eodem intelligimur, quid mirum, si iam totus nobis datus cognoscatur, dum à Virgine nascitur, & nutritur? Idem Guillelmus Cant. 7. num. 3. *Sicut magnus ille paruulus natus est nobis, id est, ad salutem nostram, ad vitam nostram: ita etiam nutritus est nobis. Pariebat nobis Virgo Mater salutem, atque eo ipso pariebat nos ad salutem: sacro lacte suo nutriebat nobis vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam: piis caput nostrum brachiis suspendebat ad vbera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat. Nec ille sibi nascebatur, nec pascebatur, sed nobis: atque ideò nos, nos in illo nascebamur, nos in illa pascebamur.* Et vnita aliquando seruili Dæmonis iugo putabimus illa viscera, vbera illa, quorum ministerio, in salutis libertatem Deo ipsi felicissimè sic adunamur; vt in eodem videamur & nasci, & nutriri?

Iustitiam Dij per Mariam.

171. Pende huc verba Christi ad Matrem: *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa!* Cant. 6. num. 10. In mammis non educantis virgunculæ ad mysterium pulchritudo commendetur: at Mariæ nutrientis vbera, magis de suauis lactis copia videbantur commendanda? Quid vberum pulchritudo puero inhianti, cui solùm lactis profluuium sollicitatur? At quidem istud lac, & cum admirationis epitasi, in ipsa pulchritudine commendatur. Dum lactantes laudas, lactis ponderas excellentiam, subtices pulchritudinem: quia eo ipso, quòd depositâ necessariò integritate lactant, iam virginei tumoris ad vbera, & stantis venustatis decorem amiserunt. Maria virgo & lactans, & ideò singulariter candidum lac ministrans; in ipsa lactatione pulchriora vbera exhibeat necesse. Guillelmus iterum eleganter ad hunc locum, ita habet: *Non simpliciter ait: Pulchra sunt. sed, quasi cum admiratione: Quàm pulchra sunt mammæ tuæ! id est, quàm gratæ sunt oculis Patris, quæ Filium vnicum aluerunt! Quàm pulchra sunt, quæ lacte singulariter candido tumuerunt! Nempe, lac illud singulariter candidum, quia virgineum. Quid negas, ô stulta mundi sapientia, partum virgineum? Deus nascebatur: & quid item negas lac virgineum? Deus pascebatur. Non potuit Deus in salutem hominum corporaliter nasci, nisi partu virgineo: nec decuit eum pasci, nisi lacte virgineo: nec minùs habet miraculi pectus Virginis lactescens, quàm venter partu grandescens.* Vide, quod ex similibus verbis Guillelmi intuli suprà num. 168. si enim ea vbera parabat Deus, quorum pulchritudinem admirari videretur: quantò decentior à libera, & non ab ancilla procederet admiratio?

Mariæ vbera lactantia, pulchra simul.

Sunt etiam ad rem meam, quamuis obscura, illa eiusdem Cantici cap. 7. num. 7. *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Quòd rectitudo non incurua Mariæ, palmæ Crucis triumphalis compararetur, dixi supra. Sed, si botri in hoc loco, quia tunsionibus premuntur, Martyres denotant, vt aliqui volunt: cur illis Mariæ vbera comparantur? quid candido Libani, cum purpureo fluxu? quid pascenti lacti, cum sanguine patiente? Respondet Haïlgrinus Cardinalis ibi: *Vt sicut palma, id est, arbor triumphalis Crucis Dominicæ terribilis est malignis Spiritibus: sic Beata Virgo merito suæ rectitudinis malignos Spiritus terreat, & expellat. Vbera quoque botris assimilata sunt: in quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in Virgine; quæ non minùs meruit fundendo lac de vberibus suis ad Filij nutrimentum, quàm Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio: omnium enim operum merces, secundùm radicem charitatis pensatur.* Imò ab hoc principio multò magis promeruisse Mariam lactantem, quàm morientem Martyrem, certo certius. Potuerunt quidem Martyres Dæmonem, cuius captiui fuerant, triumphare; sed id vsque ad sanguinem decertantes: Maria excellentiùs longè facili ministrato lacte, tanquàm æreis vinculis Dæmones concatenat: quis putet fuisse illorum captiuam, quos non resistens ad sanguinem; sed consistens in lacte detriumphat, non tam intendentes bellum, quàm fugam arripientes? nimirum, non minùs ingenuo lacte decebat Deum ipsum enutriri.

172. *Maria lac, sãguini Martyrũ præstat.*

§. VIII.

Misera, & seruilis conditio peccatoris.



IN prædicta hucvsque ratione, qua magis idoneam Matrem probaui Mariam, si præseruata, neutiquam ancilla Dæmonis diceretur; supposui semper miseram, & seruilem peccatoris conditionem. Ne tamen, si res postulet, aliunde desideres id firmatum; dabo pluscula ex vtraque pagina, quæ, si minùs selecta; veruntamen minùs trita videbuntur in eo argumento, de quo tot alij mille, ac mille chartas egregias impleuerunt. Et magis ad rem nostram incipiamus à culpa originali. Subit Adam reatum ab esca, & à Iudice sententiam reatus: tunc de iam iam expellendo subdit Textus: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Genes. 3. num. 21. Sed adeòne ficulnea illa folia erant pretiosa, vt saltem illis indutus non emitteretur? Non adeò illa multi facienda: vtcunque tamen viror ille Paradisum redolebat. Exuitur ergo illis, ne qui fructus pretiosos sponte amiserat, vel etiam vilia folia deportaret. At, cur maximè

173. *Originalis culpa seruitus.*

pellibus vestitur? Quia vestis vilissima: vnde Timon apud Lucian. ad summam miseriam redactus, ἐναψάμενος διφθέραν, *inductus pelle caprina*, terram laborabat. Parum id: non simpliciter laborandæ terræ sub vilissima pelle mittitur Adamus: sed mundo, tanquàm seruus pœnæ, vt fodiendo metallo destinatur: seruili autem conditioni quis, nisi abiectissimus habitus, conueniat? Nimirum, ab originis loco præcipitatus nihil paradisiacum habeat, nihil non seruile gerat necesse est. Cape nunc Tertul. lib. de Pall. cap. 3. *Quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans, ficulneis foliis interim circundat. Sed hunc, cùm de originis loco exterminat, pellitus O. bi vt metallo datur.* De metalli pœna, seruorum propria, legendus Faber Semestr. 2. cap. 5. Vnde & D. Ambros. queritur epist. 29. ad finem, quòd serui Dei Martyres, tanquàm culpæ serui, *tradantur metallis, ne pœna citò transeat.* Certè iam in se condonatus fuerat Adam: sed, dum ab originis loco exterminat, nos in originali capite seruiebamus: & ille filiorum sic habitum præferebat.

Serui metallis damnati.

174. De Christo salutem nobis afferente sic habet Paulus Rom. 8. n. 3. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati: & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Sed quid? an, si Christus in carne non veniret, si Deus homo non fieret; peccatum non damnaretur? iustificatio perfecta non intercederet? Certè si Deus Angelum apprehenderet, & in hominum Redemptorem constitueret; iam hic Angelus hypostaticè vnitus, vel leuissimo reuerentiæ actu erga Deum plenissimâ iustitiâ satisfacere videretur. Quid ergo necessariò non Angelus, sed homo apprehenditur? Non est huius loci disputare, an talis Angelus pro humano peccato propriè satisfaceret: illud scio, longè formaliorem, obseruatis omnibus iustitiæ legibus, à Christo nostro adhibitam satisfactionem: vt eadem natura, quæ in nobis peccatrix, iam innocens in Christo culpam solueret. At, cur tam exacta iustitia hic requiritur ad redemptionem? Quia, vt alia præteream, de iustitia exacta, Dæmoni per fœdatam originem tradebamur: iustam illi pendere à Deo iubebamur seruitutem: iusto, licèt commisso dominio, nos detinebat. Ne ergo, si aliter fieret, violentiam diuinæ potentiæ eripientis sibi prædam quereretur; iustissimo tantùm titulo spoliatur. Ad hunc, & similes alios locos alludebat Leo Magnus Serm. 2. de Natiuit. Christi, disputans, cur in hoc Deus ratione iustitiæ, non virtute potentiæ vteretur. ***Nam superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat: nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei spontaneos, in obsequium suæ voluntatis allexerat. Non itaque iustè amitteret originalem dedititij generis seruitutem; nisi de eo, quod subegerat, vinceretur.*** Quàm arctum seruitutis ius homines in origine premebat, quod solùm exactissimâ iustitiâ foret abolendum!

Redemptoris nostri iustitia perfecta.

175. Adhuc noua huius iustitiæ perfectio ponderanda, vt clarior seruitutis districtio denotetur. Infantis Dei, non dicam vagitus tener, prima lacrymula; sed minima quæuis interna subiectionis actio, non solùm commissa, & committenda peccata perfectissimè aboleret; sed omnia possibilia, si darentur, plusquàm iustissimo titulo satisfaceret. Quorsum ergo sitis, fames, fatigatio, sputa, alapæ, verbera, fellea potatio? &, quod caput est, quorsum atrocissimæ Cruci permittitur affigendus? Vt dum Dæmon Iudæos incitat, culpam ministrat, Crucem parat, & Deum ipsum adigit ad mortem; maioris se culpæ reum, quàm fuerat ab homine commissa, fateatur. Sed, quid tandem, si Dæmon se sceleratissimum agnoscat? Fatebitur, se iustissimè ab homine, ob leuius peccatum iustè possesso, spoliari, qui grauioris sceleris reus conuincebatur: & de maiestate diuinâ læsâ, sacri fisci ærario, infamis proditoris bona deuoluentur. Quæ strictior seruitus, quæ omnibus iustitiæ punctis fuerit expungenda? Eusebius Gallicanus grauissimè homil. 11. de Pascha, post multa: ***Vt ille, qui pro crimine ambitionis illicitæ, obnoxium tenebat hominem: dum Dominum crucifigit, maioris reus criminis appareret: ac sic authoritatem dominantis amitteret, dum vincit culpam decepti hominis, immunitas deceptoris.*** Extrema planè seruitus nobis in Adamo immodicum honorem appetente, contracta, extremâ fuit iustitiâ redimenda: vt huc natum videretur: *Summum ius, summa iniuria.*

Originis seruitus quàm arcta.

Sunt mira in hanc rem verba Pauli de Christo Saluatore: *Delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians Principatus, & Potestates traduxit confidenter, triumphans illos in semetipso.* Colos. 2. n. 14. 176.
Quasi non ita confidenter, & decorè expoliaret Dæmones, nisi chirographum deleret: nec satis deleretur istud, nisi affixum Cruci, immaculati Agni Sanguine solueretur: & miserrimo litterarum atramento, diuinæ rubrica purpuræ obduceretur. Et quod, inquis, tam stricti iuris chirographum Dæmon ostentabat contra miseros seruos? quinam erant indelebiles adeò characteres, vltimam seruitutem scribentes; quos solùm diuinus Sanguis decorâ confidentiâ deleret? Proclus Episcopus in Concil. Ephes. absque dubio huc respiciens: *Per Adamum*, inquit, ***omnes peccato quasi chirographum dederamus: omnésque Diabolus in seruitutem redegerat: etenim corpore nostro permultis pathematis subiecto, velut charta vsus, nostra venditionis pretia ostentabat: passionúmque debitum malignus ille falsarius minitabundus ob oculos nobis ponebat; ac nos vniuersos ad supplicium, condemnationémque deposcebat.*** Quot pathemata audis, tot litteras tanto Sanguine intellige obliterandas: quot ab origine sentis rebelles affectus, tot characteribus chirographum seruitutis scripsisti.

Seruitutis huius chirographum solo diuino sanguine delendum.

Mirum est id etiam, qua parte data lux, Ethnicis notum: vt quot vitia numerabant, tot seruitutis titulos erectos indicarent. Persius Sat. 5. 177.

Te nihil impellit? nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod neruos agitet? sed si intùs, & in iecore ægro
Nascantur domini: qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis.

Originis seruitus etiam Ethnicis nota.

In ægro iecore, infecta ab origine viscera, malesanos appetitus, vt potuit, declarauit. Seneca causar. nat. lib. 3. *Liber est, qui seruitutem effugit sui:*

sui: hæc est assidua seruitus, & ineluctabilis, & per diem, ac noctem æqualiter premens, sine interuallo, sine commeatu: sibi seruire grauissima seruitus est. A naturâ corruptâ indita, ineluctabilis, nisi potentiori gratiâ liberetur. Et iterum de vita beata cap. 5. *Vides, quam malam, & noxtam seruitutem seruiturus sit, quem voluptates & dolores, incertissima dominæ, impotentissimaq; alternis possidebunt?* Benè Claud. in 4. Conſ. Honor.

Tu licèt extremos late dominere per Indos
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, si praua cupis, si duceris irâ;
Seruitij patiere iugum: tolerabis iniquas
Interius leges.

Seneca iterum epist. 47. de illis, quibus per vitia seruitur. *Alius libidini, alius auaritiæ, omnes timori. Dabo Consularem aniculæ seruientem: dabo ancillulæ diuitem. Ostendam nobilissimos iuuenes mancipia Pantomimorum. Nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria.* O si hæc sæcula, & corruptissima nostratum mores videret Seneca? Notum illud ex lib. 1. Apophthegm. *Cuidam, qui se dicebat admirari, quod Agesilaus cum cæteris Lacedæmoniis, tam frugali cibo, vestitúque vteretur: Atqui, inquit, ô hospes, pro hac frugalitate optimam messem metimus, libertatem. Sapienter admonens, nullam esse voluptatem viris ingenuis suauiorem libertate; nec ibi diu libertatem esse posse, vbi regnat luxus.* Sed iterum ad seruitutis nostræ chirographum redeamus.

178. Mirabar aliquando, cur Christus Dominus, qui iam iam assumendus in Regem, vt dignitatis honores declinaret, legitur Ioan. 6. n. 15. aufugisse; permitteret, vt morienti nobilissimus, & regalissimus titulus apponeretur ille: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum?* Cur enim honoris despector, humilitatis magister, tam præclaram decori tituli maiestatem non auertat? Nunquid poterat ambitionem moriens protestari, qui euertendæ ambitioni moriebatur? Apage blasphemiam. Sed erat ibi chirographum illud nostrum inuisibiliter affixum, vt deleretur: & vt erat cautio legitima, qua iustissime sibi traditos homines in seruitutem, Dæmon ostentabat; voluit scriptâ pariter visibili cautione, quasi meliori iure exhibito, cautionis illius priscæ ius abolitum. Quid enim non cederet Dæmon, si Regem supremum, cui, ministro Pilato, titulum affigebat; Iesum, siue Saluatorem, Diuinitate floridum, floribus immortalibus Nazarenum testabatur? Fauet D. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 29. post multa: *Habebat Diabolus aduersus naturam nostram chirographum, & priscam Dei sententiam, quæ aduersus primum hominem iustissimè fuit prolata: in quo genus vniuersaliter nostrum condemnatum fuit. Hoc igitur aduersus genus nostrum chirographum, titulo in Cruce confixo, deleuit Iesus Saluator. Liquidò nanque hic titulus mortem in ligno suam significauit, quam pro condemnatorum vita passus est.* Quàm radicata seruitus, quæ solùm patientis Dei exhibitâ cautione eradicanda!

Crucis titulus quid denotaret.

179. Mirabar etiam, cur, cùm omnia sibi atrocissima parari Christus permitteret, cùm in Regem spinis coronaretur; non etiam ad dolorem intensiorem, spinarum fasciculo vteretur; aut ad ridiculi dedecoris opprobrium ligno viliori: sed *arundinem in dextera*, Matth. 27. n. 29. solummodo gestaret: Quid in arũdine salubrius ad mysterium redemptionis; dignius ad potestatis excellentiam? Nemo nescit, fuisse olim arundinem, & calamum, inscriptorium instrumentum, sicut hodie pennâ vtimur scribendo: ideò Ausonius de Principe poëmata scribente:

Arundinem cur gestaret Christus.

Et commutata meditatur arundine versus.

Chirographum ergo suum contra nos, visus Dæmon arundine conscripsisse. Tollit ergo arundinem Christus, instrumentum illi eripit, ne deinceps priscæ seruitutis falsarius notas scribat. D. Athanas. lib. de Cruce Dom. *Cùm chirographum nactus inimicus noster omnes inuaderet, & tyrannidem in omnes exerceret, vt in subiectos sibi; ea de causa, cum eum omnibus spoliasset Dominus, calamum etiam accepit, vt victoriam ostentaret. Gestabat ergo chirographum in calamo: quo instrumento iam olim nos Diabolus ari suo, rationibúsque inscriptos habebat: vt vnà cum morte etiam ista demoliretur, &c. Videt sceleratus ille, se ab illis omnibus spoliari, &c. amisisséque chirographum, & calamum, quo nos in sua cautione descripserat.* Sed de misera peccatricis originis seruitute, pleni vbique Patres. Veniamus ad aliorum peccatorum seruitutes, vnde etiam origo mancipata vlteriùs declaratur.

Vbi peccauit Eua, audit à Deo: *Sub viri potestate eris: & ipse dominabitur tui.* Genes. 3. n. 26. Nihil pœnarum æternus Iudex Euæ irrogauit, vt alibi ex Patribus ostẽdam, quod suauissima permixtum misericordia non foret: ideò dum *ærumnas* multiplicat, multiplicat & *conceptus*: vt saltem sit fœcunda in partu, quæ sterilis fuerat in virtute. Ideò, dum eius partus doloribus adscribuntur, audit & filios, vt in horâ suæ pressuræ exhilaretur de homine nasciturо. Sic piissimus Dominus (vt alibi ex Leontio dicam) indignatione totius humanitatis specimen referente, matrem mundi eligit iratus, additionem successionis promittit dolens, cadentem adducit in progressus. Quis ergo non addubitet, cur ita mariti dominio misella submittatur, vt nihil in grauissimâ timidi sexus pœna, pietatis cernatur splendere? Sed miscetur quidem beneficium, & illud maximum. Vix peccarat infausta, cùm tota in Dæmonis transierat potestatem, infernæ seruituti subiecta penitùs. Quid ergo maius poterat accipere, quàm à Dæmonis seruitute liberari, vt in liberam quandam mariti transiret seruitutem? D. Leont. in Bib. Phot. cod. 272. *Ipse*, inquit, *dominabitur tui. Habe virum dominum, & non serpentem: inde ad meliorem vitam conuersa, vnde sumpta principium habuisti.* Quia tamen infausto fato sic addictum seruituti delictum, vt vix ab illo eripi posse videatur; adhuc in seruitutem viri transeat necesse est: vt doleat sibi dominum paratum, quem sibi vitæ socium compararat. Philo Iud. in lib. de opif. mundi, ad hunc locum: *Quominus*, inquit, *libertate frueretur, vitæ socium agnoscens pro domino, cuius mandata exequi necesse habeat.* 180.

Misera peccatoris seruitus.

Vxor mariti seruitio benignè mancipata.

Est ergo humana etiam seruitus per culpam introducta: vt, dum corpus visibile inde cernis domino visibili miserè mancipatum; miseriùs inuisibilem animam inuisibili tyranno deplores traditam in ancillam. Conditurus Deus Adamum, & creaturarum Principem hominem editurus, iam illi destinat terminos imperij: *Præsit*, inquit, *piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq;* 181.

Culpa etiam humanam seruitutem induxit.

vniuersaq́; terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Genes.1.n.26. Sed,quot posteris erat Adamus imperaturus? Certè innumeris, qui semper protoplastum coluerunt: imò è posteris suis, quot erant in Reges,& in aliorum dominos educendi, vix posses numerare. Cur ergo non etiam in aliorum hominum dominium dicitur creatus homo,si aliorum imperium erat sortiturus? Quia ex se Deus de hominibus in natura integra producendis sermonem instituerat; in hac verò locum seruitus non haberet, quæ solùm ingrediente peccato obrepsit pariter. August. de ciuit.lib. 19.cap. 14.post alia ad hanc rem: *Ita*, inquit, *Deus hominem condidit. Dominetur, inquit, piscium maris, & volatilium cæli, & omnium reptilium. Rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti pastores pecorum magis, quàm Reges hominum constituti sunt: vt etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum; & quid exigat meritum peccatorum: conditio quippe seruitutis, iure intelligitur imposita peccatori.* Et benè, *iure*: vt qui sunt Deo iniurij, infamem iure notam sortiantur.

182. *Reges improbi, cur malè moratos cupiant clientes.* Hinc poterant, neque absque rubore, imò debebant, cessare iam querelæ,quas contra Christianos Principes fundunt clientes: quòd iniquis gabellis, quòd tributis immodicis, quòd non iam liberâ politiâ, sed miserâ seruitute aggrauentur. Quis enim iure queratur,quòd Princeps iure suo vtatur absque iniuria? Aut, quam inferat dominus iniuriam, si cuncta seruorum bona sibi exigat? Aspice nunc, si tot obortis lacrymis potueris, Respublicas Christianas; & quot vitiorum sordibus videris immersas, tot seruitutis titulis fateberis obnoxias. Ah quid vltrà plorent tempora, si mores priscos miseræ deplorarunt! Iure à Deo his ministris traduntur clientes,à quibus seruorum instar compilantur, qui per culpam se seruos protestantur. Illud quidem fuerit Principis catholici, populi sui vitiis non applaudere, culpas non dissimulare: ne in suspicionem incidat tyrannidis affectatæ: quasi nocentes cupiat populos, vt semper seruis valeat dominari. Hinc gnome optima Plinij Panegyristæ Traianum commendantis, quòd gentis suæ virtutibus studeret: *Et priores*, inquit, *quidem Principes, excepto patre tuo*, &c. *vitiis potiùs ciuium, quàm virtutibus lætabantur: primùm, quòd in alio sua quemque natura delectat: deinde, quòd patientiores seruitutis arbitrabantur, quos non deceret esse, nisi seruos.* Et quidni deceat hos tales, quamuis auitam nobilitatem iactent, in vnius externi Principis seruitutem destinari: si tot internos sibi dominos,quot vitia constituerunt? D.Prosper Aquit.lib.car.epig.43.

Solus peccator seruit,malè qui licèt amplo
Vtatur regno, fat miser est famulus,
Cùm mens carnali nimiùm dominata tyranno,
Tot seruit sceptris subdita, quot vitiis.

Sed de hac re, déque debitâ Principum in exigendis tributis parsimoniâ, etiam ab his seruis, (quorum Deus pœnam permittit, sed dominorum culpam non admittit) in Politicis nostris, si vita, iam nunc ægra, durat, fusiùs differemus. Redeo.

183. Inde est, vt cùm tot seruilia opera ante diluuium,aut in vrbibus, aut in arca condenda exercerentur; imò cùm in tot bellis mancipia necessariò caperentur, nusquam seruitutis vocabulum exprimatur: ne fortè in his rebus prolatum, naturæ videretur esse seruitus,& non culpæ:quod vsum, & quodammodo possessionem solùm in re vitiorum comparaturum decenter, nec temerè antea proferendum videbatur. Imò & post diluuium non priùs seruitutem legis, quàm Chanaan audias maledictum: *Maledictus Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis.* Genes.9.n.25. Vt in primo peccato, quod post naturam reparatam per arcam, Ecclesiæ figuram, legitur,tanquàm in legitimo iure, seruitutis conditio fundaretur. Et cur ita? Ne seruitus aliunde in naturam putaretur intratura,nisi infamis ostiaria culpa portam aperiret. D. August. suprà citatus: *Nusquam*, inquit, *Scripturarum legimus seruum, antequàm hoc vocabulo Noë iustus, peccatum filij vindicaret dicens: Maledictus Chanaan, seruus,* &c. *Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* Tam enim iniqua basi, ne iniquus esset, titulus erat miserrimus erigendus. *Seruì nomen quando priùs prolatum.*

Dolenti Esaü præreptam sibi à Iacob benedictionem, & aliam sibi dandam suspiranti, inter faustas alias acclamationes, sic benedicturus dicit pater: *Viues in gladiò; & fratri tuo seruies: tempúsque veniet, cum excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.*Genes.27.n.40.Dubitarunt aliqui, cur, si fausta precatur, felicia annunciet; immisceat seruitutem? Et aptè respondent ex Philone, nihil felicius insipienti, & scelerato homini posse euenire, quàm si sancto Iacob, viuo Dei typo, seruire diceretur. Res hucusque plana. Sed ecce nunc exsurgunt salebræ non vulgares. Si tam faustum erat misero Esaü, vt pio fratri, Dei loco, deseruiret, idque illi inter præcipuas benedictionis prærogatiuas irrogatur;cur tanquàm benedictionis additamentum, excutiendum hoc iugum declaratur? Si excussio felicior, infelix certè fuerat subiugatio: si faustum iugum, frustrà eius solutio ponitur in optatis. Quid ergo? Attende. Ly,*eius*, non iugum à Iacobo feliciter imponendum denotat; sed iugum ab altero, infeliciter impositum Esaü misero: quo durante, non poterat iste iugum fratris sanctissimum portare: quasi dicat Isaac. Seruies fratri tuo; sed non modò: tunc enim seruies feliciter, quando tempus venerit, in quo excutias iugum *eius*; eius, nimirum, tyranni, cuius modò per culpam vincula geris, compedibus illaquearis. Nunc capies Philonem lib. 2. Allegor. *Inter faustas precationes pater sic tibi dicit: Fratri tuo seruies. Sed non nunc; non enim ferret te habenas detrectantem: sed, vbi solueris iugum à ceruice tua; nimirum, abiectis illis elatis spiritibus, quos sumpsisti, postquàm te ipsum subiugasti affectuum vehiculo, aurigante insipientiâ. Nunc quidem seruus es molestorum herorum, & intolerabilium, qui non solent quenquam manumittere: quòd si fugitiuus eos deserueris, excipiet te amator seruorum dominus, cum certa spe futuræ libertatis.* Nulla durior seruitus, quàm illa, à quâ, ni felix fugis, manumissionem desperes, necesse est. 184. *Seruire Deo, vel ob Deum, quàm decorum.* *Seruire Sanctis gloriosum.*

185. *Voluntaria seruitus infamis,& asperè punita.* Et tamen (nam benè dixerat Seneca, nullam esse seruitutem peiorem voluntariâ) sunt aliqui, qui sic seruitutis amoribus indulgent, vt datâ fugiendi occasione,imò oblatâ sibi vltrò libertate, malunt

malunt in seruitute permanere: de quo Exod. 21. n. 4. Audi tamen, quid illi fieri præcipiatur, qui sibi concessam respuit libertatem à domino: *Perforabit autem eius subulâ: & erit ei seruus in sæculum.* Sed, cur vulneretur miser seruus à domino, tanquàm fugitiuus; qui isti vltrò, iam non debitam præbet seruitutem? Imò propterea. Aptè Oleaster ibi: *Quanti*, inquit, *facienda sit libertas, optimè docet locus iste: & quas pœnas subire debeat, qui ea non vtitur, cùm possit. Docet etiam eos puniendos, qui dedecus seruitutis non sentiunt; neque curant, vt sentiant.* Typica erant ista, & in mysterium prolata, de quo passim Patres: vt discas, quàm nouis pœnis in seruitute Dæmonis sis torquendus, cùm vocanti gratiæ resistens, lubens, & effrons, in tanti dedecoris opprobrio hilaris perseueras.

186. Sed parum erat miseris oblatam sibi libertatem spernere, in iugo permanere: etiam, quod pessimum est, pretij impendio iugum emunt. Ideò ille alius diuinæ cœnæ respuens splendorem, lautitiem fastidiens, excusabat se falsus: *Iuga boum emi quinque.* Luc. 14. n. 19. Vbi mihi attende, dum se miser, & emptor dæmoniacæ mancipat seruituti; non tam iugum, quàm *iuga* comparasse. Cur enim, si vnus est dominus Infernus tyrannus, vno tantummodo iugo non sit contentus? aut, quorsum plura simul iniicere allaboret? Videlicet, vt, dum diuersa iuga trahunt in diuersa, miser subiugalis sub asperrima seruitute diriùs discrucietur; & in contraria vitiorum subiugantium distortus impulsu, laceretur sæuiùs. D. Bernard. in Ser. *Ecce nos.* ad hunc locum, post multa: *Erit*, inquit, *inuenire, non modò quinque; sed plusquam quinquagintaquinque; non modò iumentorum iuga, sed Dæmonum. Contendunt ambitio, & elatio cordis: altera nidum, altera foueam parat: volare altera iubet, repere monet altera; cùm neutrum profectò sit hominis. Quis enim es tu? ait hæc: quis verò ille, vel ille est, aut quæ domus patris eorum, vt eis in aliquo cedas, vt reuerearis eos, vt aliquatenus eis blandiaris? At bonus sermo, bonum inuenit locum, ait ambitio; & interdum quoque, qui prodesse non potest, potest obesse: vnde dissimula.* Et qualis interim miser subiugalis distorquebitur, dum in tam diuersa trahitur? Dum hinc rapitur vanis plumis ad nidum; inde fictâ humilitate deprimitur in foueam? Dum iam, quia elatus, alatus volat: iam quia ambitiosus, repens deuoluitur?

Seruitutem emit peccator, & torquendus.

187. Vt verò elationem nunc præteream, ambitionis hypocritissantes mores pendo adhuc. Dicebat Christus: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Matth. 6. n. 16. Si quæras, quid quærerent hypocritæ; nihil aliud inuenies, quàm humanis oculis placere. At vide miseriam delusorum: oculi tantummodo pulchro obiecto delectantur: dum ergo miseri exterminantes faciem, illuuie, macie, & pallore concepto pulchritudinem demoliuntur; frustrà placere oculis moliantur. Deinde, alienos sibi oculos cupiunt deseruire: & tamen oculis priùs, imò & semper, nunquam compotes voti laboriosâ industriâ deseruiunt. Nunc clarebit Chrysol. ibi Serm. 7. *Hypocrisis*, inquit, *dum vult captiuare oculos, oculis fit ipsa captiua. Exterminant faciem suam: & si facies exterminantur, ornamentum corporis quod manebit?* Ideò Boëtius lib. 3. de Consol.

Ambitionis seruitus.

Qui se volet esse potentem,
Animos domet ille feroces;
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.

Et iterum lib. 4. met. 2. de impio vitiis subiecto:

Iam videbit intùs arctas
Dominos ferre catenas.

Et adhuc alibi, sed solutus: *Extrema*, inquit, *seruitus est, cùm anima vitiis dedita, rationis propriæ possessione ceciderint.* Cadunt miseræ possessione sui, vt sæuo aliorum dominio possideantur.

Imò, quod peius est, à dominio Dei videntur quoad curam amoueri; persistere quoad tormentum. Vix in fœdissimam idololatriam prolapsus fuerat populus; cùm ad Moysem Deus: *Vade*, inquit, *descende: peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Exod. 37. n. 7. At, nónne magis populus iste Domini, quàm Moysis? Nónne Deus in brachio forti, in dextera excelsa illum eduxerat? Respondet ibi Oleaster: *Hoc malum peccatum afferre solet: vt peccator non sit Dei ad beneficia; sit tamen eius ad supplicium.* Vt dum manet tantummodo seruus pœnæ; crudeli tyranno, & torturo carnifici tradatur tandem: dúmque viuit infaustus, in libero corpore captiuam animam gerere cernatur. Grauiter Saluianus lib. 6. de Prouid. de vitiis Carthaginis inter bellorum pressuras: *Quis æstimare hoc malum possit? Circumsonabant armis muros Carthaginis, populi barbarorum: & Ecclesia Carthaginensis insaniebat in circis, luxuriabat in theatris. Alij foris iugulabantur: alij intùs fornicabantur. Pars plebis erat foris captiua hominum: pars intus captiua vitiorum. Cuius peior fuerit captiuitas, incertum est: illi quidem erant extrinsecùs carne; sed isti intus mente captiui: & ex duobus lethalibus malis, vt reor, leuius est captiuitatem corporis, quàm captiuitatem animæ sustinere.* An simile quid in nostro æuo, & gente nostrâ accidat, alius inferat. Ego pergo. 188.

Peccator seruus Dei dicitur; sed solùm ad pœnam.

Clarebunt ex dictis monita Salomonis, quæ aliàs minùs alicui necessaria viderentur: *Ne des alienis honorem tuum: & annos tuos crudeli.* Prouerb. 5. n. 9. Quis enim ita socors, vt non extortus, sed lubens, honorem suum sibi ereptum prodigeret in extraneos; & annos sibi impendendos ingratissimæ aliorum crudelitati dedicaret: quò monitis egeat, ne fecerit id, quod etiam admotis flagellis facere recusaret? Sed grauissimè ibi Beda: *Ne honorem*, inquit, *quo ad imaginem Dei creatus es, immundorum Spirituum voluntatibus subdas; neque accepta viuendi spatia, ad libitum aduersarij immitis expendas: cuicunque enim sceleri quisque subiicitur; in hoc profectò dominatui malignorum Spirituum mancipatur.* Quàm ergo multiplex turba infaustæ seruituti se dedentium, tam necessaria Salomonis admonitio. Claudant nobis hanc paginam ponderosa admodum verba D. Cæsarij Arelat. hom. 4. vt habentur tomo 2. Biblioth. post multa de Ægyptia seruitute: *Hæc itaque seruitus, quod peius est, non illius tantùm temporis fuit; sed etiam nunc animas negligentium, & infidelium multò periculosius, nexibus blanda captiuitatis inuoluit: à quo enim quis vincitur, sicut Apostolus testatur, eius seruus est. Iste obtemperat iniustitiæ, ille iræ: iste superbiæ, ille sæuitiæ: iste malitiæ, ille iracundiæ: iste auaritiæ, ille luxuriæ. Nescio,* 189.

Dira seruitus apud Dæmonem.

Nescio, quomodo se inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot domini in partes suas distrahunt. Quid prodest, quòd liber est natura, qui seruus est conscientia? Videmus nos extrinsecus generis claritate sublimes; & intrinsecùs mentis infirmitate degeneres: innocentum dominos; & criminum seruos. Iam melior est vernaculorum ratio, quos originis videtur inclinasse conditio. Habetis, boni famuli, vestram consolationem: pro libertate complectimini honestam seruitutem. dum, scilicet, domini seruituti vitiosissimæ subduntur.

Hæc dicta sunto, (pauca illa, si copiosissimæ materiæ comparentur,) ne temere Mariam Dæmonis, & culpæ dixerim ancillam: si, vt idonea foret Mater, non præseruaretur.

§. IX.

Deipara, dum se fatetur ancillam, illustre sibi originalis ingenuitatis erigit trophæum.

190. NVM tantummodo contra prædictam libertatem Mariæ opponi posse videtur: nimirum, quòd, cùm iusti se Dei seruos fateantur, quòd meritis Christi à diabolica seruitute redempti, nouo alio titulo,(præterquàm prisco illo creationis)in seruitutem Domini deuenirent: de quo plena Scriptura, pleni Patres: veniat etiam inferendum, Mariam simile iugum Dæmonis subiisse, quæ Luc. 1. n. 38. & iterum n. 48. se, qua decebat humilitate, ancillam appellauit: neque enim proprie ancilla foret, nisi pretio dato emeretur: neque emi potuit, si semper libera, & nunquam captiua culpæ intelligatur. Hæc tamen obiectio, inde totum, si quod habet, robur comparat, quòd putat, non posse dari redemptionem propriam alicuius rei, nisi priùs captiua intelligatur: quod esse falsissimum, fusè in toto alio articulo, Deo auspice, demonstrabo: vbi de debito tantùm, & illo remotissimo, seruitutis, imò de nullo debito, formale, & speciosius redemptionis præseruatiuæ genus fusissimè declarandum. Nunc ad rem præsentem illud tantummodo adnoto, nunquam Mariam clariores libertatis suæ titulos, nunquam illustrius ingenuitatis originalis trophæum erexisse, quàm dum se ancillam Domini ingenuè, & confidenter profitetur.

Maria dum se fatetur ancillam, magis est libera.

Luc. 1.

191. Assertum verò, ex duplici capite, sic deduco. Primò: quia iusti, quò sanctiores sunt, & vberiori gratia perfusi, eò diuiniori quadam ambitione, ambitiosiori obsequij conatu sibi Dominicæ seruitutis titulum affectant; quasi pretiosiori munere, & excellentiori redemptionis priuilegio comparati. Cùm ergo Maria omnium & dignior merito, & sancta ambitione auidior, sub infinita propemodum Matris prærogatiuâ, seruitutis huius titulum amplectatur; manifestè declarauit, se excellentiori quodam modo redemptionis emptam, & comparatam, præseruatiuæ, nimirum: vsitata enim redemptio licèt in Maria longè ab aliorum excelleret redemptione; non tamen tanta intercapedine seiungitur, vt possit comparari intercapedini, quæ inter ancillam Matrem Dei, & inter seruos eiusdem familiares inuenitur. Secundò: quia in hac ipsa confidentia, qua nomen ancillæ vsurpat, seruilia exercet; putauit Maria, & merito, hominibus declaratum, nihil ipsam dæmoniaci ancillatus subiisse: si enim videmus eos, qui serui aliquando fuere, post vsurpatam libertatem, nihil amplius seruile pati sustinere; ne sibi præiudicare videantur: cur non putemus, Deiparam nihil vnquam seruile sustinuisse; quæ confidenter seruilia exercet, ancillæ nomen identidem vsurpat; nec inde sibi putat præiudicari? Incipiamus ab hoc secundo breuiter, vt in primo deinde, (quod magis huius est loci) fusiùs differamus.

Seruitutem Dei ambitiosi affectant iusti.

Seruitus Dei confidenter profertur: quia nihil seruile sustinet.

191. Contendebat Paulus probare Philippensibus æqualem Patri Filium: vnde dicebat: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* cap. 2. n. 5. Sed, quò tendis, dicat aliquis, Apostole sancte? Si *formam serui* dicis accepisse, quasi inde primæuum eius dominium confirmes: atqui eo ipso contendit impius Arrius, & sequaces sacrilegi, Filium inter seruos, & creaturas Patris computandum, quòd formam serui hominis subiuit: aboleatur ergo seruitutis hinc nomen, ne raptus Diuinitatis titulus, & non proprius intelligatur. Imò, inquiunt hîc Doctores cum Chrysostomo, vt nemo nescit, non aliunde magis propriam, neque raptam Diuinitatem suam probauit Christus, quàm quòd tam confidenter seruilia amplecteretur: sicut tyrannus non temere vnquam purpuram, & insignia regia deponit, quia raptum habet principatum; quod quidem Rex legitimus ingenti cum fiducia facere non erubescit. Et cur ita? Debentur mihi in re nota pulchra verba Theodoti Ancyrani in festo Euangelistæ, quæ habentur in Actis Cōcil. Ephes. vbi de Christo ita: *Efficitur conseruus, vt dominum suum olim declararet. Hinc magnus ille Paulus: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Ecquid est hoc, quod hoc loco dicitur? Sanè, qui per rapinam libertate potitur, nihil seruile pati sustinet, ne vsurpatæ libertati aliquod præiudicium generet.* Libera semper sanè fuit Deipara, quæ vel à nomine, vel à munere accepto seruitutis confidenter, nullum ingenuitati suæ putauit præiudicium generandum.

Christus cur confidenter seruus appelletur.

Philip. 2.

Theod. Ancyr.

193. Instituebat suos Christus ad humilitatem, & mutua obsequia, subdens post alia: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Matth. 20. num. 28. Meritò quidem humillimos discipulos, ad tantam euehendos dignitatem cupiebat. Sed, si nouerat abiecti spiritûs piscatores, indolis vilioris; cur etiam pariter, non illis aliquid præbet excellentiæ, aliquid gloriosi stemmatis, quo animi deiecti erigerentur, quò vilitas innata animaretur, vt posteà cum fiducia tanquàm gloriosi Principes Ecclesiæ imperarent? Non id præteriuit Christus: quia, dum Discipulis suis ipse seruit, necessariò Discipulos ad imperandi meritum erigebat: qui in illa diuina seruitute clariorem Diuinitatis occultæ radium agnoscentes, non poterant non animari regaliter ad regimen, & imperium Ecclesiæ, dum sibi diuinum seruitium impensum agnoscebant: imò & ad inuicem seruiendum animabantur generosiùs,

Vnde à Christo seruimur, inde animamur ad regnum.

Matth. 20.

quia

quia ex ipso Domino discebant, nunquam auariùs, id est, vigilantiùs internam libertatem custodiri, quàm dum externa seruitus non erubescitur. Ad hæc & similia Christi verba alludebat D. Paulinus epist. 3. ad amicum, loquens de viro sanctissimo Victore: *Homo*, inquit, *verè vt scripsisti, Dei, humilis corde, non humilis gratia: vas misericordiæ, & mansio Altissimi, quem recipit, & oblectat placido animæ trementis hospitio*, &c. *Ipse quotidie non solùm pedes meos lauare; sed & calceamenta, si paterer, tergere cupiebat: auarus seruitutis internæ, & idcircò corporeæ seruitutis impiger.* Tunc, paulò pòst de Christo sic subdit: *Bonus Dominus, & salutarium Magister, seruiendi ministerio, dominandi meritum conferebat: & humilitatis humanæ præbebat exemplum, quibus diuinæ sublimitatis parabat consortium.* Quasi nunquam clarior diuinæ sublimitatis parator, id est, Deus, quàm dum humilis seruitutis præbens exemplum, ipse seruiendi ministerio non solùm dominus, sed & dominationis collator probabatur. Quò impigrior Maria ad ancillare munus, eò sedulior internam libertatem contestatur.

D. Paulin.

194. In seruorum suorum vigilum, & succinctorum præmium, se etiam in ministrantis serui habitum accingit Deus: *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Luc. 12. n. 37. Sed, cur se in habitum seruitutis deiiciat Dominus; cùm in ipso Diuinitatis habitu si ministraret, longè decoriùs honorare suos videretur? Quia, si seruorum decor erat habere Deum ministrantem; nusquam Dominus se Deum clariùs exhibebat, quàm dum se sub seruili habitu summa cum fiducia occultabat. Nunc capies Chrysol. (alibi fusiùs ponderandum in re alia) ad hunc locum Ser. 24. *En mutatio inaudita rerum; en terribilis correptio dominationis; en pauenda conuersio seruitutis: quia parumper seruus adstitit in Domini sui expectatione succinctus, & sustinendi fidem breui fatigatione portauit; cui vt talionem redderet, dissimulat se, in ipsa Diuinitate, Diuinitas.* Equidem in habitu accincto, id est, seruili dissimulabat se Deus: sed sic illa seruitus, de libera confidentia, meram, & ipsissimam Diuinitatem reuelabat: vt in ipsa Diuinitate, id est, in ipso magis proprio Diuinitatis actu, dissimulari Diuinitatem, dixerit Chrysologus. Dissimulat se quidem Deus, dum sibi seruitutis habitum videtur obducere: sed tunc magis Deus apparet, cùm confidenter cernitur seruire: vt in seruili Diuinitate occultanti, clarior occultata Diuinitas splendescat. Occultet se sub seruilibus Maria: nunquam manifestior libera apparebit.

Deus tum magis talis, cùm sub humilitate dissimulatur.

Luc. 12.

Chrysol.

195. Tale est illud Statij Sylu. 4. de Imperatore suo in epulo cum clientibus familiariter discumbente: inque ipsâ facilitate, & penè conseruili habitu, maiestatis insignia dulciùs propalante:

Rex etiã sub facili comitate agnoscitur dissimulatus.

Statius.

Tantum spectare vacauit
Tranquillum vultu; sed maiestate serena
Mulcentem radios, submittentémque modestè
Fortunæ vexilla suæ: tamen ore nitebat
Dissimulatus honos: talem quoque barbarus hostis
Posset, & ignotæ conspectum agnoscere gentes.

Ipse infernus hostis, ipsæ Tartareæ gentes, nunquam Deum faciliùs recognoscerent, quàm si de effusa charitate in habitu seruili intuerentur: sicut nunquam magis dignam eius Matrem obstupuerunt, quàm dum de humilitate, ancillam fuerunt demirati. Et quidni in tanto libertatis splendore, ambitum sanctæ seruitutis, & nomen, & munus perhorrescant, si, vt fatentur Patres, ideò ad Matris dignationem assumitur; quia dignitatem suam sub humili ancillæ titulo supprimebat? Quid noceat Mariæ titulus ancillæ erga Deum, & seruitutis munus erga proximos; si pio seruitutis officio fungitur adhuc Deus in cælestibus? Benè Chrysol. citatus: *Discumbenti homini Deus adstat, & adstat in cælestibus epulanti seruo: seruit Dominus, & seruit accinctus: pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus, & facit in Patris iam gloria constitutus.*

Chrysol.

Veniamus iam ad secundum caput, quod primo loco n. 191. proposueramus, de sancta ambitione, qua iustiores diuinæ seruitutis titulum affectant, quasi vberioribus gratiæ prærogatiuis à Domino redempti, impensiùs ad illius seruitium se nouerint obligatos: vt inde longè melior, id est, præseruatiua Mariana redemptio intelligatur; quæ quò digniùs seruiuit, eò se iustiùs ancillam nominabat. Planè diuina ista seruitus nobilissima; ideò tantò nobilior, quantò strictior; tantò strictior, quantò prærogatiuis accepti pretij maioribus effulget. Quando Abraham immolandi filij sanguine, districtæ fidei gladio, spem suam, quam viuam reseruabat, visus cruentasse: *Extendit*, inquit Textus, *manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Genes. 22. n. 10. Admiretur alius factum: ego facientis tenorem nunc demiror. Quòd tantam rem aggrediatur, magnum est: sed, quid iustus faceret, si imperium absque peccato non poterat præterire? Illud ergo maximum, quòd siccis oculis, amoto dolore, corde hilari, vultu sereno opus aggrediatur. Et cur non paululùm indulgeat naturæ, dum gratiæ non repugnat? Instituerat quodammodo prælium in pectore Abrahamico paternæ pietatis, & diuinæ seruitutis affectus: quantò ille procederet indulgentior, tantò iste fragilior appareret: & qui seruili erga Deum affectui non solùm triumphum reportandum, sed illum speciosissimum, destinabat, nihil paterno affectui voluit adblandiri: obliuiscitur filium, vt Dominum promereatur: patrem deponit tenerum, vt fideliorem seruum se exhibeat: filio ipse dederat naturam, à Domino gratiam acceperat: grandius, & meritò, hoc putabat, vt serui titulum, paternis omnibus titulis anteponeret. D. Zeno Veron. in Bib. vet. Pet. Ser. 1. de Abrahamo: *O pater, spiritum captãs; corpus verò, mortémque contemnens! O qui se seruum Domini ita esse meminerat, vt patrem se esse nesciret! Quid est, pater? Ecce sub oculis iacet filius vinculis adstrictus: vbi sunt lacrymæ? vbi dolor, qui in humanis sensibus versari consueuit? In tantis filij casibus versatur, & gaudet; & se Dominum promeruisse triumphat.* Probat itaque Abraham eximiam suam erga Deum seruitutem; quam vt asserat, filio non pepercit. Vide iam, quantò excellentiorem seruitutem probauerit Maria, quæ (quod nemo nescit ex Bernardo) stans iuxta Crucem animo constantissimo Filium Patri pro nobis offerebat; & Sacerdos innocentissima immolabat; ne vel minimo nutu à Domini voluntate ancilla discreparet. Tunc ex dictis infer, quantò de perfectiori redemptione se à Domino emptam, & melioribus titulis, potiorique iure obligatam existimarit. 196.

Seruire Deo, summa est gloria.

Genes. 22.

D. Zeno Ver.

197. Sed parum est, quòd tanti faciat Abraham Dominicam seruitutem: rarius est, quòd illius vxori (quia sancta) seruire, multi fieret, & cuiuis regio honori præponeretur. Dolebat Sara, non tam ambitione fœminea, quàm dicandæ Deo sobolis desiderio, sterilitatem; tunc sic ad maritum: *Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios. Cúmque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam*, &c. *& dedit eam viro suo uxorem*. Genes. 16. n. 2. Sed, cur, si secundas nuptias de sancto prolis zelo marito procurabat; non liberam illi vxorem quæsiuit; sed ancillam tradidit? Quia, licet ancilla, & per nuptias liberanda: & aliunde, nulla facilè nobilior reperiretur: erat enim nobilissimi Regis filia Agar, & originis splendidissimæ. Et vnde, inquis, priuatæ fœminæ ancilla tanta, cui potiùs Sara famulatura videbatur? Respondet ibi Lyranus: *Ista Agar, vt dicunt Hebræi, filia fuit Regis Ægypti: vna enim de vxoribus Pharaonis videns sanctitatem Saræ, cùm esset in domo Regis; & quomodo Pharao, & domus eius, fuerat flagellatus à Domino propter ipsam: dixit in corde suo, quòd melius esset filia sua Agar, si seruiret Sarai, tanquàm ancilla, quam si remaneret in magno honore in domo paterna: & ideò tradidit eã Sarai, tanquàm ancillã eius. Nec istud est absonum.* Quasi non ita Agar liberâ, & regiâ origine, quàm sanctę seruitutis titulo splenderet. Libera quidem à Dæmonis seruitute, & purissimæ originis fuit Maria: quia tamen hanc libertatem à Domino præseruante comparauit; mauult sanctæ seruitutis titulo decorari, quàm originis prærogatiuam protestari?

Seruire Sancta quàm gloriosum.

Genes. 16.

Lyran.

198. Et benè propterea in *vxorem* sanctissimo iam datur Patriarchæ: vt, quæ splendores tot alios fuerat oblita, quò se sanctitatis ancillam testaretur; eo ipso ab ancilla in sponsam præ cæteris omnibus fœminis electa foret. Benè iterum Lyranus: *Ancillam suam, vxorem tradere volebat; quæ etiam ancilla sibi ex deuotione tradita fuerat, vt prædictum est: & ideò in hoc volebat eam honorare, præ aliis mulieribus.* Pulchriùs ergo Maria humilis, & se ancillam agnoscens; ab ancilla extollitur in Sponsam. Ideò Bernard. homil. 1. super Missus est: *Vt de Spiritu Sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potiùs quàm virginitatem: & si placuit ex virginitate; tamen ex humilitate concepit.* Vt quantò excellentius donum sacri sponsalis, tantò decorior Mariæ ancillatus intelligatur; & proinde redemptio in ipsa origine pretiosior.

In Maria Annunciatione.

Lyran.

199. Instituebat Paulus Romanos suos dicens: *Gratias autem Deo, quòd fuistis serui peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis: liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* cap. 6. n. 17. At, quantò, inquis, feliciùs degerent Romani, si liberati à peccato, in plena libertate permanerent? Suauior quidem longè captiuitas iustitiæ; attamen captiuitas. Quid iugum grauissimum, suauiori iugo mutasse tantoperè glorientur, qui suauiùs omnimodæ libertati indulturi videbantur? Falleris: diuina seruitus omni est libertate pretiosior. Eleganter Chrysol. Serm. 114. *Obaudistis, inquit, ex corde in eam formam doctrinæ. In quam? In Euangelij, nempe: quia melior est deuota famulatio, quàm vaga, & præsumpta libertas. Serui facti estis iustitiæ. Hæc seruitus, Fratres, non obligat; sed absoluit: non onerat; sed honorat: abstergit seruitutis maculam; non inurit. Quid hîc, rogo, non diuinum est, vbi seruitus pellitur seruitute: vbi fugatur conditione, conditio: vbi mors, morte moritur: vbi perditio, perditione sanatur: & vt propriè, ac breuiter dicatur, vbi tota aduersitas, ipsius aduersitatis mucrone prosternitur?* Si tam libera, & decora procedit seruitus iustitiæ; certè quò ista fuerit strictior, & fidelior; eò liberior erit, & dominantior.

Rom. 6.

Diuina seruitus omni est libertate pretiosior.

Chrysol.

Litigabant (nondum sacro Spiritus igne repurgati) Discipuli de excellentiori primatu, & mutua dominatione, instar sæculariũ Principum ambitiosi: ad quos tunc Christus: *Non ita erit inter vos: sed, quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Matth. 20. num. 26. At, si, vt ipse fatetur Christus ibidem num. 25. *Principes gentium, dominantur eorum: & qui maiores, potestatem exercent in eos.* cur, vt sint maiores, exigit ministerium; & primis futuris addicit seruitutem? Non sit inter Discipulos sanctos, quod apud profanos Principes: benè est: dominentur Principes: at Sancti seruiant; esto: cur tamen maioratum, & primatum interminiscet, qui humilitatis magister, primatum veniebat aboliturus? Abolebat sanè Dominus primatus omnes ambitiosè affectatos, edocta seruitute extirpandos: non poterat tamen dominatus, & primatus gloriosiores subticere; quia necessariò à libera hac seruitute suboriuntur. Grauiter citatus Chrysol. ibidem: *Antè, inquit, serui peccati; nunc serui iustitiæ per Apostolum. Ecce succedit seruitus seruituti. Contumax tu nunc tempus tuæ libertatis ostende: peccatum te anteà mentiebatur liberum, quem tenebat miserandè captiuum: nunc gratia te vocat seruum, quem, vt verè faceret esse liberum, Dei ipsius adoptauit in filium. Impleta est ergo Christi sententia, qui dicit: Qui vult esse dominus, sit seruus. Beata est hæc seruitus, quæ dominationem generat sempiternam.* Nemo ergo negauerit, cùm ab hac seruitute libertas, & dominatio generetur; tantò dominationem, & libertatem futuram excellentiorem, quantò fuerit seruitus promptior, & deuotior. Miro ergo stratagemate seruitus hæc dominatum comparauit. 200.

Miro stratagemate vtitur ad dominandum.

Matth. 20.

Chrysol.

Iam ergo patet, eò liberiorem Mariam, & dominantiorem, quò in strictiorem redempta fuerat seruitutem. Vnde, cùm eius seruitus infinitè propemodum Angelorum omnium superet erga Deum seruitutes; præseruatiuam etiam redemptionem angelicam excellentiùs præseruata superabit. Iam qualis foret ancillatus Mariæ disce ex D. Thoma Valent. Conc. 1. de Annunc. *Ecce ancilla Domini*, &c. *Matrem me futuram, ô Angele, dicis: ego ancillam me esse cognosco. Et quia ancilla Domini sum, eius voluntati non obsto*, &c. *Vera ancilla, quæ neque dicto, neque facto, neque cogitatu vnquam contradixit Altissimo: verè ancilla, quæ perpetuo seruiuit mancipata seruitio. Libero nanque aliæ Deo famulantur obsequio: hæc quasi mancipium, Dei se totam famulatui mancipauit, nihil sibi libertatis reseruans, sed per omnia subdita Deo.* Vide, an vnquam Dæmoni seruierit, quæ nunquam à Domini ancillatu dicitur recessisse. Et acutissimè à Sancto Doctore, licèt cæteræ animæ Deo ancillentur, si Mariæ conferantur, 201.

Maria qualis ancilla.

Thom. Val.

conferantur, libero dicuntur obsequio famulantes: vt dum tota nobilitas, & ingenuitas in hac diuina seruitute fundatur, tantò Mariæ ingenuitas speciosior, & specialior cognoscatur; quantò est eius seruitus differentior: imò tantò præseruatio, magis propriè redemptio intelligatur; quantò ipsa præseruata, antonomasticè mancipatur ancilla.

§. X.

Adhuc de ingenuo ancillatu Mariæ plura dissero.

202. DIVINAM gratiam, sub mulieris fortis, & industriæ typo, commendauit Salomon: & cùm egregia mille opera, ab hac patrata fœminâ, proferantur; nullum apud filios, indidem legitur positum beneficium. Et quidem non deerant filij, qui in laudes matris, & eius beatitatem prædicandam leguntur surrexisse, Prou. 31. n. 28. Et cur filios non curat, quæ sedula domesticis sic ministrat n. 21. Imò, cur natos despiciat negligens, quæ sic benefica respicit ancillas? *Dedit*, inquit, *prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* n. 15. Hæcne debita prouidentia, vt dum saturantur ancillæ, filiæ ieiunent? Patebit mysterium, si noueris, sub ancillarum vocabulo, filias latere. At, cur generosæ filiæ proferantur ancillæ à Salomone? Quia malunt ipsæ hoc titulo appellitari. Causam egregiè protulit Gillibertus Serm. 14. in Cant. ad hunc locum: *Bonæ filiæ ancillas se reputant, & naturalem nesciunt libertatem, dum veritatis spiritu liberatas se esse recensent: verè enim liberæ sunt, quas liberat veritas: & ideò aliam libertatem ignorant, quæ per adoptionem liberatas se gaudent. Denique, quantò magis est gratuita adoptio, tantò est abiectio deuotior. Eædem ergo ancillæ sunt, & filiæ: quia, vbi maior est in adoptione dignatio, ibi iustior in subiectione deuotio.* In hac materiâ nemo reciprocam denegauerit consequentiam, vt quantò fuerit abiectio deuotior, tantò adoptionis dignatio sit excellentior; & tantò comparata ingenuitas liberior. Non potuit ergo Deipara illustrius ingenuitatis suæ erigere trophæum, quàm si se antonomasticè ancillam protestetur.

Titulus seruitutis quomodo filiationis titulo præponatur.

Prou. 31.

Gillibert.

203. Pergebat Rex euangelicus accipere sibi regnum, & reuerti. *Vocatis autem*, addit Textus, *decem seruis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio.* Luc. 19. n. 13. Vtrunque dictum non caret difficultate. Si negotiatores cupit, cur non ingenuos ciues, sed seruos aduocat? Si seruos, cur illis leges non præscribit, in quo negotiationis genere foret incumbendum? Facile tamen ex dictis vtrunque soluitur. Seruos vocat, qui sibi, Deo, nimirum, longè pretiosiores. Neque negotij speciem præscribit: quia, qui se ob seruitutem domino sic gratos agnoscebant; satis intelligerent, nihil se gratius domino facturos, (imò nec aliud futurum gratum,) quàm si in nouis illi seruis comparandis negotiarentur. Eusebius Gallic. hom. 2. de nat. Confess. *Dei*, inquit, *negotiatores omnes serui sunt: & nihil aliud, nisi seruos emunt: nihil enim aliud de mūdi diuitiis, nisi solos seruos, eorum Dominus cōcupiscit. Vnde & de templo eos eiecit, qui malè negotiantes, illicitè ibi vendebant, & emebant.* O quàm ingenuos reputet seruos gratiæ Christianus; quando honestæ humanæ Philosophiæ seruos, maximè liberos Ethnicus prædicauit! Seneca epist. 8. *Philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas: non differtur in diem, qui se illi subiecit, & tradidit: statim circumagitur: hoc enim ipsum Philosophiæ seruire, libertas est.* Alludit ad morem, quo olim serui manumittendi, & in libertatem vocandi, inter alias alapæ, & vindictæ cæremonias, circumagebantur. Pergo.

Luc. 19.

Proximorum saluti studere, quanti fiat apud Deum.

Euseb. Gall.

Senec.

Reprehensurus Deus Eliphaz, & socios eius, quòd contra Sanctum Iob sophisticis calumniis deseruirent, dixit: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* cap. 42. n. 7. Videbatur in tanto iustissimi viri præconio blandius aliquod, & suauius vocabulum vsurpandum, quo apud increpatores suos illustrior haberetur: & tamen neque amicus dicitur, neque dilectus; sed seruus. Nimirum, quia diuinæ seruitutis titulo ornatus satis ad decorem, indulgenter habitus ad delicias Iob cognoscebatur. Olympiodorus in Cat. Græca: *Vide*, inquit, *quemadmodum Iobum, seruum suum appellat: quo sanè nomine iustum ornauit; neque id semel, sed iterum, & sæpius.* Quidni ornetur nomine seruitutis, si secum mille confert hæc seruitus ornamenta? 204.

Iob 42.

Seruitus Dei, blandimentū amoris.

Olymp.

Hinc illa vox Christi ad Sponsam: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis: collum tuum, sicut monilia.* Cant. 1. num. 10. Laudatur collum de obedientiâ subditum, omni amotâ superbiæ elatione: & cùm iugo immissum dicendum videretur; monilibus, & redimiculis comptum describitur. Nunquid diuinæ legis iugum, sacris obediens præceptis anima non ferebat? Ferebat quidem: sed ipsum diuinæ seruitutis iugum, monile baccatum est, aureus torques, quo non tam grauatur anima, quàm ornatur. Seruos suos catenis onerant, vinculis premunt Principes terreni: cælestis Princeps gemmis, & auro comit, & exornat. D. Ambros. Ps. 118. Serm. 3. ad hunc locum: *Vultus*, inquit, *liberior est, vbi est castitatis conscientia: & portare Christi iugum est suaue, si ornamenta putes ceruicis tuæ esse, non onera. Attolle ergo oculos semper ad Dominum; & quære Deum, vt inuenias: erige ceruicem: redimicula, non vincula geris. Muta quoque animalia redimiculis gaudent; & phalerari sibi magis, quàm nudari videntur. Genæ, sicut turturis, præferant insignia verecundiæ: redimicula ceruicis, libertatis attollant fiduciam: leue enim est iugum Christi; & ideò ceruix eo non premitur, sed leuatur.* Quæ enim speciosior libertas dici potuit, quàm seruitus illa, quæ sic mirificis comitur ornamentis? 205.

Cant. 1.

Seruitus Dei non iugo oneratur, sed torquibus honoratur.

D. Ambrof.

Hæc in omnibus iustis: at in Maria quidem excellentissima. Egregia sunt, quæ ad hunc locum scribit Alanus in Cat. Delr. de Maria: *Per collum, quod inclinare solemus in obedientiæ signum, significatur obedientia, & subiectio, quam Christo exhibuit pro eo, quòd quasi iugum Christi accepit, & fidei obedientiam præbuit. Ornamentum ergo ceruicis, quæ est obedientia, Christus est: ipse enim prior factus est obediens vsque ad mortem. Exornatio ergo, & monile ceruicis eius, id est, obedientia Virginis, obedientia Christi est. Sed & ceruix* 206.

Alan.

ceruix eius, id est, obedientia, similis facta est obedientiæ Christi, quæ est monile Christi. Magna ergo in hoc laus Mariæ, magna eius gloria; quod imitatio eius gloriæ, exæquatur obedientiæ Christi, quam imitatur illa. Nihil maius ad rem præsentem adduci posse videbatur. Obedit Christus homo, seruit Patri: & tantùm abest, vt inde seruilis notæ comparet infamiam, vt potiùs, tanquam decoris monili, ipsâ hac seruitute ingenua adornetur. Submittit Maria collum huius seruitutis iugo: & quanuis reuerà non exæquet; at ita in ea Christo similis procedit, vt illius gloriosissimam seruitutem, & obedientiam exæquare videatur. Cùm ergo seruitus Christi inde maximè ingenua adoretur; ni Mariæ, (quantùm puræ, & redemptæ creaturæ patitur conditio) ingenuam quandam tribuas seruitutem, id est, simillimam libertati Christi assignes libertatem; frustrà eius collum, siue obedientiam, monilibus, id est, obedientiæ Christi comparabis. Hic locus infrà iterum cudendus.

Christus obedientiâ comptus.

207. Sed videbatur, vt dixi, istud maius: verè tamen aliquid maius reapse comprobabo. Non solùm imitatur redempta ingenuè Maria, Redemptoris ingenui seruitutem: sed, vt, (quod suprà probaui,) Corredemptrix quodammodo coleretur; dum in Matrem eligitur, se fatetur ancillam: *Ecce ancilla Domini.* loco sæpè citato. Si enim non latebat Virginem vulgare axioma: *Partus sequitur ventrem.* cur, dum se in Matrem præbet; ancillam vocat: nisi vt edendum Filium de seruitute subeunda commonefaceret? Quasi dicat: Iubes, me esse Matrem, Pater omnipotens; at memineris, me ancillam esse: iam ergo Filius nasciturus ventrem sequetur. Lubens ministro Verbo carnem, in qua seruiat, vt quo possum, de pietate cooperer Redemptori, qui de iure seruitutem aboleat, formam serui accipiens. Fateor me ancillam, vt Filius seruus in hominum remedium veniat mancipatus. D. Thomas Valent. loco suprà citato in hæc verba: *Benè ancilla, ex qua qui nascitur, seruus est: nam secundùm leges, filius non patris, sed matris conditionem insequitur. Ancillam se Mater agnoscit, seruum se Filius esse fatetur. Ego, inquit Ps. 115. seruus tuus: ego seruus tuus: & iure seruus; quia Filius ancillæ tuæ. Grandi ergò mysterio, altissimóque Deitatis instinctu, conceptura Deum sui meminit ancillatus, vt orientem Filium mundi obsequio manciparet.* Quis negauerit, fuisse Mariæ seruitutem, quantùm fieri potuit, liberam, & ingenuam, quæ Deum nobis in seruum communicauit? Sequitur Christi seruitus, Matris seruitutem, quoad fieri potest. Vt ergo implicat, in Christi seruitute culpam, aut culpæ debitum ponere, vnde seruitus aliqua Dæmonis inferatur: sic decet, in Mariæ seruitute culpam omninò expungere, quæ de solo remoto, aut nullo debito generosiùs redimeretur. An non maius, quòd bono nostro ingenuissima Christi seruitus maternam sequatur; quàm quòd materna bono suo Filij seruitutem imitetur? Et an non de vtroque, diuinæ seruituti simillima Mariana seruitus libertatis suæ eriget trophæum.

In Virginis Annunciatione.

Maria Corredemptrix, quia ancilla.

Thom. Val.

208. Videamus adhuc plura de sancta iustorum seruitute, vnde, vt soleo, ad Mariam deducam argumentum. Non solùm Christo; sed etiam Dauidi, & cuiuis iusto tribuuntur illa verba ex Ps. 115. *O Domine, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea.* n. 16. tunc se maximè seruum fatetur, cùm sibi rupta vincula protestatur: quia, nimirum, sub Domini seruitute, quidquid erat seruitutis infernæ, aboleuerat; ideò addit: *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Quia non potest in laudes non moueri, qui ex diuina seruitute ingentem sibi dignitatem videbat comparari. D. Hieron. apud Glossam in cap. 1. n. 1. Rom. *Videtur,* inquit, *humilitatis esse, quod dicitur: O Domine, quia ego seruus tuus. sed grandis dignitatis est, & meriti, esse seruum Domini, & non seruum peccati. Quia non habeo, inquit, hominem dominum; quia non habeo dominum peccatum: non enim regnat peccatum in mortali meo corpore: propterea seruus tuus sum. Grande meritum.* Est Maria cum istis omnibus Dei seruis, conserua: ita tamen, vt, quod nemo negauerit, eorundem seruorum domina. Nonne igitur dignior, vt vberiores laudes sacrificet, quòd cæteri ruptis, illa euitatis vinculis Dæmonis, in liberiorem Domini euadat seruitutem?

Seruire Deo defertur dignitati.

Psal. 115.

D. Hier.

Pende, quæso, mihi obiter in hanc rem illud Cant. 2. n. 9. vbi Christus dicitur ab Sponsa, *respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Si quæris, quorsum? Vt eandem Sponsam vocaret dicens n. 10. *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Vbi aduertendum, ly, *prospiciens per cancellos*; in Græco haberi, *imminens super retia.* Ergo, inquis, iuxta domum Sponsæ erant hæc retia? Imò, inquam ego, domus vndique retibus, vinculis, & laqueis cingebatur: quibus vbi Sponsa è domo prodiret, statim illigata, & in seruitutem Dæmonis redacta caperetur. At quid interim Sponsam vocas subitò illaqueandam, Sponse optime? Nimirum, ideò ille *super retia* erat, quasi confracta, & disrupta calcaret: ideò vocat, quia tunc secura prodire poterat. Debemus pulcherrimam explicationem Origeni hom. 3. ad hunc locum: *Intellige,* inquit, *retia quædam prope domum Sponsæ, aut laqueos esse positos, vt si fortè ipsa, vel aliqua sodalium eius ex filiabus Ierusalem, aliquando exisset, caperetur. Ad ista verò retia venisse Sponsum; qui cùm capi ab eis non posset, sed fortior eorum effectus diruperit ipsa retia; diruptisque eis super ipsa incedens, etiam per ipsa prospexerit: & postquam hoc opus fecerit, dicat ad Sponsam: Exsurge, veni.* In aliis quidem animabus est hoc verissimum, dum ab actualium peccatorum nouis vinculis præseruantur: admotâ, scilicet, gratiâ, & superatâ tentatione, vt ad maiorem exsurgant perfectionem, strictiorémque cum Christo vnionem. At, si semel nouerimus, in hoc loco non vocari ab Sponso Filio Sponsam Matrem, vt vlteriùs procedat; sed vt primitùs producatur: non vt augmentum gratiæ; sed vt naturæ capiat initium: cùm disrupta à Filio vincula supponantur: patebit, credo, in ipso initio, quo exiit, laqueos euitasse. Attende ergo.

209.

Mundus vndique Dæmonis laqueis plenus.

Cant. 2.

Orig.

210. Videbat incarnandum Verbum; & Incarnationem desiderans, cuiuis animæ nasciturae laqueos, & retia originalis culpæ parata: vtque Matrem idoneam disponebat; stabili decreto hæc vincula illi euitanda constituens: quasi nostro dicẽdi modo iam confracta videret, iã calcaret; vocat, id est, exoptat Matrẽ, vt secura, & immunis enascatur.

Maria quàm ab initio Deo desiderata.

enafcatur dicens: *Surge, propera, amica mea.* Ac fi diceret: O ne timeas produci, Maria: non mihi inimica generaberis, fed amica. En adfum: *en emmeo fuper retia:* vincula difrupta calco, ne oriens in feruitutem redigaris. Certè Rupertus (Rupert.) de Verbo mille ante fæcula Matrem defiderante, & vocante, locum explicauit. Audi illum ex ore ipfius Mariæ: *Surge, propera,* &c. *Verba ifta profectò, defiderantis verba funt,* &c. *Sic accipite quafi verba defiderantis, tanquam feftinantis, & optantis iam adeffe materiam tantæ falutis, fcilicet, me: cuius caro illi materia foret affumendæ carnis. Loquebatur mihi, méque iubebat furgere, & properare, id eft, nafci, & hofpitium ventris mei fibi citò præparari.* Pofitâ itaque Græcæ lectionis explicatione, irrefragabile pro ingenuitate Mariæ deducitur argumentum: Aliis, vt dicebam n. 208. geftata aliquandiu vincula franguntur, & de feruitute Dæmonis, in Dominicam reuocantur feruitutem: Mariæ, meliori ancillæ, non geftata, fed gerenda vincula, multò ante Conceptionem, per immunitatis decretum, remouentur. Redeo.

211. (*Humilitas ipfa eft celfitudo.* Ifaïæ 6.) In throno gloriæ, vbi Dominus fedens Ifaïæ reuelatur, fic Seraphini defcribuntur: *Seraphim ftabant fuper illud, fex alæ vni, & fex alæ alteri: duabus velabant faciem eius; & duabus velabant pedes eius; & duabus volabant.* cap. 6. n. 2. Statio ifta, feruilis, fed amatorius tenor, humilifque erat reuerentia, qua affidenti Domino confiftebant, vt nemo ex Chryfoftomo, & aliis ibi ignorat. Sed, quomodo, qui fe feruos, dum adftant, proteftantur; libero, & ingenuo volatu ad Domini complexum anhelant? Imò, quomodo ftare fimul poffunt, dum volare dicuntur? Quia nunquam ingenui altiùs volant, quàm dum ftant ferui humiliùs: ipfa illa ftatio volatus erat. D. Eucherius Græcus (D. Eucher.) quæft. 56. *Quæritur, quomodo Seraphim, circa Domini thronum ftantes pariter, & volare dicuntur? Benè hoc fermone myftico Propheta depromit: quia Deo ftare, idem eft quod volare, & in fublime exaltare.* Hunc tractatum D. Doctoris non alibi peruium, denuò edidit nofter Cerda (Cerda) cap. 15. aduer. 5. Nihil itaque derogat ftatio humilis, & feruilis Seraphinis ab ipfa origine ingenuis: quin potiùs ab illa ingenuitatem maiorem proteftantur. Ne, quæfo, deroget ancillatus fuus Seraphinorum Reginæ, quominùs originis liberæ cognofcatur: quin potiùs ibidem libertatis eius trophæum erigatur.

212. (*Cur ferui Dei habiti apud illum indulgenter.* Luc. 15.) Hinc capio, quid cogitaret Prodigus adolefcens, quando dixit, quod fe patri dicturum deftinabat: *Fac me ficut vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. n. 19. Cur enim, vt humilior moueret, non fe feruum addicit; fed folùm mercenarium conducit? Nouerat, credo, quàm indulgenter, & liberi apud Patrem Deum ferui haberentur: nec fe tanto beneficio dignum arbitrabatur. Nouerat, apud Deum feruire, regnare effe; ideò feruitutem fic regiam petere non audebat. Paterfamiliâs, dum feruos fuos, & conductos mercenarios operi addicit; pluris feruorum, quàm mercenariorum attemperat, & releuat labores: hos minùs curat; illis, quidquid periculi fuerit, euitat. Nihil amittit, fi mercenarius vfque ad vltimum fpiritum defatigetur: at, fi feruus nimio labore pereat, pretio, & bonorum fuorum parte defraudabitur. Quidni alterum premat, & deterat; alteri indulgeat? Talem ergo, erga Deum, fe Prodigus mercenarium confecrabat, vt labore deteretur: feruilem ftatum, cui tanta connexa indulgentia, non præfumens. Sic explicabam Chryfol. (Chryfol.) ad hunc locum, Serm. 2. vbi ita: *Fac me, ficut vnum de mercenariis tuis: vt labore iugi, conditio conducta deteratur: vt die toto in opere fufpiret mifera verna mercedis.* Deteritur conditio conducta: quia empta conditio blandiffimè fouetur. Et licèt Chryfol. poftea hûc feruum nominet; lato modo ad rem fuam, & ad Euangelij mentem de conductione, & non de emptione intelligendus: vt ex contextu patet.

Sed quid, inquis, fi labores vitat porcorum pafcendorum apud extraneum, non requiem, fed labores conditionis conductæ follicitat à Patre? 213. (*Captiua culpa libertas.*) Nimirum, nouerat, apud Patrem Deum, non folùm preffam, & ftrictam feruitutem, quæ regia eft; fed etiam feruitutem conductam liberam effe. Quidni cuperet apud illum mercenariâ faltem frui libertate, liberâ feruitute; qui apud Dæmonem feruam quandam tolerarat libertatem? Idem Chryfol. (Chryfol.) ibidem: *Hoc petit: quia, qui penes extraneum, feruam fenferat libertatem; penes Patrem credit fibi futuram liberam feruitutem.* Nunquam mercenaria Maria; fed femper ftrictiffima ancilla, &, vt dixi, inter omnes creaturas talis antonomafticè. Vnde videas, quàm cæteris omnibus excellentiorem in ancillatu exhibeat libertatem apud Deum, qui etiam mercenarios, de fola feruitutis vmbra vocat in libertatem.

Denique audiendus Hugo de S. Vict. lib. 4. in 214. Luc. de illo Mariæ ad cognatam: *Quia refpexit humilitatem ancillæ fuæ.* (*Maria Antiena.* Hugo Vict.) Vbi addubitans, quænam feruitus hîc intelligatur, cùm feruitus quadrupliciter varietur, fecundùm neceffitatem, fecundùm timorem, fecundùm dilectionem, fecundùm conditionem; fic concludit: *Secundùm conditionem, omnia diuina feruituti debent effe obnoxia: quia opus factori fuo hoc ex conditione fui debet, vt eius inftitutionibus obtemperet, & inftituta fequatur: vt, ficut ab ipfo factum eft; ita non nifi fub ipfo, & fecundùm ipfum incedat,* &c. *Sed ex his quatuor feruitutibus, illa mihi præcipuè in hoc loco commendari videtur, quæ eft fecundùm conditionem: hanc fiquidem parentes noftri in Paradifo Conditori exhibere noluerunt: quoniam in fuperbiam elati defpexerunt effe fub illo, à quo fuerant conditi: & voluerunt peruersè cum illo effe in maieftate confimiles, qui non erant in natura æquales. Conuenienter ergo gratia culpæ refpondet. Eua per fuperbiam, creaturam Dei fe effe, & opus Dei, non confiderans, ideò parificari voluit. Maria autem fuo factori humiliter fe fubdens, ancillam fe nominauit: & idcircò illa abiecta, & ifta electa eft: fuperbam defpexit, & humilem refpexit: & quod fuperba perdidit, humilis recepit.* Si recipit Maria per ancillatum, quod Eua per fuperbiam amiferat; quis nobiliffimo ancillatui notam inurat? Per conditionis præfumptam libertatem, originalem gratiam amiferunt protoparentes: credamus à Maria inuentam, quæ conditionis feruitutem Angelis ipfis exactior obferuauit. Sed hæc illatio gratiùs in fequenti Anthologia dilatabitur. Hæc nunc fatis, vt appareat, non fuiffe Mariam Dæmonis ancillam, quæ in ipfo diuino ancillatu libertatis fuæ trophæum erigebat illuftriùs; vt vndique magis idonea Mater prædicetur.

ANTHOLOGIA IV.

Maria gratiâ plena, nullibi vacua.

§. I.

Exponitur singularißima Marianæ gratiæ plenitudo, Christi plenitudini conformis.

215. EXPLICVI in Examine vim verbi, κεχαριτωμένη, quo Maria ab Angelo salutatur; *gratiâ plena.* Contendi, non posse hanc singularissimam stare plenitudinem, si pars illa Conceptionis vacua gratiâ poneretur. Videamus iam ex Patrum florilegiis, an id temerè pronunciarim; & quid illi de hac Mariæ plenitudine iudicarent. Enarrabat Ioannes Verbi Incarnationem subdens post alia: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.* cap. 1. num. 14. Plenus quidem gratiâ Christus; sed non formaliter, quatenus Deus est, & Vnigenitus, consubstantialisque Filius Patris: sic enim gratiâ (seu ad vnionis, seu ad habitualem gratiam recurras) non tam impletur adueniente, quàm ipsa in se est sanctitas essentialis. Plenus ergo gratia dicitur Christus, quatenus homo: quia omnium gratiarum accepit plenitudinem. Esto hoc ratum. Cur ergo ab Euangelista, quando Vnigenitus à Patre describitur, simul & plenus gratiâ prædicatur? Quia, vt vides, iam de incarnato Verbo loquebatur: & dum illud in gloriæ maiestate Patri similem fecit, voluit tacitè in plenitudine gratiæ Matri similem constituere: non quòd non esset longè excellentior gratia Christi, quàm Mariæ; sed, quòd non ita foret decens gratiæ Dominicæ plenitudo, nisi quoad posset fieri, maternam plenitudinem exprimeret. Abbas Cellens. lib. de Panib. cap. 9. *A quo autem est mutuanda gratia, vel accipienda, nisi ab eo, qui plenus veritate, & gratiâ, natus est de Matre gratiâ plenâ? O Iesu in vena, non in lagena, in puteo, non in vrceo; in ventre, non in vtre; in anima, non in cisterna; in fonte, non in vase; possides gratiam.* Quasi plenitudo plenitudini responderet: & inde bonum omen capiamus gratiis à Christo recipiendis, quòd simili suæ plenitudine Matrem cumulauit.

Mariana gratia plenitudo Christi-formis. — Ioan. 1. — Abb. Cell.

216. Et quidem aliquid singulare voluit Gabriel in Virgine commendare, qui singularissimum Incarnationis opus nunciaturus veniebat: cùm enim alij pleni gratiâ, & Spiritu Sancto passim celebrentur; quid magnum afferret Angelus, si, vt sonat, Mariam gratia plenam celebraret? Quid ergo? Sic plenam voluit, vt decebat eam, quæ posteà non solùm aliis; sed ipso authore gratiæ, condigna Mater erat replenda: vt quoad posset, Mater Filio in eo responderet. Ambros. lib. 2. in Lucam: *Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur: benè enim sola gratiâ plena dicitur: quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur authore.* Impletur priùs gratiâ; posteà authore gratiæ repletur: & ideò talem gratiam nulla alia pura creatura fuit consecuta; quia nulla talem Filium consecutura. Respondet ergo in Maria impletio repletioni, vt impleta replenti correspondeat.

In Annunciatione Maria, per totã. — Ambros.

217. Sed mirum fortasse videatur, quòd ab Ambrosio, *sola gratiâ plena* dicatur Maria, solique vni hanc salutationem seruari affirmetur. Si nouerat Ambrosius, Baptistam, aliósque iustos plenos gratia, & Spiritu Sancto decantari; dicat Mariam meliori plenitudine refertam, non tamen solà. At attende Sancti Doctoris acumen non vulgare. Mirabantur Romani virtutes egregias, & singularissimas Traiani sui: cúmque tantum Imperatorem nouo & excellentissimo aliquo titulo vellent decorare, post longas vigiliarum curas, *Optimum* appellarunt. Quibus si opponas, non esse nomen nouum, neque vni Traiano reseruatum, vtpote quod spurcissimi alij Imperatores Caligula, Nero, Domitianus, passim vsurparunt: respondet grauissimè Plinius Panegyrista: *Iustisne de causis Senatus, Populúsque Romanus, Optimi tibi cognomen addicit? Parum id quidem, & in medio positum: nouum tamen. Sciat neminem antè meruisse, quod non erat excogitandum, si quis meruisset.* Licèt enim vulgare cognomen, & aliis vsurpatum; nouum tamen & illibatũ Traiano videbatur seruari: cæteri enim tantùm tituli vmbram; ipse meritis totius tituli mensuram adimplebat. Hoc ergo suo modo voluit Angelus salutans, ex mente Ambrosij: quasi diceret: *Aue, gratiâ plena.* Licèt enim alij, & Angeli, & homines gratiâ pleni dicamur, & simus; nouus tamen tibi hic titulus reseruatur: nemo illum, vt tu mereris, cui non totas curas Seraphicas impenderem excogitando, si quis pari mensurâ meruisset.

Honos indignis datus nõ obsoletus, sed nouus benemeritis seruatur. — Plin. Iun.

218. Prudens ergo Angelus, & piâ admiratione suspensus, plùs sentit, quàm valeat exprimere: & ideò in assueto titulo, insuetam aucupatur nouitatem. Neque mirum: totam enim gratiam, quam Christo dandam sciebat supremo Regi; Reginæ iam concessam, quamuis aliter, stupebat. Per omnia parem, etiam originalem gratiam cum Filio, Mater habet, licèt disparem perfectione. Vidit rem Sophronius Serm. de Assumpt. B. Virginis, ad Paul. & Eustoch. qui nomine Hier. inter eius Opera circumfertur: *Dei genitrix electa & prælecta, iure ab Angelo salutatur, & prædicatur gratiâ plena. Verè plena, per quam largo Sancti Spiritus imbre, superfusa est omnis creatura. Et satis eam deuotissimè*

Maria Christo quàm similis. — Sophron.

notissimè primùm Angelus veneratur, & salutat. Miratur itaque & ipse, qualis, aut quanta sit, quam salutat: non enim simplex, fateor, aut consueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna: siquidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequij: quia, etsi in Sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur; non tamen eatenus plena: in Mariam verò totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quanquam aliter. Consueta itaque salutationis verba; sed non consuetus sensus salutationis. Referebat Maria gratiosa gratiosiorem Christum: nec in Christo aliquid tanti doni splendebat, quod in Matre, licet tenuiùs, non sublucerent.

219. *Iterum de honore illo apud indignos non obsoleto.* Non caret eodem mysterio, quod addit Angelus: *Dominus tecum.* nihil enim nouum, & singulare adderet, si Dominus esset cum illa, quæ plenissima gratiâ fuerat prædicata; nisi id grandius aliquid, quàm sonat, attribueret. Certè ad Gedeonem dixerat olim Angelus: *Dominus tecum, virorum fortissime.* Iud. 6. num. 12. Anne grandis foret facta Mariæ salutatio, nisi longè à Gedeonis salutatione discriminaretur? Et pende, quid Gedeon respondeat: *Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* &c. *Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian.* num. 13. Ecquid igitur tam eximium istud? Nimirum, quia sic erat cum Maria, vt nec etiam cum Angelis talis esset: eâ Matrem impleuit gratiâ, vt nunquam iniquitati, id est, Inferni Madian manibus traderetur: vt ab origine purius angelicâ ipsâ naturâ habitaculum assistenti Domino præpararet. D. Thomas de Villan. Conc. 2. de Annunc. ex ore ipsius Angeli visus hue respicere: *Et verè, inquit, plena, in cuius animo nullus peccato relictus est locus, nullus iniquitati patuit accessus. Dominus tecum. Et quomodo tecum? Non vtique sicut mecum: sed sicut nullibi. Tecum in corpore, tecum in mente, tecum in animo, tecum in consilio, tecum in vtero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine, tecum sine fine.*

Iudic. 6.

Th. de Vill.

220. *Maria fomite carnis.* Quidni tam plenum gratiâ habitaculum Angelus miraretur Domino destinatum; in quo non solùm sedem culpa non habuit, sed nec etiam culpæ fomes potuit subsistere? Prophetarat id Dauid de Verbo incarnando: *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion: ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* Psal. 75. num. 3. & 4. Quasi confracta bellica instrumenta non tam pacem pararent, quàm supponerent: aut quasi felicis habitationis pax æterna armis indigeret nunquam; quia nunquam tumultus in se bellicos expertura: nunquam non solùm vulnere percutienda; sed neque hostili strepitu inquietanda: idque ab ipsa originis fundatione. Et quid hoc erat aliud, quàm sic plenam gratiâ fuisse in Conceptione, vt non solùm culpam non contraheret; sed etiam absque tumultuante, & rebellante peccati fomite formaretur? Audiamus citatum D. Thomam de Villan. Conc. 3. de Natiuit. verè angelica Theologia philosophantem: *Decuit Matrem Dei esse purissimam sine labe, sine peccato. Vnde non solùm quando puella; sed quando paruula, sanctissima; & in vtero sanctissima; & in Conceptione sanctissima. Non enim decebat Sanctuarium Dei, domum Sapientiæ, reliquarium Spiritus, vrnam manna cælestis, aliquam in se labem habere. Propter quod, antequàm anima illa sanctissima infunderetur, plenè fuit caro illa mundata ab omni fæce, & labe: & anima, cùm infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati: sicut scriptum est: Factus est in pace locus eius, id est, domus diuinæ Sapientiæ, sine omni fomite peccati formata est.* Benè ergo ait Angelus: *Dominus tecum.* quasi quid nouum: quia nunquam, nec in ipsis Angelis, in gratiori, & Christo simili ori domicilio, habitauit.

Psalm. 75.

Th. de Vill.

At, vnde, dicat aliquis, si Angelus venturum Dominum Mariæ nunciabat, iam cum Maria esse testabatur? Res plana. Aderat ab ipsa origine, tanquàm in gratissimo sibi domicilio: mox tanquàm Matri strictiùs adfuturus. Sophronius citatus: *Dominus tecum. Mira res! & iam cum Virgine erat, qui ad Virginem mittebat Angelum: & precessit nuncium suum Deus; sed a Deo non recessit: nec teneri potuit locis, qui omnibus habetur in locis, & totus vbique est.* Implebat, nimirum, gratiâ Mariam Sanctus, qui statim Matrem, tanquàm Filius, erat repleturus. Et quam in tantum ministerium non plenissimam reputes plenitudinem? Ideò idem Sophronius paulò antè: *Aue, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Talibus enim decebat Virginem oppignorari muneribus, vt esset gratiâ plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Dominum, pacémque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.* An meritò plenitudini gratiæ, cui tanta dare permittitur, meritò originalis prærogatiua denegetur, tu te videris. Sed hoc argumentum presliùs infrà vrgebo. Nunc pro loco, in quo sumus, teneriùs aliquod erga Mariam blandimentum diuinæ gratiæ ponderemus. 221. *Deus semper cum Maria.*

Sophron.

Quid enim, si dicamus, priuatâ quadam ratione Filium incarnandum ad futuram Matrem conuolasse, vt nostro dicendi modo, ante Incarnationem futuræ Matri assisteret, fouens, & gratias magis, ac magis augens mysterio tanto condignius festituræ? Quasi dicat Angelus: O rem miram! Venio nunciaturus Dei Filium Dominum incarnandum, & venturum: & inuenio ipsum Dominum iam tibi præsentem, perfectissimâ gratiæ plenitudine tantum sibi habitaculum disponentem! Nec hoc absque authore proferamus. Verba sunt diuini Verbi se se iam ad incarnationem accingentis, illa Cant. 4. num. 16. *Veni, Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Allicitur, nimirum, cælestis Auster, Spiritus diuinus, vt virgineum futuræ Matris hortum suauiùs, & suauiùs vberioribus gratiis adimpleat, vt augusto mysterio disponatur. Sed, vbinam diuinum Verbum? Planè, nostro dicendi modo, non in cælo, in quo tunc diuinus Spiritus morabatur: si enim in eodem cælo essent, non tam vocaret, vt veniret, quàm sollicitaret, vt vaderet. Dum ergo dicit, *veni*; ad locum, in quo ipsum iam erat, è cælo Spiritum Sanctum conuocabat. Assistebat itaque Filius iam Mariæ; eóque inuitabat Spiritum, vt veniret, secúmque in ornanda Virgine occuparetur. Guillelmus ibi excerptus magis, quàm transcriptus à Delrio: *Impleto autem tempore, quod præfinitum erat à Patre, venit Dei Filius ad Virginem, de qua incarnandus erat. Venit præueniendo eam in benedictionibus dulcedinis. Vnde Angelus ad eam missus, vt futurum partum ei nunciaret: Aue, inquit, gratiâ plena,* 222. *Maria quàm semper dilecta diuino Verbo.*

Cant. 4.

Guillelm.

plena, Dominus tecum. Iam ergo Dei Filius cum Virgine erat, de qua carnem sumpturus erat. Iam inquiebat: Veni, Auster, persla hortum meum. nempe, si cum Virgine iam non degeret, non diceret, Veni, Auster. sed, Vade, Auster. Austro ergo dicit: Veni. quia non mentiebatur Angelus dicens ad Virginem: Dominus tecum. Veni, aiebat, Spiritus Sancte, sanctifica vterum virginalem. Hæc festina cura, hæc ardens celeritas in nuncio suo id temporis præueniendo, satis indicant, non fuisse tardum in summi ponderis negotio, ne vacua gratiâ Conceptio à Dæmone præueniretur. Sed videamus adhuc seorsim, (licèt iam id obiter demonstrauimus,) nihil in hac tantâ plenitudine vacuum reperiri.

§. II.

Deipara, cæteris iustis plenior, originalem gratiam inuenit: imò ipsa tota est gratia.

223. CHRISTI venturi fructus commendans Deus: *Effundam*, inquit, *spiritum meum super omnem carnem.* Ioel. 2. num. 28. Qua authoritate redarguens Iudæos Petrus sic ad eos: *Hoc est, quod scriptum est per Prophetam Ioel: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem* Act. 2. num. 16. Ioël Spiritum absolutè prædicat effundendum; Petrus *de Spiritu*, id est, partem illius pronunciat communicatam. Nunquid non stetit Deus promissis? An auarior Ioële Petrus donum coarctauit? Absit: egit Apostolus optimum Prophetæ Interpretem: & de plenitudine Spiritus, (cùm totam non caperent,) quam partem capere possent homines, hanc illis dandam declarauit. Datur ergo promissus Spiritus à Ioële: sed pro hominum capacitatè partitus declaratur à Petro. D. Eucher. Lugdun. vel, vt putatur, Eusebius Gallic. homil. gener. de Trinit. *De Spiritu*, inquit, *meo. & non dicit: Effundam Spiritum meum. Tantùm de eo, quantùm mundus possit capere, dispensat.* Vna est Maria, quæ cæteris omnibus plenior, licèt totaliter non posset; attamen totum Spiritum accepit. Ideò Sophronius citatus, de Angeli salutatione: *Et bene*, inquit, *plena: quia cæteris per partes præstatur: Mariæ verò, tota se simul infudit plenitudo gratiæ.* Nulla pars gratiæ defuit Mariæ: quia nulla sui parte culpæ subiacuit. Dat hunc locum Doctor Angelicus art. 5.

Spiritus Sancti capacitati nostræ se accommodat. — Ioël. 2. — Act. 2. — D. Eucher. — Sophron. — D. Thom.

224. Quin potiùs sic visa diuinum Spiritum combibisse, vt Christus ab Spiritu Sancto productus, ab eodem tanquàm à non degenere cooperatrice; sed Spiritui Sancto simillima prouenire gloriectur. Hinc Habacuc: *Dominus ab Austro veniet; & Sanctus de monte Pharan.* cap. 3. num. 3. Ecquis mons tantus, vt Dominus ab Austro, diuino, scilicet, Spiritu proueniens, ab eodem prouenire monte non dedignetur? Maria certè. Illud rarius, vt cùm ab Spiritu proueniens Christus, tacito sanctitatis titulo *Dominus* dicatur; dum à Maria venit, expresse *Sanctus* appelletur: quasi tanquàm re notiori, in securo iam positâ sanctitate, quam ab Spiritu traxerat, Matris sanctitatem vellet commendare, quæ sanctissimum fructum valuit germinare. Nónne ergo omni pura creatura subliniorem, & gratia pleniorem fatereris hanc consortem? At fatetur Euthymius hic, qui legens ex Græco: *De monte vmbr. so.* sic subiungit: *Mons vmbrosus, & densus est Beata Virgo: mons quidem tanquam omni creatura sublimior: vmbrosa, quia diuina virtute obumbrata est.* Non ergo decebat, vt sublimior Angelis à Dæmone vnquam calcaretur: quod fieret, si Conceptio gratiâ vacua infametur: neque vacua hac parte mater in tam altum ministerium sumeretur.

Maria Spiritui Sancto similis. — Habac. 3. — Euthym.

225. In similæ oleatæ oblatione, quam, vt ait Textus, *memoriale super altare in odorem suauissimum* Dominus assumebat; illud strictè præcipitur Sacerdoti offerenti: *Tollet pugillum plenum similæ, & olei, ac totum thus, & ponet*, &c. Leuit. 2. num. 2. Sed, si pusillo munere, & pugillo tantummodo Dominus contentus erat; quid in pugillo desiderat plenitudinem? In mysterium pugillum similæ accipit Deus: non muneris quantitatem; sed offerentis animum attendit. Cur ergo, quamuis non plenus esset, displiceret? Quia, licèt etiam exiguum assumatur munus; tamen tanto ministerio assignatum, particula quauis vacuum pollueretur. Benè Galfr. ibi apud Tilm. *Sed, quæ portio Domini? Plenus sanè pugillus, quem offerendum vnus è Sacerdotibus tollit. O plenum pugillum! vel plenum potiùs, & pusillum! nihil enim magnum exigit; sed nihil vacuum recipit Deus.* E tota allata simila, quæ Sacerdotibus cedebat, solus pugillus Domino deuenicbat; sed is alicunde vacuus, non assumendus: è tota naturæ nostræ massa Mariam vnam sacratiori ministerio Deo dicatam non negaueris & in præcipuam Dei portionem deuenisse. Ne ergo credideris, ab aliqua parte vacuam assumendam.

Leuit 2. — *Quæ Deo offerimus, licèt parua, plena sint.* — Galfrid.

226. Describebat mysticè Moyses in voluptatis Paradiso animam iustam, in qua Deus, tanquàm in suauissimo & intellectuali cælo, conquiescit: deinde de fonte viuo, de fluuio viuificante, id est, de Spiritus Sancti gratia, sic edisserit: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Genes. 2. num. 10. At siste cursum, aqua sacra; & inter dulces fluxus tui susurros, querelas nostras audi: tributum interim dabimus lacrymarum: neque timor, ne harum amaritudine, liquoris tui dulcedo temeretur. Quid venas diuidis? quid torrentes scindis? Cur non pleno fluuio illaberis cordibus nostris irrigandis? Quantò germinaremus suauiùs; quantò vberiores fructus ederemus, si totâ te influente amœnaremur? Quid te negas totam, cùm tota cómunicata non minuaris? At sinamus: diuidatur: bono nostro scinditur. Non aquæ auaritia, sed incapacitas nostra impulit fluuiũ in diuisionem. Abbas Cellensis de Panib. cap. 12. ad hunc locum: *Inualida est mens mole corporeâ oppressa, illos gratiæ impetus suscipere, quibus angelica natura in superioribus Dei inebriata intùs, & extrà solet effluere. Dispertitur proinde nobis ad mensuram illa gratia, quæ humanam exsuperat mensuram: non pro largientis, aut largitionis parcitate; sed pro vasculi modicitate: vter nanque anima fortè rumperetur, si incapabiliter gratia superfunderetur.*

Gratia capacitati nostræ se accommodat. — Genes. 2. — Abb. Cell.

Sed

227. Natura integra capacitas. Sed tu mihi pende illud: *Qui inde diuiditur.* Quasi totus fluuius rigaret Paradisum indiuisus; qui inde, cùm in nostram hanc terram emergit, diuidatur. Et reuerà id litteræ aptissimum. Quod si mystico sensui accommodes, videbis animam, dum perfectus Paradisus permanebat, & in statu innocentiæ Paradisum voluptatis incolebat; totius sacri fluuij capacem quodammodo videri. Vnde, cùm in Maria totam gratiæ plenitudinem videamus; illam in statu innocentiæ constitutam existimemus, necesse est. Obscura sunt; sed fortasse, quæ huc faciant, verba, quæ subiungit Cellensis ibidem de partita gratia, & capacitati nostræ attemperata: *Solet anima debilis, non solum rumpi super infusione gratiæ; sed liquefieri charitatis fornace. Benè autem sit animæ, quæ sic infunditur; quia cùm influente gratiâ incipit fluere, imò ad bonitatis principium recursu iam familiari fluere, sic intrat, & exit ad imperium Regis, intrans domum æternitatis, exiens ad atrium mortalitatis. Antequàm verò superueniat gratia, non est pax intranti, vel egredienti: ex quo enim Paradisum exiuit Adam in præuaricatione sua, pax ad eum non venit, nisi præeundo deduceretur gratia.* Quasi partita ista gratia, qua, vt fieri potest, recurritur ad Deum, & æternitatem; & inde iterum ad mortalitatis officia exitur, veniret Adamo, & eius posteris post eiectionem à Paradiso: qui dum in illo erat spiritualior longè Paradisus, neque mortalitatis officiis implicabatur; nec partitam, sed totam gratiam possidere videbatur.

Abb.Cell.

228. Maria gratus Paradisus. Veruntamen, quidquid sit de mente Cellensis in his verbis; satis ad rem meam, partitam omnibus dedisse gratiam à Paradiso, & innocentiâ exulantibus, vt quid sentiat de Mariæ innocentiâ, intelligatur: qui statim de huius plenitudine sic subiungit: *Quia igitur simul collecta gratiæ plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate potest apprehendi; in quatuor capita dicitur diuidi. Priuilegio tamen Filij sui, supra totius creaturæ meritum, Mater Dei aspersione Spiritus Sancti totâ Deitatis gratiâ est superfusa.* Quidquid igitur alij repleti dicantur gratia, & Spiritus Sancti fluuio superfusi; partem tantùm accipiunt, & vacuam conceptionem gratiâ præmiserunt: vni Mariæ tanta prærogatiua seruabatur, vt totâ Deitatis gratiâ, non oppressa, quia melior, scateret.

Abb.Cell.

229. Baptistæ priuilegium vnde. Imò verò ex prærogatiuis Baptistæ, de vterinâ Spiritus repletione, concessis, cùm longè excellentior foret repletio Mariana, satis colligitur, non solùm in vtero; sed & in ipsa Conceptione fuisse sanctam. *Spiritu sancto*, inquit Angelus de Ioanne, *replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Luc. 1. n. 15. Sed, cur, inquis, tam citò? Quia homo ille, qui in toto vitæ decursu, vltra hominis naturam, nec leui famine integritatem acceptam erat violaturus; tanto debuit condimento præseruari; quid enim mirum, non introïret deinde culpa, si replens sanctificatio, nullum intraturo peccato vacuum spatium relinquebat? Eleganter Eusebius Gallic. hom. 1. de Bapt. ad hunc locum: *Felix, qui venturus in huius mundi labores, prius gratiam suscepit, quàm vitam: prius benedictionem meruit haurire, quàm lucem. Quid mirum, si in eo aditum culpa non inuenit, cuius animam sibi Deus ex ipsis exordiis occupauit? Magnum est Spiritu Sancto illustrari; sed multò est maius repleri. Et ideò, sicut vas plenum balsamo, admixtionem liquoris alterius expuit, & penitus excludit: ita in eum nihil secularis maculæ introire iam poterat, in quo sanctificationis plenitudo regnabat.* Confer nunc Mariæ in toto vitæ decursu sanctitatem, & culpæ immunitatem, cum sanctitate Ioannis: & cum illam in infinitum propemodum maiorem fatearis, necesse sit; præuiam etiam Mariæ dispositionem pari mensurâ maiorem non inficiaberis. Neque tot punctis Mariana gratia, quamuis excellentior foret, Ioannis gratiam excedere videtur, nisi Maria originalem gratiam inueniret.

Luc.1.

Euseb.Gal.

Fatetur id Angelus explicatis hucusque verbis subdens: *Ne timeas, Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum.* Luc. 1. n. 30. Quod vt capias, aduerte ex Tert. suprà citato n. 87. non propriè dici aliquid inueniri, nisi quod diligenter quæritur: sicut nec quæri dicitur, nisi quod priùs fuerat amissum. Vbi protoparentes peccarunt, natura tota originalem gratiam amisit: quam, vt erat pretiosissima, eiectam sustulit Deus, & apud se recondebat. Hinc semper gemens natura sedulè hanc gratiam, si fortè inueniendam, requirebat. Vt vidit Ieremiam sanctificatum in vtero, Ioannem ibidem spiritu exultantem; peractum negotium, & inuentam drachmam perditam augurabatur. Sed fallebatur: vna est Maria, quæ non quamuis; sed gratiam illam originalem ab Eua amissam, & *apud Deum* reconditam potuit inuenire. Antipater ibi in Quadr. Euangel. *Inuenisti*, inquit, *gratiam, quam perdidit, quæ primùm fuit creata fœmina. Illa sola suscepit deceptionem; tu autem sola attulisti solutionem deceptionis.* Non quidem aliam, nisi originalem gratiam, Eua perdidit: si perditam Maria inuenit, quid vltrà quæris? planè id solùm quærendum, vt, quandoquidem gratia nostra fuit etiam, quam in protoparentibus omnes amisimus: illam nobis, si minùs quoad originis puritatem; at quoad alios gradus Maria restituat. Inuenit illam sibi quoad originis priuilegium, vt illam nobis quoad mundationem communicaret. 230. Originalis gratia Mariæ. Luc.1. Tertul. Antipat.

Et fortassè ideò, dum in Matrem Dei constituitur, ab Angelo de inuenta communi gratiâ commonetur: vt Dei pietatem propiùs imitata, pia intercessione, inuentam gratiam aliis pro pro modulo distribueret. Grauiter hic Ludolphus Carthus. par. 1. cap. 3. *Plena*, inquit, *ergo iam gratiâ, gratiam inuenit; sed aliis, & ad dispensandum, &c. Vnde notanter dicitur, inuenisti: non dicit, habuisti, vel acquisiuisti: quia res habita, vel iustè acquisita, vt propria custoditur: sed inuenta, his, qui perdiderunt, restituitur. Sic Maria inuenit gratiam, non sibi soli retinendam; sed tanquàm aliis restituendam: qui enim inuenit perditum, tenetur restituere: gratiam verò, quam Eua perdidit, Maria inuenit, non solùm pro se; sed etiam pro nobis.* Nec solùm pro nobis, sed etiam propter nos: neque enim aliàs Maria futura, nisi Christus veniret: nec nisi saluando peccatori venturus Christus, vt fusè suprà probaui; occasionaliter nobis debet Maria, quidquid est, & quidquid habet. Felix, si fas est dicere, faustáque Mariæ culpa nostra; ob quam & Mater Dei est, & vt idonea Mater foret, gratiam originalem ab Eua perditam inuenit. Hoc est, quod 231. Maria quodammodo gratiam nobis tenetur restituere. Ludolph. In idem nouus titulus.

piè

piè subiungit Ludolphus: *Gratiam, quam perdidit, inuenit Maria, non solùm pro se; sed etiam pro nobis; imò etiam propter nos: quia, si nos peccatores non fuissemus, Deus de ipsa carnem non sumpsisset: & ideò omnes, qui peccando gratiam amisimus, securi ad thronum gratiæ accedamus, & Mariam inuentricem gratiæ piis fletibus, & deuotis orationibus pulsemus, vt gratiam nobis reddat, quam pro nobis, & propter nos inuenit.* Attende diligenter, quàm semper loquatur de Maria, tanquam de non perdente gratiam; sed de inueniente, quam nos per culpam in protoparentibus amisimus: vt inde pium argumentum robustius intorqueat de restitutione facienda.

223. Obiter tamen, neque id abs re in toto Opere intentâ, libet examinare, vtri opinioni Ludolphus adhæreret: ego enim è piis esse, putaui semper. Initio ergo citati capitis sic habet: *Concepitque Anna, & peperit filiam, quam vocauit Mariam: ab originali autem, quodam priuilegio singulari, in matris vtero purgata fuit.* Equidem, si *purgandi* verbum propriè vsurparet, frustrà singulare priuilegium diceret, quod nouerat Ieremiæ, & Ioanni communicatum. Lato ergo modo (vt sæculum erat minùs contentiosum) purgationem posuit pro præseruatione. Et si fortè eiusdem Authoris sunt indices, & margines huius libri, iam res claret: vtrobique enim sic habetur: *Maria purgata, sed magis præseruata asseritur ab originali culpâ.* Sed rem aliunde clarissimè ostendo. Petit in isto capite Ludolphus post multa, figuras ab Scripturâ Marianis mysteriis probandis; vbi varias ad Natiuitatem, Præsentationem, &c. adducit: in primis verò de mysterio nostro sic scribit: *De Maria Conceptione, & sanctificatione est sciendum, quòd cùm Deus humanam naturam assumere decreuisset, congruum fuit, vt Matrem, de qua nasceretur, præmitteret: & hæc per filiam Astyagis præfigurata fuit,* &c. *Ista etiam præfigurata fuit per fontem signatum, in horto concluso positum: quia eam conclusam in vtero matris Spiritus Sanctus sanctificauit, & sigillo Sanctæ Trinitatis sic conclusit, & signauit, quòd in eam nunquam aliquid inquinatum introiuit.* Pende Conceptionem, & sanctificationem coniunxisse, quasi sancta Conceptio notaretur: frustrà enim Matris sanctæ Conceptionem adduceret cum sanctificatione, nisi Conceptionem sanctam intelligeret. Aut, quod tantum, ac tale foret fontis huius signati sigillum, in quem nihil inquinatum introiuit vnquam; si originale inquinamentum eò penetrauit. Si illud, *nunquam*, originalem culpam non includeret, dicturus certè erat, *nunquam deinde*; vel, *nunquam posteà*; vel, *nunquam iam*: quod de Baptistâ cautè dixit Gallicanus suprà n. 229. Redeo.

Ludolphus Carth. an pro sententia pia.

Ludolph.

233. Quòd si verba Angeli de gratia Incarnationis inuenta explicaueris; etiam inde inuentam priùs originalem arguo efficaciter. Cur enim vni Mariæ tanta præstetur dignitas, vt sola inuenisse gratiam mittendi Redemptoris celebretur, quasi Mariæ meritum non dignum, sed cæteris congruentius intelligatur: nisi diuersæ cuiusdam conditionis cum cæteris culpæ obnoxiis fuisset? Sola obtinuit, sola impetrauit, credo, quia sola innocens habebatur. D. Bernard. Serm. 4. de Assumpt. *Hæc est enim*, inquit, *quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit: constat enim pro vniuerso genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est: Ne timeas, Maria, inuenisti gratiam: vtique quam quærebas.* Sed de hoc argumento infrà multa: & de Corredemptrice Mariâ suprà non pauca.

Maria pietas erga humanum genus.

D. Bernard.

Sed parum est, si Mariam gratiâ plenam, & hac originali constituamus: Maria ipsissima quodammodo gratia est. Patitur Christus, neque inter mortis angustias dilectæ Matris curam prætermittit: commendat illam Ioanni: & addit Textus: *Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua.* Ioan. 19. n. 27. id est, illam inter res suas collocauit. Insurgit statim dubium illud notissimum ex Ambrosio lib. de exhort. ad Virg. paulò ante medium: *Quid est, in sua, cùm reliquerit patrem, & Christum secutus sit? Aut, quomodo in sua, cùm ipsi Apostoli dixerint: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & sæcularia non habebat; quia de mundo non erat?* Nimirum, solùm gratias, solùm Spiritum Sanctum, quem à Christo acceperat, habebat Ioannes: ideò, dum Mariam accipit, inter sua ista reponit. Quasi sic plena gratiæ Maria, sic Spiritu Sancto referta; vt ipsissima gratia maneret, & per participationem quodammodo Spiritus Sanctus videretur, ac proinde inter gratias collocanda, & instar Spiritus Sancti (licet tam diuersæ naturæ) recipienda. Fauet ibidem Ambrosius: *Quæ ergo habebat sua, nisi ea, quæ à Christo acceperat? Bonus Verbi, Sapientiæq; possessor, bonus receptor gratiæ. Audite, quæ Apostoli à Christo acceperint: Accipite, inquit, Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum detinueritis, detenta. Neque enim Mater Domini Iesu, nisi ad possessorem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.* Quis somniet, concessurum Ambrosium fuisse aliquando Mariam Dæmonis possessionem, qui necessariò ad gratiæ possessorem, eandem migraturam asseuerauit. 234.

Maria tota est ipsissima gratia penè in Spiritum Sanctum transformata.

Ioan. 19.

Ambros.

Ioannis Euangelistæ encomium.

Habet tamen multùm emphasis ad rem meam, quòd Ioannes vocetur in hoc loco *receptor gratiæ*. Vt enim Summus Pontifex Pontifices aliquos instituit minores, quos bonorum ecclesiasticorum vocamus collectores, & receptores: sic visum à Summo Pontifice Christo, Ioannem in Pontificem gratiarum collectorem delegari, vt Mariæ, tanquàm pretiosissimæ gratiæ, Pontifex assisteret. Intra velum Tabernaculi Arca diuinæ maiestatis insigne constituebatur, Exod. 40. additúrque statim ibi ponendum *altare aureum, in quo adoletur incensum, coram Arca testimonij.* n. 5. Hinc longè dissitum erat tentorium; in ipso, scilicet, introitu Tabernaculi, de quo subditur n. 6. *Et ante illud altare holocausti.* Sed, cur, si victimarum holocaustum, & thuris sacrificium, in eiusdem Dei honorem offeruntur, non in eodem loco, sed in tam longè dissito adolentur? Quia, nimirum, thus, puræ mentis, & flammati amoris symbolum, secretius, & diuinius altare, serenam, & quietam stationem deposcebat; scilicet, extra tumultuosos mugitus, & balatus victimarum, quæ in symbolum occisarum culparum immolabantur. Res cuiuis nota. Illud difficilius, vbinam hæc priscæ legis Sacramenta (cùm vetera omnia, nostrorum essent figuræ) in nouâ adimpleantur. Vbi altare illud aureum puritatis? vbi illud aliud occisi peccati altare? vbi excellentior 235.

Eiusdem Ioannis laus.

Exod. 40.

lentior Pontifex ad incensum, & inferiores ministri ad holocausta? Certè in Maria, & reliquis membris Ecclesiæ; in Ioanne, & in Petro rem suo sale intelligendam expressit Ernaldus ad locum Ioan. citatum apud Tilm. *Petro, inquit, commendatur Ecclesia; illi Maria: illi tumultuosa negotia; huic negotia, sed quieta: illi atria, & vestibulum, & altaria sanguinum; huic commendatur altare incensi, & Sancta Sanctorum: ad culmen ministerij sui nullus secum admittitur; solus illi assistit propitiatorio, solum illud vas aureum continens manna, illud diuinæ legis scrinium Pontifex destinatus obseruat.* Plùs verba sonant de pietate, quàm de veritate intenderit Ernaldus: re enim vera, quamuis Maria esset Petri domina; tamen, quatenus erat Ouis Christi, Petrum Vicarium & Pastorem respiciebat. Id ergo piissimè tantùm voluit Ernaldus; scilicet, cùm Petro iurisdictio vniuersalis in altaria sanguinum, & peccata immolanda traderetur, quantùm est ex hac parte, subductam fuisse Mariam Petri iurisdictioni; & tanquàm purissimam, & ab omni labe immunem, gratiarum collectori Ioanni fuisse traditam; idque non ob huius potestatem supremam in iurisdictione: sed ob iurisdictionem amoris, vt ita dicam, qua sibi gratias & amores Christi comparauit: quas inter, omnium gratiarum maximam, Mariam destinatus Pontifex recepit. Certè Ioannes priuatus Mariæ Episcopus, & Parochus, cui sanctissimam Eucharistiam ministrabat. Non potui breuiùs Ernaldum explicare.

Ernald.

Maria altare aureum.

236. Cùm Ioannes ab initio vocationis suæ Christo semper fuisset in deliciis, cùm frequenter cum Domino discumberet, nunquam tamen legitur super Magistri pectus recubuisse, nisi in cœna vltima, in qua grandi hoc priuilegio decoratur; cuiusque, tanquàm miri, ipse meminit cap. 21. n. 20. Si autem à Sanctis Patribus quæras, quid inde magnum perciperet Apostolus, respondent, ibi vidisse, quod posteà cælestis Aquila scripsit de Verbo in principio apud Deum. Et cur, inquis, huic maximè tam profundum mysterium, idque tempore passioni propinquo reuelatur? Puto, vt receptor gratiarum in hoc primo priuilegio edisceret, quantæ foret dignitatis secundum aliud priuilegium paulò pòst in ipsa passione sibi concedendum: visa enim essentiali sanctitate paterni sinus, in quo Verbum erat; non poterat proportionaliter sanctissimum non putare Matris sinum, in quo ipsum Verbum Caro factum fuerat. Præludit, vt ita dicam, primum illud, isti secundo priuilegio: & parthenica gratia Ioanni tradita, paterni splendoris sibi communicati cumulat beneficium. Fauet citatus Ernaldus: *Discipulus, inquit, ille, qui in cœna Dominica ceruical sibi in pectore Dominico aptauerat, ecce iterum alio priuilegio honoratur: & post illud reclinatorium, in quo viderat: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. officina illa, qua Verbum Caro factum, diligenter ei à Filio commendatur.* Etiam post tantam gratiam diuini illius reclinatorij, in quo Patris, & Filij Sanctitas reuelatur, locum aliquem habet Mariana sanctitas, vt tanquàm addita gratia capiatur: vt è Patris dignitate, quantùm fert creaturæ conditio, assumptæ Matris dignitatem æstimaret.

Plura de eodem Ioanne.

Ioan. 21.

Ernald.

§. III.

Maria gratiarum scaturigo: eius vterus Christum generans, nos regenerauit.



NON aliunde clariùs gratiarum Christi plenitudinem explicandam putauit Euangelista, vt nullâ parte vacua intelligeretur; quàm dum, postquàm plenum gratiæ, & veritatis illum describit, subdidit: *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ioan. 1. n. 16. Nec ego aliunde efficaciùs probari credo Marianæ gratiæ plenitudinem in ipsâ Conceptione non vacuatam, quàm si ex communi Patrum consensu demonstrauero, omnes de plenitudine Mariæ accepisse: quæ ideò collum Ecclesiæ, vt pueri norunt, appellatur; quia, vt nihil vitæ, membra cætera corporis participant è capite, nisi medio collo transmittatur: sic in corpore mystico, nihil gratiarum à Christo, nisi mediâ Mariâ, participamus. Christus omnes gratias de condigno, easdem nobis de intercessione Maria promeretur: vna est thesaurus, ipsa Conda, ipsa Proma gratiarum. Ideò D. Thomas Valent. Conc. 1. in Annunc. *Aue, gratiâ plena. O plenam, & plenissimam hydriam, ex qua omnis potatur rationalis creatura: bibit nuncius; bibunt incurui cameli. Angelos, & homines ex tua plenitudine satiasti, Maria. Quis enim ex hac tua non potatur hydriâ? Ex hac Angelus gloriam, iustus gratiam, peccator veniam, mœstus lætitiam, captiuus indulgentiam bibit.* Hæc ergo tanta prærogatiua ad rem nostram iam fusiùs ponderanda.

237. *Maria, Mater gratiæ, nos regenerat.* Ioan. 1. Thom. Vale.

Inter amoris delicias, & suauissimas gratiæ teneritudines degebat beata anima, cùm exclamabat: *Quia amore langueo.* Cant. 2. n. 5. Ex Græco legitur: *Charitate vulnerata ego sum.* At ecce tibi mysticè de hoc amore, & gratiæ plenitudine locutus Simeon ad Mariam ait: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. 2. n. 35. Maria non tam vulneratur charitate, non tam amoris gladio configitur, quàm pertransitur: quoniam vulnus absolutè prolatum, & configens amore, satis intelligitur; quamuis pars aliqua animæ, nostro dicendi modo, remotior intacta perseueret: vulnus verò pertransiens, & vtrunque latus penitùs transuerberans, nihil sanum ab hoc ictu beato poterit reseruare: nec posset Maria perfectè plena gratiâ intelligi, si aliquam amore vacuam particulam retineret. Bernardus ibi apud Tilman. *Est gladius, amor Dei, qui Mariæ animam non modo confixit; sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret: sed toto corde, totâ virtute diligeret, vt esset gratiâ plena.* Sed mihi semper aliquod mysterium in eo inuolui, quòd amor iste pertransiens dicatur, visum est. Attende ad rem meam.

238. Cant. 2. *Amor Mariæ qualis in Deum.* Luc. 2. Bernard.

239. Vt Maria vndique amore, & gratiâ plena intelligatur, satis erat, si amor transuerberans, & transfodiens diceretur: cur ergo solummodo pertransiens nominatur? Nónne quod pertransit ab vno,

Ab illa ad nos deriuatur, tanquàm à charitatis Matre.

vno, in alium locum transit? Planè. Cur ergo amoris hæc gratia transeat per Mariam; aut quem alium digniorem locum poterat occupare? Est amor infinitus: sic à Maria transit ad alios, vt Mariam non deserat: veruntamen non transiret ad nos, nisi Virginem pertransiret. Impleuit illam, vt tanquàm a plenissima scaturigine ad nos manaret. Fons exundans facta est Maria, vt de eius plenitudine accipiamus: illa vbertatem concipit; nos guttas haurimus: illa totum gladium combibit dulcissimum, & transmissum, vt nos prolato inde cuspide saltem vulneraremur.

Bernard.

Bernardus citatus, post dicta sic subiungit: *Aut certè pertransiuit eam, vt acciperemus; & fieret Mater charitatis: cuius Pater est charitas Deus parturiens; & in Sole ponens tabernaculum eius. Et illa quidem vulnus suscepit amoris, & suaue: ego verò me felicem putauerim, si summo quasi cuspide huius gladij pungi interdum me sensero: vt vel modico accepto amoris vulnere dicat anima mea: Vulnerata charitate ego sum.* Semper, quantùm res patitur, à Patribus Maria Deo componitur: & sicut iste Pater charitatis; sic suo modo charitatis Mater Maria appellatur. At quomodo originalis culpæ, & odij filia permitteretur, quæ in gratiæ, & amoris Matrem destinabatur?

240. Inuitabat Deipara fideles, vt ad se transirent: & post multa subiungit: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei: in me gratia omnis vitæ, & veritatis.* Ecclesi. 24.n. item 24.

Eccli. 24. Vverric. *Et ipsa pulchræ dilectionis Mater qualis.*

Vult Vverricus hic apud Godefr. pulchram hanc dilectionem, esse pulchrum, & decorum Christum, quem toties Maria in Canticis, de pulchritudine commendauit: & meritò: qui enim Deus est, & charitas pulcherrima sit, necesse est. Veruntamen, quorsum huc timor, agnitio per fidem, spes: cùm timor, qua parte imperfectus, fides, & spes, à Christo semper beato exularunt? Peperit Virgo pulchram in ipso Christo charitatem, sic increatæ charitatis Mater appelletur: at imperfectum timorem, spem, & fidem, in Christo certè non peperit: cur ergo eodem modo, & pari tenore, horum omniũ in Christo Matrem se exhibeat? Nimirum, quæ omnem gratiam vitæ, & veritatis continet communicandam; Christum in semetipso peperit charitatẽ: sed eundem Christũ in nobis, timorem, fidẽ, & spem peperit benignissima. Nascitur Christus in se charitas: sed in nobis timor, fides, spes renascitur ipse Christus. Benè igitur eodem tenore Mater appellatur: quia, dum Iesus ab illa generatur, nos prædictis virtutibus ex ipso regeneramur.

Vverric. *Christus quomodo formetur in nobis.*

Vverricus citatus de Christo pulchro, & decoro locutus: *Hunc*, inquit, *commendans Beata Virgo Maria sic ait: Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei, &c. Ergóne iste est Filius tuus, ô Virgo virginum? Ergóne talis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Sanè talis est dilectus meus, & ipse est Filius meus, ô filiæ Ierusalẽ. Dilectus meus est pulchra dilectio in se ipso: dilectus meus est pulcher timor, spes, & agnitio in eo, qui natus est ex ipso: ipse enim est non solum, quem diligimus, timemus, agnoscimus, & in quem speramus; sed etiam hæc omnia operatur in nobis, atque his virtutibus, veluti quibusdam membris, & partibus, in nobis perficitur, ac formatur.* Quid non gratiarum accipimus à Maria, quæ, dum Christum sic generat, nos regenerat; eius & in se, & in nobis Mater piissima? Sed de hoc statim plenas paginas.

Nunc obiter nota, has virtutes à Maria in 241
Christo, aut à Christo per Mariam nobis transfusas, cùm fortes, & strenuæ dicendæ viderentur, pulchras vocari: nescio enim, qu d habeant illi iusti, qui Mariæ obsequio mãcipati, & deuoti seruitio, ab illa peculiariùs videntur virtutes participare: vt illorum virtutes non solum excellentes sint; sed etiam pulchriores, hilariores, & venustiores.

Virtutes non vtcunque; sed pulchra à Maria.

Nihil in his subtriste, nihil obnubilatum, asperum nihil, quod quandoque in aliis iustis videtur apparere: sed totum est decorum, totum speciosum. Elegerunt (finxit quidam) arbores dicandas sibi Dij: & dum alij ab vmbrosa amœnitate, alij a virore frondeo, hi à fructus colore, illi à gustu caperentur; Minerua sibi oliuam comparauit, neque de vmbra cum platano, neque de virore cum citreo, neque de fructus pulchritudine, vel gustu cum punico certaturam: & tamen Scientiæ Dea à Ioue in electione commendatur: licèt enim oliua dictis arboribus cedat quoad amœnam pulchritudinem; tamen quoad emissi olei vtilitatem, his, & cæteris omnibus longè præstat. In oliua non speciositas quæritur, sed vtilitas. Putares ergo, Deiparam, dum sibi oliuã sumit in figuram, quia gratiarum pinguedine suos inungit, frugiferæ & onustæ potiùs, quàm speciosæ oliuæ comparandam: & tamen audis illam ibidem: *Quasi oliua speciosa in campis.*

Eccli. 24.

Credo: quia vna est oliua Maria, quæ non solùm vtilitatem confert, sed pulchritudinem; non solùm sancta opera, sed decora; non solùm probos mores, sed & speciosos: ideò, quod rarius erat, commendauit, & *oliua speciosa in campis.* Ecclesi. 24. n. 29. appellatur. Adam de Persenia ibi apud Godefr. *Species morum, operum decor, meritorum gloria; totum de gratia Mariæ percipitur, cùm amatur.*

Adam Pers.

Et benè (quod iam ex eodem Authore præoc- 242
cupauit mihi noster Sherlogus) tam speciosa oliua, non tam in sepito prædio, quàm in aperto campo collocatur: quia Mariæ gratia non priuati vnius cedit vtilitati; sed omnibus communis in propatulo communicanda exhibetur. Sed intacta adhuc alia hic meditanda. Flores, quò pulchriores, quò suauioris fragrãtiæ, & amœnioris venustatis, eò in secretiori viridario, & horto abstruso reconduntur. Quis non speraret, Nazarenum nostrum floridissimum, illibatum, & æternum florem è cælo in terram transplantandum, in secreto aliquo vernaturum Paradiso, vnde tantæ excellentiæ pretium notaretur? Et tamen nosti, quid dicat Cant. 2. n. 1. *Ego flos campi.*

Cant. 2. *Christus flos campi à cãpestri oliua Maria.*

Nimirum, qui in omnium salutem venerat, omnibus erat in propatulo apponendus: & vnde tanto bono flos diuinus in campo patẽtissimo collocatur? Nimirũ, ab oliua nostra in campis collocata: illa hunc florem honestatis fructificauit, vt nihil à campestri flore percipi gratiarũ intelligas, quod suo modo ab oliuã nostrã perceptũ non cognoscatur. Et meritò arbor nostra florem suum, & fructũ exhibet in apertũ: vt, sicut protoparentes lapsi rebelles libidinis (Authore Irenęo alibi dando) motus, iniecto ficulneo cilicio, tãquàm continentiæ fræno, compescuerunt: sic nos participata originis vitia à Marianæ arboris flore omnibus exhibito refrænemus. Genes. 3. n. 7. Adam de Persenia citatus: *Virgo sanè nostra*

Genes. 3. Adam. Pers.

nostra est oliua speciosa in campis, &c. *In campis posita florem campi protulit, cuius amœnitate pulcherrimâ, campestria sibi humana turpitudinis nuditas procurauit. Campestria sunt perizomata, velamenta turpitudinis, quæ de flore isto sibi consuunt, quicunque per fidem, & amorem Virginei partus, criminum verecunda deponunt.* &c. *Filij hominum, vsquequò graui corde, à corde Virginis elongatu? Vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendaciũ? Cum intra nostræ Virginis vterum mirificauit Dominus fructum suum, cur non properatis ad oleum?* Ponat in Virginis origine vitium, qui contra Adamaticę originis vitia, ab eadẽ perizomata negauerit desumpta: at præseruet à vulnere, qui ab oliua nostra oleum fatetur vulneribus ministratum. *Si Virginem nostram* (dixerat idem Author) *oliuã diximus, erit oleum partus eius.* Cur vitabimus oliuæ nostræ radicem, vnde tam salutare oleum nobis effusum adoramus? Euitemus muscarum conditionem, quæ mortuæ, authore Salomone, vnguenti suauitatem corrumpere conantur.

243. Quàm aliter antiquissimus Author Ioannes Geometra hym. 2. radicem oliuæ nostræ putauit celebrandam, vbi post multa de Mariâ: *Maria, radix pura.*

Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια· παναγνοτάτης ἀπὸ ῥίζης
Ἔρνος ἔφυς χαρίτων τρίπλοον, ἐκ τετπλόν.

Vulgò sic vertitur:

Salue, ô Regnatrix, cuius purissima radix
Stirps Charitum triplex, atque sata à Triade.

Verto, vt sonat carmina Græca fidelissimè: *Salue, ô Regina: intemeratissimâ à radice germen prodiisti gratiarum triplex, à triplici.* Istud, *à triplici*, optimè per Trinitatẽ explicauit Vulgatus, attendens ad piissimi Geometræ mentẽ. Oritur itaque Maria germen Charitum, siue Gratiarũ; sed à radice omninò purissima, & intemeratissima. Et cũ allusione ad tres Charites, seu Gratias, quas prisci celebrabant, à tribus Trinitatis Personis immaculatissimè plantata celebratur. Neque solùm cãpestre germẽ à radice purissima voluit Geometra celebrare Mariam, vt dictum nobis campestrem florem ederet condignè: sed & ipsam Mariam florem vndique incorruptũ appellauit, subdens: *Flos incorruptus.*

Χαῖρ' ἄνθος ἀκήρατον, εὔοδμον ἀμφοτέρωθεν
Κάλλεσιν ἀμφαδίοις, κάλλεσι κρυπτομένοις.

Prætereo Vulgatum: verto prætermissa versus lege, fidelissimè:

Salue, flos syncerissime, benè olens vtrinque,
Dotibus manifestis, dotibus occultis.

Syncerissimus flos, & incorruptissimus, nunquã, aut intus, aut foris odorem amisit: occulta eius spiritus intemeritas, pari passu currit, cum manifesta corporis virginitate: nec aliter tam decenter germen gratiarum, tot nobis illa gratias germinaret.

244. Adhuc ex Ecclesiastico aliud nobis pulcherrimum delibandum: ibi ergo post alia: *Cognoscãt te, inquit, sicut & nos cognouimus: quoniam non est Deus præter te, Domine. Innoua signa, & immuta mirabilia: glorifica manum, & brachium dextrum.* cap. 36. n. 5. 6. & 7. Sed, quò pergis, Sapiens prudentissime? Cur, vt glorificetur Christus, manus, & dextra Patris toties appellatus, non tam alia, quàm *signa* innouãda? *Si mirabilia* sunt, augeãtur in maius, esto; sed perseuerent: cur immutanda deposcis necessariò? Ne in noua regeneratione nostra, priscæ generationis vestigium appareret. Signa quidem, & mirabilia in Adamo, & Eua *Eccli. 36.* præcesserunt; sed ad mortẽ: innouentur illa, ista immutentur in Christo, & in Maria; sed ad vitã: vt, quemadmodũ inde miserias, hinc iam gratias participemus. Ast, quomodo innouata mutãtur? Nescio, si quid acutius dixit Cardinalis Hailgrinus ad Cant. 4. n. 9. opponens Euæ Mariam: vbi post multa sic ad locum nostrum: *Libeat igitur attendere in hac Sponsa, qualiter primæ sponsæ sit opposita. Prima sponsa de costa viri sui formata est: sed de carne huius Sponsæ formatus est Spõsus eius: vnde in Ecclesiastico dicitur ad Dominum: Innoua signa, & immuta mirabilia. Mirabile siquidẽ fuit, de costa viri formare mulierem: immutatio mirabilium est, quòd de sola carne mulieris formatus est homo. Cæterùm, cùm de osse viri formata est caro mulieris, signũ fuit, quòd per mulierem humana infirmaretur natura. Facta est autem signorum innouatio, cùm de carne mulieris factus est vir, per quod significatum est, quòd per hanc generationẽ, humana natura ab infirmitate reuerteretur ad firmitatem.* Ossei adhuc, & integri ab Adamo effœminamur in Eua: carnei à Maria virilizamur in Christo. Etiam quæ in Maria sunt infirmiora, robustissimis Adami integri præstare videntur. Quis audeat affirmare, fuisse carnem illam maledictã, in qua tot benedictionibus dulcedinis, tot gratiarũ cumulis ad regenerationem præuenimur? *Hailgrinus.* *Antiena Maria.*

Sunt obscura, sed grauissima in hanc rem illa Pauli, quibus ad imitationem Christi prouocat fideles: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis: qualis terrenus, tales & terreni: qualis cælestis, tales & cælestes.* 1. Cor. 15. n. 47. Non vocatur Christus cælestis, (quod Hæretici somniarunt,) quòd cælestem quandam carnem ab astris traxerit; sed, quòd in vtero Virginis ab Spiritu Sancto formatus cælestem quandam conditionem importare videbatur. Vnde ergo vis argumenti, & similitudinis ratio petita? Terreni quidem sumus instar Adami: quia sub huius carne, terrenam eiusdem traduximus materiam. Vnde autem iam cælestes erimus instar Christi, si neque à Virgine, neque ab Spiritu Sancto formati sumus? Iubeamur quidem virtutes Christi imitari, sicut terrenos Adami mores imitabamur: at, qui fieri potest, vt sicut ab vno, sic ab alio orti cognoscamur? Dices, nos per gratiæ infusionem, iam non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; sed ex Deo natos esse: atqui eandem sub diuersis terminis inuoluis dubitationem: id enim testatur Ioannes factum, ex eo, quòd *Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis; & dedit filios Dei fieri potestatem.* At in hoc est, quòd maximè laboramus, cur ex eo, quòd Verbũ in Maria Caro fiat Spiritus Sancti obumbratione: nos non solùm diuinæ gratiæ; sed etiam filiationis diuinæ participes habeamur? Rem sic habe. Vterus ille Spiritu sanctificatus, non solùm Christum; sed omnes homines portauit, factâ capitis, & membrorum mysticâ vnione. Benè ergo Christo congeniti à Maria, eiusdem erga Deum filiationem, vt possumus, participamus: & Christi hominis fratres, Christi Dei, atque cælestis Adami filij cælestes nominamur, & sumus. Chrysol. Serm. 117. *Qualis, inquit, cælestis, tales & cælestes. Quemadmodũ non nati taliter, tales poterunt inueniri? Non manendo, quod nati sunt; & quod renati sunt, permanendo.* 245. *1. Cor. 15.* *A Maria cælestes sumus.* *Chrysol.*

manendo. Hinc est, Fratres, quòd virgineum fontis vterum cælestis Spiritus arcanâ luminis sui admixtione fœcundat: vt quos origo limosa stirpis profuderat sub miserâ conditione terrenos, cælestes pariat; & ad similitudinem sui perducat authoris. Refugit mens suspicari, ab Adamo primo, quatenus terreno, & vitiato, natam Mariam; quæ terrigenas omnes Adamo secundo vnitos integros peperit, & cælestes. Celebretur origo pura libertatis, quæ limosam seruitutis originem defæcauit.

246. Cant. 5. Guillelm. *Maria Deo omnes concorporauit.* Capies hinc dulcissima Deiparæ verba: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Cant. 5. n. 1. quę sic paraphrazat ibi Guillelmus: *Necesse est itaque, vt verus sit nuncius veritatis, vt non tantùm sit Dominus mecum; sed etiam vt sit in me, & carnem sumat ex me. Hoc eum velle ex verbis tuis intelligo: fiat mihi secundum verbum tuum: veniat in hortum suum: veniat dilectus meus, quem deperit cor meum.* Vbi multa de Virgine consensum præbente Gabrieli, & Incarnationis vota exprimente, referuntur. Sed, quid Verbo incarnando, & in floridum Virginis vterum venturum, cum his, quæ statim addit Maria? *Veniat*, inquit, *dilectus meus in hortum suum: & comedat fructus pomorum suorum.* Si fructuum nomine intelligit virtutes, (vt omnes ferè explicant,) hæ quidem non tam ex vteri, quàm ex sanctissimæ illius animæ horto degustandæ. At, si reuerà horto animæ interim prætermisso, purissimi ventris hortum exhibet Maria: quos ibi fructus gustandos inueniat Christus, qui vnicus, & benedictus beati illius ventris fructus existimatur? Respondet pulchrè Guillelmus, quem do carptim: *Verbum ex me Carnem sumat: Deus ex me corporetur. Cur? Vt comedat fructum pomorum suorum: vt incorporet sibi electos suos, &c. Ipsi ergo incorporentur, vt saluentur, quos Deus ad salutem prædinauit: hoc est, ipsi vniantur, tanquam cibus comedenti: in ipsum sic transeant, vt eius membra fiant, & de Spiritu eius viuant.* Non inuenit quidem Verbum fructus alios in illo vtero iam præmissos. Ast, vbi ipsemet Deus ab eodem, tanquàm fructus, germinauit, pariter electi omnes indidem tanquàm fructus vniti Christo germinarunt. Nunc iam attende.

247. *Maria terra benedicta.* Quis credat, hortum tantum, sic aliunde diuino, aliunde sic vtilissimo nobis prouentu fœcundum, ab Adamo terreno, & iam captiuo, & non potiùs ab eodem, quatenus liber fuit, & innocés, plantatum? Lubet exemplum ponere ab humanis, idque pulcherrimis verbis Plinij lib. 18. cap. 3. de modicis agris olim vberrimos fructus vbique Italiæ proferentibus: *Quænam ergo tanta vbertatis causa erat? Ipsarum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, vt fas est credere, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, &c. At nunc eadem illa vincti pedes, damnata manus, inscripti vultus exercent: non tamen surdâ tellure, quæ parens appellatur, colique dicitur & ipsa, honore hinc assumpto: vt non inuitâ eâ, & indignè ferente credatur id fieri. Sed nos miramur ergastulorum non eadem monumenta esse, quæ fuerint Imperatorum?* Sic reuerà euenit Adamo, qui dum integer, dum Imperator terram Paradisi laborans, & custodiens Genes. 2. num. 15. terram habuit lætas segetes producentem: quia, vt benè Alcuinus quęst. 51. *Ea, quæ Deus creauerat, humani operis adiutorio latiùs, viuaciúsque prouenirent.* quod labor ille voluptuosus efficiebat. Ast, vbi damnatus culpæ, peccati stigmatias, sudato labore terram exercet, non tam punitor Deus, quam ipsa terra, Genes. 3. n. 18. spinas, & tribulos misero progerminat. Vnde dolenter Gillibert. Serm. 35. *Laborat in terra eiectus Adam: & non Dominus: sed ipsa terra spinas, & tribulos germinat operanti.* Non miremur: aliter, atque aliter tunc Domino, nunc ergastulo respondebat.

Plin. *Terrà quodámodo sensus in agricultura.* Genes. 2. Alcuin. Gillibert.

Sic in re nostra: culta ab Adamo peccatore terrena progenies, spinas, & tribulos culpæ, & libidinis producebat: culta ergo ab Adamo, quatenus innocente, Maria, quæ tot gratiarum fructus germinauit. Adami caro est virgo, sed non infecta: gaudet laureata integræ originis conditione, & triumphali adhuc protoparente. Et quomodo in Adamo præuaricatore, & posteros inficiente foret Maria, quæ posteros reficiendos vniuit Christo? Pergat Guillelmus citatus: *Sanè in vtero Virginis per humanæ assumptionem substantiæ factus est Caput Ecclesiæ, quæ in hominibus est: ibi comedet fructum pomorum suorum, ibi incorporabit sibi electos suos, &c. Sicut enim Adam, quando præuaricatus est, contaminauit omnes ex se carnaliter nascituros: sic & Christus, quando de Virgine incorporatus est, concorporauit sibi omnes non fictè credituros. Sic eius, ex nostri generis fœmina, Incarnatio, nostra in eum traiectio est.* Quàm aliter ab Adamo nascimur, & in Christo à Virgine renascimur: tam aliter, puto, de illius culpa, & huius innocentiâ philosophandum. Addo his tenerrima verba D. Thomæ Valent. Conc. 2. in Natiu. Virg. *Lætare, ô pater Adam, sed magis tu, Eua mater, exulta: qui, sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; &, quod infelicius est, priùs peremptores, quam progenitores. Ambo igitur consolamini super filia, & tali filia. Quid dicis, ô Adam? Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Ecce redit hodie tibi fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ; & pro venenoso cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni.* Non vacat modò expendere verba Sancti Doctoris, cùm aliàs constet, quàm ipse expressus, & strenuus fuisset immunis Conceptionis propugnator. Vide quæ suprà ex illo attuli n. 220.

248. Guillel. *Antitesis Maria.* Thom. Val.

§. IV.

Pergitur in eadem gratia, ab vtero Mariano participata.



249. *Maria cōmunis omnium Mater.* Cant. 4. OPTIMÈ itaque Mariani horti fructus, per iustos ibi gratiarum effusione renatos explicantur: adhuc tamen festiuiùs, & grauiùs id aperuit ipse Christus locutus ad Mariam: *Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum, cùm pomorum fructibus.* Cant. 4. n. 12. & 13. licèt enim conclusus hortus, & vndique gratiâ, & virginitate circunseptus inuiolabili: at tamen emissiones

protulit,

protulit, fructus emisit. Sed, quis plures emissiones dictas non miretur; cùm felici vna tantummodo emissione Christi fœcundaretur? Vnde emittens pluraliter, quæ singulariter partum diuinum edidit? Vnde tot fructus alij, cùm fructus vnus æternus germinarit? Respondet hîc Guillelmus: *Emissiones*, inquit, *fructus ex ea sunt emissi. Vnicus eius fructus est, qui ab efficacitate salutis, dictus est Iesus: sed in vno illo fructu, multiplex est fructus. In vno Saluatore omnium Iesu, plurimos Maria peperit ad salutem: pariendo vitam, multos peperit ad vitam. Eo ipso, quòd Mater est Capitis, multorum membrorum Caput est*, &c *Corporaliter Caput pariendo, spiritualiter membra peperit: vnde etiam ab omnibus Mater appellatur: & ab omnibus cultu debito, vt Mater, honoratur.* At viderit ipse Guillelmus, an satis cultu debito Matrem honoraret ipse, qui illam fœdatæ origini immersit: & an meritò in aliquo instanti gratiâ spolietur, à cuius plenitudine, hanc filiationis gratiam comparauimus.

Guillelm.

250. At, quàm signatè *emissiones* istæ vocantur *Paradisus*: quia tales de Marianâ gratiâ reformamur: vt paradisiacam innocentiam, quantùm res patitur, recuperare indidem videamur. Recurre ad illa, quæ de mystico Paradiso dixi suprà n. 226. ex Petro Cellensi, qui Spiritus Sancti vndis rigabatur: & adde nunc ad rem præsentem, quæ in eodem cap. 12. citato addit Cellensis: *De loco, inquit, voluptatis fluuius egrediebatur ad irrigandum Paradisum. Benè talis locus, tali flumine irrigatur: qui enim irrigatur, Paradisus est: qui irrigat, Paracletus. Prorsus nec alio irrigari Paradisus, nec alium debet irrigare Paracletus. Illo fluuio apud Superos nihil excellentius: isto loco apud terrenos nihil cælestius. Ille fluuius voluptatis: iste locus deliciarum.* Dum ergo Paradisos nos emittit Maria, si in accepto virore perseueremus, nihil nisi Spiritus Sancti inundantes gratias capiemus; exulabit culpa; labes auerruncabitur. Cur ergo spolietur vnquam Paradisi innocentiâ vterus ille, qui Paradisos potuit germinare? Cur vnquam Spiritus Sancti gratiâ defraudabitur, qui cælestes eius vndas nobis potuit deriuare? Quid dignè in hac re, de tanto dicendum foret, vidit D. Thomas de Villan. Conc. 1. de Annunc. *O venterum, inquit, cælo capaciorem, Empyreo illustriorem, Paradiso fragrantiorem! hîc enim prima hominis Paradisus, in qua priùs ab homine videri dignatus est Deus. Quid hoc ventre sanctius, quid purius, quid locupletius?* Et quidni fragrantior, si in primo Paradiso tantùm in formâ phantasticâ; in hoc secundo, sub veritate Carnis assumptæ cernitur ipse Deus? Quidni purior, si Spiritus Sancti flumen, vt potuit, communicauit?

Maria Paradisus, & quodammodo innocentes producens Paradisos.

Petr. Cel.

Thom. Vill.

251. Redeat huc iterum locus ille Genes. 1. num. 2. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* quem fusissimè Anthologia I. ponderauimus: & cape denuò pulchra verba ad rem præsentem Tertulliani lib. de Baptismo, cap. 4. vbi post multa, ait hæc prænotari: *Ad Baptismi figuram, Dei Spiritum (qui ab initio superuectabatur super aquas) intinctos reformaturum. Sanctum vtique, super Sanctum ferebatur: aut ab eo, quod ferebatur, id, quod ferebat, sanctitatem mutuabatur: quoniam subiecta quæque materia, eius, quæ desuper imminet, qualitatem rapiat, necesse est: maximè corporalis spiritualem, & penetrare, & insidere facilem, per substantiæ suæ subtilitatem. Ita de Sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit.* Quasi ab ipso orbis initio aqua virtute, & gratiâ, quodammodo concipiens, grauidaretur, vt posteà fructus gratiæ edere posset, & parturire. Initio concepit sanctificationem, quam posteà in baptizatis peperit fœcundissima. Ac quidem non pareret aqua baptizatos, nisi Virgo pareret Christum, in quo baptizandi omnes, vt vidimus, ab ipsa Virgine generamur. Quare ergo ab instanti Conceptionis non capiat Maria realem gratiam, quâ vmbraticam ab initio sæculi concepit aqua?

Genes. 1.

Maria fideles ditat Baptismo.

Tertull.

Hinc iam nouo splendore comenda, trita aliàs verba Chrysologi Serm. 146. vbi de generatione Christi, & Mariæ maternitate: *Maria*, inquit, *Mater vocatur: & quando non Maria Mater? Congregationes, inquit Genes. 1. n. 10. appellauit maria. Nonne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit in vtero, vt emergeret cælestis in nouam creaturam renata progenies, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 11. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari?* Norunt pueri, voluisse Paulum citatis verbis, nubem illam obumbrantem, & mare tutissimo tenore enauigatum, symbolum fuisse Spiritus Sancti, & aquæ baptismalis: è quibus, relicta seruitute Ægyptiâ, siue dæmoniacâ, Christo renascimur: & tamen hoc mare Mariam esse contendit doctissimus Chrysologus, & suo modo de Mariâ intelligendum. Cur ita? Quia non renasceremur ab aqua cælestes, nisi in Christo à Maria renasceremur. Debet aqua Mariæ fœcunditatem: magis Maria Mater; quàm mater renatorum, aqua: quia nisi illa Christo nos regeneratrix vniret, neutiquam ista nos regeneraret. Et negabis Mariæ ad hos gratiæ partus anticipatam ab origine sua benedictionem, quam ob idem, aquæ suo modo participatam ab origine orbis Patres ferè omnes testantur? Clarebit noua hæc Chrysologi explicatio ex iis, quæ adiungo, si attendis paululùm. 252.

Chrysol.

Maria debet Baptismus fœcunditatem.

Vix emergit populus prædictus è mari illo vmbraticè baptizante, cùm post Epiniciū Moysis, parat statim eius soror Maria suum Epinicium: *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua*, &c. *Præcinebat dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est*, &c. Exodi 15. n. 20. Sed, quid huic Mariæ cum populo per aquas liberato? Nimirum, inquiunt, non quà talis; sed quà melioris Mariæ nostræ typus, præcinebat. Sed cur, inquam ego, non tam in aliis populi vincentis, & typici exultationibus præcinit Deipara, quàm in istâ per aquas factâ salute? Quia salutem factam per Baptismum, tanquàm prærogatiuam sibi post verum Moysem Christum quodammodo tribuendam, agnoscebat: & suo iure tantæ exultationis gloriâ sibi humillima arrogabat: nec enim aqua pareret in salutē, nisi quos prior Maria destinatos in gratiam peperisset. Hoc voluit Chrysologus citatus, subdens statim: *Et vt semper Maria humanæ præuia sit salutis; populum, quem vnda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in Cantico*, &c. *Nomen hoc prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare.* Cur iure, nisi quia, vt priùs dixerat, Maria melius mare populum regenerat, vt sit renascentibus à mari salutaris? 253.

Idem confirmatur.

Exod. 15.

Chrysol.

Faciunt ad purioris aquæ istius nostræ encomium, 254.

Psal. 77.

Vnicornis natura.

mium, vt id obiter dicā, illud Dauidis: *Ædificauit, sicut vnicornium, sanctificium suum.* Ps. 77. n. 69. de Deo sanctificāte Mariam, & ab illa venenū culpę eripiente, sicut vnicornis aquas purificat, vt inde pura cæteris ebibatur: de quo pulchrè Salazar in re Cóceptionis. Nec minùs elegās illud eiusdem Vatis Ps. 28. n. 6. vbi Christus dicitur *dilectus, quemadmodum filius vnicornis.* Quia, vt pueri canunt, sicut vnicornis capitur venatoriis retibus in gremio cōptæ virginis: sic in vtero virgineo Mariæ Verbum humana nobis carne irretitur. Restat tamen adhuc pendendū in hoc loco, vnde vnicornis sic in gremio puellę vinciatur somno, vt facilè deinde funibus vinciatur. Patres quidē, & expressiùs Rupertus lib. 2. Num. cap. 20. dum illum odore virginitatis allectū, & deinde sopitum aiunt, videntur voluisse, illā ipsā suauitate quodammodo inebriatum, in somnos iucundissimos prouolui. at D. Thomas Valēt. statim citandus, videtur suspicatus, è præpurgatis aquis auidè bibentem, humidis vaporibus quodāmodo inebriari. At tunc, inquis, vnde ad incarnatum Verbum deducta comparatio? Audi, quid ad rem nostram de effusione gratiæ Marianæ habeat hic Sanctus Doctor Conc. 1. in Annunc. *Aue, ò gratiā plena. Opt'imam, & plenissimam hydriam, ex qua omnis potatur rationalis creatura, &c. Omnes bibūt ex ea: neque minuitur hydria. Bibit quoque Omnipotens ipse, & inebriatus amore, oblitus maiestatis, properat ad dilectam; ac, velut vnicornis Filius, gremio Virginis capitur, carnis nexibus irretitur, sicut scriptum est: Dilectus, quemadmodum filius vnicornis.* Hoc ergo addit Thomas cæteris Patribus, quòd isti odore tantùm virginitatis tractum exprimunt Verbum: Thomas priùs inebriatum voluit gratiā Marianā, ne deinde in virgineum gremiū descenderet. Bibit ergo ab his aquis ad vtilitatem omnis rationalis creaturæ: at Deus, qui inde vtilitatem percipere nō potuit, inebriantem tamen hausit amorē. Vide, an puriora Seraphica fluenta, quæ sic Deum inebriare non potuerunt.

Psal. 28.

Maria quomodo diuinum vnicornem ceperit.

Rupert.

Thom. Val.

Deus Maria amore inebriatus.

255. *Sepiarum ingenium.*

Meritò igitur, perspectā iam crystallinā harum aquarum puritate, fidelibus Doctoribus, pontificio Diplomate cautū est, ne contra piam opinionem publicè arguatur, aut prædicetur: ne teneros auditores, adhuc ouo inclusos, id est, in doctrinæ rudimentis constitutos, turbatā sacri fluenti synceritate contra pietatē Virginis, instar sepiarum, armare videremur. Audi, quid de his pisciculis Athenæus lib. 7. Dipnos. cap. 36. *Si quis sepiam insectetur, illa atramentum fundit, ac in eo occultatur, vlteriùs aufugere simulans. Cùm pariūt, mas feminam è vestigio sequitur, qui ouis atramentum superinfundit, atque ita efficit, vt solida efficiantur.* Malæ sepiæ Hæretici, quibus doctrina sana impugnatur: neque enim rationis oleo superfuso; sed iniecto nescio quo sophismatū atramento, purissimum mare nostrum obscurant, ne capiantur: & tunc se mares, imò viros putāt, cùm eodem tenebroso profluuio oua, siue teneros discipulos contra Ecclesiam indurant. Sed, quidquid gānniant, à catholicis Doctoribus, etiam in ipso sophismatum atramento deprehendentur, & elucidatā vero doctrinæ oleo vndā catholicā, conuicti capientur: vt iam contra nostri æui Hæreticos iactemus, quod cōtra priscos in re simili dixit Tertull. contra Marc. lib. 2. cap. 20. *Sed enim sepiæ isti, (quorum figurā illud quoque piscúlentum de cibis lex recusauit,) vt traductionem sui sentiunt, tenebras hinc blasphemiæ internomunt: atque ita intentionē vniuscuiusque iam proximam dispargunt, allitando, & asseuerando ea, quæ relucentem bonitatem Creatoris infuscent. Sed & per istas caligines sequemur nequitiam, & in lucem extrahemus ingenia tenebrarum.* Bene ergo nobis, vt dixi, publicè arguendo dubitare interdicitur, ne vel atramenti vmbrā relucentem maris, siue Mariæ nostræ puritatem infuscare videremur. Aliud est, quod viris Catholicis, sanctissimis iuxta, & doctissimis, pio indagandæ veritatis studio, permittitur adhuc; sed in recondito. Pergo.

Athen.

Tertul.

256 Inter præconia alia, quibus in Cant. purissimum hunc vterum laudauit Salomon, sic habet cap. 7. n. 2. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis*, quia, vt alibi fusè dicam, panem de cælo edidit, Eucharistiam omnibus apparauit: vt ex hac bonā gratiā per Mariam communicatā reapse homines, & per amorem Angeli satientur. Do tantùm D. Thomam Valent. Conc. 1. de Annunc. ad hunc locum, vbi ita: *Venter tuus, aceruus tritici, &c. illius, inquam, tritici, quo Angeli saginantur, populi reficiuntur, & spiritus satiantur: illius panis, qui de cælo descendit, quo qui pascitur, non morietur in æternum.* Sic à Maria gratiarum gratiam omnes particip ant. Sed tu mihi pende panem istum cælestem, qui in Euangelio *granum frumenti cadens in terram* celebratur; in hoc loco non tam granum, quàm granorum aceruum appellari. Et cur aceruus multiplex in hoc vtero, qui in terra solitarium granum constituitur? Quia sic ille vterus Christum generans nos regenerauit, sic Christo ipsi vniuit regeneratos, vt iam non solùm diuinum granum; sed granorum aceruum peperisse videatur. Honorius ibi: *Venter etiam tuus beatus, in quo iacuit Vnigenitus Dei incarnatus. qui fuit triticum, de quo conficitur panis fidelium: ipse est aceruus, in quo cumulatur fidelium populus.* Indignè sanè ponitur vnita culpæ, quæ de gratiarum plenitudine, tantæ peregit gratiæ vnionem.

Cant. 7.

Maria Eucharistiam nobis parat.

Thom. Val.

Honor.

257 Et quidem ideò statim vterus tanti operis artifex, *vallatus liliis* describitur: non maceriā adhibuit; non sepes etiam, quas vocant viuas, felici areæ putauit admouendas: sed illam vallo bellico, militari constringit sepimento virtutum: ne inferno hosti, ne infestanti culpæ aliqua ex parte aditus pateret. Maius est illud, quod non vtcunque; sed *lilia* vocentur hæ virtutes: vt dum Christus Cant. 2. *lilium* appellatur; virtutes Deiparæ, & gratias strenuissimas, atque Christo simillimas recognoscas. Hoc est, quod statim subdit D. Thomas proximè citatus: *Vallatus, inquit, liliis. Quibus liliis, nisi quibus pulcher cibatur hinnulus, qui pascitur inter lilia, lilium & ipse conuallium? Liliorum medio, vallatus liliis pascitur inter lilia, &c. Et bene vallatus liliis, vallante se Deo, vt ex nulla parte peccato pateret aditus: intus Deitate plenus, foris virtutum vallo munitus.* O imbelle vallum, si in ipsa statim origine perrumpi potuit!

Maria Christo simillima.

Cant. 2.

Thom. Val.

258. Habet tamen adhuc aliquid noui ponderis, si dicas, iam granum nostrum in vtero Virginis *aceruum* appellari: quia cadens in terram, & mortuum, resurgens posteà culmos nostros protulit, & multum ferens fructum Ioan. 12. spicas cumulauit. Hoc voluit

Christi resurrectio bono nostro.

acutè

Ambros. acutè Ambrof. de inftit. virg. cap. 14. *In Virginis*, inquit, *vtero simul, & aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat: quoniam & granum tritici generabat, & lilium: granum tritici, secundum quod scriptum est: Nisi granum frumenti*, &c. *Sed, quia de vno grano frumenti aceruus est factus, completum est illud propheticum: Et conualles abundabunt frumento. quia granum illud mortuum, plurimum fructum attulit.* Et quomodo morte culpæ arefceret aliquando vterus ille, qui, dum granum producit, iam granorum meditatur aceruum, æternæ vitæ, & immortali gloriæ germinaturum? Exemplo rem confirmo.

259. *Christi mors gloriosa.* Dixi in Cantico noftro tropologico ad finem n.1322.ideò Abrahamum, aliunde fanctiffimum, & pauperrimum fpiritu, non folùm fepulcrum; fed etiam ius fepulcri voluiffe: quia deftinatus morti, in hac vna hæreditate proprietatem habere, decorum & neceffarium exiftimabat. Videbatur ergo, cæleftis paupertatis Magiftrum Chriftum, qui (quòd Agnus ab origine mundi occifus dicitur) Primogenitus mortuorum appellatur, licèt cæteris omnibus renunciaret; fepulturam fibi propriam comparaturum; & morti infallibiliùs deftinatum, hanc faltem hæreditatem poffeffurum: & tamen mortuus in alieno conditur fepulcro: ideò dicitur de Iofeph fepeliente facrum Corpus: *Et posuit illud in monumento suo nouo.* Matth.27.n.60. Et cur careat proprio faltem fepulcro, qui fic certæ morti parabatur? Quia cæteri à morte vincimur, dum morimur: Math. 27. Chriftus dum moritur, mortem detriumphat. Habeat Abrahamus ius fepulcri, quia ipfe iure ftrictiffimo mortis poffidetur: refpuat ius mortiferæ hæreditatis Chriftus, qui tantùm abfuit, vt iure à morte poffideretur, quin potiùs æternæ vitæ ius habuerit. D.Ambrof.lib.3.de virg. *Alienum*, inquit, *monumentum fuit, quia suum monumentum Dominus non quæsiuit: habeant tumulum, qui sub lege sunt mortis; victor mortis suum tumulum non habeat: non enim ille sepulcrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat.* D.Ambrof. Nunc ad rem. Id iuris ad æternitatis vitam feliciorem, de plenitudine acceptæ gratiæ, habuit Maria, vt illud per Chriftum omnibus communicarit: quo ergo iure morti culpæ adftringitur, quæ vitam nobis gratiæ reparauit? Vnde fubdatur culpę, per quam erant trophęa de ipsâ culpâ referenda? Sed, quoniam de vtero Mariæ alibi mihi plura dicenda funt; claudo hanc paginam verbis Petri Cellenf.lib.de Pan.cap.21. Petr. Cell. quæ quod dixi de vtero fertili, & vitali confirmant. Ergo poft multa de Maria concludit: *Clibanus est ad panem præparandum; thalamus ad Sponsum excipiendum; templum ad Pontificem intromittendum. Clibanus ad victum, esurienti; thalamus ad sobolem Christianorum; templum ad emundationem delictorum.* *Vteri Mariani excellentia.* Habes, quæ fatis fint de plenitudinè gratiæ Marianæ, ne in Conceptione vacua intelligatur: vbi non tam laboris fuit dicenda quærere, quàm euitare dicta. Nunc ad grauiorem huius Articuli Anthologiam, & accuratiùs exornandam, ipsâ Aufpice Dominâ, veniamus.



ANTHOLOGIA V.

Maria ad communes leges, non eft ex omnibus.

§. I.

Efther vera typicæ (ignoto, nec dum excuffo myfterio) comparata.

260. *Concil. Trident. vnde Maria fauent.* DEVENTVM iam ad vltimam huius Artic. Anthologiam, quâ in Examine elucidando Paulo, imò communi illi Panlinæ excommunicationi deftinauimus enodandę, nimirum: *Sicut per vnum hominem peccatum in hūc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Rom.5.n.12. Hoc fulmine percuffos homines omnes definiuit Tridentinum: & tamen, quamuis præferuatam Mariam non definiat, dum tamen ex eodem Mariam non condemnat, neceffariò inualidum contra Mariam præfupponit. Rom.5. Præter illa ergo, quæ iam doctiores alij Virginis propugnatores huc optima congefferunt; illud mihi tantummodo fupereft examinandum, quidnam viderent facri illi Patres, in Spiritu Sancto congregati, in hac Paulini gladij acie, quam toti iugulando Orbi acutiffimâ, cælefti lumine agnouerunt: vt hebetem adhuc contra Virginem pronunciarent. Ego fic puto ftatuēdum. Eo ipfo, quòd in omnes viderent defęuire, Deiparam non inuoluendam agnouerunt. Maria non eft *ex omnibus*, fed fuper omnia: nō omnium prima, fed vna inter omnes. Non folet fermo diuinus præftantiffimum aliquid in quouis genere, eiufdem generis inferioribus interferere, vel adnumerare: tantùm abeft, vt illud, *omnes peccauerunt*, Deiparam includat, vt eo ipfo Maria excludatur.

Expende nunc celebrem, & cuiuis notū typum præferuatæ Deiparæ Efthérem, nōdum, fi me mea nō fallit opinatio, excuffum fatis. Languebat illa, legis feueritatē trepidabat: ad quā tunc Affuerus: *Quid habes, Esther? ego sū frater tuus: noli metuere: non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* cap.15.n.12.& 13. Quafi non deberet Augufta duræ legi fubiacere: ficque deberet Maria à damnationis lege præferuari. Sic Doctores, quos viderim. Sed tu mihi attende ad verborum tenorem, quibus metus excutitur, iniicitur fiducia: *Non enim*, inquit Rex, *pro te, sed pro omnibus*, &c. Ecquæ ratio ifta, ô Affuere? Si 261. *Estheris libertas vnde.* Efth. 15.

Si *pro omnibus* lex constituitur, inter omnes Esther designetur, necesse est, quæ vel nulla erit, vel vt aliqua sit in omnibus numeranda. Si legis gladio ereptam vis testari Reginam, inuerte sermonem, & dic potiùs: *Non enim pro te; sed pro cateris lex constituta.* Quid rem ambiguitate perturbas? Nulla hic perturbatrix ambiguitas: vt in amore feruidissimus, sic in ratione assignandâ prudentissimus processit. Quasi dicat: Quid times? Si vides legem *pro omnibus* constitutam, quid non infers clarissimè, te non comprehendere? Non tu *ex omnibus es*, quæ vna mihi es: non tu adnumeraris turbæ, quæ singularissima: non commisceris vulgo, quæ excellentissima. Fauet meus Salazar cap. 41. n. 9. *Salaz.*

262. Declararunt Assueri mentem aliqui, (nam Vulgatus noster, quò profundior, eò elegantior; quò abstrusior, eò diuinior mysterium quæsiuit,) qui vertunt, prout à priscis Authoribus citantur; Κοινὸν τὸ πρόσαγμα ἡμῶν, *communis est ista lex nostra.* quod Iosephus explicat: πρὸς τοὺς ὑπηκόους. *ad subditos pertinet.* de quo vide nostrum Serarium. Itaque *omnium* vocabulo apud Assuerum, subditi, non Regina, veniunt intelligendi: & dum omnes proferuntur, non illa, quæ est supra omnes, poterat commisceri. Audeo dicere, si meticulosa de fœminei sexus fragilitate Esther non foret, potuisse aduertere, prolatâ in *omnes* lege non comprehendi: neque enim diadematis particeps aliis adnumeraretur. Quam si comprehendere vellet Assuerus, necessariò illius nomen priuatim erat exponendum. Vnde nec Paulus (si per impossibile Maria peccasset) satis à prudenti quouis Mariam comprehendisse intelligeretur, nisi expressè diceret: *Omnes, etiam Mater Dei, Regina Cæli, in Adamo peccauerunt.* Quis enim cum omnibus intelligat, quam super omnes Deus constituerat? Sic capienda verba ignota nemini ex D. Anselmo in officio Nog. cap. 4. vbi ita: *Vas electionis S. Paulus dixit, omnes in Adam peccasse. Vera vtique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuncio: sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te, Maria Virgo, considero, sicut te non intra, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo contueor; ita & te non lege naturæ aliorum in tua Conceptione deuectam fuisse opinor.* Nihil pro me expressiùs, quasi ideò non sit ex omnibus, quia super omnia: vt iam, ô Maria, *non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta* sit, & necessariò te ab omnibus eripuerit Tridentinum. Probemus ergo iam membratim, Paulo explicando, quidquid in hoc egregio, & regio Mariæ typo relucet excellentius.

Maria super omnia non est ex omnibus. — *Serar.* — *D. Anselm,*

§. II.

Non adnumeratur omnibus, quidquid in suo genere de singulari præstantia vnum appellatur.

263.  VMERVM cum aliis facere (nisi pariter vnitas, quod in sola beatissima Trinitate euenit, intercedat) importat vilitatem. Parum est rei excellentissimæ esse primam, ni vna sit, & numerum licet sequentium, & inferiorum respuat omninò. *Nos numerus sumus*, dicebant veteres, abiectæ conditioni significandæ. Hinc est, vt quod excellentissimum est in aliquo genere, non tam primum, quam vnum veniat appellandum: ne si, quanuis primum, cum aliis connumeratur, degener aliquid cum illis videatur participare. Creato cælo, & terrâ, & luce rerum pulcherrimâ in lucem editâ, addit sacer Textus: *Et factum est vespere, & mane dies vnus.* Genes. 1. n. 5. Vnus dicitur, non primus respectu aliorum, ne vulgaritatem cum illis, etiam in ipso primatu participaret: ideò benè Ambros. Hexam. 2. cap. 1. postquàm huius diei opera describit, sic habet: *Diem primum, vel potius vnum (maneat enim prophetici prærogatiua sermonis,) vt potuimus, absoluimus.* Prærogatiua quippe digna, quæ per furtum diei tanto non eriperetur, ne cum aliis ad numerum deueniret.

Numerum facere cum aliis, imperfectionem denotat. — *Genes. 1.* — *Ambros.*

264. Oboritur tamen statim dubitatio, cur composito iam firmamento, & subdiuisis aquis subdatur: *Et factum est vespere, & mane dies secundus.* n. 8. Ades huc, dies secunde. Ecquiuis? nam secundus appellaris? Illius, inquit, Heri, quo lux producta. Illudis: ille non primus fuit, sed vnus: nec ab hoc secundus, sed alius dici poteris. Cur te non primum, respectu subsequentium, potiùs appellaueris? Decoriùs putauit, tanto diei præterito adnumeratus, dici secundus, quàm respectu aliorum primus: & adblanditur huic sacer Scriptor, vt ita dixerim. Veruntamen indignum putauit; si diem illum præteritum *vnum* reuerà, primum appellaret. Et vnde, inquis, tanta vni illi diei dignitas, vt temeratus credatur, si cum aliis numeretur, nec à cæteris omninò excipiatur? Ambros. citatus: *Excipiendus à cæteris, tanquam dies vnus: non conferendus cum cæteris, tanquam dies primus est: vnde fundamenta rerum omnium posita, & causæ esse cœperunt, quibus mundi huius, atque vniuersæ visibilis creaturæ, fulta substantia est.* Neget, Mariam esse vnam, à cæteris excipiendam, nec cum cæteris conferendam; qui, ab illa in mundo gratiæ non iacta fundamenta salutis, lucis pulchritudinem non effusam, id est, non editum Christum denegauerit. Quòd si id negari non potest, frustrà vnam ab omnibus separatam, cum omnibus percussis Paulino anathemate, adnumeraueris.

Genes. 1. — *Denis adnumerari, pretiosum.* — *Ambros.* — *Fundamenta rerum, nobilia.*

265. Diuisis iam aquis, his in terra fluctuantibus, illis in cælo suspensis, addit Deus: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam terram, congregationésque aquarum appellauit maria.* Genes. 1. n. 9. Loquitur, vt nemo negat, de Oceano, siue immenso mari, in quo terris aquæ, vndique dispersæ, diuino imperio tunc fuerunt congregatæ. Sed, quis iam non addubitet, cur in solum Oceanum dicat confluxisse aquas, cùm in tot alios stagnantes lacus congregentur? Quis nesciat, Tiberiadem, Lucrinum, Auernum, Larium, Benacum, & innumeros alios? Regnant isti suis terminis clausi, suis fluctibus æstuantes, ab imperio Oceani immunes, & variis, profusissimísque tractibus protensi: cur de his nulla mentio, quasi ab omnibus aquis congregatis vna Oceani congregatio formaretur? Quia, licèt lacus isti ingentes reperiantur; Nani tamen sunt, si cum ingenti Oceano componantur

Genes. 1. — *Oceani imperium.*

tur. Vnde indecens putauit diuinus Scriptor, si dum de mari principe sermonem instituebat, lacus connumeraret: nescit enim, quidquid vnum de singulari præstãtia est, nec aliis comparabile, cum eisdem in numerum aduenire. Totum habet Ambros. Hexam. 3. cap. 3. qui tandem sic concludit, rem apto exemplo confirmans: *Quomodo vna congregatio aquarum? Sed, quemadmodum dicitur, quia fecit Deus duo luminaria, id est, Solem, & Lunam, cùm sint vtique & stellarum lumina: ita & vna congregatio dicitur, cùm sint plurima: neque enim annumerantur, quæ non conferuntur.* Refer huc, quæ suprà dixit Chrysologus de Maria: *Maria Mater vocatur. Et quando non Maria Mater? Congregationes aquarum vocauit maria,* &c. Vnum est Mare, siue Maria nostra, cui congregationes gratiarum congeruntur, cui cæteri iusti nequeunt conferri, vnde nec adnumerari. Vnde ergo in communi noxiorum catalogo, quæ non est ex omnibus, cùm omnibus dicatur numerata?

Ambros. *Non adnumerantur, quæ non conferuntur.* Chrysol.

266. Huc signatè facit illud Cant. 6. n. 7. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularũ non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est Matri suæ, electa Genitrici suæ.* Vbi benè Guillelmus de Maria: *Vna est Matri suæ, electa Genitrici suæ: Mater, seu Genitrix eius, sicut & omnium nostrûm redemptrix illa gratia est,* &c. *Communis illi est participatio gratiæ: sed in eadem participatione illa excellit.* cum aliis, quæ suprà dedi ad rem aliã: quamuis fœdè posteà in minùs piam labatur opinionem. Sed nunc mihi satis, si *vna* singulariter de excellentia Matris filia dicatur, vt nunquam cum cæteris ad numerum venire intelligatur. Meliùs Honorius ibi Conceptionis purissimæ propugnator, vt suprà dixi: *Vna omnium trãscendit merita.* Et pulchrè dixit, *transcendit*: quasi in alia serie, in alio statu *omnes* relinqueret, immeritò ad culpam omnibus adnumeranda. Optimè Rupertus apud Ghisler. *Vna: quia nec inter Angelos, nec inter homines similem, vel primam habet, nec sequentem habitura est.* Non habuit Maria primam aliquam creaturam, nec etiam in angelica puritate: imò nec prima respectu aliarũ dici potest; sed *vna*: quia non possunt istæ sequentes appellari, siue secundæ; neque simul adnumerari, quæ non conferuntur. Cur connumeretur cum omnibus ad culpam, cum qua nec Angeli ad innocentiam adnumerantur?

Cant. 6. *Maria cur vna dicatur.* Guilleh. Honor. Rupert.

267. Celebrabat Dauid Domini misericordias in Ecclesiã condenda, in congregãdis iustis, sanandis peccatoribus, Ps. 146. deinde subdit: *Qui numerat multitudinem stellarũ, & omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.* n. 4. & 5. Felicissimi quippe iusti, quorum nomina vt vocentur, non solùm stellarũ characteribus scripta sunt in cælo: sed & ipsi, tanquàm stellæ, lucent in firmamento. Quæris, vnde tanta dignitas? Certè à Christo Redemptore, qui Dei virtus, Dei sapientia est. Sed, cur dum tota Ecclesia numeratur, dum membrorum multitudo reducitur ad calculos; ipsius Ecclesiæ Caput, & Dei Sapientia, Christus, numerum euadit? Si totum hoc diuinum è Capite componitur, & membris; numeretur saltem Christus, tanquàm Princeps, ne aliud, & alienum à corpore suo, caput intelligi videatur. Cur non veniat ad numerum, qui in piissimã venit constitutionem? Respondet ibi D. Hier. (si is est) sic scribens: *Numerantur itaque stellæ, numerantur infiniti Sancti; & Christus vnus non potest numerari. Magna virtus Christus: Dei virtus, & Dei Sapientia, & sapientiæ eius non est numerus. Christus Sapientia est: & vna Sapientia non potest numerari.* Constituit quidem totum quoddam ex dignatione; sed tamen cum eodem toto ex dignitate nequit numerari: non solùm primus est; sed etiam vnus: vnitas numerum admittit, nec satis in multitudine numerata intelligeretur.

Psal. 146. *Christus numerari nequit.* D. Hieron.

De homine loquebatur Ecclesiastes, qui alienis desudat, & laborat, dicens: *Vnus est, & secundum non habet,* &c. cap. 4. n. 8. quæ verba mysticè ad Christum referenda voluit Ambros. de inst. virg. cap. 4. Concedamus id interim Sancto Doctori. Sed, cur diuinus Pontifex noster, qui à Petro sibi successiuos Vicarios reliquit, secundũ, tertium, & suo ordine sequentes admittere non dicatur? Quia minueretur suprema dignitas illius, si cum aliis, quamuis primus Pontifex, & Magister, ad numerum veniret. Magistros successores sibi reliquit; cum quibus tamen comparatus, non primus, sed vnus Magister in Euangelio appellatur: hunc si ad numerum redigas, si secundo constringas, licet inferiori; iam non absolutum dominum, & quod vult facientem, sed & subditum alicui fatearis, necesse est. Nunc audiendus Ambros. citatus: *Dixit Ecclesiastes: Vnus est, & non est secundus. Quis est iste, nisi de quo dictũ est: Magister vester, vnus est Christus? Vnus, quia Vnigenitus Dei Filius,* &c. *Nullus secundus, quia, quod vult, facit; nõ quod imperatur.* Quasi iam non Imperator foret, sed imperatus, si secundum haberet: & ideò secundũ non habeat, quia non tam primus, quàm vnus veniat appellandus: in qua vnitate supremam, nec miscendam cum aliis vindicat maiestatem. 268.

Eccles. 4. *Idem ostenditur.* Ambros.

Audi nunc, qua proportione has Filij laudes voluerit Sophronius, siue D. Hier. Serm. de Assumpt. in Matrem deriuatas: *Sicut in cõparatione Dei nemo bonus: ita in comparatione Matris Domini, nulla inuenitur perfecta, quãuis virtutibus eximiis comprobetur. Vnus est Pater noster, qui in cælis est; vnus & Magister: vna est forma virginitatis in Maria: cui vos omnes, vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis, in sculpturã Spiritus Sancti: quoniam hæc est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentiũ, ad quam nulli potuerũt doli erumpere; nec præualuit fraus inimici: sed permansit sancta mente & corpore, multis donorum priuilegiis sublimata.* Pulchrè. Ideò Maria *vna* est, *perfecta* est: quia tota sculptura fuit Spiritus Sancti. Ad Mariæ quasi prototypum, & formam, mente, & corpore nunquam violatam, imago reliquorum, virginum maximè, debet reformari. Omnes per culpam, Dei imaginem, superinductã Dæmonis effigie, obscurauimus: vna est Maria, quia vna, quia perfecta, quæ imaginem sibi ab Spiritu Sancto insculptã, vt nobis forma, & reformatio esset, nunquam temerauit. Sed hoc infrà fusissimè ponderabo. Nunc tantùm pende, Mariam *vnam*, non primã appellari; & ideò non cum *omnibus* ad corruptionem formæ cõmisceri: ideò dum omnes dicuntur peccare, dum lex pro omnibus dicitur cõstituta; eo ipso ab omnibus, vna, quæ numerum non ingreditur, segregatur. 269.

D. Hier. *Maria, virginitatis idea.* *Maria imago incorrupta.*

270. Tertull. *Maria, cur vna.* Disseruit acutissimè contra Marcionem, qui plures Deos blasphemabat, Tertullianus lib. 1. cap. 3. *Principalis*, inquit, *itaque, & exinde tota congressio, de numero: an duos Deos liceat induci? Si fortè, poëticâ, & pictoriâ licentiâ, & tertiâ iam hæreticâ. Sed veritas districtè pronunciat: Deus, si non vnus est, non est: quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, vt esse debebit.* Maria, ni sit *vna*, iam erit ex omnibus: si ex omnibus fuerit, iam peccatrix erit: si peccatrix, minùs idonea Mater, vt latè ex Patribus suprà probaui. Posses ergo, licèt impari certitudine, sic arguere: Si Maria vna non est, non est: quia faciliùs de illa crederetur non fuisse Matrem, quàm talem fuisse, vt esse non debebat: quatenus idoneum magis diuinæ Maiestati, matrem non efformare, quam minùs idoneam efformare. Nata huc verba Origenis hom. 1. ad cap. 1. Matth. *Huius itaque Vnigeniti Dei dicitur hæc Mater Virgo Maria: digna digni: immaculata sancti, & immaculati: vna vnius: vnica vnici.* Quia vna est, ideò digna, siue idonea: quia idonea, ideò immaculata: quia immaculata & vnica, non cum omnibus maculatis numeranda. Alludit, vt vides, ad locum Cant. suprà citatum. (Orig.)

271. Tertull. *Reges apud Deum vilescunt.* Sed redeat Tertullianus ibidem contra eundem Hæreticum, exemplo duorum Regum summorum se protegentem, sic subiungens: *Qui exemplo vtaris Regis quasi summi magni, vide, ne iam non possis eo vti. Rex enim, etsi summum magnum est in suo solio, vsque ad Deum; tamen infra Deum: comparatus autem ad Deum excidet iam de summo magno, translato in Deum. Hoc si itaque, quomodo vteris eius rei exemplo ad Dei comparationem; quæ dum ad comparationem accedit, amittitur?* eodem lib. cap. 4. Vnde infert necessariò, vnum esse Deum, cum quo nihil alias summum, & magnum in comparationem venire potest, quin amittatur, & in paruum & infimum redigatur. An non ergo *vna* Maria, de qua, vt vidisti, dixit citatus Hieronymus: *Sicut in comparatione Dei nemo bonus: ita in comparatione Matris Domini, nulla inuenitur perfecta; quamuis virtutibus eximiis comprobetur.* Si itaque vna est Maria, non poterit in numerosa aliqua multitudine computari. (D. Hieron.)

§. III.

Non intelligitur in omnibus, quidquid præcellenter super omnia constituitur.

272. *Quod excellit, non est cum cæteris, sed super cætera.* BENE etiam lex, dum *pro omnibus* dicitur constituta, eo ipso Estherem liberam prædicabat. Benè Tridentinum, dum omnes condemnatos audit à Paulo, eo ipso legem contra Mariam non validam præsumpsit: quidquid in quouis genere præcellit, ita vt longissimè supra omnia sit, in omnibus illius generis non comprehenditur. Hoc adhuc euidentiùs probo, quàm superiùs. Fausta resurrectionis Dominicæ nuncia piis fœminis Angelus inculcans subdidit: *Ite, dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Marc. 16. n. 7. (Marc. 16.) Vnus Petrus inter Discipulos, expresso nomine, adnotatur, quasi non veniret in communi Discipulorum titulo intelligendus. Nimirum, negauerat paulò antè Magistrum, inquiunt multi Patres, & se indignum reputaret hoc nuncio, nisi exprimeretur. Veneror piissimè dictum. Sed reuera, qui viscera nouerat pietatis Magistri, qui feruidè pœnitens culpam emacularat, qui ad sepulcrum cùm Ioanne celerrimus accurrerat, adhuc se cum aliis Discipulum reputaret. Quid ergo? Respondet ibi Author Quadrigæ euangel. (*Petri excellentia.* Auth. Quadr. euang.) *Hunc Angelus potissimùm nominasse existimatur: primò quidem ob primatum, quem inter cæteros a Domino consecutus fuerat, & eminentiam: erat enim omnium præcipuus*, &c. *nam, quantumlibet negasset Christum; non ideò tamen à primatu exciderat: quod Dominus argumentis pluribus demonstrauit.* Scilicet, qui supra omnes de potestatis infulis collocabatur, minùs decenter in omnibus tumultuatim intelligeretur.

Nouerat Paulus, Mariam præcellentiùs longè præstare omnibus Angelis, quàm Petrus omnibus Discipulis præstaret: ideò dum *omnes* condemnat, satis vidit, Mariam in termino farraginoso non comprehendi: qui si Deiparam vellet comprehendere, dicturus erat: *Omnes, etiam Maria, peccarunt in Adamo.* In rebus quippe præcellentibus necessaria magis expressio ad causas dedecoris, quàm honoris: quò magis à præcellentia dedecus videtur alienum. At, cur, inquis, Mariam expressè non excepit? Prudentibus se putabat allocutum; quibus, credebat, in re nulla Deiparam fore cum omnibus intelligendam. Huc affero vulgatissima verba D. Cypriani lib. de oper. Card. Christi, Serm. de Natiuit. *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lacesseretur iniuriis: quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Vbi multa de Maria, quæ huc faciant, ab aliis iam optimè ponderata. Electa, & prælecta est Maria: communi, & omnibus irrogatis pœnis, solùm per iniustitiam creditur constringenda. 273. (*Maria super omnia.* D. Cypr.)

Quid? Confidenter, quin excipiat Mariam, loquitur Paulus à Christo ipso edoctus, qui in simili materia nihil putauit Matri derogatum: quia nihil contra Deiparam prudenter ex verbis eius coniectari posse cognoscebat. Auditis Centurionis verbis fidei scintillas spirantibus, Spiritu iam Christiano feruescentibus, respondet Dominus: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.* Matth. 8. n. 10. An extra Israël Mater tua, verissimè Iesu? Vbi ergo fides illa, quæ Angelo credens, mundum, imò & Cælum illuminauit? Si in Israëlitide Virgine fides, plusquã in omnibus aliis cernitur creaturis; quid Centurionis fidem, Matris, & omnium Israëlitarum fidei visus præponere? Puto, responderet Christus, si quis coràm argueret, solùm dignitatis maternæ inscium potuisse existimare, Mariam ibi comprehendi, cùm omnes de exiguitate fidei Centurioni cedentes commemorantur. Aliquid his addit, & maximè ad rem nostram Ludolph. Carthus. de vita Christi, 1. p. cap. 42. ad hunc locum: *Non inueni tantam fidem*, &c. *Excipitur autem semper B. Virgo, cùm de meritis, vel peccatis fit mentio.* Quid clarius posset scribere hic Author pro vera, id est, pia sententia; próque loco nostro Pauli intelligendo? 274. (*Idem probatur.* Matth. 8. Ludolph.)

gendo? Semper, vbi in Sacris de peccato, aut merito vniuersalis reperitur propositio, Maria excipitur: quia nullius culpæ, quia meriti sublimioris: nec intelligenda cum omnibus, quæ super omnes.

275. Soluturus Christus Dominus tributum, cui omnes etiam tributant Seraphini, dixit ad Petrum: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem.* Matth.17.n.27. Non alibi legis in Euangelio, Apostolos hamo expiscantes: semper mittentes retia, semper laxantes plagulas describuntur. Cur ergo singulariter in hoc euentu spernuntur retia, hamus eligitur? Quia nec etiam alibi legis in Euangelio tam diuitem thesauro piscem, in typum præcellentioris alicuius sanctitatis captum. Rete sic iacitur, vt turbam, & piscium congreget multitudinem. Dedecebat ergo, vt tam pretiosus piscis, pretiosioris sanctitatis typus concludente multitudinem reti caperetur: hamo singulariter erat extrahendus, seorsim computandus; qui supra omnes, non erat cum omnibus conferendus. Ambros. lib.3.de virginib.postquàm fusè hunc explicat de Protomartyre, sic concludit: *Ergo retibus, & hamo piscatur perfectior: vt rete concludas, hamo adurat: sed rete turba concluditur, hamo singularis eligitur.* Pulcherrimus locus, si quis alius, ad probandum, non debuisse Mariam ordinario modo redimi, & à peccati pelago extrahi cum aliis cateruatim; sed priuato tenore, scilicet, præseruante. Sed de hoc in redemptionis Anthologia fusiùs disserendum.

Matth.17.

Pretiosa pretiosius tractanda.

Ambros.

276. Nunc id solummodo pende, non decuisse, vt piscis tanti gestator thesauri in turba vulgari piscium communi rete caperetur: si capiendus, singulari fuit modo capiendus. Nec ergo communi legis indagine Esther, neque communi omnium reti Maria capi debuit: quæ si forte caperentur, priuato alio modo, & expresso peculiari rescripto capi debebant. Erat super omnes Esther nostra non solùm homines, sed etiam Angelos, nec in omnibus maledictis veniebat intelligenda. Vnde benè D. Bonauentura ad illud Estheris typicæ cap.15.à n.5. *Assumpsit duas famulas, & super vnam quidem innitebatur, &c. altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.* sic scribit in speculo virg.cap.3. *Duæ famulæ, quarum domina est Regina Maria, sunt angelica, & humana natura. Intelligentia angelica est famula, supra quam domina innititur in cælo. Anima verò humana est famula, quæ dominam suam sequitur in mundo: colligens vestimenta dominæ, scilicet, virtutes, & exempla Mariæ.* Non subiacuit legi Dæmonibus subiicienti, quæ angelicæ supereminet puritati: non venit cum omnibus in captiuitatem, quæ super omnes colitur ad dominium.

Maria Angelis prælata.

D.Bonau.

277. Annunciabat Moyses populo Christum venturum dicens: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Deuter. 18.n.15. quem locum de Christo intelligendum, fide sanctum Act.3.n.22.& 7.n.37. At ecce tibi commendaturus Christus Ioannem Baptistam sic habet: *Sed quid existis videre? Prophetam? Vtique dico vobis, & plusquàm Prophetam, &c. Dico enim vobis, maior inter natos mulierum Propheta, Ioanne Baptista, nemo est.* Lucæ cap.7.à n.26. Atqui Propheta es tu, Domine: nunquid cum omnibus Baptistæ postponeris? At alij, inquis, quibus Ioannes præponitur, de mulieribus nati sunt; Christus de Virgine: vnde cum illis non adnumerandus, fateor. Non tamen adhuc ista plena ratio obturandis Pharisaïcis blasphemiis, cùm Christus, qui se passim Dei Filium appellarat, nondum se Filium Virginis, vt ex Euangeliis patet, prædicaret. Vnde ergo id noscerent Iudæi, ne illum inter natos mulierum computarent; & ex suomet ore Ioanni ipsi contenderent postponendum? Plusquàm satis erat, quòd sæpè se Dei Filium, & Deum enunciarat: vnde tantummodo impiè cum omnibus ad Ioannis comparationem venire crederetur, qui tam longe super omnes Diuinitatis conditione eminebat. D. Ambros. in hunc locum lib.5. in Luc. explicato loco Deuter. sic concludit: *Si igitur Christus Propheta, quomodo maior his omnibus? Nunquid Christum Prophetam negamus? Imò & Dominum Prophetarum confitemur: Ioannem autem Prophetam assero, & hunc omnibus dico esse maiorem; sed inter natos mulierum, non Virginis natos. Maior fuit iis, quibus æqualis esse poterat forte nascendi.* Tunc sic grauiter ad rem meam: *Alia ista natura est, nec cum humanis generationibus comparanda: non potest homini cum Deo vlla esse collatio; in suis enim quisque præfertur.* Non poterat Ioannes Christo comparari: quia non poterat Christus in omnibus aliis purè hominibus computari: nec enim erat inter omnes Prophetas, qui, licèt Propheta, erat pariter super omnes Deus benedictus in sæcula.

Deuter.18.

Act.3.& 7.

Luc.7.

D.Ambros.

Baptistæ excellentia.

Audi nunc, quid Paulus probet, vt Propheta noster, Deus intelligatur: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* &c. *Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos, spiritus; & ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.* Hebr.1.à n.5. Et pende deinde, qua pietate, seruata proportione, in Dei Matrem id transferat D. Thomas Valent. Conc.2.de Natiuit. *Hoc est enim nomen, super omne nomen pura creatura, in quo nemo tecum particeps, ô Virgo. Cui enim aliquando, non dicam hominum, sed etiam Angelorum dixit: Mater mea es tu: Filius tuus sum ego? Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos, spiritus; & ministros suos, ignem vrentem. ad Virginem autem: Vnica est columba mea, vna est perfecta mea, vna est genitrix mea, electa mea vna est: quia nec tibi similem visa es, nec habere sequentem.* Quanta proportio! Filius, quia vnus est Deus super omnes, nec inter *omnes* sanctissimos computatur: cur Paulus Matrem, quæ iam tunc vna erat super omnes, inter omnes peccatores vellet intelligendam? Sed illa nec etiam inter iustos, vt supra dixi, vnquam numerata. *In suis quisque præfertur*, inquit Ambrosius: nihil habent in diuina maternitate iusti cum Maria commune: non possunt cum illa venire ad comparationem: plusquàm præfertur, quæ non confertur: nec similem habuit, nec est habitura sequentem. 278.

Hebr.1.

Mariæ Matris dignitas.

Thom.Val.

Ambros.

* * *

§. IV.

§. IV.

Communes leges diuina diſpenſatione temperatæ: ſed in Maria, non tam diſpenſatio interuenit, quàm ceſſat ratio legis: imò lex ad hunc caſum non extenditur.

279. *Legis pœna qui euitetur.* T Deiparæ à communibus legibus præſeruatio clarior eluceſcat, &, quantâ inuoluatur cum omnibus iniuriâ, cognoſcatur; Iuris methodus, & ratiocinatio nobis diſtringenda. Tribus modis (vt cæteros prætercam) legitimè à pœnis legis incurrendis, aliquis ſolet præſeruari: vel, quia obſtrictus legi, & iam reatu obnoxius, legiſlatore diſpenſante eripitur: vel, quia in illo videtur ceſſare lex, quia legis ratio, & anima ceſſat in illo: vel, quod ſecurius habetur, quia lege non conſtringitur, non ſe ad illum caſum lege extendente. Aliud enim eſt ceſſare in aliquo rationem legis, ad quam aliunde tenebatur: aliud non extendi ad illum rationem legis, qua proinde non poteſt comprehendi. Vide præ aliis Sanchez lib. 2. de Matr. diſp. 37. n. 3. & Konink. de Sacr. tom. 2. diſp. 9. dub. 3. n. 41. *Sanchez. Konink.*

280. *Diſpenſatus in lege vnde glorioſior.* Qui putant, Mariam in Adamo peccaſſe, atque debitum proximum contraxiſſe; nihil tamen actualis culpæ incurriſſe; diſpenſatum in lege communi aſſeuerant: quia hæc lex non ita abſolutam, & definitam importat Dei voluntatem, vt de facto omnes in culpa conciperentur; ſed, vt de facto omnes reatum culpæ ſubirent: cum qua ſtat proinde, vt aliquis ab actuali culpa poſſit præſeruari. Sicut, dum ſupremus Princeps legem infamiæ promulgat abſolutè in quoſuis tranſgreſſores, non ideò prohibetur, quòd poſſit cum aliquo obærato, & tranſgrediente ſpeciali priuilegio diſpenſare, & obnoxium infamiæ ab eiuſdem eripere incurſu. Dupliciter tamen, ni fallor, hæc diſpenſatio in obærato poteſt intelligi: aut ex mera Principis pietate, pœnam miſero, ſub eadem ſua conditione permanſuro, condonans; quæ in ſupremo Legiſlatore veræ diſpenſationis obtinet rationem: aut ſecundò, quòd ipſum obæratum in tantam decernat euehere dignitatem, cum quâ debita infamia ſtare dedeceat, etiam præterita; quia ſemper deſtinatæ dignitati obſtrepitura præſumitur. Quis enim publica, & ignominioſa verbera non putaret fœdare ſemper hominem illum, quamuis in Proregem aſſumeretur poſteà? Et hic modus diſpenſandi longè decorior: quia poſita priori gratia deſtinatæ dignitatis; non iam eripitur à verbere infami de mera Principis pietate; ſed etiam de quadam quodammodo decentiæ iuſtitiâ, quæ tamen ex profuſiori illâ & merâ gratiâ electionis præuiſæ tota conſurgit. Et hoc ſecundo modo in Virgine eueniſſe, omnes huius opinionis Authores fateri debent, dum magis idoneam Matrem ex præſeruatione prædicant: quaſi maternitatis electio, præſeruationi cauſam exhiberet. Fauet omninò huic loquendi modo D. Cyprianus ſuprà num. 273. dum ait: *Non ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laceſſeretur iniuriis.* Quaſi poſito gratuito electionis fauore, iam ad præſeruationem iuſtitia quodammodo intercederet: quod ſuo modo ex gratia ſanctificationis noſtræ, vnde glorificationis oritur iuſtitia, poteſt explicari: nec enim ab exemplo impenſior veritas requirenda. *D. Cyprian.*

Nihilominùs ſemper æquè probabile, & magis pium putaui, Mariam diſpenſationem legis in actuali origine non habuiſſe: cùm enim tota ratio, cur omnes in origine fœdemur, ſit, quòd in Adamum transfuſi, in eodem obnoxij fueramus, cùm Maria in protoparentem (quod in Examine oſtendi) non transfunderetur: ceſſare videtur omninò in illa ratio legis, ac proinde lege non conſtringitur: neque ad non incurrendas pœnas indiguit diſpenſatione: quia tamen Theologis grauiſſimis vertitur in dubium, an ceſſante in particulari ratione legis, eiuſdem legis ceſſet obligatio; planiùs, & ſecuriùs dices, ad Deiparam, legis rationem non extendi: nec ad eius caſum, culpæ contractionem produci potuiſſe: quia lex intra rationis ſuæ terminos continetur; & Maria, quia in Adamo non peccauit, vltra terminos legis, & rationis, actuales origines condemnantium, longè conſtituitur: ideò Aſſuerus non tam dixit Estheri, ſe diſpenſare, quam ad illam, legem non extendi. Sumo hos terminos minùs proprios: quia ſuggeſtui familiariores. 281. *Maria diſpenſatione non indiguit.*

Oppones: Aſſuerus in ſignum condonationis extendit ſuper Estherem auream virgam cap. 5. num. 2. & cap. 15. num. 15. quod nihil aliud fuit, quàm cum ea in pœnis diſpenſare: quod ſatis claret ex cap. 4. num. 11. vbi ita: *Omnes ſerui Regis, & cuncta, quæ ſub ditione eius ſunt, norunt prouinciæ, quòd, ſiue vir, ſiue mulier, non vocatus interius atrium Regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur: niſi Rex auream virgam ad eum extenderit in ſignum clementiæ, atque ita poſſit viuere.* Reſpondeo faſſus, extenſionem aureæ virgæ, diſpenſationis in pœnâ debitâ indicem fuiſſe ex ſe: in caſu tamen Estheris non tam requiſitæ, & neceſſariæ diſpenſationi, quàm abundantiori ſolamini, & tutiori ſecuritati deſeruiiſſe. Quaſi dicat Rex: Tu quidem, Esther mea, Auguſtæ iure, lege communi non conſtringeris, vt fruſtrà exiſtimabas: ſed eſto, demus te conſtrictam fuiſſe, en aureâ virgâ tangeris, en condonaris: quid vltrà trepidas? Sic paſſim videmus, Religioſis timidis, & ſcrupuloſæ conſcientiæ, quos valetudo à recitandi onere excuſat omninò, adhibere Superiores diſpenſationem; non quam putent, in ratione legitimè excuſante, neceſſariam: ſed quâ trepidas vano metu conſcientias penitùs ſerenent. 282. *Esth. 5. & 15.* *Esther an diſpenſata.* *Esth. 4.*

Hoc breuiter, ne minùs docti hæſitent, adnotato: iam fuſè anthologico ſtylo, vtranque opinionem confirmamus.

* * *

§. V.

§. V.

Prædicta vtraque opinio amœnius propugnatur.

283. *Deus, legum suarum dispensator.*



QVI, Deiparam debitum contraxisse, & proinde verè dispensatam admiserit fuisse, hinc rem facillimè poterit propugnare. Parat Abraham Deo rationale obsequium; humanam victimam: hanc ab ipsa insolentia pretiosam; illud dominico imperio venerandum. Inter gladium, & ceruicem prohibitio pia intercedit. Pergit Ecclesia: promissæ terræ introducuntur Hebræi, quibus cauetur, ne Ethnicorum imitentur sacrificia: & subditur: *Non facies similiter Deo tuo: omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Diis suis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni.* Deuter. 12. n. 31. (*Deuter. 12.*) Et tamen legis posteà Iephtem piè vouentem, (quod ex pluribus Doctoribus nunc suppono,) & magis piè filiam suam Deo immolantem: *Fecit*, inquit Textus, *ei, sicut vouerat.* Iudic. 11. n. 39. (*Iudic. 11.*) Et pateris, Numen? Ignoscis olim iuueni robustissimo mortem despicienti: nunc virgunculâ delicatâ, & mortē perhorrenti non moueris? Olim nondum editâ lege ictum suspendis: modò obstante iam rescripto adigis ad ictum? (*Iephte iussè filiam iugulauit.*) Imò etiam propterea: ne ita communibus suis legibus affixus crederetur, vt, cum aliquo obærato legi exequendæ, dispensare prohibitus intelligatur. Ad altum mysterium humanam sibi fieri hanc victimam, non permisit solùm; sed voluit; sed iussit: vt obiter dispensare quandoque nosceretur. D. August. lib. 7. in Iud. quæst. 59. tomo 4. (*D. August.*) licèt contrariæ sententiæ de culpa Iephte plùs inclinet: admissâ tamen innocentiæ probabilitate sic concludit: *Si Spiritus Domini, qui factus est super Iephte, vt hoc voueret, omninò præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit: tamen si hoc ille præcepit, cuius non licet iura contemnere; non solùm insipientia culpanda non est; verùm etiam laudanda obedientia.* Dispensatur itaque diuino fauore Iephte, vt non obstante lege talia sacrificia damnante, puram offerat victimam: vt iam non obstante damnationis communis lege credatur Maria purissimam Conceptionem obtinere potuisse.

284. *Dispensatio ipsa, noua lex est.*

Venit Elias in Samariam; & conuicturus falsos Baal Prophetas, altare erigit, componit holocaustum, cælestem ignem suspirat, & in mediis aquis viuidius excipit incendium: *Et vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, & puluerem quoque, & aquam.* 3. Reg. 18. n. 38. Sed, quid agis, Vates sanctissime? & vbi lex illa seuerè præcipiens, vt nihil extra templum immoletur: sicut extra tabernaculum prius nihil offerebatur? Nunquid non adhuc idem Dominus? Imò ipsissimus. Nunquid tu aliunde diuinâ lege non constringeris? Imò, vt fidelior, sic constrictior. Quid ergo? Dispensauit Dominus: qui ideò absolutissimus, quia legibus communibus non sic tenetur; vt nequeat aliquando aliquem aliàs legi subiectum, à legis obligatione liberare: omnes voluit legi obæratos; sed non ad omnia: vt in aliquo casu legem sanctissimè possent præterire. D. August. eodem tomo, lib. 3. Leuit. quæst. 56. ad hunc Eliæ locum, (*D. August.*) qui Leuiticæ legi repugnare videbatur: *Cùm iubet ille, qui legem constituit, aliquid fieri, quod in lege prohibuit; iussio illa pro lege habetur. Non enim deesse poterant miracula alia, præter sacrificium, quibus superarentur, & conuincerentur Prophetæ lucorum: sed Spiritus Dei, qui fuerat in Elia, quidquid de hac re fecerit, contra legem esse non potest: quia dator est legis.* Inter tot miracula hoc vnum eligitur, in quo legis dispensatio erga Eliam interueniret: credo, vt his dispensationibus via sterneretur, quò suauiùs dispensata Maria cognoscatur.

285. *Imperfectius putaretur Deus, ni quandoque dispensaret.*

Quid? si semper Deus absolutè, & efficaciter sic leges irrogaret omnes, vt nunquam sibi liberam aliquando dispensandi libertatem reseruaret: posset inscium vulgus existimare, sibi magis, quàm hominibus, leges posuisse. Ideò Ethnici, cùm fata infallibilia putarent, & (qua parte in errore suo minùs hallucinantes erant) aliunde Ioui suo subiecta credebant: vt aliunde infallibiliter euentura, aliunde à libero Ioue promanantia concordarent; dicebant cum Seneca: (*Senec.*) *Scripsit Iupiter fata; sed stat fatis.* Non tollunt quidem absoluta decreta, quæ in Deo ponuntur, eius libertatem; imò maximam in sensu diuiso manifestant: quamuis infallibiliter decreta sit executurus. Si tamen in aliquibus absolutis quoad legis obnoxietatem: quoad eiusdem legis pœnas actuales, & executionem, nunquam dispensaret; putaretur ignorantibus, fata, vt sic dixerim, scripsisse: sed posteà necessariò stare fatis. Videamus, quid de hac re sentiat Magnus Augustinus.

286. *Idem probatur.*

Angelum sibi sub iuuenis specie apparentem, Prophetam Dei Altissimi reputans Gedeon: *Ne recedas* inquit, *hinc, donec reuertar ad te portans sacrificium, & offerens tibi.* Iudic. 6. n. 18. (*Iudic. 6.*) *Tibi*, scilicet, portans; sed Deo, quem refers, illud offerens. Annuit Angelus. Sed, cur annuat iussu Dei, si districtè præceptum, vt in tabernaculo Silo tantummodo offerretur? Cur dispensat Deus, si tot aliis modis exhibitam deuoti animi significationem à Gedeone poterat acceptare? Credo, ne putaretur, sic leges suas absolutas condidisse, vt illis semper stare cogeretur. D. August. cit. tom. lib. 7. Iud. quæst. 36. (*D. August.*) *Intelligendum est, quòd illum Angelum primò Prophetam putauerat, & tanquàm Deum in illo consuluerat de offerendo sacrificio: quod ille si prohibuisset, non vtique fieret: sed, quoniam approbauit, & vt fieret, annuit; Dei authoritatem Gedeon in faciendo secutus est. Ita quippe Deus legitima illa constituit, vt leges non sibi, sed hominibus daret: vnde, quodcunque, præter illa, ille præcepit, non à transgressoribus; sed potiùs à piis, & obedientibus impletum intelligendum est.* Non sibi, sed hominibus transgressoribus legem de inficienda omnium origine posuit Deus; ideò decuit, & potuit Mariam præseruare.

287. *Ordinariæ rerum leges dispensatæ.*

Hinc illud Sapientiæ prærogatiuas suas decorè commendantis: *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Prou. 8. n. 29. (*Prou. 8.*) Et quoties, restagnante alueo, flumina signatos fines transcendunt? Quoties erupit pelagus, & rupto arenæ fræno vrbes depopulatus est? Eadem lege aquæ præcipitant, & irremeabili cursu ad mare, aut deferuntur leues,

aut fluctuantes impelluntur: eàdem mare continuà fluctuatione æstuat, liquida superficie perennat: & audis tamen, & credis, Iordanem conuersum retrorsum: Erythræum relictâ cauitate subdiuisum: negat ille tributum mari, & istud sibi dolet ereptam continuationem: vtrobique variato ordine, immutantur: ille frænatur, istud erigitur: ille in immobile stratum, istud in adamantinos parietes componitur. Prætereo fluidam aquarum instabilitatem, resumpto solido genio, Petro percalcatam. Quò pergis, diuine Legislator, toties aquarum leges semel traditas tam variato tenore interrumpens, humanis oculis parans spectaculum: Nimirum, collocauerat Dominus initio aquas, præter naturam, *super firmamentum*. Gen. 1. n. 7. quod ignaris aliquibus impossibile, neque creditu dignum putabatur. At videant, inquit Deus, in aquis aliis leges naturæ toties dispensatas, ne de aquarum, quæ super firmamentum sunt, dispensatione, iam inde prudenter valeant dubitare. Latissimè de hac re Ambros. Hexam. 2. cap. 3. *Quid miraris*, concludit, *si supra firmamentum cæli potuit tantæ maiestatis operatione vnda suspendi? De aliis hæc collige. De his, quæ viderunt oculi hominum: quomodo ad Iudæorum transitum, (si rationem quæris,) se vnda diuiserit? Non solet hoc esse naturæ, vt aqua se discernat ab aqua, & in profundo interfusiones aquarum terra medio separentur. Gelauerunt, inquit, fluctus, & firmamenti specie cursum suum insolito sine frænarunt. Nonne potuit aliter Hebræum populum liberare? Sed tibi voluit ostendere, vt eo spectaculo etiam illa, quæ non vidisti, æstimares esse credenda.* Sic in re nostra. Potuit quidem Deus cum Iephte, Elia, & Gedeone, innumerisque aliis, quos passim legis, alio tenore ad peragendum negotium procedere: maluit tamen legum dispensationes aduocare: vt dum has vides, tutiùs dispensationem Marianam amplectaris.

Genes. 1.

Ambros.

288. Ah! non sit, vt patiatur apud fideles Conceptio Deiparæ, quod adhuc apud impios, nullo se argumento conuinci sinentes, eiusdem patitur virginitas. Quàm ordinaria lex illa, qua animalia perfecta, (non vt vilia ex puluere & radio, vel confusa putredine excitanda) ex masculo, & fœmina enascuntur? Ideò tam seriò, & distinctè mascula, & fœminea animalia ad restaurandam sobolem, in arca, noui sæculi thesauro, includenda præcipiuntur Gen. 7. & de volatilibus disertè n. 3. iterum admonetur. Et tamen nosti, ex naturæ Mystis verioribus, vultures non indulgere concubitui, nec coniugali vsu, nuptialisque copulæ sorte misceri: sine vllo masculorum concipiunt semine, sine coniunctione generant: natique ex his in multam longæuitatem procedunt, & vsque ad centum annos vitæ eorum series producitur. Sed, cur in communi generandi lege his auibus dispensatum? Vt virgineo partui ederent testimonium: Ideò Ambros. cuius verba transscripsi, Hexam. 5. cap. 2. sic concludit: *Quid aiunt, qui solent nostra ridere mysteria, cùm audiunt, quòd Virgo generauit: & impossibilem innuptæ (cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset) existimant partum? Impossibile putant in Dei Matre, quod in vulturibus possibile non negant? Auis sine masculo parit, & nullus refellit: & quia desponsata viro Maria peperit; pudoris eius faciunt quæstionem.* Quid aiunt, qui solent Conceptionem purissimam irridere? Possibile non negant circa leges alias strictissimas cum seruis suis Deum dispensasse, vt grata, & pura essent opera, quæ alias fœda, & peccaminosa essent proditura: & impossibile putant, si cum Regina in Conceptionis lege dispensetur? In aliis legibus facilè dispensationem deglutiunt: solùm de originis lege dispensatâ faciunt quæstionem? Sed hæc de prima opinione satis; quia facilior, & paucissimis tantùm hodie non visa certa.

Vulturum ortus.

Genes. 7.

Ambros.

Venio iam ad secundam opinionem, quæ mihi lubentiùs colitur; quia honori parthenico reuerentior. Videamus pluribus, & illis selectioribus, ni fallor, quam sint multa in legibus à Deo constitutis, quæ ideò eisdem non constringantur; quia legis ratio ad illa non extenditur: tunc cognoscemus longè grauiùs & decentiùs ideò Mariam peccaminosæ, & fœdatæ originis pœnas non subiisse; quia in Adamo non peccans, vltra rationis legalis terminos constituitur. Soluimus omnes in personis spoliati gratia, vt diuinæ iustitiæ satisfaciamus, qui in protoparente debuimus. Non soluat Maria, nec spolietur gratia: nec enim habet, quod diuinæ iustitiæ satisfaciat; quia meliori redemptione (de quo suo loco fusissimè) præseruata nihil debuit in Adamo. Imò nec dispensetur Maria: quia casus, ad quem legis ratio non extenditur, dispensationem non desiderat. Maiorem diuinæ misericordiæ gratiam sic accepit Maria: & dum minùs culpæ debet, plùs debet Christo, de quo, vt dixi, infrà fusè satis. Iam ad rem. 289.

Maria dispensatione non indiget.

Adsit in primis lex illa tam seuerè puniens, quàm districtè olim irrogata de Sabbatho sanctificando: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbathum Domini tui est: non facies omne opus in eo.* Exod. 20. num. 20. Sic *omne opus* prohibetur, vt etiam Manna colligendum pridie anteuertere præciperentur, ne vel etiam cibi ordinarij opere Sabbathum violari videretur. At, ecce tibi in expugnatione vrbis Iericho, vt ex toto cap. 6. Iosuë patet, iubentur per septem dies Sacerdotes sublatam humeris Arcam circum muros ducere, in quibus necessariò Sabbathum computandum. O quid agis, æterne Legislator? si semel in hoc opere dispensas, iam minoris ponderis lex Sabbathi apud populum existimabitur: nescio enim, quomodo legum vigor dispensationibus soleat eneruari: & quot aliis modis vrbem hostilem poteras expugnare, ne opere portandæ Arcæ, legem, quam inuiolabilem cupis, infringeres; vt vilior de dispensatione appareret? Certè non dispensat Deus in hoc opere: quia ratio legis ad illud non extenditur. Opera omnia prohibentur in Sabbatho, vt in illo Deus impensiùs coleretur; qui ergo poterat Arcæ gestandæ opus censeri prohibitum, cuius reuerentiâ, & vsu summoperè colebatur? Et disertè *omne opus* prohibetur: quia eo ipso, in termino vulgari, & cateruatim posito, vt supra dixi, opus singularissimum & præstantissimum non poterat comprehensum intelligi à prudentibus. Latè de hoc Tertull. lib. 2. contra Marc. cap. 21. concludens ad rem meam: *Non facies in ea omne opus. Quod? Vtique tuum: consequens enim* 290.

Exod. 20.

Dispensatio eneruat legem.

Iosuë 6.

Tertull.

enim est, vt ea opera Sabbatho auferret, quæ sex diebus suprà indixerat, tua, scilicet, id est, humana. Arcam verò circumferre, neque quotidianum opus videri potest, neque humanum: sed rarum, & sacrosanctum, & ex ipso tunc Dei præcepto, vtique diuinum. Arca sanctificationis nostræ, vt Patres sæpe testantur, Maria: non illa *ex omnibus* est: non est omne opus; sed opus quoddam rarius, & penè diuinum. Lege itaque non comprehenditur: dispensatione non indiget: maiori beneficio non immiscetur omnibus, quàm iam immixta ab omnibus excipitur.

291. Exodi 20. Seuerior adhuc lex illa Exodi 20. n. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum; nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra.* ne, scilicet, idololatriæ ansa præberetur; & similitudinibus impensi homines, vero Numini cultum denegarent. Exodi 25. Perge nunc ad cap. 25. vbi post multa de Arcæ fabrica, & ornatu audies: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex vtraque parte Oraculi.* n. 18. En tibi è cælo desuper petitur, & præcipitur similitudo. Putes, propter Arcæ honorem, in re aliunde periculosissimâ, circa legem dispensatum: non crederem ob ornandam Arcam, animabus periculum (si quod ibi proximum intercederet) creandum, lege dispensatâ. *Imprudentia est, seruire seruientibus.* Nullum erat proximum in his Cherubinis idololatriæ periculum; quod vnum summoperè lex cauebat: ideò non tam in hoc casu lex dispensatur, quàm legis ratio ad hūc casum non extenditur: quis enim, nisi hebes, cultum latriæ tribueret Cherubinis, quos videbat in ornatum, aut templi, aut Sanctuarij seruientes semper, & maiorem æterni Numinis potestatem, ipso ornandi, & assistendi obsequio protestantes? Tertul. Tertul. citatus cap. 22. *Sic & Cherubim, & Seraphim aurea, in Arca figuratum exemplum, certè simplex ornamentum accommodata suggestui: longè diuersas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur: non videtur similitudinum prohibitarum legi refragari.* Non cōprehenduntur negatæ similitudinis lege Cherubini, quos aliæ diuini obsequij, & seruientis ornatus causę excipiebant: non comprehendatur negatæ gratiæ lege Maria, quā iusta cōdignę maternitatis causa excipiat, decentissimū apparet.

292. *Deitatis est non pollui, polluta tangentis.* Sic leprosi tactus inquinans, atque polluens habebatur, vt separatus ab omnibus, capite tecto, obducto vultu, dissuta veste, clamare se pollutum, & sordidum præciperetur, ne ab inscio quouis, statim polluendo, & immundo ex lege habendo, tangeretur. Leuit. 13. Leuit. 13. n. 45. Venit Christus, rogatur à leproso; & quem leuissimo verbo poterat mundare, tangit nihilominùs: Luc. 15. *Et extendens manum, tetigit eum.* Luc. 15. n. 12. Non tenebaris tu quidem legibus, Domine: sed tamen de tua comitate clementi, venisti legem non soluere; sed adimplere: ideò circuncisus, ideò in templo redemptus, ideò Paschatis crederis celebrator. Cur ergo, quem facilè poteras nutu curare, tactu lege prohibito emundas leprosum? Nimirum, qui se Deum sæpè dixerat, & miraculis aliis probarat; voluit se etiam hinc Deum ostendere, quòd legis ratio ad illum non extendebatur. Si enim purus homo foret, cùm aliàs esset legis obseruantissimus, non eum tangeret, vnde pollui posset: ad eum quippe, qui pollui non poterat, legis ratio non extendebatur: & solùm pollui non poterat, quia Deus erat. Tertul. Tertul. citatus lib. 4. cap. 9. *Tetigit leprosum, a quo etsi homo inquinari potuisset; Deus vtique non inquinaretur, incontaminabilis, scilicet. Ita non præscribitur illi, quòd debuerit legem obseruare, & non contingere immundum; quem contactus immundi non erat inquinaturus.* Probatur homo noster, Deus: quia vltra communis immunditiæ leges constituitur, ne contingens pollutos polluatur. Probetur Virgo nostra digna Dei Mater, quòd vltra communis fœditatis originalis legem decernatur, & à pollutis nata non polluatur. Hoc Matris dignitatem decet: hoc Filij potestatem non excedit.

Et quidem ea fuit semper diuini ingenij conditio, vt quos in præcellens aliquod munus destinabat, vltra terminos communis legis constitueret. 293. *Maria noua generationis principium.* Inundando iam Orbe diluuij vorticibus, quia carnis inundationibus spiritum suffocarat; audit Noë à Deo: *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* Genes. 6. Genes. 6. n. 13. Et non palles, non trepidas, senex optime? Vniuersam carnem, id est, omnes homines audis infallibiliter delendos: homo es, vnde non pereundi cōcipis fiduciam? Homo erat, sed prudentissimus: vbi sic communem damnationis legē percepit animo, animos resumpsit: & aliquos inde priuatim legislatoris necessarios benignè excipiēdos intellexit. Vnde, cùm se, suósque (licèt in carne essent) in spiritu viuere recognouit; pacato pectore suscipit decretū, quod in se, suósque non extēdi, penetrabat. At, vnde, inquis, tanta gratia id temporis huic familiæ concessa? quorsum tantū priuilegium irrogatū, vt vltra legis terminos cōstituta intelligatur? Alcuin. Alcuinus ibi q. 100. *Quid est, cur dixit Deus ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit? Significat, omnes mortales, præter illos, qui in arca saluandi erant. Illi igitur, quasi seminarium secūdi ordinis seruati sunt.* Erat futurus iste secūdus ordo purior, à sanctissimo Noë processurus: ideò Noë talis fuit, qui meruisset, cōmuni damnationis decreto non comprehendi. Pende nunc, an melioris ordinis seminarium Maria, (in qua, vt fusè suprà probaui, omnes regeneramur per Christum,) imò & ipsius Christi purissimū seminarium; ea deberet esse, in qua delicti debitum non esset: an potiùs fœdanda illa, vnde erat ipsa puritas emanatura.

294. Exodi 7. Pro iusta innocentis sanguinis vindicta, quem impiè Ægyptij tot trucidatis pueris effuderant, Ægyptias aquas in sanguinem vertit Moyses, auspice Deo: vt iam sanguinolentus humor veniret in pocula inuitis, vltrò pridem humanum sanguinem sitientibus: & addit Textus: *Et fuit sanguis in tota terra Ægypti.* *Maleuolus specie tenus maculare innocentes præsumit, dum reapse non potest.* Exodi 7. n. 21. quasi nihil aquarum esset in tota terra Ægypti, quod in sanguinem fœdatum non ruberet. Sed ecce ingens dubium in iis, quæ statim subduntur n. 22. *Et fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* id est, etiam (saltem quoad apparentiam) aquas in sanguinem conuerterunt. Sed vbinam aquas facilè inuenerunt, in sanguinem mutandas; si in tota terra Ægypti aquæ iam pridem à Deo in sanguinem conuersæ omnes ferueſcebant; Quid hoc antinomiæ in tam breui sententiâ, diuine Scriptor? Ignorantiæ est istud apud nos, non apud Scriptorem antinomiæ. Vidit prudentibus statim agno-

scendum, legem fœdi ruboris omnibus aquis impositam, illas necessariò excepturam, quæ in prouincia, vbi innocentes Israelitæ degebant apud Ægyptum, scaturiebant. Non poterat horum aquas comprehendere maledictionis lex, qui vltra pœnæ debitum, & decreti constitutionem habebantur. Ex his ergo aquis attulerunt malefici, quas deinde in sanguinem commutarunt D. August. tom. 4. lib. 2. in Exod. quæst. 24. *Quæstio est, vnde aquam in sanguinem verterunt, si tota aqua Ægypti in sanguinem conuersa iam fuerat. Vnde intelligendum est, regionem, vbi filij Israël habitabant, plagis talibus non fuisse percussam: & inde potuerunt incantatores, vel aquam haurire, quam in sanguinem verterent; vel aliquas ranas educere ad solam demonstrationem magicæ potentiæ.* Nota obiter ad mores, impios incantatores, qui ad inanem ostentationem non veræ, sed magicæ potentiæ innocentes aquas nullo reatu obnoxias fœdarunt; & saltem specie tenus (nihil aliud potuerunt) sanguineo rubore infecerunt. Ad rem. Omnes origines de merito Deus commaculatas voluit: at illa, vbi non Israëlita Sanctus; sed Israëlis Deus erat habitaturus, quam ab æterno sibi, tanquàm Matris initium destinabat; vltra debitum legis ponere decebat. Potuêre Israëlitæ Sancti in aquis suis pœnæ debitum euadere; potuit Deus illis à communi lege, non solùm pœnam, sed debitum depellere anteuertens: cur id in simili alia lege, erga Matrem non fecisse contendemus? Desudent magicâ, & malignâ suâ incantatione contra Conceptionem purissimam Hæretici, vt agunt: fideles veritati tandem acquiescamus.

D. August.

295. Denique, siue per dispensationem saltem, siue digniori hoc secundo modo, demus conuicti Mariæ in hac originis lege, quod in aliis legibus æquè communibus eidem Dominæ datum non ambigimus. Vix peccat Eua, cùm audit: *In dolore paries filios.* Genes. 3. n. 16. Omnes sub hac lege damnatæ, natarum natæ, & quæ nascentur ab illis. Vna est Maria, quæ huius legis maledicto non comprehenditur. At hoc, inquis, ex Euangelio, dum Virgo luculenter dicitur peperisse, clarè colligitur: non ita pura Conceptio. At, quot alia fateris necessariò de Mariâ, quæ tamen in Euangelio non leguntur? Vbi Euangelij audis, Deiparam nec leui culpa actuali animam vnquam purissimam coinquinasse? Vbi audis, in gratiâ, & gloriâ, omnibus purissimis Spiritibus Seraphicis præpositam? Vbi audis, priusquàm ederetur sanctificatam? Si, nisi quæ in Euangelio sunt, Mariæ tribuas; næ tu iam ad impietatem declinaueris.

Maria plura tribuenda, quàm quæ in Euangelio expressa.
Genes. 3.

296. Imò, ideò crederem, ideò in Euangelio priuatas Deiparæ prærogatiuas subticeri, cùm tamen fusè aliorum Sanctorum priuilegia celebrentur: vt ex ipso silentio sublimius longè aliquid cogitares. Non pigeat, licèt plura, legere, quæ non piguit, quia piissima, transcribere ex D. Thoma Valent. Conc. 2. de Nat. Virg. *Cogitanti mihi, ac diu hesitanti, quid causa sit, quòd, cùm Euangelistæ de Ioanne Baptista, & aliis Apostolis tam longum fecêre tractatum; de Virgine Mariâ, quæ vitâ, & dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam: cur (inquam) non traditum est memoriæ, quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum Filio in humanis egerit, quomodo cum illo conuersata sit, quomodo post eius ascensionem cum Apostolis vixerit. Magna erant hæc quidem, & memoratu digna, & quæ cum summa deuotione à fidelibus legerentur, à populis amplecterentur. Hæc, inquam, mihi hæsitanti, cur de actibus Virginis, sicut de actibus Pauli, non est compositus liber; nihil aliud occurrit, (accusare enim Euangelistas negligentiæ, sicut impium, ita & temerarium iudico,) quàm ita placuisse Spiritui Sancto; eiúsque prouidentiâ Euangelistas siluisse: propterea, quia Virginis gloria, sicut in Psalmo legitur, omnis intus erat; & magis cogitari poterat, quàm describi: sufficitque ad eius plenam historiam, quod scriptum est in themate; quia de illa natus est Iesus. Quid ampliùs quæris? Quid vltrà requiris in Virgine? Sufficit tibi, quòd Mater Dei est. Quænam, obsecro, pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria Matri Dei non congruit?* Quid? si quòd in Euangelio præsentata Virgo non legitur; ideò Præsentationem negaueris, vapula: si, vt par est, concedas: vide, an meritò purissimam Conceptionem denegaueris, quanuis in Euangelio non exprimatur; quæ pari ab Ecclesia celebritate, & maiori fidelium feruore, fœcundiori Doctorum numero, quàm Præsentatio colitur in præsentiarum. Maneat ergo, potuisse Virginem purè concipi lege non obstante, quanuis in Euangelio id taceatur: sicut potuit lege non obstante absque dolore parere Christum Dominum. Argumenti huius vim statim, adhibito Authore, sigillabo.

Eius laudes ineffabiles.
Thom. Val.

Oppones, multa hæc, & alia, quæ in Euangelio subticentur, de Virgine piè credi, & prædicari: quia nihil in Scriptura communis legis facit contra illa: at contra Conceptionem communis illa excommunicatio Paulina stat directè: non ergo pari id pietate defendi potest, ni aliquid in Scriptura, vnde limitetur, & explicetur Paulus, reperiatur: hinc enim (addes) virgineus partus expressè in Scripturâ decantatur, vt indicta Euæ lex, restricta in Mariâ crederetur: aliàs absque dolore, id est, incorruptam peperisse non putaremus. Non putares tu, credo: ego verò, & pius quisque, vtque par est de Christi decore credens, licèt id Isaias non exprimeret, ad sanguinem vsque, pro incarnati Verbi decentiâ, pro Matris virginitate decertarem: nefasque ducerem, si Philosophus noscerem possibilem diuinâ potentiâ penetrabilitatem, (nedum si legerem, & sepulcrum, & cœnaculum, & cælos subtiliter penetratos,) dum illam virgineo partui denegarem; à communique lege Mariam sic exceptam non attestarer. 297.

Virginitas Mariæ, licèt non expressa, decenter crederetur.

Sed nec adhuc ita effugies. Do aliunde communissimam legem, à qua Maria (impiè discrepabis) colitur immunis; cùm tamen in Scriptura nullibi eius immunitas legatur. Recole, amabo, inflictam mortalibus omnibus, pœnali edicto, sententiam in Adamo: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* loco citato Genes. n. 19. Non solùm mors, ‡priùs; sed post mortem corruptio, & fœda in cineres abitio intimatur. Dura mors: sed durior in vile puluisculum redactio. Et quot vides, quot audis Sanctorum corpora defunctorũ incorrupta, legẽ, & pœnam cõmunem euitantia, 298.

Maria in morte incorruptio.
Genes. 3.

&

& diuina dispensatione in puluere à puluere conseruata? At, licèt diutissimè durent, corrumpentur tandem. Vnde nosti? Vnde rem certè percepisti, mi homo? Sed esto, corrumpantur. Nunquid assumptam Deiparam, aut corruptam credis, aut aliquando speras corrumpendam? Nefas. At, ex quo incorruptum Virginis corpus Euangelio ebibisti, inde nos maiori, audeo dicere, iure, & longè maiori decentiâ purissimam ebibimus Conceptionem: indecentius enim Deo, si Matrem aliquando animâ fœdandam Dæmoni traderet; quàm si corpore corrumpendam puluerì permitteret.

299. Ludolph. Nunc iam audiendus de vtraque lege proposita Ludolphus Carthus. Par. 2. cap. 86. de Virgine assumpta, ex doctrina D. August. *Memores igitur conditionis humanæ, mortem illam Beatissimæ temporalem dicere non metuimus: sed, si eam dicimus resolutam in communem putredinem, vermem, ac cinerem; deliberandum est, si tanta conueniat sanctitati, tanta aulæ Dei prærogatiuæ: scimus enim dictum protoparenti: Quia puluis es, & in puluerem ibis. Hanc conditionem Caro Christi euasit. Excipitur ergo ab illa generali sententiâ, de Virgine sumpta natura. Mulieri quoque dixit Deus: Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries. Ærumnam Sancta Maria sustinuit, cuius animam doloris gladius pertransiuit: sed sine dolore genuit. Maria ergo excipitur à quibusdam generalibus, quam tanta attulit dignitatis prærogatiua. Si ergo dicimus, mortem subiisse; nec tamen vinculis retineri, nunquid impium erit? Si voluit Dominus, integram Matrem virginitatis seruare pudore; & cur non velit incorruptam seruare à putredinis fœtore? Nunquid non pertinet ad benignitatem Domini, Matris seruare honorem, qui legem soluere non venerat, sed implere?* Nullum hic verbum, quod à fortiori non faciat pro Conceptione: vt de virginitate seruata, latissimè suprà probaui. Planum itaque, tacente etiam Euangelio, à quibusdam generalibus rescriptis Scripturæ, excipi Deiparam: vnde & Baptistæ præponitur, licèt is à Christo inter natos omnes mulierum præponatur. Potuit ergo vna Paulinum fulmen euadere: & certè euasit. At quidem verbum, *excipio*, quo vtitur Ludolphus ad Mariam; cùm eodem ad Christum vteretur; non solùm corruptionis pœnam, sed & debitum arguit non contractum.

Maria communes leges euitat.

§. VI.

Quomodo hæc particula, omnes, *in Scripturâ veniat interpretanda.*

300. 
NON est animus ostendere, terminum istum distributiuum, *omnes*, alicuius saltem exceptionem pati in Scriptura: id enim sic planum, vt ausim dicere, rarissimè inueniri hanc particulam, quin multiplicem habeat exceptionem. Vide inter alios Mendoçam ad illud 1. Reg. 1. num. 21. *Et omnis domus eius.* Explicando igitur pleniùs Paulo, & agnoscendo iudicio, quo Tridentini Patres moti fuerunt, vt possent locum Apostoli, etiam exceptâ Deiparâ explicare; vnum, aut alterum verbum subdo non ita rancidum. In primis sic putat Spiritus Sanctus propositiones istas vniuersales de communi prudentium vsu adhibitâ exceptione venire explicandas, vt necessarium putet, cùm nulla exceptio datur, id exprimere. Tale est illud Exodi 14. num. 28. *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis.* Sic & Ieremias cap. 42. n. 17. *Omnes viri, qui posuerint faciem suam, vt ingrediantur Ægyptum, vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peste: nullus de eis remanebit.* Similes locutiones inquire alias. Meritò itaque putarem, talem cautelam, in re longè grauiori, Apostolo adhibendam: nisi videret, vnam Deiparam communi originis inundatione non grauatam; Ægyptias culpæ tenebras non ingressam. Exodi 14.

In Scripturâ quomodo vniuersales sententiæ, & similes interpretandæ. Mendoça.

301. Quid? Etiam cùm hæc expressio adhibetur, suas adhuc locus patitur apud Sanctos Doctores interpretationes: vt videre est in verbis Dauidis de Deo in terram prospiciente: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum: non est vsque ad vnum.* Ps. 13. n. 3. Qui tamen locus à multis capitur (vide Lorinum) de solis peccatoribus, à quibus Ecclesiæ iusti excipiuntur. Vnde euidenter infero, quòd quamuis Paulus scriberet: *Omnes peccauerũt in Adamo: nec est, qui habeat originalem gratiam: non est vsque ad vnum.* adhuc Mariam piissimè posse excipi. Ratio prætereà (ne videar intulisse nimium) manifesta: quoniam prædictum locum Dauidis, licèt alias capiat interpretationes; tamen etiam, imò & præcipuè de peccato originis explicandum esse, fide sanctum ex Paulo Rom. 3. (qui illum in hanc adducit) clarè colligitur: & tamen adhuc admissâ verissimâ Apostoli interpretatione, Mariam multi Patres, plurimi Doctores, totius Ecclesiæ communis consensus excipit. Ergo, quamuis in ventilato nostro loco eadem cautela adhiberetur; adhuc Mariæ exceptio congrua aduentaret: nec enim maiori vi arguit Paulus ex se, quàm ex Dauide allato, & sic intellecto.

Etiam strictiores exceptionem patiuntur. Psal. 13.

302. Deinde, si sententia vniuersalis omnibus communiter indicta, satis habet ad veritatem, si, cæteris exceptis, in vno tantummodo impleatur: cur è contra à fortiori non verificabitur, si in cæteris impleta, in vno tantummodo patiatur exceptionem? Purificaturus Ioseph tentationis igne fratres suos, præsentibus illis omnibus indixit: *Per salutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite ex vobis vnum, & adducat eum. vos autem eritis in vinculis,* &c. Genes. 42. à n. 15. Et tamen statim vice versa, omnes exire permittit, vno tantùm in vinculis relicto Simeone. Quid ergo? Nunquid, exclamet aliquis cum Augustino, periuras, sanctissime Patriarcha? Nunquid tibi vilis est salus Pharaonis, cui meliori iure, quàm priori domino, fidem in omnibus debueras seruare? Absit. Nullum hic periurium. Iurauerat non omnes exituros: satis est, si vnus remaneat, vt impleta pro omnibus sententia verificetur. D. August. tom. 4. lib. 1. in Gen. quæst. 139. *Tenuit* *vnum*

In vno tantummodo, cæteris non comprehensis, possunt verificari. Genes. 42. D. August.

vnum eorum, donec veniret Benjamin: & verum factum est, quod dixerat: Non exibitis hinc, donec veneit frater vester. Ad omnes enim non potuit pertinere, quod dictum est: nam, quomodo esset ille venturus, nisi ad eum ducendum aliqui redissent? Non dubitat Augustinus, licèt in plurali dicat, *aliqui redissent*, verba intelligi in omnes prolata, præter vnum solum, quem Ioseph præceperat mittendum: nam, qui negare poterat, vnum tantùm sufficere ad deducendum Benjamin? Sed demus necessarios binos: iam cæteris reliquis manet illata sententia, quam vult Augustinus in vno tantummodo impletam verificari. Exempla huius modi loquendi passim obuia. Multò ergo meliùs verificatur hæc sententia: *Nemo concipitur absque peccato*. si de omnibus, præterquàm de Maria, verificetur.

303. *Lex omnibus prolata, quãdoque in vnũ tantùm dirigit intentionem.* Adde. Si lex aliqua diuina, omnibus communiter proposita, tenore debito creditur irrogata, licèt legis intentio in vno tantùm complenda dirigatur, cur è contra originalis culpæ lex congruo more inculcata à Paulo, intelligenda non erit à fortiore, si intentio in omnibus aliis impleta cognoscatur, & vni tantùm Mariæ non officiat, vt dispensationem saltem obtineret? Pro occisis Ægyptiis primogenitis iubebat Deus, vt eidem primogenitos suos Hebræi consecrarent: iusta retributio, pro tanto accepto beneficio: & tamen iam sibi sic sacratos primogenitos facilè redimi Dominus patiebatur. *Primogenitum filiorum tuorum redimes.* Exodi 34. n. 19. Et cur, quos tam auidè postulat, tam facilè permittit redimendos? Vt ab hac redemptione peculiari iure parentes redimentes dominium nouum in filios iam haberent. Benè est. Sed, quorsum filios parentibus sic volebat mancipatos? Vt cùm nasceretur Christus pie Redemptrici sic Matri mancipatus, nobis tam benigno titulo strictiùs ita traditus nosceretur. Totius itaque legis alios constringentis intentio, in vnum tantummodo Christum feliciter nobis emendum collimabat. D. Thomas Valent. Conc. de Purif. (suprà datus fusiùs, ad rem aliam) sic ad hunc locum: *O magnum, & mirabile Sacramentum! ô mirum sapientiæ Dei consilium! lex pro omnibus primogenitis fertur; sed in vno solo intentio legis impletur. Statutum est, veluti decreto, vt omnis primogenitus venderetur: vt cùm ille Virginis primogenitus nasceretur, ipse quoque emeretur à Matre, non sibi soli, sed mundo.* Habes itaque, optimè dici legitimum decretum pro omnibus institutum, cùm ad vnum tantùm intentio decreti præcipuè exequendi dirigatur. A fortiori ergo decretum legitimè pro omnibus dicetur institutum, cùm in omnes intentio exequendi maximè dirigatur, licèt in vnum intentio non præcipuè, sed reductitiè, feratur. Et cur tale decretum originis fœdandæ, quod per *omnes* Paulus explicat, non fuisse dicemus? Quòd si tale fuit, tam facilè credam Mariam saltem dispensatam; quàm facilè videmus solitos dispensare Principes erga eum, quem licèt lege comprehendant, id tamen obiter, & quasi indirectè fuit: quia in alios intentio legis implendæ collimabat.

Exod. 34.

Thom. Val.

304. Adhuc rarius est, cùm ad duos tantùm fit communis sermo, satis esse ex vsu loquendi Scripturæ, si in altero tantùm propositionis veritas comprobetur. Iacobo, & Ioanni dixit Christus: *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20. num. 23. id est, sanguine fuso, mortem pro meo nominè degustabitis. Ecquid Ioannes, qui plenus dierum dicitur placidè in lecto animam soluisse? Respondet optimè Isidorus ibi apud Hugon. Cardinalem: pende verba: *Mos est sacræ Scripturæ, dum de adhærentibus sibi loquitur, ea, quæ non omnibus; sed quibusdam solent euenire, generaliter prædicare: vnde duobus fratribus Dominus prædixit: Calicem quidem meum bibetis. non tamen Ioannes sanguinem fundendo calicem bibit.* Ego me duri moris, & morosi ingenij existimarem, si in sic obuio Scripturæ more, etiam cùm de duobus est sermo, contenderem adhuc Pauli tantummodo verba, in turbâ longè fusiori, hanc ordinariam loquendi methodum non admittere.

Matth. 20.

Generaliter prædicantur, quæ non omnibus, sed aliquibus conueniunt.

Isidor.

Denique, cùm syllepsim passim admittat Scriptura, vt quod vni conuenit tantùm, pluraliter enuncietur: cur à fortiori non dicemus, in Pauli loco meliori iure tropum inueniri, vt omnes meritò dicat peccare, quamuis vna Maria excipiatur? Ipse Paulus Hebr. 11. de iustis dixit: *Clauserunt ora leonum*, cùm ad vnum tantùm pertineat Danielem, vt obseruat ex communi, & vsitato loquendi vsu Augustinus lib. 3. de cons. cap. 16. aliis adductis exemplis. Idem ibidem ait, in pellibus caprinis iustos ambulasse; quod vni Eliæ conuenit: sectos fuisse; quod vni Isaiæ, vt notat Ambros. in Luc. lib. 10. quòd & de duobus latronibus blasphemantibus ibidem notant iidem. Ex his omnibus capitibus, quæ præstringo, aliis relinquens fortasse dilatanda, satis constat, quàm non inuitam Paulus interpretationem patiatur: hincque etiam cætera huius Anthologiæ suprà dicta longè probabiliora apparebunt. 305.

Scriptura admittit syllepsim.

Hebr. 11.

D. August.

Ambros.

§. VII.

Indignè subditur legi pœnali, quæ, sponsæ titulo, dignanter à Legislatore assumitur ad conregnandum.



HVCVSQVE celebrem Estheris locum, prout in nostra vulgari editione habetur, explicaui. Habet tamen aliquid adhuc emphasis, Græca illa lectio suprà citata, ad rem nostram non obiter prætereundam; & qua parte potuerit, pro Deipara Virgine elucidanda. Ergo vbi nos habemus: *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Græcus ille habet: Κοινὸν τὸ πρόσταγμα ἡμῶν. id est: *Commune est hoc præceptum nostrum.* vel, *commune nobis.* Quod optimè Serarius explicat ibi quæst. 9. *Nobis commune est: tam est tuum, quàm meum præceptum: regnum nobis commune est, mea leges tua sunt, ideòque earum pœnâ non teneris.* Quasi Esther sponsæ titulo, & vna diadematis particeps, Legislatoris Regis Conlegislatrix quodammodo diceretur. Debeat mihi bona explicatio illustrationem ex more Persico. Plutarchus lib. quòd in Princ. req. 306.

Regi Conlegislatrix Regina.

Esth. 15.

Serar.

Plutarch.

teq.doct. *At Persarum quidem Rex omnes pro* *Persarum Principes uxorij*
seruis habebat, præter uxorem suam, cuius maximè conueniebat esse dominum. Prætereo mentem Plutarchi aperire, (non vult, quod sonat, vxorem fore ancillam,) quia non ad rem: mihi satis, si hinc discam, Persam Assuerum simili modo se gessisse, quam non seruam; sed condominã secum prædicabat. Ælianus lib. 12. cap. 1. de Aspasia Cyro Persarũ Monarchæ nupta, ab illis verbis: *Ælian.*
Χαὶ ἐς τοῦτον, &c. *Et in tantum vtrique amor coaluit, vt penè ad honoris æqualitatem veniret: neque nuptiæ illæ à Græcis, quoad concordiam, & temperantiam dissonarent.* Hunc penè æqualem honorem, per penè conlegislationem explicuit Assuerus de Demetrio, quamuis non Persa. Sic scribit Athenæus Dipnos. l. 13. cap. 23. *Demetrius Rex successionis extremus Myrinam amicam habebat Samiam: atque; diademate excepto, totius imperij communem habebat authoritatem.* Quidni *Athen.*
ergo Estheri non amicæ, sed vxori legitimæ, & primariæ, ideóque, vt ex Scriptura constat, diadematis participi, etiã cum cõmuni imperij authoritate, legislatio quodãmodo communis tribuatur? Non quòd putem decretis cum Assuero subscripsisse; sed, vt ita optimo modo immunis, & nullo modo decretis cõprehensa intelligatur. Aut fortè ideò Legislatrix dicta: quia intercessione suã Assuerus leges, aut dispẽsabat, aut mitigabat, aut penitùs quandoque abrogabat: quod ex edicto cõtra Hebræos, abrogato Estheris precibus; imò & nouo in eorundem fauore irrogato cap. 8. n. 5. apertè constat: vnde & priùs in re alia idem potuisse facere coniectatur. Hæc satis de typica. Venio ad veram nostram Estherem, cui hæc omnia suo modo videbimus conuenire. *Esth. 8.*

307. Fuit Maria, vt in Examine dixi, ante omnes creaturas electa, omniũ, post Christum, primogenita: scilicet, vt esset Spõsa Dei, Verbi Mater, Angelorum Regina, hominum Patrona: quia, sicut præuisis Christi meritis omnes gratiæ à condigno Redemptore promanantes communicantur: sic suo modulo à Corredemptrice quoad congruitatem promanarunt. Maria omnibus post se futuris piã intercessione profuit: omnibus ante se præteritis, adfuit quodammodo: dum recolens misericordias Domini cum ipsis factas, ipsique Domino ob illas, tanquàm Mater communis, gratias reddens, istis etiam donis videtur non defuisse. Et quidem, si ab æterno Deus, vt melior Theologia fert, præuisis Mariæ meritis à se dandis accelerandæ Incarnationis decretum stabiliuit, quæ fuit gratiarum gratia: cur etiam eisdem præuisis gratias omnes ab origine mundi eorundem intuitu non communicaret? Meretur Maria de congruo Incarnationis acceleratæ decretum: cur non mereatur de congruo gratias creaturis? cur, quod Deus ob merita condigna Christi semper fecit, etiam ob merita Mariæ congrua non fecisse dicamus, cùm id in maiorem Christi gloriam, ex quo id percepit Maria, cedat omninò? Certè Patres, qui Mariam primogenitam vocant; qui illustribus olim fœminis, quòd Mariæ forent figuræ, vberiores gratias prædicant concessas; huc faciunt. *Maria quodammodo summo Regi Conlegislatrix, omnibus congruè gratias promeruit.*

308 Si ergo talis fuit Maria, suo etiam sale *Conlegislatrix* Dei potest appellari: non, quòd cum Deo decerneret: absit: sed, quòd Spõsæ titulo, ad imperium (quantùm creaturæ apud Creatorem *Idem probatur.*

fert conditio) quodammodo æquale assumpta, & Regina prædestinata in priore decreto, quàm lex fuerit Adamo, & eius posteris constituta: iam leges Sponsi Dei, quasi suas habebat: imò & *Conlegislatrix*: quia alia decreta Dei, & pœnas constitutas (non loquor de omninò absolutis) sua intercessione, aut temperatura, aut omninò noscebatur abrogatura. Quid? Hoc ipsum decretum originéæ fœditatis Maria quodammodo temperauit: dum eius intercessione, quod Patres clamãt, Ioanni adhuc in vtero, gratia acceleratur, & pœna festinantiùs aboletur: dum eius precibus apud mille prouincias barbaras fides immittitur: dum toti Orbi attulit Redemptorẽ: dum omnes in vtero suo regenerauit. Et dices, hoc modo Legislatricem, pœnali lege communi comprehensam? Sed hæc omnia adhibito florilegio amœnentur.

§. VIII.

Sponsæ ad sponsum proportio, imò & vnitas: illa penè omnium cum sponso concors; nec etiam iuris dandi penitùs expers.



QVÆ debeat inter sponsos esse proportio, quámque felices ab æqualitate nuptiæ procedant, satis ab Orbis incunabulis indicauit Deus, dum Euam è costa mariti efformauit. *Tulit vnam de costis eius.* Genes. 2. n. 21. Cur enim è medio corpore, non ab infima, aut suprema eius parte vxorem efformaret; nisi, vt illam, neque marito viliorem, neque sublimiorem; sed media æqualitate proportionatam agnosceremus? Fauet ibi Lyranus: *Non enim*, inquit, *formauit eam de pede; quia non erat serua: nec de capite; quia non erat viri domina: sed de costa; quia erat viri socia.* Quid enim erat hæc societas, à qua seruitus, & dominium abhorrebat; nisi æqualitas quædam conditionis, sine qua infelicius coniugium reputaretur? 309 *Vxoris ad maritum proportio.* *Genes. 2.* *Lyran.*

Neque id tantùm protoparentibus euenit: quin potiùs hoc ipsum circa illos gestum, maritis omnibus tacitam præscripsit legem, vt singuli vxores suas, aut æquales eligerent; aut electas, ipso iure connubij, æqualis iam haberent conditionis: & licèt aliunde viles, iam tanquàm de propriis costis assumptas æstimarẽt. Iubebat Deus, vt frater superstes, defuncti absque liberis fratris vxorem duceret, addens: *Et suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex eá filium, nomine illius appellabit; vt non deleatur nomen eius ex Israël.* Deuter. 25. n. 5. Sed, vnde, dicat aliquis, in superstitis fratris semine, & generatione, sic defuncti fratris semen suscitatur; vt iam iste nomen relinquat in Israël, & genitor ore pleno possit appellari? Credo, quia supponebat lex, sic defunctum, vxorem superstiti despõnsandam, æqualitatis iure habuisse, vt illam instar costæ suæ reputaret. Quid ergo mirum, si filium, qui ex costa pridem sua, superstiti nascebatur, tanquàm proprium, defunctus frater 310. *Idem confirmatur.* *Deuter. 25.*

Tertull. frater reputaret? Sic capio Tertullianum lib. 4. contra Marc. cap. 32. obiter ad rem aliam, legis ritum explicantem: *Vt à fratre*, inquit, *ipsius, & ex costa ipsius suppararetur semen illi.* Ad æqualitatem socia fuerat; ideò & costa. Benè ergo editum à costâ ipsius filium, suum reputat.

311. Describebat Lucas Zachariæ excellentias à nobilitate magnas, maiores à virtute: & statim de Elisabeth sic coniungit: *Vxor illius de filiabus Aaron.* cap. 1. n. 5. Mirabar ego, cur Euangelista aliàs semper Christianæ humilitatis præco, tam sedulus in humana nobilitate describenda immoraretur: & causam, ni fallor, vidi in subsequentibus: *Erant*, inquit, *iusti ambo, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.* num. 6. Attende, oro. Matrimonij consortes, ideò coniuges dicuntur appellari; quia, vt notaretur eorum æqualitas, die nuptiarum, solenni cæremoniâ iugum illis aureum imponebatur. Huc volunt allusisse Poëtam:

Luc. 1.

Iugum ad nuptias.

Iamque pari semper sit Venus æqua iugo.

Ergo, dum *incedentes* dicuntur hi sancti coniuges, & pariter in via Domini procedentes, par sibi diuinæ legis iugum impositum testabantur. Ne igitur in sic pari iugo, & sancto matrimonio aliquid ad perfectissimam æqualitatem deesse videretur, vel etiam in re minima; qualis est apud diuinos oculos nobilitas humana; necessarium duxit Euangelista, vt quando sacerdotale genus Zachariæ fuerat referendum, statim vxoris nobilitas adderetur, quò æqualitas perfecta nosceretur. Nunc capies D. Paulinum epist. 10. ad hunc locum, de his Sanctis coniugibus loquentem: *Auxit meritum Sacerdotis, commemoratâ nobilitate coniugij: & laudaturus vitam, genus ante laudauit*, &c. *qui illud principale in Sacerdotibus nomen Aaron, & honoris in munere, & generis in vxore successor referret. Atque illa, quæ concors in itinere iugum veritatis cum marito trahebat, ad pariendum eligenda per Angelum dignior & viro Sacerdote, & filio Propheta præferendo existeret: quam diuinis idoneam do ibus, non solùm vita iustitia, sed familiæ prærogatiua fecisset.* Quasi perfectum illud iugum virtutis, quod concors cum marito gerebat nobilissimo, æquali nobilitate compleretur: ne quid ibi minùs proportionatum intercederet.

Nobiles nobilibus maritandi.

D. Paulin.

312. Hinc iam clarebit, possibilem omnem proportionem in Sponsa sibi paranda obseruasse Deum, Mariæque destinasse gratias omnes, quibus creata conditio capax est: neque sibi inuidisse, quantùm res patitur, connubij purissimi æqualitatem, quam seruis suis, tanquàm ingentem prærogatiuam, voluit communicatam. Ah! quid veri Numinis nuptiis videamur obtrudere, quod in falsi Numinis nuptiis deplorat Deianira in epist. apud Ouid. Nupserat illa Iouis filio, Herculi, à quo deserta, nec ad honoris paritatem adducta, aut conditionis euecta æqualitatem, sic eidem scribit:

Coniugium inæquale, onus est, non honor.

Ouid.

At benè nupta ferer, quia nominor Herculis vxor;
Sitque socer, rapidis qui tonat altus equis.
Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci;
Tam premitur magno coniuge nupta minor.
Non honor est, sed onus: species læsura ferentes:
Si qua voles aptè nubere, nube pari.
Vir mihi semper abest, &c.

Certè honoratur his nuptiis Maria, non oneratur: non vanam speciem læsuram; sed solidam gratiam accepit perficientem. Aptè nupsit: quia, quantùm fieri potuit, nupsit pari. Sic nunquam ab illa diuinus Sponsus abfuit; sed ab ipsa Conceptione adfuit semper. Id credo voluit Hugo Victor. Serm. de Assump. tom. 2. explicans illud Cant. 1. n. 15. vbi Maria *pulchra*; & n. 16. vbi Christus *pulcher* appellatur. Do carptim: *O qualis societas! totus pulcher, totam pulchram sibi sociat. Ego totus pulcher, & tu tota pulchra: ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher; quia totum, quod pulchrum est, in me est: tu tota pulchra; quia nihil, quod in te est, turpe est*, &c. *O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa Altissimi, Mater Dei, Sponsa Regis æterni!* Potuítne Sponsa Regis æterni ad maiorem æqualitatem peruenire, quàm vt habeat per gratiam, quod ille per naturam? Potuit clariùs societas illa costæ, quam in protoparentibus vidimus ad æqualitatem; quàm in hac sociata Sponsa explicari? Potuit dulciùs innocentia Mariæ prædicari, quàm dum ab illa sic *turpe* abfuisse dicitur, vt in Christo pulchrum dicitur adfuisse? I nunc, & venerabilem Hugonem pro minùs piâ cita, id est, pro falsa opinione.

Mariâ qualis Sponsa.

Hug. Vict.

Parum est, si in sponsis prædictam proportionis æqualitatem consideremus, nisi diuisionem illorum vnitam, imò potiùs vnitatem diuisam explicemus. Hoc ergo fuit, cur Eua non aliunde producta, sed à viro suo virago sumpta est: vt, dum vnum corpus Adami, in Euam emissâ costâ, diuisum cernitur; iam in vtroque vnitas quædam diuisa cerneretur: sicque coniuges ardentiùs amarent inuicem, cùm se alter in altero redamarent. Cur enim non denuò è noua aliqua materia creatur Eua, nisi vt idem in vtroque diuisum corpus, mutuam adhærendi charitatem confoueret? D. Bruno ad locum Genes. citatum apud Tilm. *Vt maior*, inquit, *inter hominem, & mulierem dilectio foret, non aliunde, sed de viri costa, facta est. Inde fit, vt naturali quodam amore, viri insectantes costam suam, mulieri adhærere cupiant, quasi carni suæ. Cuius amoris appetitum, qui diuinitùs in se adiuti vincere queunt, quasi propriam naturam dimicando vicerunt: ac meritò cæteris hominibus præferuntur.* Id quidem fabulis, vt solebant, immiscentes, veteres declararunt. Nota narratiuncula Aristophanis, quam ex illo sic refert Septalius in Probl. sect. 4. *Homines, inquit, à principio factos fuisse à Diis immortalibus duplices. Deinde, cùm quatuor brachiis, & quatuor pedibus nixi, velocissimi, & fortissimi essent, Deos irritauerunt: vnde ob superbiam scissi sunt, & ex vno, duo facti. Qui verò scissi fuerant, amore se ipsos deinde quæritabant, quò vnirentur, vt iterum integri fieri possent.* Inde Ethnicis habebantur faustæ nuptiæ, cùm duo illi iterum matrimonio coniungebantur in vnum, qui pridem vnus fuerant: inde in aliquorum matrimonio rixæ, & discordiæ, quòd diuersorum dimidia non proportionarentur. 313.

Coniugum indiuisa vnitas.

D. Bruno.

Castitas vnde gloriosa victoria.

Septal.

Sed nec solùm hæc vnitas diuisa cernitur in corporibus: eadem & in animabus visa reperiri: hinc illud Priscillæ moribundæ ad maritum apud Stat. Syl. 1. lib. 5. 314.

Coniuges corpore, & animo, vnum sunt.

Stat.

Pars animæ victura meæ, cui linquere possem,
O vtinam! quos dura mihi rapit Atropos annos.

Qui loquendi modus, nec etiam diuina authoritate destituitur. Hebræa sacrificia, oblatas victimas

mas, abominatus Dominus: vnde in tantam pœnam moueretur, sic aperuit: *Quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. Nonne vnus fecit, & residuum spiritus eius est?* Malach. 2. num. 14. Vocatur vxor, *residuum spiritus eius*; id est, reliquiæ, siue pars animæ eius. Eius? Cuiusnam, an Dei authoris, an mariti? Vtriusuis explicant Doctores. Et cur, inquis, æquiuocè rem protulit Propheta? Credo, quia vel vtrunuis, vel vtrunque intelligas, ad rem intentam perinde erit. Aduerte diligenter, quod protoparentibus euenit, id omnibus coniugibus, vt suprà dixi, suo modo accommodandum. Deus igitur Adamum formans, *spirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.* Genes. 2. num. 7. Hæc ergo anima, siue hic spiritus; & hominis est, quem informat; & Dei est, à quo processit. At, vnde, inquis, vxor residuum talis spiritus appellatur? Quia ex illo ipso spiritu vitæ, quem nostro loquendi modo Deus ore concepit, & quo Adamum animauit, partem residuam in ipso ore visus reseruasse, quam posteà transfunderet in Euam: vt iam ista cum marito per summum fœdus, non solùm eiusdem corporis particeps; sed etiam eiusdem animæ consors haberetur. Nunc intelliges D. Hieron. ad hunc locum: *Idcircò particeps dicitur, & vxor coniunctionis, & fœderis: quia à Deo de costa viri facta est, & residuum spiritus eius; siue Dei, vt quidam putant; siue mariti, vt alij suspicantur: quòd, propter affectum, vna anima duobus esse videatur, coniunctis spiritu, mente sociatis.*

Malach. 2. — Genes. 2. — D. Hieron.

315. Vnde iam capio illud, quod per anacephalæosim narrat Scriptura: *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum: masculum, & fœminam creauit eos.* Gen. 1. n. 27. De homine, tanquàm de vno, loquitur, quem statim in masculum, & fœminam quasi diuidens, iam appellat duos: ille vnus creatus ad imaginem, iam in masculum, & fœminam creari dicitur: quia vterque vnum corpus, & vnus spiritus fuerunt. Et fortassis ideò narrata productione Euæ ab Adami costa, nihil de illius additur animatione: quasi clarè supponeretur intelligendum, consortem fœminam ex residuo spiritu mariti fuisse animatam. Meritò proinde D. Ambros. Hexamer. 5. cap. 7. inuectus in adulteros sic scribit: *Duos primùm Deus fecit Adam, & Euam; hoc est, virum, & vxorem: & vxorem de viro, hoc est, de costa Adam: & iussit ambos esse in vno corpore, & in vno spiritu. Qui vnum separas corpus, vnum diuidis spiritum; natura adulterium est.* Quasi non solùm ius connubij; sed & naturæ vnitatem violet adulterium.

Genes. 1. — *Idem probatur.* — D. Ambros.

316. Hinc ergo est, quòd meritò coniuges, se sibi inuicem chara appellitent dimidia: ideò Ouidius naufragaturus miserè, id vnum solatij habebat, quòd vxorem in periculi consortium non afferret, lib. 2. Trist.

Coniuges sibi inuicem dimidia. — Ouid.

At nunc, vt peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidiâ saltem parte, superstes ero.

Sicque, licèt diuisa vnitas, indiuisa horum dimidiorum coniunctio putabatur: vt defectus alterius, alteri imputentur: & alterius damna, alterum afficiant. Incipiamus à damnis. Conatus Dæmon Iobi constantiam euertere, ingenti laborum pondere immi ssio, opibus ereptis, filiis trucidatis, corpore percusso, relicta tantum testa, qua, dum amoueret saniem, plagas exacerbaret; vxorem illi tantummodo nosti reseruasse, idque ad grauiorem tentationis machinam, vt testantur Patres: vnde fortior Iob de huius, quàm de cæterarum tentationum victoria celebratur. Pende nunc, quid agat, vel quid dicat fœmina ista: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.* cap. 2. n. 9. Ecquid tanti ponderis in hoc verbo? Audi, quomodo locum Septuaginta vertant: *Tempore autem multo transacto dixit ei vxor eius: Quousque sustinebis dicens: Ecce permaneo tempus adhuc paruum, expectans spem salutis meæ? ecce enim deletum est memoriale tuum de terra: filij, & filiæ mei vteri, dolores, & labores, quos in vacuum laboraui cum ærumnis: tu verò ipse in putredine vermium sedes, pernoctans sub dio: & ego errans & ancilla, locum ex loco, & domum è domo, expectans Solem, quando occidet, vt requiescam ab ærumnis, & doloribus, qui me nunc premunt. Sed dicito aliquod verbum in Dominum, & morere.* Quasi non esset bonus maritus, nisi dimidij chari, id est, vxoris damna plùs sentiret, quàm sua. Vnde, qui in propriis constans perseuerabat, iam non deberet in damnis coniugis sibi intimioribus ad impatientiam non commoueri. Chrysost. ibi in Catenà: *Videns*, ait, *quemadmodum suas, cum illius rebus coniungat? Non valent, inquit, tua; vincant mea.* Et erat formalissima ratio arguendi, (ideòque fortissima tentatio,) nisi in materia prohibita, & pessima poneretur.

Coniugum damna, mutuò afficiunt, imò saniùs. — Iob. 2. — Septuag. — Chrysost.

Fortasse etiam dici potest, ideò ærumnas suas commemorasse pariter perditam hanc vxorem, vt se consortem damni Iobo illati ostentaret: vt inde iste grauiùs moueretur: quia minimè (vt dixi ex Ouidio) poterat consolari, quòd saltem dimidiâ sui parte saluus erat, & superstes: efficaciúsque foret prauum consilium ab vxore eiusdem damni comparticipe. Idem Chrysostom. *Hæc verò propterea loquitur, vt se quoque consortem calamitatis testetur: nam, qui in malis alienis philosophatur, dando consilio fidem nequaquam facere videtur. Illa igitur suam semper personam obtrudens, eum singulis verbis, quasi iaculis configit.* Vtcunque sit, vt Iobum malis, & ærumnis suis torquebat vxor, sic se eiusdem Iobi ærumnis tortam prædicabat: à quibus eius se morte liberandam sperabat. Sic damna vtriusque consortis inuicem communia testabatur. 317.

Inutile infelici consilium felicioris. — Chrysost.

Longè excellentiùs res cernitur in Beatissimo Iosepho. Apparuit illi Angelus in somnis, dicens: *Ioseph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Matth. 1. n. 20. Et quid timeret Ioseph, qui, quoniam iustus, securus dormiebat? Diceret Nuncius: Ioseph, noli relinquere coniugem tuam: noli in alienam prouinciam peregrinari. Ast, cur illi expressè timor iubetur abigendus, à quo potiùs cura, aut mœstitia pellenda videbatur? Nimirum, suspicabatur prudens Ioseph, ab eius vultu prudentiorem Sponsam cogitationem discedendi penetrasse: proptereàque Mariæ cor, licèt imperturbatum, in timore tamen iusto discessus futurum. Videbat in eius absentia Virgini rerum inopiam oborituram: vnde, vt erat verus Sponsus, non tam suas, quàm virginis causas pertimebat. Hósque 318.

Matth. 1. — *D. Iosephi amor purissimus in Mariam.*

que piissimos timores Angelus iam deuenit amouendos. D. Chrysol. Ser. 145. *Sponsa causa, sponsus ne timeat, admonetur. Et verè pius animus, dum compatitur, plùs pauescit.* Timor ordinatissimus Mariæ, amoris sympathiâ sollicitum pauorem Iosepho incutiebat: nec suos Sponsus, sed Sponsæ successus pertimebat.

D. Chrysol.

319. Venio ad defectus inuicem imputatos. Redeat in hanc materiam Sanctus Iob. Vix blasphemiam vxoris audit, cùm sanctè subiratus respondet: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* eod. cap. n. 10. Fatuam reprehendit; stultam denotat, quòd in Deum peccato se obstringeret. Hem! & quot peccata Dæmon, in eodem commiserat persequendo; quem tamen etiam obstinatum, nec leui verbo increpat Sanctus Iob? Cur ergo ad primam fœminæ culpam sic exhorret, vt ab illius seueriori non desistat increpatione? Nimirum, qui Dæmonis culpas sibi omninò alienas: at vxoris defectum, tanquàm proprium, reputabat. Pollutum se in vxore iam credebat. Cur ita? Elegantissime ad rem meam D. Basilius in Cat. ex ore Iobi sic respondet: *Astute, mulier, eo stultum istud tuum. Quandiu sermonibus tuis communi vitæ contumeliam inures? Meam (quod ipsum optam nunquam) ementita es educationem: cùm istâ ratione locuta es, item vitam iniuriâ affecisti meam. Nunc mei dimidium impietate obligari puto: quando ius connubij corpus vnum nos ambo effecit: tu verò animum blasphemiæ crimine obstrinxisti.* Nihil exactius quoad grauitatem, quoad acumen proferri potuit.

Defectus coniugum inuicem imputati.

Iob 2.

D. Basil.

320. Cùm feliciori longè recipientis, quàm receptorum hospitio, Angeli apud Abrahamum diuertissent; cùm illum fausto edendi filij nuncio, tanquam ingenti beneficio, cumulassent; intus latens, spei dubia, impos fidei subrisit Sara: tunc addit Textus: *Et dixit Dominus ad Abraham: Quare risit Sara dicens: Num verè paritura sum anus? Nunquid Deo quidquam est difficile?* Genes. 18. n. 13. Adeste, quæso, Sancti Angeli: ecquid Abrahæ cum hac interrogatione? Abest Sara, latet intus, ridet dubia: quid hoc ad Patriarcham? Imò, quamuis adesset, quid illi cum vxoris defectu? Ah! dimidium erat: sic corpore, & spiritu à Sara indiuiduum, vt culpæ illius consors videretur: vnde pro vxore arguitur, próque illâ rationem reddere præcipitur. Fauet Glossa interl. ibi: *Dixit ad Abraham disceptando.* Disceptat enim Dominus meritò vxoris defectum cum marito: quia iste pro altero dimidio, connubij iure veniat reprehendendus.

Idem confirmatur.

Genes. 18.

Glos. interl.

321. Videndum iam, an Maria ea sit Sponsa, quæ dimidium Sponsi Dei quodammodo dici possit: vt tam longè ab illa, vel damnum infamis pœnæ, vel defectum culpæ esse intelligatur. Quàm longè est Deus, vt ab Sponsa consorte, & dimidio suo aliquid horum videatur participare? Nam, licèt cæteræ animæ iustæ Sponsæ Dei sint; & nihil culpæ, vel infamiæ suæ in Sponsum refundere videantur: at longe aliud esset in Maria. Attende ad verba Cardinalis Hailgrini ad illud Cant. 4. n. 9. vbi Christus ad Mariam: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa.* vbi ita: *Libeat attendere in hac Sponsa, qualiter primæ sponsæ sit opposita. Prima sponsa de costa viri sui formata est: sed de carne huius Sponsæ formatus est Sponsus eius.* Ideò Euam dicimus viri sui dimidium; quia de costa eius formata est: an non dices, diuisa quadam vnitate, Sponsum diuinum Mariæ dimidium, qui de huius carne longè excellentiori modo formatus est? De dimidio suo, & pene extraneo, siue læso, siue defectuoso, læduntur, & arguuntur sponsi: & non videatur lædi Christus de dimidio suo læso, de infami infamari, quod tam intrinsecè sibi adunauit? Illa ipsa Caro, quæ in Christo est, in Maria fuit: an non indecens, vt aliquando fœdata traducis infectione cognoscatur? Nulla alia Dei Sponsarum huc peruenit: ideò nulla in Sponsum Deum infamiæ notam potuit traiicere.

Mariæ infamia in Christum.

Hailgrin.

Antithesis Eua Maria.

Quærunt aliqui, cur ad Virginem iam viro 322.
desponsatam, & non potiùs solutam Verbum incarnandum veniret: suauiùs enim res peragi videretur, si eriperetur viro, quæ diuino consensu iam illi tradita. Quibus respondet optimè Chrysologus Serm. 140. *Peruolat ad Sponsam festinus Interpres, vt à Dei Sponsa, humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum: neque auferat à Ioseph Virginem; sed reddat Christo, cui est in vtero oppignorata, cùm fieret.* Notarunt iam aliqui optimè, ly, *cùm fieret*, non solùm in facto esse; sed maximè in ipso *fieri*: id est, in ipsa Conceptione Maria oppignoratur Deo: quis ergo tunc oppignoratam Dæmoni reputabit? Sed ad rem præsentem noto vlteriùs. Bellè dicitur nihil auferri Iosepho: quia illi ius in carnem illam purissimam non concessum; sed purioris matrimonij vinculum communicatum. Meliori, nimirum, Sponso, & purissimo, veterus ille, & sanctissima caro seruabatur ab ipsa Conceptione oppignorata. Et cur tam citò, tam cautè, tam vigilanter? Quia cum Sponso diuino, aut vnitatem diuisam, aut indiuisum dimidium erat peractura: & ita peractura, vt nos omnes in Christo concorporaret. Quid quereretur Ioseph eripi sibi Mariæ corpus; si ex eo ipso, per Mariam cum Deo concorporatur? Nunc clarebit Chrysol. subdens statim: *Christus ergo suam Sponsam recipit, non præripit alienam: nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in vno corpore creaturam.*

D. Iosephi fauus ab intactâ Mariâ.

Chrysol.

Et bene hac oppignoratione, in ipso fieri des- 323.
ponsata Virgo, in ipso felicissimo deinde nuptiarum die, sic assumitur legitimè, vt (quod dixi) primaria, & verissima coniux intelligatur. Quis non miretur descendere Verbum, lucem de luce, lumen de lumine: & tamen non tam meliores Solis radios huc adductos, quàm virtutis Altissimi vmbram inuectam dici? Imò, si totus Spiritus Sanctus, qui ignis æternus est, superuenturus promittitur, quorsum iterum vmbra superuehitur? *Spiritus Sanctus*, inquit Angelus, *superueniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Sed sciendum, intèr legitimi connubij præcipuas cæremonias fuisse, vt noua nupta flammeo, siue velo obumbraretur, illique deinde faces ignitæ præferrentur. Putidum sit, in tanta rei notitiâ id confirmare. Superuenit ergo æternus ignis, vt sacro incendio fax nuptialis splendesceat: & tamẽ luminosa eius virtus videtur inumbrari, vt in velum inumbraturum Sponsam conformetur. Acumen est D. Gregor. Nicæni, ad cap. 5. Cant. n. 10. in Cat. Delr. *Altissimi*, inquit, *potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans: fax nuptialis, Spiritus Sancti splendor: cubile, vitiorum*

Nuptiarum ritus eum Deo explet Maria.

Luc. 1.

D. Greg. Nic.

In Annunt. Mariæ.

rum expers conditio, &c. *Matrem mortis decuit, propter peccatum, in dolore concipere, & parere: Matrem vitæ vtrunque dedecebat, quæ gratiâ plena fuit.* Et vide obiter, vt Euæ peccato, Mariæ gratia opponatur: quasi hæc nihil ab illâ participaret. Benè ergo hæc Sponsa omnibus aliis præponitur, (sicut vna Esther inter cæteras secundarias, vxor est legitima, & particeps diadematis,) quæ sic legitimo ritu Deo desponsatur.

324. Quia tamen D. Gregorius Nicænus hanc D.Greg.Nic. vmbram aliter visus capere, dum ait de Christo: *Thalamus, Altissimi potestas, quasi quædam nubes* De eodem plura. *virginitatem ipsam inumbrans.* mihi perinde erit, si ad aliam Hebræorum ad legitimas nuptias cæremoniam recurras. Obseruauit pulchrè Sanchez Sanchez. ad illud Cant. 2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.* thalamum apud Eliam Tisbi esse velum, quod super caput sponsi, atque spōsæ quatuor virgis, seu vectibus suspendebatur, quando fiebat desponsatio; atque ita inumbrari dicebantur: quod fusè probans, deinde ad rem meam sic conclúdit: *Hinc facilè intelligitur, quid sit obumbrare alicui: nempe, super sponsam pallium extendere, id est, cum ipsa coniugium inire solenni ritu. Ex quo iam apparet, quid sit illud Lucæ: Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Neque enim aliud est, quàm Spiritum Sanctum Beatæ Virginis Sponsum futurum.* Vide ibi plura de hoc inumbrante velo, quod ita vectibus suspensum, vel thalamum, vel pallium ostendit appellari. Cuius nouam, & bonam coniecturam, ex Nicæno vlteriùs foueo, vt videas, meritò Mariam longè excellentiori modo Sponsam appellari, quæ vna Deo, legitimo ritu, coniungitur. Hæc de vnitate Corporis. De vnitate Animæ Mariæ cum Sponso, qua parte esse poterat, nihil clarius: si enim, qui diligit Deum, vnus spiritus fit cum illo; quid non inferas de Deipara? Ergo ad minùs trita alia properandum, & cætera præpositi tituli confirmanda.

§. IX.

Expletur titulus de Maria Imperij consorte, & legislationis non experte.

325. EX prædicta æqualitatis proportione, & diuisa sponsorum vnitate, vel potiùs vnita diuisione, fit sponsa apud sponsum Principem eiusdem imperij particeps, consors dominandi: ita vt nihil iuris titulo liceat sponso, quod amoris, & cōnubij dulcis iure sponsæ denegetur. Res trita; ideò breuiter, sed non tritè confirmanda. Postquàm ingenti gloriosæ posteritatis benedictione Abrahamum Dominus beauit, subdit statim: *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham: quia Patrem multarum gentium constitui te, &c. Regésque ex te egredientur.* Genes. 17. n. 5. vt regia successio, iam in titulo Patris radiaret. Iam omnia cumulata videbantur: & tamen addit adhuc Dominus innumera: post quæ tandem concludit; *Saraï vxorem tuam, non vocabis Saraï; sed Saram.* n. 15. Et quid interérat, vt vxor hoc, vel illo nomine diceretur; si in marito iam promissio, tanquam in capite, stabilita fuerat? *Saraï* significat, *Princeps mea*, quæ vox diminutionem importat, adstringens principatum ad aliquos, quibus sua Princeps, non aliorum visa appellari. At vero *Sara* absolutè Principem sonat: decebat autem, vt dum maritus, mutato nomine, imperij titulos augebat, vxori etiam eâdem mutatione augerentur: ne vel in vna litterula imperij significatrice coniuges discreparent. Et cur ita? Quia eadem persona reputantur. Lyranus ibi: *Ponitur mutatio nominis* Lyran. *Saraï: vir enim, & vxor sunt quasi vna persona: & ideò, quia mutauerat nomen Abrahæ, consequenter hîc mutat nomen vxoris suæ. Saraï interpretatur Principissa mea: quia per hoc designaretur, quòd esset Principissa vnius domus tantùm: Sara, id est, Principissa, absolutè, quasi per excellentiam.*

Conjugum æqua dignitatis conditio.

Genes. 17.

Notarunt verò iam alij, nihil mirum, tot 326. deinceps beneficia Abrahamo cumulata, quandoquidē littera illa, *He*, Abrahami nomini ad- Idem confirmatur. dita, ab ineffabili Dei nomine tetragrāmato יהוה desumpta est. Sed tu mihi nota, neque etiam in hoc, discrimen aliquod in coniugibus Deum permisisse: nam etiam eadem littera, *He*, Saraï communicatur, vt iam Sara שרה appelletur: quia eadem littera bis in sacro nomine, vt vides, reperta, ה prima marito, & secunda vxori communicaretur. Ideò Alcuinus ibi quæst. 172. *Dicunt* Alcuin. *Hebræi, quòd Deus ex nomine suo, quod apud alios tetragrāmaton est, ה litteram Abrahæ, & Saræ addiderit.* Vt non solùm imperium; sed etiam imperij titulus in littera fundatus communis vtrique coniugi, & è diuino nomine manans pariter crederetur. Exemplo rem declaro.

Pendo obiter (da veniam) in hanc rem Hi- 317. spanam phrasim. Margaritas æquo pondere graues, pari fulgore collucentes, quæ ad inaures Vulgaris phrasis testimonio ostenditur. assumuntur, vocamus: *Ararcdaie da perlas para arracadas.* quasi dixeris: *Coniunctio matrimonialis margaritarum ad inaures.* Et cur ita? Quia, sicut nemo vnam aurem gemmis adornat, quin pariter & alteram simili comat splendore: sic non vna inauris prodest, nisi alia similis pretij adhibeatur. Benè ergo duarum inaurium splendor similis matrimonialis coniūctio appellatur: quia in matrimonio ligatis coniugibus omnia sunt similia: duo sunt; sed paris splendoris, & dignitatis. His allucet illud Genes. 24. n. 22. Genes. 24. de seruo Abrahami dante Rebeccæ *inaures aureas*; in Hebræo singulariter, *inaurem auream*: de quo proinde meritò ibi Lyranus: *Per hoc verò,* Lyran. *quòd in Hebræo dicitur inaurem in singulari, intelligitur etiam alia sibi correspondens: quia non ornabatur vna auris, sine alia: & quælibet inauris erat æqualis ponderis.* Meritò igitur apud nos inaures, & officio, & pretio pares, coniugij vocabulo significamus: quasi nihil aut muneris, aut excellentiæ apud coniuges dispar reputemus. 328.

Iam ad seria. Non sic vxor particeps maritalis imperij appellatur, quasi despoticè, instar Mater in honore habita. mariti, iure regni imperet, (nisi aliàs illa foret regni hæres;) sed quòd ad thalamum assumpta, æquitatis, & amoris iure, simul corregnare dicitur, & coimperare: & sub hac ratione nulla vnquam Reginarum tam consors imperij humani fuit, vt diuini Maria: sic imperat, vt quidquid gratiarum

Lamprid. gratiarum dispensat Deus, per illam, vt suprà dixi fusè, dispensare videatur. Lampridius de Alexandro illo Romano Imper. in eius Vita: *Cum puer ad imperium peruenisset, fecit cuncta cum matre, vt & illa videretur pariter imperare: mulier sancta.* At Sponsa nostra, quæ maternitatis iuri, sacrum purissimi cõnubij vinculum addidit, quidni pariter imperare diceretur? Verissimum

Thom. Val. & piissimum dogma spirant verba illa D. Thomæ Valent. Conc. 2. de Natiuit. Mariæ: *O miram puellam sui Creatoris Matrem! vt fœmina habeat cum Deo communem Filium, cui dicat, vt Pater: Filius meus es tu. & sit puella Mater eius, cuius Deus Pater est. Sedet Filius ad dexteram Patris: sedet Mater ad dexteram Filij; mutuòque cõmunem Filium beatis oculis medium conspiciunt,* &c. *Stupet de sua gloria, neque suam valet ipsa comprehendere celsitudinem: eo enim ipso, quòd Mater Creatoris effecta est, omnium creaturarum iure optimo domina, Reginàque constituta est.* Quodnam hîc regni consortium non admiraris, quod ipsamet Sponsa Mater, de celsitudine spectat admiratrix?

329. Et quidni creaturarum Regina, Deo Conregnatrix; si in creando, maiora visus Deus quo-

In Annunc. Mariæ. dammodo Mariæ concessisse, quàm sibi vsurpasse? Promisit Christus Apostolis maiora facturos, quam ipse faceret: id est, in illis vberiorem miraculorum potestatem, quàm in sua propria personâ, exhibiturum. At vni, in producendi potentiâ, Mariæ, simile aliquid exequi dignatus est: vt inde meritò Creatoris Conregnatrix diceretur, per quam ipse Creator productus est. Fundat Dominus regnum, & imperium suum in creaturas legitimum, quòd earum Creator est: fundet Maria imperium suum, quòd Creatorem ipsum quodammodo creauit. Parum id: in modo creandi sibi similem Mariam voluit Deus, vt non solùm creandi titulo, imperij consortium sortiretur; sed etiam, conformi tenore, ad titulum procederet. Declarato iam ab Angelo mysterio, & credito à Maria, ait illa: *Ecce ancilla Domini,*

Luc. 1 *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. 1. n. 38. Et addit statim Textus: *Et discessit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana.* n. 39. Quò pergis, Euangelista Sancte? Cur non narras factam Incarnationem, cuius causa tam longam legationem exposuisti? Quid Virginem deducis in montana, quin priùs à cælesti æternitatis monte, ad illam deductum Verbum, peractam Incarnationem nobis exponas? Supposuit id cuius facilè intelligendum. Vnico, *fiat*, operatorio verbo, produxit Deus vniuersum: per Mariam maiora operatur Deus, quàm per seipsum. Satis ergo fuit, satis habuit Euangelista, si narrasset, dixisse Mariam: *Fiat mihi.* vt subitò peractam Incarnationem intelligeremus. Exclamat ergo meritò

Thom. Val. D. Thomas citatus Conc. 1. in Annunc. *Ad verbum eius statim in vtero incarnatum est Verbum. O fiat potens! ô fiat efficax! ô fiat super omne fiat perpetuò venerandum. Hoc verbo, fiat, factus est mundus: hoc verbo cælestia, terrestriàque Altissimus condidit. Sed tale fiat non sonuit in Orbe, quale tu nunc, Beata, dixisti: quid enim factum est? quis dicere potest, quid factum est? Natura stupet, iudicium hæret, hebescit sensus, lingua mutescit, ratio deficit, intellectus non capit, quod factum est in Maria, cùm hoc protulit verbum.*

Sed adhuc ponderandus est ille consessus 330. Mariæ ad dexteram Filij, sicut & ille ad dexteram Patris dicitur consedisse, vt bene n. 328. notauit D. Thomas. De Christo locutus Marcus Marc. 16. ait: *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* cap. 16. n. 29. Si autem dexter locus nobilior, cur dexter iste Filio concedatur: qui, quanuis eiusdem cum Patre dignitatis; non tamen vnquam maioris esse potuit? Respondet D. Ambros. optime D. Ambros. Serm. mihi 60. *Nec mirum, si vnius sedis offertur Filio consessus à Patre; qui vnius est naturæ, & substantiæ cum Patre. Cur autem ad dexteram Filius esse dicatur, moneat aliquem fortasse: licèt enim dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo Diuinitatis est; tamen ideò ad dexteram sedet Filius, non quò præferatur Patri; sed ne inferior esse credatur.* Quasi dicat: In tuto fuit semper authoritas Patris apud impios; qui tamen de Filio sacrilegè dubitarunt. Quanuis ergo Pater à sinistris esse dicatur, nihil eius dignitas visa periclitari: quod tamen si de Filio diceretur, ansam, & argumentum corroborandis

Impensior honor dandus illi, qui iniustâ dedecoris suspicione laborat.

blasphemiis porrigere videretur. Dicatur ergo à dextris esse Filius: vt, dum de cõmuni throni consessu infertur vnitas naturæ, de dextero huius cõsessu, potestatis inferatur æqualitas. Sic debita proportione in re nostra. Secura est dignitas Christi apud fideles, Mariæ honor adhuc quoad Conceptionem periclitatur. Dicatur ergo adstans *Regina à dextris.* Ps. 44. vt quam, Caro ex ipsâ Christo indita purissima, substantiæ fecit cõsortem; dexter consessus, regiæ dignitatis probet, quantùm res patitur, æqualiter participem.

Maria penè æqualis Deo

Festiuius tamen est adhuc, quod in eandem 331. rem subiungit Ambrosius citatus: *Et ideò ad* Ambros. *dexteram Filius: quia secundùm Euangelistam ad dexteram oues; ad sinistram verò constituentur hœdi. Necesse est ergo, partem ouium primus Agnus obtineat: & secuturo immaculato gregi, locum Dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocal. dicens: Hi sunt, qui sequuntur Agnum, quocunque vadit.* Etiam ob hanc causam absque dubio Regina *à dextris* collocatur: vt ouium primiceria, cæteras omnes insecuturas Agnum post se deducat. Sic dextrum Agnum illa proximior sequitur, & dextram antonomasticè ouem, cætera sequuntur: mediat inter Regem, & populum Regina; dúmque fit ipsa Dux immaculati gregis, Agno Duci præcipuo, quantam decet, sic exhibet æqualitatem. Hoc est, quod Dauid voluit, qui, postquàm dixit: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* n. 10. narratis deinde eius encomiis, subdit: *Adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi: afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regis.* n. 15. Vt quantò hinc æqualior iam videtur Regi, tantò cæteris post eam subsequentibus appareat excellentior. Hinc D. Thomas Conc. 2. de Natiu. Thom. Val. *Si ancillas suas, & ministras domus suæ, potentissimus Dominus ita mirificè decorauit; ita donis, & gratiis venustauit: qualem existimas condidit Matrem suam, vnicam Sponsam suam, quam sibi ex omnibus elegit, & præ omnibus adamauit? Audi Prophetam: Astitit Regina à dextris tuis,* &c. *adducentur Regi virgines post eam.* Quàm consors imperij Regina! vt penè idem sit post illam sequi, quàm Regem ipsum sequi, quocunque ierit. Imò ideò insecuturi Regem Agnum in templum

Maria dux sacri gregis.

templum gloriæ eius adducemur, quia à Reginæ pietate asserimur exultantes.

332. Hinc clarebit, quid sit Cant.1.n.3. *Oleum effusum, nomen tuum: propterea adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Cur enim feruidæ animæ, & nimio exuberantes amore, ideóque virtutis virilitatem consecutæ, adhuc adolescentulæ appellentur: nisi, quia ancillæ Virgini Reginæ, in comparationem venientes, præ illius imperij potestate, sint quantumuis excellentissimæ, vilescere reputantur? Alanus ibi: *Eleganter respectu Virginis Matris, aliæ virgines adolescentulæ dicuntur: quia hæc Mater; hæ filiæ: hæc Regina; hæ famulæ: hæc Patrona; hæ adolescentulæ: hæc magistra; hæ discipulæ.* Magis tamen ad prædictam proximè mentem, quod statim subdit Maria ad Christum, post eius ascensionem: *Trahe me post te, curremus.* n.4. Si se vnam trahendam rogat, cur statim plures enunciat excursuras? Vide, quò trahitur, ad regnum, scilicet: idem Alanus ad hunc locum: *Vt sicut cum Filio fuerat peregrinata in terris, ita cum eodem regnaret in cælis.* Benè ergo, quæ conregnans adstat à dextris, dum sic post Christum trahitur, plures cursuras memorat: quia illa dextrum Agnum Regem dum sequitur, dextra Regina subsequentem post se ducit immaculatissima gregem immaculatum. Nulla in passione, & peregrinatione Christo similior, quæ illum, vt fuse suprà dixi, per omnia exprimebat. Nulla itaque in regno coæqualior.

Idem aliunde probatur.

Alan.

333. Sed non aliunde meliùs hæc (provt fuerit possibile) dominandi æqualitas apparebit, quam si recurras ad illud Genes.3.n.16. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Satis enim, vt suprà fusiùs dixi, hinc cognoscitur, Euam ante peccatum, penè dominandi consortem, regni participem fuisse cum Adamo, cui miserè post culpam, pene in vilem deuenit ancillatum. Ideò addebam ex Hieronymo, Saram penè iam mulierem esse desiisse abolita maledictione, quia illam audire, id est, illi obedire iubetur Abraham Genes. 21. Nunc ad rem meam pendendum, vnde Saræ tanta felicitas, vt à prisca maledictione liberata, inuicem videatur marito imperare, aut saltem obedire alternis; audiendáque grauissima verba D. Ambros. de instit. virg. cap.5. opponens illud, quod dictum est Euæ: *In dolore paries filios,* id est, in gemitu laborioso, & tristitia: cum illis, quæ pariens dixit Sara: *Risum fecit mihi Deus.* Genes.21.n.6. vbi ita scribit: *Veni, Eua, iam Sara, quæ parias filios non in tristitia, sed in exultatione; non in mœrore, sed in risu. Isaac tibi multiplex nascatur. Veni iterum, Eua, iam Sara, de qua dicatur viro Genes. 21. Audi Saram vxorem tuam. Sis tu licèt viro subdita, quia esse te decet; citò tamen soluisti sententiam, vt vir te audire iubeatur. Si typum Christi illa pariendo, à viro meretur audiri; quantùm proficit sexus, qui Christum, salua tamen virginitate liberauit? Veni ergo, Eua, iam Maria, quæ nobis non solum virginitatis incentiuum attulit; sed etiam Deum intulit.* Quasi Sara excutiat seruitutem, imperium capiat cum marito; quia typus Mariæ, in Isaac, typum edidit Saluatoris: & ideò cum risu enixa dicatur; quia virgo, cuius typum gerebat, verè sine doloribus effudit partum. In vtraque ergo filiâ Eua dominium indepta, partum iucundum, licèt diuerso modo, in Sara typicè, verè in Maria. At non capies, vnde Euæ per Saram typicam, imperium cum marito restituatur: nisi quia vera Sara Maria imperium cum Sponso Deo fuit consecuta: neque, credo, consequeretur, nisi quia nihil à culpa Euæ participauit. Proficit sexus ad imperium in Virgine innocenti, qui in delinquenti Eua defecerat ad seruitutem.

Genes.3.

Antiqua Maria.

D. Ambros.

Sed, quid inferamus, per scrupulosam alicui consequentiam, quod apertè ex Scriptura probari potest? Illud ad Euam dictum: *Sub viri potestate eris.* ex Hebræo vertunt multi: *Ad virum tuum conuersio tua.* Quod etiam ex Græco habetur in Sixtianis: quo significatur attenta quædam ad maritale obsequium vigilantia, vt omnes fatentur. Audi nunc Mariam: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Cant.7.n.10. Quasi non magis de iure Virgo in diuini Sponsi obsequium attendat; quàm ille de more pietatis, de amoris affectu, gerendis Sponsæ moribus occupetur. Guillelmus ibi ex ore Virginis tempore passionis: *Ego dilecto meo, pro omnibus morienti commoriebar, in argumentum amoris eximij: & ad me conuersio eius, ratione filialis obsequij: nempe, illud pietatis decretum, quod olim de honorandis parentibus Deus promulgauit; homo pro hominibus factus, dignanter suscepit circa Matrem implendum.* Fingine poterat in Cantico (quod tot Authores de Deipara ad litteram explicarunt) expressior locus, vbi Maria Euæ, quoad rationem dominandi cum marito, opponatur? Si fateris subiectam Euam per culpam, cur Mariam de innocentiâ, regnantem non fateris? 334.

Idem meliu.

Cant.7.

Guil'elm.

335. Paulò aliter, sed in eandem mentem, illud, *Sub viri potestate eris.* vertit Vatablus hoc modo: *Ad virum tuum desiderium tuum.* Quasi pars seruitutis foret, quòd Eua mariti desiderio pungeretur; quòd ad illum ardenter anhelaret. Sed quis non opponat illud Ecclesiastici: *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.* cap. 36.n.24. Maledicuntur omnes fœminæ in Eua, vt virorum desiderio suspendantur: nunc vir exhilaratur specie fœminæ, vt nullam habeat maiorem concupiscentiam, nullibi ardentius desiderium superinducat, quàm erga illam? Ecquæ fœmina sic rerũ immutatrix, & eo ipso abolita seruitute conregnatrix? Vna Maria. Pulchrè Hailgrinus Cardinalis ad hunc locum Cant. 4. v. 5. *Species siquidem mulieris, virum potentem humiliat; seuerum, & austerum emollit. Huius mulieris speciem in tantum concupiuit Dominus: & ipsa eius desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit: vt ad nostram infirmitatem humiliatus sit Omnipotens: & qui est vita viuentium, humiliatus sit ad mortem.* Regnet igitur Maria cum Sponso, quæ in tantum excessum, eius accendit desiderium: quandoquidem ideò seruire marito Eua dicebatur; quia eiús desiderio accendebatur, semper ab eiusdem nutu pendula.

Et iterum.

Eccli.36.

Hailgrin.

336. Quæ hucvsque dixi de proportione, vnitate, & coimperio sponsæ ad sponsum, licèt obiter Mariæ immunitatem protestentur; eò tamen præcipuè destinaui, vt Regina tanta, Regis sui Conlegislatrix quodámodo intelligatur: si enim hoc semel perfectè cognoscatur eo modo, quo suprà n.306. & 308. explicaui; nescio quo iure subiectam legi pœnali constituamus, quæ precibus, & amoris iure quasi imperij particeps, ipsis diuini

Maria Dei Conlegislatrix.

diuini Sponsi legibus intercedit. Non potuit Esther typica subesse legi mortis, quæ legem mortis irrogatam Hebræis ab Sponso, precibus, & authoritate connubij abrogauit cap. 8. n. 3. Quid subiicimus veram Estherem legi mortis, cuius congruis meritis, cuius efficacibus precibus, apud digniorem maritum dignioribus lex abrogata nobis? Pulchrè Apostolus Germaniæ Canisius, nulli litteris secundus, breuissimè, vt speramus, de vitæ sanctitate, de miraculorum splendore, cælestium albo adscribendus lib. 1. cap. 2. de Deipara: *Hæc est illustris illa Esther, delicia Regis æterni, abscondita, & custodita, incredibilisque pulchritudinis fœmina, præ aliis omnibus electa Regina, & summo Regi summè grata: quæ toti populo, ad depellendum triste mortis decretum, singularem gratiam impetrat, atque conseruat.* Parum est impetrare: suffragantia congrua merita præscribit lib. 2. cap. 16. *Fuit isthæc vera Esther, summo Regi vnicè grata: ad singularem populo mortis terrore perculso gratiam emerendam efficax.* Vide etiam lib. 5. cap. 12. an, quæ tantam in diuinas leges habet potestatem, Conlegislatrix meritò non appelletur? Si dixit Assuerus Estheri suæ, vt vidimus ex Græco: *Regnum nobis commune est: meæ leges tuæ sunt; ideòque earum pœna non teneris.* nónne longè excellentiùs conregnanti Sponsæ dicit Deus: *Meæ leges tuæ sunt?*

Canis.

337. Quid? Non solùm Esther prisca decretum mortis contra Iudæos abrogauit; sed & nouum decretum gloriæ, & salutis eisdem consecuta: vt ex eodem cap. 8. n. 5. & ex toto cap. 16. satis cognoscitur. Longè meliori modo Esther nostra, ita visa, salutis nostræ decreti cooperatrix: vt, tanquàm à Conlegislatricis consensu tota salus nostra pendere videretur. Vide, quæso, quàm obseruato legationis tenore Angelus ingrediatur ad Mariam ab illis verbis: *Aue, gratiâ plena, Dominus tecum.* Luc. 1. quàm multa interserantur, donec res conficiatur. Et cur à creatura sua Creator omnipotens in tanti ponderis negotium consensum admittit? Cur absolutè non imperat, quod poterat? Quærebatur Reginæ gloria, vt lex salutis nostræ ab illâ quodammodo pendens nosceretur. Dedi suprà Guillelmum ad hanc rem: cape nunc alia ex eodem ad Cant. 4. n. 11. in præsentem materiam grauissima: & quia fusa carptim transcribenda. *Potest hìc spiritualiter tempus illud notari, quo ex eius ore quodammodo veritas omnis prophetiæ, atque humani generis salus pendebat*, &c. *Nolebat enim Omnipotens carnem sumere ex ipsâ, non dante ipsâ: sicut sumpsit de dormiente, & non dante Adam, vnde formauit Euam. Ad futuræ Matris excellentiam, non tantùm ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat. Denique missus est ad ipsam Gabriel: Aue, inquit, gratiâ plena*, &c. *Ecce quàm blandè aggreditur, qui missus erat eius consensum elicere, non extorquere. Ecce concipies in vtero*, &c. *Quasi dicat: Consenti, Virgo, per fidem mysterio reconciliationis humanæ: quia elegit quidem te Deus in hoc singulare mysterium: sed tamen de nesciente, vel inuitâ non vult sumere hostiam reconciliationis: quod profectò ad singulare meritum, & gloriam tibi est.* An non dicas salutaris decreti Conlegislatricem, illam, absque cuius consensu, lex ipsa exequenda quodammodo retardabatur? aut putes legi mortis subiectam, quæ legi vitæ illam

Idem confirmatur.

Luc. 1.

Guillel.

In Annunc. Mariæ.

abroganti, adhibuit efficaciam? Patere, Lector, vt in re, quam summi momenti arbitror in hoc negotio, impensiùs immoremur.

Quis non miretur verba illa Sponsæ: *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea.* Cant. 5. n. 2. Ecquid hoc, Sponsa? An non ille est, qui contriuit portas æreas, & vectes Inferni ferreos confregit? Nónne is, ad cuius vocem sublatæ portæ cælestes, & eleuati vectes æternales? Vnde pulset, vnde sibi aperiri à te roget ostium, qui leui nutu Orbem concusserit, qui facilè adamantem potuerit penetrare? Quid miramur? Maria est, quæ narrat, qualiter ab illa ad salutis legem, ad Incarnationis gratiam, consensus sollicitaretur. D. Bernard. hom. 4. super *Missus est.* vbi fusissimè de hac re. Libo pauca: *Expectat Angelus responsum: tempus est enim, vt reuertatur ad eum, qui misit illum. Expectamus nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: statim liberabimur, si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes: & ecce morimur. In tuo breui responso sumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc supplicat à te, pia Virgo, flebilis Adam cum misera sua sobole exul à Paradiso*, &c. *hoc totus mundus tuus, genibus prouolutus expectat. Nec immeritò: quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam, totius generis tui*, &c. *Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias dolens quærere, quem diligit anima tua!* Certè, si epistola illa ventilata, qua Maria condemnatur; Bernardi est; audacter dico, oblitum fuisse Sanctum Doctorem illorum, quæ hìc scripsit: quis enim Mariam iam Dominam, & in regno constitutam, apud quam Adam, & totus Orbis damnatus, prouolutus genibus remedium comprecatur, in eadem damnatione existimet fuisse? Quis illam, à cuius consensu sic salus nostra pendens decernitur, eodem morbo reputet aggrauatam? O quàm in alia serie à Bernardo Maria collocatur! ô quàm perspicuis verbis captiuam noluit, quam posuit Corredemptricem! ô quàm meritò Conlegislatricem appellamus, per quam, imò à qua decreta salus sic efficitur.

338. De eodem. Cant. 5.

D. Bernard.

Huc allusit ipsa Deipara ad cognatam locuta: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. num. 49. Nihil enim maius esse poterat ad tantæ Reginæ gloriam, quàm non solùm ex illa; sed etiam ab illa fieri Incarnationem: quàm salutis decretum sic ab illa pendere, vt illius cooperatrix coleretur. Guillelmus ad locum Cant. proximè citatum: *Poterat dilectus, non aperiente ipsa, introire in virginalem vterum: sed ad maiorem Matris gloriam, quam maluit spontè, & hilariter aperire, stetit ad ostium, & pulsauit*, &c. *Vnde & ipsa non simpliciter magnum sibi aliquid à Deo collatum fatetur. Sed, Fecit, inquit, mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius. Magnum, quòd de ipsa; magnum, quòd ipsa; magnum, quod ex ipsa sumere dignatus: magnum vtrunque ei, quòd ad supereminentem eius gloriam.* Quòd Deus carnem sumeret, nobis prodest; sed Mariæ excellenter: quòd de Maria sumeret, eidem excellentius: excellentissimè, quòd ab illa dante,

339. Luc. 1. Visitat. Mariæ. Guillel.

&

& consentiente opus maximum peragerctur. Cæcutiit alias piissimus Guillelmus, dum non vidit, in tam *magna* destinatam, nec etiam minimum culpæ cadere debuisse. Gratis peccati legi obnoxiam existimamus, quam vnam legi salutis cernimus administram. Non erat Maria ex *omnibus*, quando prætermisso omnium nostri consensu ad remedium, solùm huius requiritur consensus: quid enim à nobis consensus peteretur, quem tanquàm captiui, & auidi salutis absque dubio daturi prænoscebamur? At petitur à Maria, quæ tanquàm libera à communi peste, quoad mundatiuam gratiam, nisi misericordissima foret, consensum poterat cohibere. Sic ob Christi merita, Mariæ consensu, nos mundati: illa longè excellentiùs præseruata.

340. Est hoc, ni fallor, quod ipsa Maria ait: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Cant. 6. n. 2.
Cant.6. Cur enim sibi vni attribuat Christum, in omnium salutem missum? cur se vnam assignet
A Maria decretum Incarnationis quodammodo dependet. Christo, cui omnes assignamur? nisi, quia singulariter ab vnius consensu dicto modo pependit Incarnatio? nisi, quia illa singulariter non solùm carnem Verbo, vt lex salutis impleretur; sed etiam sciens, & volens, & libera dedit: vnde & singulariter gloriam consentientis ab illo accepit?
Guillelm. Guillelmus tandem ad hunc locum: *Ego dilecto meo ex carne mea dedi carnis substantiam: & dilectus meus mihi refudit singularem inter homines gloriam. Nempe, ad cumulum gloriæ, mihi, quod sibi non tantùm de me; sed & à me carnem sumere dignatus est. Sumpsit enim de Adam, vnde formauit Euam; sed non ab Adam: non enim Adam de se dedit, quod illi nescienti, & dormienti detractum est. Porro de me nesciente, & non consentiente carnem sumere noluit: sed, quòd sumeret, me per fidelem, hilarémque consensum dare voluit* Vno verbo: sicut consensus noster diuinū gratiæ auxilium efficax reddit; sic ex mente Patrum, consensus Mariæ visus quodāmodo salutis communis decretum efficax reddidisse: fuitque piissima benignitas Dei, id temporis sub congruis circunstantiis legationem Virgini misisse, sub quibus infallibilis eius consensus dandus præuidebatur.
D. Bernard. Pergit ergo verissimè citatus Bernardus: *Nunquid non hoc est, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus, & noctibus orãdo suspirabas? Quid igitur? Tu es, cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa expectata, illa desiderata: ex qua sanctus pater tuus Iacobus iam morti appropinquans vitam sperabat æternam, cùm dicebat: Expectabo salutare tuum, Domine. In quà denique, & per quam Deus ipse Rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum, respondeas verbum?* Sed, quæ in hoc Paragrapho vidimus, robustiora Angelici Doctoris suffragio seorsim confirmentur.

* * *

§. X.

Excellentiùs Estherem nostram commendat Doctor Angelicus.

Dvo præcipua de Esthere nostra protulimus, quibus eiusdem à communi 341.
lege immunitatem asserere contendebamus: alterum, diuini imperij fuisse consortem: alterum, authoritatis erga leges diuinas non expertem. Vtrunque nullus grauiùs, nullus sublimiùs expendit, quàm D. Thomas Aquinas, cum quibus an culpa, imò & reatus culpæ conueniãt, Lector haud cæcus iudicauerit. Ergo Sanctus Doctor in Præfatione expositionis Epistol. Canonic. vbi res Assueri, & Estheris de Christo, Esth. 7.
& Maria contendit intelligendas; ad illud Assueri: *Quæ est petitio tua, Esther, vt detur tibi? &* *Maria, misericordiæ Regina.*
quid vis fieri? Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. cap. 7. n. 2. sic scribit: *Summitatem eius virga Virgo beata tetigit, quando Filium* D. Thomas.
Dei in vtero concepit: & sic dimidiam partem regni Dei impetrauit; vt ipsa sit Regina misericordiæ, cuius Filius est Rex iustitiæ. Ab æterno destinatur Maria, vt regnum misericordiæ sortiatur: vt, quidquid gratiarum hominibus communicatur, illius authoritate impetretur. An, qui id præuidit, & potuit à Dæmonis ancillatu præseruare, pro decentia fecerit; decenter negari non posse existimarem.

Sed venio ad id, quod difficilius est, de legis- 342.
latione. Decretum litteris publicatum contra Hebræos cap. 3. n. 12. sic exponit D. Thomas: Idem.
Omnia contingebant illis in figura. Veritas autem respondens huic figuræ hæc est: per peccatum enim primorum parentum, per falsam suggestionē Aman proditoris perpetratam, à Rege Assuero, scilicet, Deo, sententia damnationis totius generis fuit lata, *Reuocauit sententiam nostræ condemnationis.*
Genes. 2. Quacunque die comederis ex eo, morte morieris. quod dictum est Adæ, non solùm pro se, sed etiam pro sua posteritate. Et postquàm hanc mortem tripliciter explicat, subiungit: *Iam ergo sententia erat lata: iã erat in sacra Scriptura obsignata: iam erat per nuncios, scilicet, Prophetas promulgata, iam dies erat assignata: statim enim, cùm moriebamur, ad Inferos descendebamus: sed per Esther Reginam, id est, Virginem Beatam fuit reuocata; per eius, scilicet, intercessionem: per virgæ aureæ extensionem, & osculum summitatis eiusdem.* Habes itaque ex mente D. Thomę apertissima, non solùm circa alias leges Reginam misericordiæ intercedere: sed etiam in lege illa ipsissimâ originem damnantis intercessisse, quæ illius fuerit precibus reuocata. Ecquæ mens igitur, etiam minùs pia, congruum existimarit, vt, quæ à Deo contra communis huius legis pœnas Regina misericordiæ fuit electa, eidem pœnali legi subiecta destinetur. *Omnia contingebant illis in figurâ.* arripio Hebr. 1.
auidè hoc verbum: ergo etiam illud: *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Illis in figura eueniebant. Si igitur in Esthere, ex opinione S. Doctoris, Maria intelligitur; iam lex aliqua communis lata pro omnibus, Mariam non comprehendit: cur ergo legi originis non

H eriperetur?

eriperetur. Do interim hæc vltima verba de alia, & non de lege originis esse capienda: (quod tamen, vt dixi, falsum est:) quia ad rem meam sufficit à simili deductum argumentum.

343. *Estheris typica verba explicantur.* Dices: In hoc decreto contra Iudæos illato, vbi ex D. Thoma originis lex intelligitur, ipsa Esther, id est, Maria existimat, imò fatetur se comprehensam: ideò ait: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo; & populum meum, pro quo obsecro: traditi enim sumus ego, & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus.* cap. 7. n. 3. (Esth. 7.) vbi (D. Thomas.) Doctor Angelicus: *Traditi enim eramus, vt iugularemur, in corpore periremus, & in anima contereremur; id est, simul iugularemur corporaliter, periremus spiritualiter: contereremur, id est, cōtinuè tereremur æternaliter. Sed Esther Regina, id est, Virgo beata, placuit in oculis Regis ad restaurationē generis humani: & inuenit gratiā coram eo, non solum pro se, sed pro toto humano genere.* Quasi eadem lege obnoxia, eodem etiam remedio indigeret.


344. *Et vera accōmodantur.* Prætereo nunc examinare, an his verbis commaculet Mariam D. Thomas: demus commaculasse saltem quoad reatum: & videamus, quid inde pro Deipara clarè inferatur: deinde verbis Scripturæ allatis clarissimè respondebimus. Ex D. Doctore post originis culpam contractam obnoxij eramus Inferno, & quoad hanc partem legi obærati: & tamen posita hac legis parte, signataque, & promulgata; contracta deinde in nobis obnoxietate; admittit de intercessione Virginis dispensationem, & reuocationem legis D. Thomas. Vnde ergo nouisti, absolutiorem totam legem quoad originem fœdandam, vt saltem in Mariā obnoxiā, dispensationem, & reuocationem non admittat? Nihil responderi potest, nisi illud de incomparibilitate obnoxietatis, & præseruationis in eodem originis instanti: quod hodie non probatur; & à me in Examine falsum fuit demonstratum. Addo, si per impossibile, obnoxietas, & præseruatio in eodem instanti esse non possēt; eo, ex decentia, plusquàm apertè probari, non fuisse Mariam obnoxiam reatui: quia non contrahere saltem actu culpam, decentissimum Deiparæ fatetur hodie vniuersalis Ecclesia: nec posset non contrahere, si obnoxia peccato haberetur. Ecce, quid Deiparam impugnantes pro defendenda doctrina D. Thomæ sumus assecuti: nimirū, vt cùm definiatur, (quod sperat, & suspirat Orbis,) Maria præseruata: necessariā consequentiā, illam non solùm à culpā; sed etiam à debito eximere teneamur Thomistæ: & qui modò iustum negamus, tunc iustā pœnā plusquàm iustū reddere tenebimur: ne non solùm conclusionem D. Thomæ contra Deiparam falsam; sed etiam vana principia fateamur.

345. *Maria fauore à culpis præseruamur.* Iam verò decentia, vt Deipara ab actu culpæ præseruetur, præter ea, quæ in toto hoc Opere continentur; præter illa, quæ meliori genio innumeri Doctores scripserunt; præter communem Ecclesiæ sensum, quod summum est; hac ratiuncula animis haud proteruis confirmatur. Mariæ Reginæ fauore, non solùm ab originalis culpæ contractæ pœnis, vt vidimus ex D. Thoma; sed etiam ab actualibus omnibus culpis aliqui præseruantur: decet ergo, vt & illa, cuius fauore tam ingens gratia comparatur, vt innocentia baptismalis seruetur; vt ab omni culpa, saltem graui, præseruatio habeatur; excellentiori longè modo a quauis culpa, etiam originis, præseruetur: neque enim communis conditionis cū aliis decet existimare illam, cuius tam diuersam colimus dignitatem. Ad rationem decentiæ quid vltrà quæris: & in hac materia rationem decentiæ cur imbellem putes: cùm in hac vna Patres, & Ecclesia tota fundamentum Conceptionis purissimæ constituat? Primum antecedens, vnde tota ratio dependet, debeo D. Thomæ, loco sæpè citato; qui, postquàm epistolas condemnationis de peccatis nostris explicauit; optimè deinde epistolas fauoris priorum reuocatorias, & per Estheris gratiam impetratas, de doctrina euangelica explicans; ad illud cap. 8. n. 10. de veredariis: *Veteres litteras nouis nunciis praeuenirent,* sic scribit: *Veteres litteras nouis nunciis praeuenire, est se à peccatis præseruare, & innocentiam baptismalem seruare.* Tam felix suo fauore præseruatrix; feliciùs, maiori fauore, An ipsa Conceptione fuit præseruata.

Sed iam ad verba Estheris, sub cuius typo Maria se visa condemnare. Posset fortasse aliquis existimare, putasse Estherem, se lege de Iudæorum excidio comprehensam; nec tamen fuisse: sicut se putauit reuerà obnoxiam legi non adeundi, a qua tamen, vt constat ex verbis Assueri, immunis erat. Non probo: Sole enim clariùs constat ex Textu, non cognitam tunc Estherem, tanquàm Iudæam: quæ si nosceretur, nec Aman decretum impium fortasse auderet postulare; nec, si auderet, illam vllo modo, quamuis id concederet Assuerus, auderet hostis Aman Reginā dilectissimam damno interserere; vt nemo non videt. Cur ergo dixit: *Dona mihi animā meam,* &c? Res clara. Immiscet se miseris, vt se Iudæā aperiat, & se illis inserens impensiùs, & efficaciùs eisdem veniā exoraret. Quod licèt non expressè notent Interpretes, quos viderim; debebāt tamen notasse: quod ex ipsis, quæ scribunt, apertè; & ex Textu apertissimè colligitur. Sic ergo explicatus locus optimè facit pro Maria, quæ humani generis particeps; sed obnoxietatis immunis, se nobis inserit piè: vnam è nobis se reputat benignè, vt efficaciùs nobis opem imploret. Exempla huiusmodi loquendi passim obuia. Satis illud Christi Ps. 21. n. 2. *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Psal. 21. Vt dum de sola fideiussione peccatoribus se interserit, efficaciùs illis veniam obtineat: quia, vt benè notat ibi Lorinus, consequenter Lorin. inferri vult, debere ignosci peccatoribus; reuocari illos oportere, non derelinqui. Quomodo autem ignorantia Esther typicæ de obligatione legis in adeundo Rege, accommodetur Deiparæ; iam aperuit noster Perlinus dist. 6. cap. 2. Ego Perlin. semper tutius putaui, in parabolis, nedum in veris historiis typicis; non omnia ad amussim perpendere, cùm sciam ex Doctoribus, maximè ex Chrysostomo, non id semper curandū: cùm satis sit, si destinatus scopus ab vmbra in veritatem intendatur. Hæc sunt, quæ pro explicando Estheris typo se mihi denuò obtulēre: quo optimè, dicebam, locum Pauli venire explicandum. Nunc iam nouo articulo accingamur.

346. *Maria cur se peccatoribus immisceat.*

EX



EX QVÆST. XXVII. TERTIÆ PARTIS D. THOMÆ,

ARTICVLVS II.

Vtrùm Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem.



AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem: quia, vt dictum est, plùs gratiæ est collatum Virgini Matri Dei, quàm alicui Sanctorum: sed quibusdam videtur esse concessum, quòd sanctificarentur ante animationem: quia, vt dicitur Ier. 1. *Priusquàm te formarem in vtero, noui te.* Non autem infunditur anima ante corporis formationem. Similiter etiam de Ioanne Baptista dicit Ambros. super Luc. quòd nondum inerat ei spiritus vitæ, & iam inerat ei spiritus gratiæ. Ergo multò magis B. Virgo ante animationem sanctificari potuit. Præterea, conueniens fuit, (sicut Ansel. dicit in lib. de conceptu virginali,) vt illa Virgo eâ puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. Vnde & Cant. 4. dicitur: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Sed maior puritas fuisset B. Virginis, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati: ergo hoc ei præstitum fuit, vt, antequàm animaretur caro eius, sanctificaretur. Præterea, sicut dictum est, non celebratur Festum, nisi de aliquo Sancto: sed quidam celebrant Festum Conceptionis B. Virginis: ergo videtur, quòd in sua ipsa Conceptione fuerit sancta; & ita quòd ante animationem fuerit sanctificata. Præterea, Apostolus dicit Rom. 11. *Si radix sancta, & rami.* Radix autem filiorum, sunt parentes eorum: potuit ergo B. Virgo sanctificari, etiam in suis parentibus, ante animationem.

Sed contrà est, quòd ea, quæ fuerunt in veteri Testamento, sunt figura noui, secundùm illud 1. ad Cor. *Omnia in figurâ contingebant illis.* sed per sanctificationem tabernaculi, de qua dicitur in Ps. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* videtur significari sanctificatio Matris Dei, quæ tabernaculum Dei dicitur, secundùm illud Ps. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum.* De tabernaculo autem dicitur Exod. vlt. *Postquàm cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij: & gloria Domini impleuit illud.* Ergo etiam B. Virgo non fuit sanctificata, nisi postquàm cuncta eius perfecta sunt, scilicet, corpus, & anima.

Respondeo, dicendum, quòd sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem, duplici ratione. Primò quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio à peccato originali: *Sanctitas enim est perfecta munditia,* vt Dionys. dicit in 12. c. de diu. nom. culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis; & ideò ante infusionem animæ rationalis B. Virgo sanctificata non fuit. Secundò, quia, cùm sola creatura rationalis sit suf-

ceptiua culpæ, ante infusionem animæ rationalis proles concepta non est culpæ obnoxia: & sic quocunque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ, & ita non indiguisset redemptione, & salute, quæ est per Christum: de quo dicitur Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hoc autem inconueniens est, quòd Christus non sit Saluator omnium hominum, vt dicitur 1. ad Timoth. 4. vnde relinquitur, quòd sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.

Ad primum dicendum, quòd Dominus dicit, ante formationem in vtero se Ieremiam nouisse, notitia, scilicet, prædestinationis: sed sanctificasse dicit eum, non ante formationem; sed, antequàm exiret de ventre. Quòd autem Ambrosius dicit, quòd Ioanni Baptistæ nondum inerat spiritus vitæ, cùm iam haberet Spiritum gratiæ; non est intelligendum, secundùm quod spiritus vitæ dicitur anima viuificans; sed secundùm quod spiritus vitæ, dicitur aër exteriùs respiratus. Vel potest dici, quòd nondum inerat ei spiritus vitæ, id est, anima; quantùm ad manifestas, & completas operationes ipsius.

Ad secundum dicendum, quòd si nunquam Anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc detogaret dignitati Christi, secundùm quam est vniuersalis omnium Saluator: & ideò sub Christo, qui saluari non indiguit, tanquàm vniuersalis Saluator; maxima fuit B. Virginis puritas: nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum; sed in ipsa sui Conceptione fuit Sanctus, secundùm illud Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum: sed ab eo fuit mundata, antequàm ex vtero nasceretur. Et hoc signatur Iob 3. vbi de nocte originalis peccati: *Expectet lucem*, id est, Christum; *& non videat.* (Quia nihil inquinatum incurrit in illam, vt dicitur Sap. 7.) *nec ortum surgentis Auroræ*; id est, B. Virginis, quæ in suo ortu à peccato originali fuit immunis.

Ad tertium idem dicendum, quòd, licèt Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret; tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud Festum celebrantium: vnde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quòd Festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in sua Conceptione fuerit sancta: sed, quia, quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur; celebratur Festum sanctificationis eius, potiùs quàm Conceptionis, in die Conceptionis ipsius.

Ad quartum dicendum, quòd duplex est sanctificatio: vna quidem totius naturæ; in quantum, scilicet, tota natura humana ab omni corruptione culpæ, & pœnæ liberatur: & hæc erit in resurrectione. Alia verò est sanctificatio personalis, quæ non transit in prolem carnaliter genitam: quia talis sanctificatio non respicit carnem; sed mentem: & ideò si parentes B. Virginis fuerunt mundati à peccato originali; nihilominùs B. Virgo peccatum originale contraxit, cùm concepta fuerit secundùm carnis concupiscentiam, ex commixtione maris, & fœminæ: dicit enim August. in lib. de nupt. & concupisc. *omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati.*

EXAMEN TEXTVS D. THOMÆ.

347. *Disputatio de Conceptione, ante D.Thomam exorta.* NOTANT meritò Interpretes, notandum esse titulum huius articuli: cùm enim procedat de tempore ante animationem, transilit ad tempus animatione posterius, prætermisso animationis momento, in quo tota difficultas nunc versatur. Quod cur ita faceret D.Thomas, aperit hîc Suarius. *Suar. Caiet.* Aliam nobis huius transilitionis occasionem conatur obtrudere Caietanus: *Absolutè*, inquit, *loquendo, inter illas duas positiones extremas, scilicet, quòd fuerit sanctificata, vel ante infusionem animæ, vel post infusionem animæ; est positio media, quòd fuit sanctificata in instanti infusionis animæ. Cuius opinionis Author hic non meminit, quia tempore suo non erat adinuenta: omnibus communiter tenentibus B. Virginem conceptam in peccato originali.* Proh fidem sæculorum! *D.Thom.* Et vnde illud eiusdem D. Thomæ (quod ideò præ doctrina huius articuli despiciunt Thomistæ, quòd à iuniori, nec adhuc, vt posteà, in litteris consummato, scriptum ferant) *Caietanus impugnatur.* in 1. dist. 45. q. 1. a. 3. ad 3. de Mariæ puritate maxima post Deum? *Talis*, inquit, *fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo, in quantum erat in potentia ad peccandum.* Idem luculentiùs habet in 1. dist. 17. q. 2. a. 4. Constat ergo suo æuo agitari hanc opinionem: & illam probasse. Quod ergo summi ponderis est, habemus pro nobis Angelicum Doctorem: vnde in toto Opere, non tam S. Doctorem nobis fauentem, quàm rationes piæ sententię oppositas studeo improbare. Vtrunuis ergo eligat Caietanus: si hunc articulum priùs scripsit D. Thomas, dabo libenter, non adhuc quæstionem de instanti animationis agitatam: sed tunc dabit, D. Thomam citatis distinctionibus, iam doctiorem factum, pro nobis stare. Si prior distinctiones scripsit; iam tempore, quo hunc articulum composuit, nouerat quæstionem, quam olim probarat.

348. At veniamus ad alios, qui inquiunt, in hac Summa Theologica se retractasse, instar Augustini Magistri, Angelicum Doctorem. *Sugillare sententiam piã temerarium est.* At ego, pro mea erga D. Thomam pietate, mauellem non se ita retractaret: qui, si modò viueret, necessariò aliam palinodiam caneret, & ipsas retractationes retractaret, ne deserendus Theologorum Princeps haberetur. Temerarium ad minus est, post decreta Sixti IV. & aliorum Pontificum, opinionem piam graui aliquâ censurâ dignam affirmare. Nunc audi, qualem de illa censuram, retractans priscam pietatem, ferat D.Thomas 1. 2. q. 81. art. 3. *Dicendum, quòd secundùm fidem catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adam deriuati, peccatum originale ex Adam contrahunt: alioqui non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum.* Dogma, omnes præter solum Christum contraxisse peccatum, de fide esse contendit D.Thomas: ergo dogma excipiens Mariam, iam apud illum (si Deo placet) hæresis, saltem erroris denotatur. Ergo hanc censuram modò necessariò retractaret S. Doctor; imò & illi piissimus tanquàm Satanæ renunciaret: quòd enim aliqui è nostris interpretari conentur D.Thomam, pium, vt ipsi vident, est; non verum.

Dices: Multi Doctores verissimè putant dogma fidei, Sanctos canonizatos esse beatos: nec tamen contrarios Thomistas erroris notant, aut hæresis: ergo, quamuis D.Thomas dogma fidei putaret, ab omnibus fuisse contractum peccatum; non tamen ideò grauiter contrariam opinionem sugillauit: vnde nec hodie censuram retractare cogeretur. 349. *Error materialis non infamat Doctores.* Respondeo, prædictos Doctores probabiliter tantùm putare, & scribere, prædictę Canonizationis dogma esse; vnde & probabilem aliam, vtcunque, relinquunt opinionem. At D.Thomas non tanquàm probabilius tenendum dogma suum voluit; sed *firmiter* credendum exposuit, ab ipso decreto, vbi veritas de Summa Trinitate definitur, aduerbium istud, *firmiter*, mutuatus. Si ergo potuit materialiter errari in hac censurâ; cur in ipsa opinione contra Deiparam potuisse errari non putabitur? Errores materiales, quos apud grauissimos, & sanctissimos Patres, Ecclesiæ Doctores, notamus, nihil illis derogant. Homo eiusdem conditionis cum illis, quisquis esset, potuit non semper certum videre: nec tamen inde illi aliquid derogabitur. Chrysostomus Deiparæ, vt nosti, leuem culpam tribuit actualem, nec vilipenditur; non vilipendetur D. Thomas, quantùs errasse conuincatur, in attribuenda (si quis id contenderet) eidem culpa originali. Cur ita? Quia paulatim Ecclesiam suam illustrat Christus: ideò inter priores tenebras, errores isti materiales vero similiores apparẽtes, necessariò cõdonandi. Sed certè, nec materialiter errauit D.Thomas, qui, vt semper intendo, nobis fauet multis aliis in locis, in fauorem Deiparæ se retractans.

Nota deinde, in hoc ipso art. 3. eiusdem quæst. 81. *ad primum*, videri opponi S.Doctor, verbis in 350. priori Examine n. 24. suprà relatis, quibus probabile putat, sententiam mortis contrahendæ (quæ *Maria ex D. Thoma, si nõ à debito, saltẽ à culpa originis liberanda.* ex eodem principio oritur cũ obligatione culpæ contrahendæ) nõ in actuali morte; sed in reatu debito verificari. Licet enim in 4. dist. 43. q. vnica, a. 4. quæstiuncula 1. ad 3. dicat, non posse benè sequi, quòd si potest poni sine errore, quòd aliqui non moriantur; possit etiam sine errore poni, quòd aliqui ex Adam deriuati nascũtur, sine pec-

cato originali: quod idem repetit de malo, quæst. 4.a.6. tamen non legitime negari potest (cùm vtrunque æqualiter Apostolus dicat.) Quam dispensationem de facto in re mortis aliqui ponendam volunt ad illud Thessal. 1. cap. 4. positam in Maria quoad culpam, posse, decereque affirmari. Quemadmodum ergo Doctor Angelicus vult, legem mortis omnibus impositam, & declaratam a Paulo, solùm quoad reatum obligare; idem de lege culpæ solùm erga Mariam affirmabimus: & ex hac doctrina, si minùs à debito, saltem ab actuali origine fœdata liberamus. Ergo Sanctissimus Doctor nobis totus fauet.

351. *Caietanus non benè tuetur D. Thomam.*

Nouit ingentem difficultatem Caietanus: vnde ad verba citata ex 1. 2. q. 81. sic respondet: *Aduerte duo: quòd ad fidem catholicam spectat, quòd omnes, præter solum Christum, habeant peccatum originale: quod dictum non intelligendum est aliter, quàm de morte, quæ est pœna peccati: ita vt, sicut omnes incurrunt mortē, id est, necessitatem moriendi; ita omnes incurrunt peccatum originale, id est, necessitatem habendi peccatum originale. Sed non spectat ad fidem; an aliquis ex speciali prærogatiua gratiæ, non incurrat actualiter originale peccatum: de vtroque enim simul dicit Apostolus ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors.* Et hanc inquit esse mentem D. Thomæ. Certè si ista esset illius mens, liberaretur à notâ censoriâ, de qua suprà; sed difficultatē aliam incurreret, de qua statim. Nunc mihi pende ex mente Caietani loca Pauli de reatu tantummodo esse intelligenda: vnde ille ad solam Sanctorum Patrum, vt Mariam actu condemnet, recurrendum putat authoritatem, iam *sobrius*, vt ipse dicit, ab stomacho, quo contra piam opinionem sic scripserat olim. Et tamen vide post tantam sobrietatem, quid tandem in præsenti articulo nostro subiungat: *Stat*, inquit, *solida littera, quamuis non sollicita sit de illa media opinione, tunc inopinabili: quæ hodie mulieribus vulgo, affectúque nonnullorum pio; multorum autem industria, ac quæstu cogentibus, ita præualuit; vt doctrinæ Sanctorum æstimata pietas præferatur: & quod in communi asseritur, in his, scilicet, quæ credenda sunt, sectandos esse magis antiquos Doctores, quàm modernos; in hoc particulari posthabetur: dum moderni antiquis, & non Sanctis Sancti præferuntur. Testatur autem erraticus hic processus, similes esse istos errantibus ex ignorantia electionis, dum in vniuersali scientes, applicando ad particulare, ab vniuersali declinant.* Hæc ille.

352. *Caietani censura retorquetur.*

Quærere nunc libet ab eminentissimo Cardinali, (quandoquidem non ex Paulo, sed ex Sanctis Doctoribus fatetur conuinci contra Mariam,) quot Patres inuenerit, quot Doctores priscos, qui expressè Deiparam condemnarent? Certè hodie, cùm res exactissimè examinant contrarij, vix quatuor, aut quinque enumerantur: & horum duo, varij: vt quod alibi dicunt, alibi retractare videantur. Deinde, si ipse, piè quod putat, vt D. Thomam tueatur 1. 2. q. 81. citata, temerè, &, vt volunt plures, erroneè, Paulum Apostolum, & ipsum D. Thomam (immeritò, vt infrà dicam) de reatu culpæ in nos, & non de ipsa culpa transfusa, audet interpretari; cur nos vera pietate moti erga Deiparam, Patres alios absolutè loquentes, de reatu, aut aliter non interpretemur, cùm sine vllius erroris labe id posse fieri sit certissimum? An non est *erraticus processus*, communem doctrinam Sanctorum de actuali culpæ in nos transfusione; in vno Thoma, de reatu solo explicare? Annon videtur peccare *ex ignorantia electionis*, dum defendendo Thomæ, vt putat, vniuersæ Ecclesiæ sensum ex Apostolo desumptum offendit; idque doctrinâ, vt ait Ferrariensis 4. cont. Gent. cap. 5. periculosâ, & parum fidei consonâ? Quid, si Tridentini decreta videret Ferrariensis? *Ferrar.*

353. *Impugnatur adhuc.*

At certè D. Thomas, (vt id iam dicam,) quod ex proposito suo, & ex ipsis verbis, quibus in citato loco ex 1. 2. transire, & contrahi originale peccatum scribit, satis claret; de ipsa actuali originis fœditate, & non de eius reatu locutus est. Nec locus Pauli, vbi omnes egere gloria Dei, id est, redemptione, dicuntur; post Tridentinum, vt omnes fatentur, de reatu tantummodo securè; sed plusquàm temerè potest explicari: idque de sola Maria noluit Concilium disputare. Vt ergo D. Thomam è Charybdi liberaret Caietanus, eundem inuitum in Scyllam proiecisse non animaduertit. Exemplo D. Thomas se explicauit ibidem: *Sic ex peccato*, inquit, *primi parentis traducitur culpa originalis in posteros: sicut à voluntate anima per motionem membrorum, traducitur peccatum actuale ad membra corporis. Manifestum est autem, peccatum actuale ad omnia membra, quæ nata sunt, moueri à voluntate.* Quia, qui certum, vt pār est, habuit, omnes, præter Christum, virtute seminali vtriusque parentis procedere, (prætereo, quid de absoluta potentia posset Deus,) legitimè intulit, omnes originaliter actu peccatum, & non eius reatum solùm contrahere. Sed poterat obiter quæri à Caietano, si tam clara verba, vt hæc: *Omnes homines, præter solum Christum, ex Adam deriuati, peccatum originale ex Adam contrahunt*, admittunt eius iudicio interpretationem de reatu: cur, vt dixi, in nos inuehitur, cur queritur, si cæteros Patres, (qui Mariam non exprimunt,) quorum nullus clariùs loquitur, piè interpretemur? *D. Thom.*

354. *Cumel refellitur.*

Sed hæc interpretatio Caietani iam satis ibi vapulauit à Cumel, qui vult, D. Thomam intelligendum esse, nisi speciali priuilegio, alicui concessum sit, vt eripiatur. Sed certè, si D. Thomas in illa quæst. 81. patitur interpretationem, nisi priuilegium succurrat; aut fallor, aut perit tota ratio eiusdem, qua in præsenti nostro articulo Mariam expressè condemnat: quia aliàs, inquit, si vllo modo sanctificaretur ante animationem, *non incurrisset maculam originalis culpæ; & ita non indiguisset redēptione, & salute, quæ est per Christum.* Vbi, aut nihil infert, aut clarè supponit, redemptionem per Christum non dari, nisi vbi præcedit non tam reatus, quàm ipsissima macula originalis: cùm ergo in illa quæst. 81. etiam inferat eisdem verbis: *Alioqui non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum.* alterum concedas, necesse est, aut in hoc loco ex quæst. 81. non posse excipi priuilegio aliquos ex mente D. Thomæ, qui, ni actu macularentur, non possent redimi: aut in articulo nostro præsenti, gratis, & plusquàm gratis ideò tantummodo grauiter fœdari actu Deiparam, quia redempta fuit; stat enim per te cum redemptione priuilegium: & sic iam non arguet Thomas

contra

contra Mariam ex doctrina Pauli, quod omnes Thomistæ volunt: sed ex doctrina Doctorum, quod voluit Caietanus; qui putantur sensisse, hoc Deiparæ priuilegium denegatum: vnde iam tam facilè expugnabitur ratio D. Thomæ, quàm facilè argumentum illud à Sanctis petitum, contra Caietanum expugnatur. Iam, quòd Cumel adhuc etiam Caietanum conatur excusare de interpretatione inaudita, & durè excepta ab omnibus; conatus tantùm irritus est: clarè enim vult, nos omnes tantummodo obæratos, non actu contrahentes culpam à Paulo significari. Vnde addit ibidem: ***Est igitur necessarium secundum catholicam fidem credere, quòd omnis vtriusque sexus ab Adam secundùm rationem seminalem procedens, ex ipsa sua generatione sit obnoxius peccato.*** Vide cætera illius Sole clariora.

355. *D. Thomas se necessariò retractaret.* Maneat ergo ratum, nec Cumelem, nec Caietanum aptè interpretatos D. Thomam, licèt ille longè tutiùs procedat: sensisséque Angelicum Doctorem, de fide esse omnes actu, præter Christum, culpam contrahere, idque *firmiter* putasse credendum: ne quid probabile maneat in nostra opinione, quod ab illo hæreticum non putetur. Ex qua piæ opinionis tacitâ censurâ quid inferatur, dixi suprà n. 349. Meritò proinde dicebam, retractaturum illum hodie opinionem, quam in hoc nostro articulo (cuius causa hæc omnia dicta sunt) scripsit contra Mariam: sicque pro nobis state, ne totam Ecclesiã hæresis insimulare tacitè videretur, quæ Mariæ præseruationem plusquàm probabilem, penè certam, penitùs pietati, & diuino honori requisitam veneratur. Maneat etiam ratum, sæuiùs iusto in hoc art. nostro opinionem piam in ipsa sobrietate vulneratam à Caietano: benè est: nobis sit nefas, nouos, sed non nouæ doctrinæ sectari Doctores, *Refellitur Caiet.* (vtpote, qui illam ex ipsis Patribus, ex Scriptura sacra effossam eruerunt, erutam illustrarunt, Deo auspice, Deipara prælucente,) explicare priscos: at Caietano sartum tectúmque maneat, tam nouam interpretationem, tam egregiam doctrinam, Thomæ, Paulo, & Ecclesiæ ex proprio cerebro obtrudere. Quòd autem mulieribus, & vulgo catholico opinio illa, in qua nihil titillanti carni adblandiens, nihil luxuriæ fauens reperitur, perplaceat, & faustis acclamationibus excipiatur; tam robustum est argumentum veritatis, vt illi assimiletur, quòd Christus Dominus dignitati suæ probandæ ex ore infantium, & lactentium voluit depromendum. Atqui multi, inquit, de quæstu in hoc laborant. Falsum hoc: sed transeat. Quæro nunc, hos quæstus vnde accipiant? an à Principibus Hæreticis, & vulgo diabolico, vt contra Pontificem, & austeriora Sanctissimæ Ecclesiæ decreta, pro deperdita vitæ libertate, pro carnis licentia, pro voluptatum indulgentia decertent? Apage sis, malam rem, verba non bona. Imò Principes, populíque, qui Marianos propugnatores laborantes honorant, muneribus afficiunt, diuino ductos spiritu se probant. Quare? Neque enim homo libenter pretiosa abiicit, pecunias impendit, honores effundit: nisi aut ab ingenti humano aliquo affectu, aut à maiore diuino. Dicat nunc Caietanus, quo humano affectu impellente possunt Monarchæ, & maximè noster Hispanus, ferri, & commoueri; vt pro Mariæ honore impendia mille faciat: pro eius Conceptione, prudenti corde prodigat (si sit opus) patrimonium? Diuinus igitur, & è cælo missus est affectus, quo impellitur ad bona sæculi spernenda, vt Deipara, diuinum sæculorum prodigium, propugnetur; vtque D. Thomas piæ sententiæ assertor habeatur.

356. *Obnoxietas, & redemptio stant simul.* Redeo. Dicendum itaque cum aliis, id impulisse D. Thomam, vt in hoc art. Conceptionis instans transiliret: quia supponebat impossibile, posse aliquam personam in eodem instanti, esse obnoxiam culpæ, & esse sanctam: atque adeò idem esse prolem aliquam esse obnoxiam culpæ originali, & esse in culpa originali. Hoc autem non constare, apertè plures iam probarunt. Vide Suar. hic disp. 3. sect. 4. & quæ ego in Examine art. superioris. Addo tamen, in hoc articulo (vt & in illa quæst. 81.) supponere D. Thomam, Christum non posse dici germanum, & proprium Redemptorem Virginis, nisi Virgo actu contraheret peccatum: vnde, cùm verissimè supponat, Virginem fuisse redemptam, idque omnibus in confesso; transilit instans Conceptionis, in quo necessariò captiua, ad redemptionem, erat intelligenda. Cùm enim hoc argumentum planissimè demonstratiuum crederet iam factum pro tempore ante animationem; superuacaneum duxit, illud in instanti animationis repetere, vbi eadem ratio militabat.

357. *Idem ostenditur.* Hic ergo apud Thomistas (excepto maximè Caietano) opinionis suæ Achilles est: in hoc putant difficultatis verti cardinem, & gloriam Redemptoris verè Christo negatam, si Mariam excipimus, contendunt. Huc ergo ex Patribus, ex Scriptura, ex vsu loquendi, ex ratione omnes huius Articuli Anthologias dirigemus, luce, ni fallor, clariùs demonstraturi, dari veram redemptionem præseruatiuam, digniúsque ab illa, & gloriosiùs vocari Christum Mariæ Redemptorem. Salubrior quippe Medicus, excellentior Imperator, dexterior gubernator, altor fœcundior; si à morbi, belli, naufragij, famis, Matrem damnis præseruaret; quàm si eisdem immissam postea eriperet. Hoc quidem sic clarum visum Caietano, vt, ne hanc labem immitteret D. Thomæ, quasi redemptionis præseruatiuæ ignarum, mauellet in illam aliam interpretationem periculosam deuenire, ad locum quæst. 81. ideò addit: ***Si omnes obnoxij sunt peccato originali, sufficit ad indigentiam redemptionis: neque enim solum redemptione indiget actualiter captiuus; sed etiam obnoxius captiuitati.*** Verissima doctrina; quæ tamen ad verba D. Thomæ nihil faciat, nisi secum labem illam deportet, quòd omnes non tam culpæ, quàm debito eius, de fide subiiciamur: quam meritò, vt à D. Thoma auertant alij, malunt, vt par est, fateri redemptionem præseruatiuam non admisisse Sanctum Doctorem: vnde nec tutò ex principiis fidei admitti posse. Sed hunc Achillem, vt dixi, in Anthologiis, etiam imbellis Paris obtruncabit. Hæc pro toto Articulo, & placitis Authorum circa illũ: iam priuatim ad mẽbra descendendum.

358. *Maria Tabernaculum sanctificatum.* Sed contra est.] A Tabernaculi sanctificatione, quod, postquàm factum est, dicitur sanctificatum, elicit argumentum Doctor Angelicus, vt ita in Maria factum intelligatur. Quasi verò non sufficiat, vt Maria in essentia iam pro-

ducta, non temporis, ſed naturæ prioritate, ſanctificationem præueniret. Et quanuis in figura, & ſigurato, ex Patrum doctrina, non omnia ad perpendiculum menſuranda eſſe exiſtimem, ne pro lacte ſanguis emulgeatur: tamen in re præſenti, vt planiùs D. Thomæ ſatisfiat, aliquid ex eodem loco pro naturæ tantùm prioritate, quam dixi, eruendum eſt. Ergo illud: *Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij: & gloria Domini impleuit illud.* Exod. 40. n. 32. ex Hebræo ſic legitur apud Vatab. *Et abſoluit Moyſes opus illud, & nubes obtexit.* Si noſti Hebræam phraſim, illa repetitio coniunctionis copulantis ſatis indicat, ſimul operis abſolutionem, & nubis gloriolæ obtectionem fuiſſe: ne etiam in Mariæ ſymbolo, priùs tempore abſolutio, quam gratia intelligeretur. Videtur fauere aliquid Auguſt. ibi adductus a Gloſſa: *Hoc,* inquit, *credendum eſt ſemel factum, mox vt conſtitutum eſt tabernaculum.* Ly, *mox*, ſummam denotat celeritatem. Mariam verò citiſſimè obumbrauit gratia, vt dixi ſuprà ex Damaſc. nec tam propriè veniret, *mox*, ſi moras temporis connecteret. Eadem copulatiuâ vertunt Septuaginta, imò & Sanctes Pagnin. Dominicanus. Quod additur ex Dauid pro Maria in tabernaculo ſignificata: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Pſ. 18. Mariam eſſe Solem, id eſt, in ipſiſſimo Sole collocatam, ſatis oſtendit. At cæcus nouerit, ſolum Solem tenebris nunquam offuſcari.

tod. 40.

Auguſt.

359\. At pendant, quæſo, obiter, qui nos arguunt, nihil pro Mariæ, ab Scriptura, parthenica Conceptione, ſolidum adducere: ſed meras vmbras, accommodatitia loca, inanes allegorias, quibus vulgi plauſum, non veritatis nucleum aucupantur. Pendant, inquam, quàm ſolida ſint iſta, quæ affert D. Thomas de Tabernaculo: aut illa, quæ ſtatim, *ad ſecundum*, attulit ex Iobo. Quis patienter ferat, auidè arripi iſta contra Mariam, & alia ſimilia longe probabiliora pro Virgine allata irrideri? Omne telum contra Mariam robuſtum putant: omnem pro illa clypeum inualidum buccinant. Et è quibus Doctoribus depromunt hâc tardam ſanctificationem tabernaculi, illum Auroræ ortum in Conceptione præfœdatum contra Mariam? Cedo vel vnum. Certè nullum dabis. At nos fere omnia, quæ pro Deipara afferimus ex Scriptura, probis Authoribus ſolemus confirmare. Ego certe nihil celebro in toto hoc Libro, quod expreſſiùs velim dictum de Maria, quod inducto non comprobem Authore. Cætera, vnde ex decentia induco argumentum, rariſſimè, & pene nunquam abſque Patre proferuntur. Deinde lege ſingula, & nihil videbis allegoricoteron his, quæ ſub ſtylo ſcholaſtico affert contra Deiparam Doctor Angelicus.

Scripturæ teſtimonia pro Deipara, quomodo adducenda.

360\. RESPONDEO DICENDVM.] Prima ratio, qua D. Thomas probat, Mariam ante animationem non potuiſſe mundari ab originali, plana, & theologica eſt: taliſque eſſe debebat, quæ nihil Marianæ derogat Conceptioni. Solùm in his, quæ Deiparæ dignitati opponuntur, Angelici Doctoris ratio non probatur. Claret id in ſecunda ratione, quæ tota Mariæ contraria, ne in illa redemptionem præſeruatiuam poſſibilem agnoſcamus: neſcias enim, quo fato (nobis fauſto) conſequentiſſimus aliàs Doctor, hic diuertat aliò: *Secundo*, inquit, *quia, cùm ſola creatura rationalis ſit ſuſceptiua culpæ; ante infuſionem animæ rationalis, proles concepta non eſt culpæ obnoxia: & ſic quocunque modo ante animationem B. Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ.* An ſuo caſu de ſanctificatione ante animationem rectè inferat D. Thomas, ſtatim videbis. At in noſtro caſu de inſtanti animationis, tacet tota ratio, & conſequentia probat, quod intendimus, vt Maria nunquam originalem maculam incurriſſe dicatur. Iam ergo hucvſque facta ratio nihil contra nos: quia nihil ad nos. Sed en robur ſecundæ ſequelæ: *Et ita non indiguiſſet redemptione, & ſalute, quæ eſt per Chriſtum.* Eſto: demus benè inferri in ſuo caſu: nihil in noſtro, qui aut in inſtanti illo obnoxiam dicimus, aut ſaltem remotè obæratam; & redemptionis pretioſius genus agnoſcimus præſeruatiuum, etiam ſine debito, vt oſtendam.

D. Thomæ conſequentia contra Mariam imbellis.

D. Thom.

Sed nec adhuc in caſu D. Thomæ ratio vrget: diceret enim aliquis, prolem ante infuſionem animæ partialiter in carne fuiſſe quodammodo obnoxiam: & proinde, ſi caro præmundaretur, iam creatura rationalis in carne illa actualiter à debito, & in ſe tota præſeruatiuè à culpa diceretur redempta. Ideò Caietanus ibi duplex hoc genus redemptionis agnoſcens, & diſtinguens, ſic contra D. Thomæ doctrinam obiicit: *At per hoc licèt Beata Virgo non indiguiſſet illo modo, ſcilicet, per deletionem maculæ incurſæ redimi, & ſaluari per Chriſtum: indiguit tamen redimi, & ſaluari per eundem aliomodo, ſcilicet, per emundationē infectionis fœtus, vt ſic præſeruaretur à culpa.* Quam obiectionem vt ſoluat, & vim Thomiſticæ doctrinæ aperiat, latè oſtendit, illum fœtum ante animationem, non eſſe Beatam Mariam. Vnde, quanuis mundaretur, ſemper eſſet verum dicere, Beatam Virginem in ſe non fuiſſe ſaluam. Quòd ſi vrgeas, iam ſaltem in carne ſuâ indiguiſſe antecedenter priùs redemptione; reſpondet, indiguiſſe in antecedentibus, non eſſe ipſam indigere: vnde addit: *Ly, in antecedentibus, eſt conditio diminuens rationem indigentiæ perſonalis: & proptereà non valet conſequentia, indiguiſſet ſui fœtus carne: ergo ipſa Virgo indiguiſſet. Et ergo ſimpliciter vera doctrina in littera tradita, quòd ſi Beata Virgo fuiſſet ante infuſionem animæ ſanctificata, quòd non eguiſſet redemptione, & ſalute à peccato facta per Chriſtum.* Sed hæc quidem apparentia magis, quàm ſolida: admiſsâ enim ſemel redemptione præſeruatiuâ, nihil Caietanus adducit, quod D. Thomæ rationem, etiam in ſuo caſu, fouere poſſit. 361.

Caietani reſponſio.

Caietan.

Sic argumentor: Demus caſum poſſibilem abſolutè, creaſſe Deum animam Petri, v. g. priùs tempore, quàm vniretur corpori tali, cui iam erat deſtinata: demus tunc, illam iuſtificaſſe gratiâ ſanctificante, idque ex Chriſti meritis: deinde curſu ipſo naturæ, diſpoſito iam organico corpore, à ſubſtantiâ matris, vt ego puto, aut à paternâ virtute ſemini inditâ, vt Thomiſtæ volunt, per veram generationem hanc animam tali corpori vniri. Tunc ſic: In hoc caſu, anima non foret contractura peccatum originale à carne infectâ, cùm iam gratia ornaretur: & tamen tunc totus homo redemptus à Chriſto diceretur propriè, præſeruatiuéque: ergo etiam, ſi ex parte fœtus carnalis ſolius proportionalis quædam munditiés 362.

Sed nulla eſt.

munditiees ponatur ex Christi meritis, vnde in venientem animam non deriuaretur culpa: verè præseruatiuè redemptus totus homo diceretur. Maior patet. Consequentia tenet à paritate rationis, cùm à qualibet parte, æquè compositum sumat denominationes. Minorem sic ostendo: Totus hic homo esset verè iustificatus per Christum: sed hæc iustificatio per Christum erat præseruatiuè redemptiua: ergo totus homo præseruatiuè redemptus diceretur. Probatur hæc minor: quia illa anima (quam suppono in Adamo peccasse) ex carne traduce erat incursura naturaliter originalem culpam, ni gratia præoccuparetur: ergo habuit gratiam præseruatiuam, & verè redemptiuā. Tunc sic: Sed quales habuit, tales dedit supposito denominationes: ergo intentū.

363. *Idem ostenditur.* Confirmatur: quia hæc anima, vt supposui, esset ex illis, quæ in Adamo peccarunt: ergo ex vi prioris pacti originale peccatum contrahere debebat à carne infectâ sibi destinatâ: ergo accepta gratiâ ab hoc soluendo debito liberatur: quod nihil est aliud, quàm præseruatiuè redimi: ergo, si idem suo modo præpurgatæ carni accommodetur, nihil etiam in suo casu vrgebit ratio D. Thomæ. Nec obstat ratio Caietani dicentis: *Ly, in antecedentibus, est conditio diminuens*, &c. vt tollat vim consequentiæ: Virgo indiguit in sui fœtus carne: ergo ipsa Virgo indiguit. Est enim optima hæc consequentia: Anima mea propter me creata est à Deo: ergo denominatiuè, & propriè magis creatus dicar à Deo. Sic in re nostra: Anima, vel caro sanctificata est propter Mariam: ergo Maria magis sanctificata est. Ratio est: quia in causis finalibus nullam patitur exceptionē vulgare axioma: propter quod vnunquodque tale, & illud magis. Tunc sic clariùs ad rem: Caro indiguit mundatione propter Mariam: ergo Maria magis indiguit in carne illa: ergo in carne mundata, maiori beneficio redemptionis præseruatiuæ fuit cumulata. Et reuerà si Maria non deberet Deo, & Christo Saluatori mundationem illam, quæ præuiè propter ipsam in carne facta est; nihil iam præuiè factum nos Deo debemus: non deberemus aquam pluuiam, quæ fructibus prodest immediatè, quia non aquam pluuiam accipimus, sed fructus.

364. *Et respondetur obiectis.* Dices primò, non benè dici carnem mundatam propter Mariam: cedo ergo, mi homo, propter quid aliud mundaretur? Si non potes negare partes substantialiter productas propter totum; cur propter idem accidentaliter mundatas inficiaberis? Dices secundò: Si solùm denominatiuè, & non formaliter Maria præmundatur à parte: non propriè dici mundam, & redemptam. Næ qui ita putat, nec iustos omnes propriè redemptos arbitrabitur: neque enim totus homo formaliter à gratiâ iustificatur, & redimitur: sed à gratia formaliter animæ inhærente, totus propriè, quamuis denominatiuè iustificatus dicitur, & redemptus. Ast non valet, inquis, exemplum: quia anima est actualis pars totius: ast illa caro præmundata adhuc non erat pars Mariæ. Recurris ad rationem Caietani de conditione diminuente in antecedentibus: relege, quæ contra illum hucusque feci.

365. *Iterum de in-* Concludo ergo, admissa redemptione præseruatiua, quam voluit Caietanus eneruem esse rationem factam, etiam in suo casu, contra Mariam. Sed, quia puto omninò verissimam cum Medina, & aliis Thomistis contra suum Caietanum, D. Thomam nullum redemptionis præseruatiuæ genus agnouisse: aliunde clariùs impugnatur ratio hucusque facta (cùm redemptionem præseruatiuam luce clariorem hodie agnoscant Doctores, de qua in Anthologiis disseram fusissimè) quasi in eo deficiens, quòd modum præseruandæ Mariæ in aliqua sua parte non videret, in suo casu: cùm id saltem à parte animæ de potentia absoluta non repugnaret: & in eo omninò delinquit, quòd absque solido fundamēto instans animationis transiliuit, quasi impossibilis esset simul obnoxietas, & redemptio: aut redemptio absque culpa actuali. Vnde tandem intulit: *Relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.* Inefficax est itaque totum argumentum ad rem nostram: quia extra rem, qui de ipso instanti animationis disserimus. Atque iam contra Conceptionem non ratio decertat: sicut si quis contra Diuinitatem Christi argueret hoc tenore: *In Deo est Pater, & est Spiritus Sanctus: Christus non est Pater, nec Spiritus Sanctus: ergo Christus non est Deus.* nulla esset consequentia: quia minus assumit: in Deo enim etiam est Verbum: & Christus est Verbum. Sic in re nostra minus assumitur, dum, quia ante animationem sanctificata non dicitur, infertur, necessariò sanctificandam post animationem: cùm in instanti animationis prætermisso posset sanctificari. *efficacia consequentiæ D. Thomæ contra Mariam.*

Ad secvndvm.] Fatetur apertè D. Thomas, Mariam maximam post Christum puritatem consecutam. Sed quid de Angelis dicendum? Certè, si Maria originali subiacuit peccato, longè illâ Reginâ, Angeli serui fuissent puriores: quanuis ipsa sanctior iam existat: aliud est enim, maiorem à gratia sanctitatem habere: aliud, à culpæ carentiâ habere puritatem. Multi in cælo sunt, qui innocentiam baptismalem conseruarunt, & ideò à culpa puriores: & tamen aliis olim peccatoribus, posteà feruidissimè pœnitentibus cedunt in sanctitate. Et certè ratio facta puritatem à culpa intelligit, vt satis patet ex obiectione, cui respondet. Dices, sermonem esse de hominibus, quos inter, post Christum, Virgo excellit, quanuis in ea puritate Angelis concedat. Sed quæro, an magis idonea Dei Mater, magis idonea Princeps Angelorum Maria, si in hac puritate Angelos superaret? Concedet hoc quisquis non proteruus: minùs ergo piè hæc dignitas Mariæ denegatur. Respondebis, impossibilem illam putasse S. Doctorem, vtpote cum qua, redemptionis rationem constare non credebat. Ergo, inquam, hodie, cùm mille modis possibilis ostenditur, imò & data celebratur ab Ecclesiâ; iam nihil obstat ratio. Quod verò ex Iobo 3. affertur, pende paucis. 366. *Maria Angelis purior.*

Et hoc, inquit, signatur Iob 3. vbi de nocte originalis peccati dicitur: Spectet lucem, id est, Christum; & non videat: (quia nihil inquinatum incurrit in illam, vt dicitur Sap. 7.) nec ortum surgentis Auroræ, id est, B. Virginis, quæ in suo ortu à peccato originali fuit immunis.] Sed quàm liberè *ortus* ab vtero hîc explicatur, tam liberè *ortum* in vtero, id est, Conceptionem possimus explicare, & fortasse magis congruè, Vulgatam nostram (qui est optimus modus explicandi) aliis versionibus 367. *Scriptura, conciliatis versionibus, optimè explicatur.*

versionibus conciliantes. Sanctes Pagninus Thomista fideliter ex Hebræo sic vertit: *Expectet lucem; & non sit: nec videat splendorem Auroræ.* Ortus ergo apud nostrum Interpretem splendorem significat: & splendor absolutè de quouis Mariæ instanti venit vsurpandus. Vatab. legit: *Expectet lucem; & non adsit: nec videat palpebras Auroræ.* Has palpebras frustrà ad Natiuitatem magis deferas, quam ad Conceptionem. In re ergo dubia, magis congruè ad honorem Virginis locus ducitur, quàm trahitur ad infamiam. Sed audi, quid pro littera Pineda ibi: *Inter reliquas translationes, hæc palpebrarum illustrior est, quòd oculum cæli respiciat: nanque Solem cæli oculum, videtur Aurora quasi post nocturnum soporem, & clausa lumina, iterum diductis, & apertis palpebris, vigilantem, & videntem mundo reddere.* Diuini ergo oculi, id est, Verbi, palpebra erit Maria, si Aurora est ex mente D. Thomæ: & tanti oculi palpebras lippas, & conniuentes quandoque existimabit? Si nihil in diuinam lucem, Christum, incurrit inquinatum; cur eius Mater, vbi lux ista, tanquàm inter palpebras, nobis fulgurauit, denigratur? Si Maria Aurora est Solis immaculati; cur maculata, imò oppetens, quando concepta appetit, profanatur? Maius est, quod voluit D. Petrus Dam. ad hunc locum Serm. de Assump. Virg. *Hæc est*, inquit, *Aurora, quam ille non vidit, qui videt omne sublime: & orat Beatus Iob, vt illi multa suppressione claudatur, dicens: Non videat ortum surgentis Auroræ. Sicut Aurora terminum noctis, & diei principium adesse testatur: sic & Virgo noctem expulit sempiternam.* Minùs enim congruè tam multa suppressione, id est, abstrusione clausa dicitur Aurora nostra, si ipsas appetentis illius primitias Dæmon oppressit: minùs congruè clauderetur, si hostis primum illius ostium reserauit. Absit: non solùm non tetigit; sed nec eam videre ausus est Princeps superbiæ, sublimium spectator: quam iam se, suósque oppressuram, & æterno clausuram carcere pertimebat.

Pineda.

Maria cur Aurora.

Pet. Dam.

Ad tertium.] Hic iam lubet exclamare, & inuertere illud Achatis ad Æneam apud Maron. lib. 1. 368.

Sancte Pater, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides.

Iam non solùm priuatæ Ecclesiæ sanctificationem; sed ipsissimam Conceptionem celebrat Ecclesia Romana: minùs piam opinionem auerruncat: *quæ nunc animo sententia surgit?* Egregiè hìc magnus Suarius: *Satis indicat, si præsentem Ecclesiæ faciem vidisset, aliter de immaculata Virginis Conceptione dicturum fuisse.* Robur ergo huius instantiæ, mirum est, quàm vrgeat: immane, quantùm distorqueat Thomistas, & quot modis illud conentur eleuare: sed frustrà. Vide, quæ multa de hac materia pij propugnatores. Certè nihil minùs deuotè contra Doctorem Angelicum molimur, dum in hac materia eius doctrinam impugnamus, quam ipse modò penitùs expugnaret; & certè tot in locis expugnauit.

Argumentum è Festo Conceptionis.

Virgil.

Suar.

Periocha Examinis.

ID vnum maximè intendo, vt redemptionem statuam præseruatiuam. Rem sic deduco. Redemptio præseruatiua non solùm vera, sed excellentior. Christus præstantiùs Mariam redimit: quia Dux præmuniens: Medicus præseruator: prouidus Altor: præcauens Gubernator. Hæc si perago penitùs, penè negotium peragetur.



ANTHOLOGIA VI.

Redemptio præseruatiua vera, & excellentior.



§. I.

Quàm propriè, & quanto excellentiùs apud profanos Authores, per præseruationem propulsa damna celebrentur.

369. SVPPONO in primis ex communi modo loquendi, apud Scripturam, & Patres sic Christum Dominum vocari Redemptorem, Saluatorem, & liberatorem, vt in hoc negotio res eadem variis nominibus explicetur, & quoad effectus, salus, & redemptio nostra pro eodem habeatur: quod nec ipse Doctor Angelicus negat (imò neque negare posset) in hoc articulo: ideò in corpore signatè ait, si Maria actu non peccaret, fore vt non indiguisset *redemptione, & salute, quæ est per Christum.* Et iterum, *ad secund.* dicitur Christus *vniuersalis omnium Saluator*, semel, atque iterum. Vnde infert, Mariam actu contraxisse culpam, quia aliàs non saluaretur. Suppono deinde, (quod iam alij notarunt,) aliud esse notationem, & etymon vocabuli aliquid priuatum innuere: aliud germanè, & propriè vsurpari, quin ad rigorosam etymologiæ rationem recurratur: v. g. *Terra* apud Latinos dicta putatur à terendo, quòd teratur, & conculcetur: & terra aspera, & inuia in sacris: terra nullius trita pede apud profanos

Redemptio, & salus per Christum, idem est.

Etymologia nominis qui considerandа.

fimos passim, propriè terra est, & rigorosissimè terra appellatur. Σελήνη apud Græcos *Luna* dicitur, ἀπὸ τὸ σέλας νέον, à noua luce, quam accipit, siue id deferas ad initium, quando corniculata; siue ad nouum augmentum, quo semper, donec impleatur perficitur: & tamen ipsi Lunam deficientem, quando non tam nouam lucem accipit, quàm amittit acceptam, propriissimè eodem vocabulo significant. Ierusalem apud Hebræos dicitur à pace, שלום: & tamen, quando oppressa bello, eodem nomine vocabatur propriè. Innumera exempla in quouis idiomate passim occurrunt. Sic in re nostra: licet *redemptio*, ex propria etymologia, supponat captiuitatem priorem: tamen, vt propriè, & germanè dicatur, satis est, si ablatum seruitutis debitum inuoluat: imò hoc plusquàm satis: sufficit enim, vt aliquis aliàs captiuandus, etiam absque vllo debito, eripiatur: vt propriè in se feliciùs, ab eripiente generosiùs redemptus, & saluus appelletur. Quid ita? Quia aliud est ad grammaticalem vocis etymologiam respicere: aliud ad germanum, & proprium vsum eiusdem vocis, prout apud classicos Authores absque vlla metaphora, non attentâ etymologiâ, vsurpatur. Salutis ergo, & redemptionis vocabula apud classicos Authores, vel ex solo debito, vel etiam absque illo vsurpata fusissimè ostendam sic apertè, vt iam vlteriùs id negare, aut contumaciæ sit, aut cæcitatis: idque claritatis ergo, vel absolutè, vel respectiuè ad bellum, ad medicinam, ad naufragium, ad famem: quia his omnibus modis redemptam Virginem monstrabo.

Redemptio propriè, quid sit.

370\. Nota fabella illa vxoris, (nomen effluxit,) quæ maritum Regem, iam iam fatorum imperio mortem subiturum, se ipsâ traditâ, eripuit: de quo Latinorum cultissimus Quintilianus Decl. 9. *Vna fingitur coniux, quæ iam perituri vitam mariti, vicariâ morte suâ redemit: adiicitúrque miraculo fabula, hoc fecisse eam, quod non præstitisset pater.* Redemptrix, vt vides, dicitur, non quòd à morte iam dominante: sed quòd ab imminente obnoxium eriperet maritum. Nihil fingitur debuisse Iasonem, qui sponte Dracones aurei velleris custodes aggressus: & tamen quia ab hoc periculo arte Medeæ euasit, ab eadem dicitur propriè saluatus: ideò isti illa apud Euripid. in Med.

Quintilian.

Redemptio præseruatiua agnita profanis.

Eurip.

Ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
Ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος.
Saluaui te, vt norunt Græcorum quotquot
Eandem tecum conscenderunt Argolicã nauim.

Sed esto, ponas iam obnoxium saltem periculo, (id erit apud nos remotum debitum,) verè saluum audis, non quòd à Draconis iam deuorantis faucibus; sed, quòd, ne deuoraretur, ereptus fuit. Pulchrè Horat. lib. 2. oda 17. ad Mecœnatem sanitati restitutum ab ægritudine, déque se à periculo alio erepto:

Te Iouis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit: volucrisque fati
Tardauit alas, &c.
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra leuasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas,
Ædémque votiuam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

Qui plus accipit, plus debet. Maria quò minùs debet culpæ, plùs Deo debet. Et inde fuit.

Horat.

Mecœnas, iam obnoxius morti ab ægritudine: Horatius longè remotiùs, trunci illapsi ictui potuit succumbere: & tamen vtriusque Deus tutor, & custos, siue saluator meritò appellatur: cui proinde maiores debentur gratiæ, vota redduntur. Feriret culpa Mariam, aut verè obnoxiam, aut tantùm ob communis originis conditionem, ictus possibilis non expertem, nisi Christus Patris dextra leuasset ictum, telum amouisset: plùs Deo debuit, ideò & plùs reddidit.

Facit in re obæratorum historiola, & phrasis Æliani lib. 1. cap. 3. de var. hist. vbi de Ptolemço, & eius puero illi gratiosissimo ita habet: *Accidit aliquando, vt cùm Rege adolescens equitaret: cùm verò procul aliquos ad supplicium trahi videret, non oscitanter in hæc verba Regem affatus est: Sed, ô Rex, (inquit ad Ptolemæum,) quandoquidem prosperâ quadam sontium istorum fortunâ, equos conscendimus: age, si gratum est, calcaribus admotis, & velociter persequentes appareamus miseris, quasi Dioscuri Saluatores, & aduocati salutem ferentes: quod communi prouerbio de his vulgatum est.* An non est salus, si Mariam in Adamo sontem, iam iam communi supplicio puniendam, Deus pueri sui, gratiosissimi Christi, scilicet, meritis eripuisset? Nugæ. 371.

Ælian.

Priuatus Regi suadeat misericordiã.

Videamus in re bellica id præstantiùs; & aduerte fideliter, Authores Græcos à me traductos, spreto Grammaticorum vulgo, qui voces σώω, & σωτήρ, (quibus propriè *saluare*, & *saluator* explicatur) per voces *seruare*, & *seruator* explicant, quia apud Numen suum Ciceronem Latinè *saluator* non dicitur: pereat mihi tota Latinitas, ne dulce ab Scriptura Saluatoris nomen, quo propriè *Iesus* exprimitur, denegetur. Pergo igitur. Pausanias in Attic. lib. 8. *Templum est Iouis cognomento Saluatoris, &c. Alææ Dianæ Saluatricis simulacrum, &c. Sed & Proserpinam Sotiram, id est, Saluatricem vocant Arcades.* Nemo nescit, vocari hoc titulo Iouem, quando bellis ante captiuitatem opem ferebat. Ideò idẽ in Bæot. lib. 9. vbi de Templo *Iouis Saota*, siue Saluantis: postquàm narrat historiolam iuuenis, draconem populos depopulantem occidentis, licèt pariter occumberet, de hoc ferino bello sic concludit: *Loricam puer indutus extrorsum hamis consertam, cùm vltrò draconi occurrisset, mortem quidem oppetiit; sed etiam ipsam feram exanimauit. Ex eo euentu Ioui Saluatori cognomen extitit.* Quòd, scilicet, illius morte, populi deinde beneficio Iouis à Dracone saluarentur: meliùs se saluos putantes, quòd præseruabantur, quàm si à Ioue à Draconis visceribus eriperentur. Vide obiter Patres de Christo hamo carnis suæ Dæmonem suffocante, non eripiente à morte, morte sua. Pergo. 372.

Redemptio præseruatiua iure belli.

Pausan.

Sic Christus Dæmonem suffocauit.

Insigne est illud eiusdem pro debito Mariæ amouendo, quod habet in Corinth. lib. 2. *Non procul à Lycea Dianæ templo, aræ sunt modicis distantes interuallis: earum vna Bacchi ex quodam oraculo, Saota, id est, Saluatoris cognomento: Themidum altera nominatur. Soli verò liberatori, iure optimo aram mihi videtur erexisse, metu Xerxi, & Medis seruiendi liberati.* Non tam à seruitute, aut illius vllo debito: quàm à metu quodam iusto (de naturæ societate) seruiendi liberatur Maria; & tantùm abest, vt non propriè, & excellentiùs liberata, & redẽpta dicatur: 373.

Pausan.

Hæc præseruatio pretiosior.

dicatur : quin propterea maiori , & optimo iure aram cordis ſui liberatori filio debeat ſternere. Quid ita ? Quia deberet , quia captiuaretur , ni Chriſti meritis inſidiator, & conans hoſtis arceretur. Grauiter Sophocles in Aiace ſic inducit Teucrum cum Menelao vindictam ſollicitante expoſtulantem , aptiſſiméque in rem noſtram:

Sophocl. M. Δίκαια γὰρ τὸν δ' εὐτυχεῖν κτείναντά με;
T. Κτείναντα; δεινόν γ' εἶπας, εἰ καὶ ζῇς θανών.
M. Θεὸς γὰρ ἐκσῴζει με· τῷδε δ' οἴχομαι.
T. Μὴ νῦν ἀτίμα θεούς, θεοὺς σεσωσμένος;

Is, cui Deus dimittit, dimittat proximo. Men. *Iuſta quis dicat , ſi benè agam occiſori meo ?*
Teuc. *Occiſori tuo ? mirum narras , cùm adhuc occiſus viuas.*
Men. *Deus me ſaluauit : nam quantùm in hoſte fuerat , peribam.*
Teuc. *Quid igitur Deos dedecoras , & Deos ſaluatores?*

Optimum erat enim ſalutis genus, quòd auidum hoſtem innocentis, & nihil debentis Menelai, & quantùm in ſe erat , occiſurum , Dij auerterent; indéque hunc ad pietatem erga hoſtem ſuadebat Teucer , vt ſic beneficis Diis, in alios beneficus reſponderet. Sic in re noſtra.

374. Coniurarant aliqui in Romam : parabant acies , bellum deinde vrbi allaturi : inſurgit in hos Stilico , debellat : de quo Claudianus lib. 3.

Iterum de glorioſa præſeruatione.

Hic, Stilico, cunctis inopina reluxit
Te victore ſalus : ſeptem circunſpice montes,
Qui Solis radios auri fulgore laceſſunt;
Indutóſque arcus ſpoliis , æquatáque templa
Claudian. *Nubibus, & quidquid tanti ſtruxêre triumphi:*
Quantùm profueris , quantam ſeruaueris vrbem,
Attonitis metire oculis.

Nondum captiuitas, imò necdum bellum : & tamen meritiſſimò immiſſa pax , ſeruata Roma dicitur. Minus eſt , ſed tamen ad hanc rem illud Aiacis narrantis , quomodo Vlyſſem ſaluarit, apud Ouid. lib. 13. Metam.

Ouid. *Oppoſui molem clypei , texíque iacentem:*
Seruauique animam , minimum eſt hoc laudis, inermem.

Inſtabat ictus Vlyſſi ab hoſte: oppoſuit clypeum amicus , & hunc ſaluauit : & tamen hoc minimum laudis putat : quaſi excellentior Saluator, ſi non tam iacentem, & inde abſque dubio feriendum ſeruaret , quàm præueniret , ne ictui iaceret obæratus. Sicut excellentior Seruator Chriſtus , non quòd obnoxiam , & quaſi iacentem, & ſubiectam culpæ percuſſuræ Matrem eriperet; ſed , quòd etiam à ſubiectione , & delicto præſeruaret.

375. Sed in re medica longè clariùs rem oſtendo: & audiamus , quid ſentiant in primis ipſi Artis Principes. Auicenna in Præfat. Fen. 1. doct. 1.

Auicenn. *Dico, quòd Medicina eſt ſcientia, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur , ex parte , qua ſanatur , vel ab ea remouetur , vt habita ſanitas conſeruetur , & amiſſa recuperetur.* Clariùs ibidem Fen. 3. initio, de Pract. Med. *Docet , quomodo ſanitatem corporis , quod talem diſpoſitionem habet, cuſtodiamus : & quomodo corpus, quod talem habet ægritudinem , medicemur.* Ibidem paulò pòſt: *Pars autem ipſius practica in duas diſtribuitur partes: quarum vna eſt ſcientia regendi corpora ſana, qualiter in ſua remaneant ſanitate : & hæc quidem cuſtodiendi ſanitatem ſcientia vocatur. Pars eius ſecunda eſt ſcientia regendi corpus ægrum , qualiter ad ſanitatis redeat diſpoſitionem : & vocatur ſcientia medicandi.* Vbi mihi nota , Medicinam à primæua inſtitutione dici , à medicando : medicari verò rigoroſiſſimè conuenit corpori ægro, vt vult Auicenna : & tamen , vt vides , non impropriè Medicina dicitur , quæ præcauens remouet ægritudinem. Aptè ad rem præſentem , de quo ſuprà num. 369.

Medicina præſeruatiua melior.

Sed adhuc curtus Arabs : cultior Græcus Galenus lib. 1. de ſan. tuen. cap. 1. *Cùm vna ſit ars, quæ corporis hominis tuendo dicata ſit , vt alibi à nobis oſtenſum eſt, eius prima, ac maxima partes duæ ſunt : quarum alteram ſanitatis tuendæ ; alteram morbi profligandi facultatem appelles.* Idem ſcribit lib. ad Thraſybul. cap. 4. in quo Opuſculo , omnium pulcherrimo , ſalubrem conſeruatricem, non ad gymnaſticam, vt aliqui putabant ; ſed ad medicam artem pertinere ſatis confirmat. Idem lib. 4. Meth. cap. 3. contra ſciolos quoſdam : *Par autem erat, ſi de rebus ſtudioſi eſſent , illud inueniſſe, duas eſſe functionum Medici primas differentias: aut enim eos , qui nunc vrgent, affectus, iis, quæ moliuntur , eximant : aut eos , qui non ſunt , fieri prohibent.* Aduerte autem, hos prohibitos affectus, ne fiant, dupliciter ſe habere : aut enim iam ſunt in corpore, congeſto morboſo apparatu , quem vocant: & ne prodeant in effectum, impediuntur: & hoc pertinet ad medicam præſeruatiuam: aut ne etiam in cauſa fiant , ſuſpenduntur : & hoc ad ſalubrem , quam vocant , ſpectat. De prioribus fusè idem Galenus (in Iſagog. de ſubfig. Empyr. cap. 4. vbi de communibus partibus Med.) & de ſecundis pariter ſic ſcribit : *Abutantur igitur nominibus, qui voluerint: nos in partes tres Medicinam ſecabimus, indicatiuam , curatiuam, ſalubrem.* Et poſt pauca : *Sunt , qui ex rationis diuiſione partes Medicinæ venati ſint : cùm enim, ſicut Herophilus voluit, Medicina ſit ſcientia ſanorum, ægrorum, & neutrorum; excogitauerunt tria, quibus ſingula iſtorum conuenirent*, &c. Sani ſunt ex Hierophilo, qui nec in præuia cauſa afficiuntur : ægri, qui effectu iam laborant : neutri, quaſi medij, qui, licèt effectu minimè, attamen iam in cauſa aggrauantur. Sed lubet rem totam audire ex eodem Galeno, ibidem art. med. cap. 99. *Eſt autem horum triplex ſecundùm genus differentia: prima quidem hominis, qui integra fruitur ſanitate : ſecunda verò eius , qui non integra valet : tertia eius , qui ægrotat. Primum ergo genus ad ſalubrem attinet artem ; ſecundum verò ad præſeruatiuam ; tertium ad curatiuam.* Quod attinet ad ſecundum genus , clariùs dixerat in Com. Aphor. 2. aph. 22. *Nam , quod factura erant cauſſa illa, prohibitum eſt fieri.* Lege iterum de his tribus generib. in Iſag. de conſt. art. med. cap. 19.

376. *Idem iterũ.* Galen. Galen.

Quæro nunc à te , amice Lector , ſi hæ tres à Medicinæ Principibus eius propriæ, & veriſſimæ partes reputantur , vtra illarum in ipſa proprietate illuſtrior ? Certè excellens Medicus eſt , qui te ægrotum curat: excellentior, qui præuiſas tibi iam adhærentes cauſas morbificas remouet; dum enim his ſubiiceris , vt vult Galenus , valens es, ſed non integrè valens : at excellentiſſimus Medicus, qui non ſolùm morbum illatum curat, aut eius cauſas iam inditas prohibet ab effectu ; ſed & id præſtat , ne vel cauſæ morbificæ accedant, vt integra fruaris ſanitate. Hoc ſibi arrogabat 377.

Medicina ſalubris inter omnes præſtantior.

Menecrates

Menecrates Medicus scribens Philippo apud Athen. Dipn. 7. cap. 13. *Tu quidem Macedoniæ Rex, ego artis medenæ. Atque tu sane potes, quemcunque libet, interficere: ego verò seruare ægrotantes; ac sanos vsque ad senectutem sine ægritudine, robustósque seruare, si mihi paruerint.* Vocat *robustos*. id est, integrè valentes eos, de quibus Galenus suprà. (Athen.)

378. (*Christus optimus Matris Medicus.*) Pende ergo iam, quoties ab Scriptura, & expressiùs à Patribus redemptio nostra vocetur medicina: vix totus liber sufficeret colligendis testimoniis. Cur ergo has partes diuino Medico denegabimus? Cur his vtens non propriè Medicus, siue Redemptor appelletur? Curauit nos ægros culpa, multum hoc: sed parum præ artis sua potentiâ: maius esset, & tamen propriè, sed excellentiùs Medicus diceretur, si Mariam non in effectu ægram; at in causis laborantem, id est, in Adamo obnoxiam præseruaret: at propriè, & excellentissimè Medicus, si non solùm morbum; sed etiam causas impediret, & obnoxietatem in Adamo auerteret: non quanuis præseruatiuam artem, sed illam supremam *salubrem* exercens. Vnde aut magis propriè, aut magis conuenienter loquemur in hac materia, quàm si cum formalissimis Philosophis, Medicinæ Principibus loquamur? Equidem aut cæcus sum, aut rem credo demonstrasse, quoad tollendam calumniam, qua improprietatis, & metaphorici sermonis arguimur in loquendo, dum liberantes Mariam à debito, excellentissimè à Christo redemptam, & sanam à diuino Medico prædicamus.

379. (*Præseruatio à marinis periculis.*) Breuiùs iam ab aliis me expedio. In re nauticâ Saluatores dicebantur Castores, non quòd semper fracto nauigio, è maris profundo eriperent suffocandos: sed magis, quia amouere turbines, naues deducere, impedire naufragium, credebantur. Lege, quæ passim Authores de illis, qui propriè Διόσκυροι Σωτῆρες, id est, Dioscuri Saluatores inuocabantur: & quę alij ad illud Stat. lib. 3 Syl. in Propempt. Met. Cel.

Dij, quibus audaces amor est seruare carinas,
Sæuáque ventosi mulcere pericula ponti: (Stat.)
Sternite molle fretũ, placidúmque aduertite votis
Consilium; & lenis non obstrepat vnda precanti.

Et item Scholiastes Horat. lib. 1. od. 3. vbi ad nauim profecturam:

Sic te Diua potens Cypri, (Horat.)
Sic fratres Helenæ, lucida sydera, &c.

Quia felicius Numen, excellentior gubernator, non solùm qui ab instanti iam naufragij periculo saluat; sed qui etiam causas naufragij proximas auertit, vt semper molle fretum sternatur. Diuinior itaque gubernator Christus, non quòd obæratam iam in Adamo, tanquàm in causa proxima, à communi naufragio, in quo omnes perimus, Matrem præseruauit: sed etiam, quòd à debito, tanquam à turbine præueniente liberauit. Cape obiter aliquid, quod lux faciat ex Curtio: *Sed Medici, inquit, quoque grauiores morbos asperis curant: & gubernator, si naufragium timeat, iacturâ, quidquid seruari potest, redimit.* Quia optimè dicitur redemptor, dum per iacturam aliquorum naui exonerandæ, alia seruat, quæ alias peritura. (Curt.)

380. (Heliodor.) Ad rem famis satis illud Heliodori lib. 9. qui Nilum solitâ fœcunditate extra ripas se effundentem, & famis, sterilitatísque damna præuenientem, vocat, τὸν τῆς Αἰγύπτου σωτῆρα, Ægypti *Saluatorem*. Et certe longè excellentiùs prouidus altor, dum non tam famelicos saturat, quàm dum anticipat annonam, ne vnquam sui fame torquerentur. Sic faustior ex hac parte Redemptor: dum famescentem ab Adami gula naturam, in Maria sic gratiæ saturitate anticipatâ liberauit: vt neque in Adamo famem vetiti cibi sentiret; neque ab infausto cibo famem deinde pateretur; id est, si Maria à debito liberata, quod inde necessarium erat, famem non incurreret. Aut ergo adductos hucvsque Authores grauissimos, purissimè, & absque vlla improprietate loquentes, improprietatis insimula: aut, quod par est, fatere necessariò, propriissimè nos locutos, & purissimè, dum Redemptoris salutem, simili, & excellentissimo modo explicamus. Sed iam ad diuina in idem transeamus. (*Præseruatio à fame.*)

§. II.

Idem à Patribus, à Scriptura clarißimè confirmatur.



381. (*Redemptio præseruatiua omnibus his modis ab Scriptura, & Patribus probatur.*) EX probatissimis Authoribus quinque modis salutis præseruatiuæ phrasim, (siue de debito, siue de culpa loquamur) vindicaui. Nunc non solum phrasim; sed & rem ipsam à Patribus, & Scriptura confirmemus, quasi per anacephalæosim: (quoniam de Christo Medico, Duce, Altore, Gubernatore, & in his omnibus Præseruatore erga Mariam per quatuor sequentes Anthologias fusissimè erit nobis disserendum:) & primo modo id absolutè, sed latiùs, deinde modis aliis priuatis breuiùs demonstremus. Præcipiebat Pharao Ægyptiis obstetricibus: *Quando obstetricabitis Hebræos, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eum.* Exod. 1. n. 16. Sed, cur, si tanto odio Hebræos viros habebat, non potiùs Hebræas nuptias de medio tollebat, ne pueri nascerentur; quàm natos enecabat? Quia nondum ad extremam malitiam deuenerat; peior longè futurus, si præcedenter in nuptiis negatis vitam omninò eriperet pueris; quàm si concesso matrimonio, breuem saltem vitam pueris dandam permitteret, quanuis illam eisdem statim interciperet. Ideò Tertul. lib. 4. cap. 23. contra Marcionem, qui Deum connubiorum prohibitorem esse blasphemabat, sic scribit: *Iam nunc Deus Marcionis, qui connubium auersatur, quomodo videri potest paruulorum dilector, quorum tota causa connubium est? Qui semen odit, fructum quoque execretur, necesse est. Næ ille sæuior habendus Ægyptio Rege: nam Pharao educari non sinebat infantes, iste nec nasci: auferens vitam illis, etiam decem mensium in vtero.* Idem iterum, sed elegantiùs dixerat lib. 1. cap. 29. *Non erit immanior dubiè ista Pharaonis nascentium enecatrix: nam ille animas adimit, hic non dat: ille aufert à vita; hic non admittit in vitam. Nihil apud ambos de homicidio differt: sub vtroque homo interficitur, sub altero iam editus,* (Exod. 1. — *Dirius in causa punire, quàm in effectu.* — Tertull.)

e utus, sub altero edendus. Attende iam, quid inde ad rem nostram inferatur.

382. *Maria quò minus debet culpæ, plus Christo debet.* Sæuior haberetur Deus Ægyptio Pharaone, si per impossibile de malignitate, (non ago de aliis iustis prouidentiæ causis) non tam editos pueros statim occideret, quàm in suis causis præueniens à vita interdiceret; si non tam mortem natis quam nascituris inferre videretur. Cur ergo è contra non re ipsa benignior habeatur, si ita præueniat, vt non tam editam Virginem, quàm in suis causis edendam viuificet ad gratiam: si non tam mortem genitæ, quam gignendæ auertere videatur? Si verè interemptor esset, causas præuiæ vitæ negans, cur causas præuiæ vitæ anticipans non sit viuificator? Certe meliorem vitam debet Maria Christo, non solùm quòd in instanti Conceptionis vitam gratiæ capiat, mortem non deguitet: sed maxime, quòd à causa mortis, & ab Adami decreto prohibita, priuati decreti in causa viuificetur. Eò melior, quò verior redemptio ista etiam à debito venit præseruatiua: vbique enim verum illud Quintiliani lib. 2. cap. 7. *Plus proderit demonstrasse rectam protinus viam, quàm reuocare ab errore iam lapsos.* Et cur non Redemptor plùs proficiat, si Mariam nō solùm à fouea, sed etiam à viâ, qua in illam itur, id est, à pacto in Adamo violato, non tam reuocet; quam destinato, & demonstrato statim recto itinere deducat in salutem? Quæcumque dixero de debito Mariæ negato, à fortiori clariùs opinionem communem de culpæ præseruatione confirmabunt: hic enim vnus mihi scopus Magnam Matrem illibatam commendare. Sed, quia illud de debito omninò negando habeo probabilius, semper huc pronior in explicandis locis inclinor: licèt promiscuè, nunc hanc, nunc illam conuocem sententiam. Pergo.

Quintil.

383. Audeo dicere: Si Deus Mariam ab originali incendio liberauit, vt reuerà fecit; pro communi modo operandi, quem frequentiùs seruat, conuenientiùs illam à lege exciperet, quàm lege iam comprehensam liberaret. Rogabat Lot Dominum, vt illum in Segor vrbe sineret defendi, & ab igne Sodomorum sulphureo custodiri: concessit id etiam Dominus, & addit: *Festina, & saluare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Genes. 19. n. 22. Quasi dicat: Non potero immittere incendium, donec iam ibi tutus resederis. Hæc impotentia, vt optimè notat Doctor Angelicus statim citandus, erat firmum voluntatis misericordis decretum, quo decreuerat, Lot ipsum liberare. Ast, cur, inquis, sic eum saluare decernit, vt nihil incendij immittat, priusquàm ipse in tuto sit collocatus? Nónne satis ad salutem, si grassantibus iam flammis, vicinósque vorantibus, è mediis eriperet illæsum? Certè ad salutem satis hæc præseruatio: sed ad communem modum, quo Deus operatur, non ita conueniens: suauiùs enim, & rerum naturæ conformiùs, priusquàm grassaretur incendium, Lot eripitur; quàm post immissum incendium refrænata ignis natura, aut saltem delusa eius voracitate iam consumptura Loth iste liberatur. Ita D. Thomas Aquinas ad hunc locum: *Non posse hic, idem est, quod nolle: quamuis Deus id, quod iam supponitur firmiter promisisse, & velle, eo ipso ponitur non posse cum hoc, contrarium operari, propter contradictionem ibi inclusam. Firmiter autem volebat ab incendio illo saluare Lot, & hoc firmiter promiserat Abrahæ. Quamuis autem ipsum non ingressum in Segor posset ab incendio saluare; vult tamen in hoc seruare communem cursum: & ideò non vult, quòd in hora incendij sit in locis subuertendis.* Possèt quidem grassante iam in omnes, sicut & in Mariam, incendij lege, hanc eripere, ne à flamma auida læderetur, id est, culpa fœdaretur; voluit tamen Deus seruare communem cursum, neque legis infringere conditionem: & ideò voluit, vt in instanti, quo lex incendens in nobis subuertendis grassans intelligitur, in nobis esset: sed priùs alibi sub alio decreto tutissime collocata. Et obiter aduerte, admissam, vt par est, ab Angelico Doctore veram rationem saluandi erga Lot, cùm tamen priùs quàm incendiū veniret, saluaretur. Cur ergo hoc saltē Mariæ non concessit? Dices, hunc librum suppositititium credi ab aliquibus: posse dicere, & hanc nostram quæstionē ab aliquibus etiā scribi suppositititiam: Sed absit: vtriusque Operis stylus sapit Thomam.

Genes. 19.

Deus naturā rerum vtplurimùm non inuertit.

D. Th. Aq.

Sed pende adhuc nō solùm saluum Lot; sed & vrbem Segor illius meritis adhuc ante incendiū, sed incendio deuotam saluam dici, & reuerà redemptā fuisse. Quæris causam? Eleganter Ambr. Serm. mihi 87. in fine: *Legimus etiam, quod de Sodomitarum excidio meritis suis Lot solus liberauerit ciuitatem: quàm magis valuerit ad saluandum vnius gratia, quàm ad euertendum peccata multorum: exeunti enim illi de Sodomis hospitij causâ, Segor parua conceditur: quòd si iusto hospitij donatur ciuitas, quantò magis iusto patria conceditur?* Et quantò magis, inquam ego, Christo Maria, licèt obnoxia, concedetur? Obnoxia vrbs hospitij iure iusto, multis obnoxia aliunde vitiis patria donatur ad salutem, à pœna præseruatur: at iustorum Iusto, non tam hospitium, & patria, quàm ipsa Mater ab incendio liberanda denegabitur? Segor obnoxia, meritis Lot pœnam euitat; credo, meritis Christi Maria etiam obnoxietatem euitauit. 384.

Ambrof.

Iustorum meritis, patria, imò & hospitium defenditur.

Fateor: ego me impium erga Christum putarem, ni ita crederem: imò & se putaret Ambrosius necessariò, ni mecum consentiret. Attende. Interpellabat pro Sodomis Abraham, & post longas piissimas apud Deum altercationes audit ab illo: *Non delebo vrbem propter decem.* Genes. 18. num. 33. infallibiliterque ita foret, si ibi decem Iusti reperirentur. Habes igitur salutem à debito incendio præseruantem: legem iam obligantem, dispensatione tamen intermissam. Nunc audi Ambros. citatum post multa de fouenda patria: *Dicit ad Abraham Scriptura diuina, per decem iustos patriam posse saluari. Igitur, si iusti sunt, qui saluam faciant patriam; vtique iniusti sunt, qui relinquunt: & si illi propter præsentiam suam consequuntur gratiam; necesse est, vt ij propter desolationem mereantur offensam. Iniustus planè, & impius est filius, qui periclitantem deserit matrem: mater enim quodammodo dulcis est patria, quæ te genuit, quæ nutriuit.* Quia, quamuis quis aliàs iustus foret, eo ipso, quòd periclitantem matrem patriam deserit, iniustus reputatur. Vide, an, si quæstio nostra proponeretur Ambrosio, quid de piissimo nostro Iesu sentiret, non erga metaphoricam; sed erga verissimam Matrem, à qua genitus, à qua nutritus: quámque ab æterno Deus, non solùm in pœna, sed etiam in lege 385.

Patria quàm colenda.

Genes. 18.

Ambros.

cernebat

cernebat periclitantem. An quam poterat vtrinque saluare, derelinqueret? Proprie itaque dixit Ambrosius patriam saluam, licèt adhuc non deleretur; quia deleri debebat: vt saltem hoc modo si Maria obnoxia, non fœdaretur: propriissimè saluam & redemptam sentias appellandam.

386. Iam gratiùs à Sodomorum incendio, ad aquas Elisei veniemus. Libauit iam has nonnullus: sed adhuc multa superant enatanda. Habebant Ierichuntini optimam regionem, sed aquam pessimam, quæ mortem cunctis accelerabat, & generationibus sterilitatem miseram afferebat: tunc ille, *egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus; Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ ergo sunt aquæ vsque in diem hanc.* 4. Reg. 2. n. 21. Ergo & vsque in diem hanc sanata etiam fœminarum sterilitas. Sed, quomodo sanantur vteri nondum editi? Planè, quia in causa morbifica sanabantur; & quia antecedenter præseruabantur, optimo iure dicuntur ab sterilitate subsequentibus deinde sæculis persanati. Ambros. Serm. mihi 88. *Non enim hoc facto vnum Eliseus sanauit hominem, aut vnius domus præstitit medicinam; sed totius ciuitatis populum reparauit. Si enim tardius hoc fecisset, interueniente sterilitate senescentibus cunctis, ciuitas sine habitatore remansisset. Igitur Eliseus, dum curauit aquam, curauit & plebem: & dum fontem benedixit vndarum, fontem quendam indulsit animarum.* Satis est, si curetur causa, vt populus nondum natus, nondum læsus curatus decantetur: satis est, vt futura sterilitas celebretur amota, dũ tot antè sæculis sterilitatis causa remouetur: satis est, & plusquàm satis, si Mariæ ab initio lex incurrendæ culpæ causa præcidatur, vt illi allatum remedium decantetur. Felices præsentes ciues, qui iam de potato noxio fonte sterilescentes, nouo remedio iterum fœcunditatem compararunt: sed longè feliciores, longè salubriùs curati, qui cùm posteà nascerentur, à damno præseruati nunquam sterilitatis pœnam incurrerunt. Feliciter nos redimimur, dum præfœdati, à gratia restituimur: sed feliciùs, & excellentiùs redimitur Maria, dum præuiam fœditatem non incurrit. Sed adhuc alibi ad hunc locum amœniùs recurremus.

Effectus in causa restituti.

4. Reg. 2.

Ambros.

387. Venit huc illud Deuter. 15. *Indigens, & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.* n. 4. Et cur tam larga benedictio? Nónne maiora sunt alia charitatis opera, quàm opus hoc misericordiæ, in leuanda indigentis miseria, quibus tamen expressa benedictio subticetur? Planè. Sed habet præcepta in hoc loco misericordia nescio quid insignius. Non tam præcipitur iam indigentiâ afflicto auxiliũ, quàm præuium auxilium, ne vnquam indigeat. Magnum est leuare actualem inopiam; sed maius est inopiam præuenire. Vno verbo, sed suo Tertul. lib. 4. cont. Marc. cap. 16. *Plus*, inquit, *hîc; non enim petenti iubet dari: sed, non sit, inquit, indigens: id est, cura vltrò ne sit.* Sic enim capi potest Afer de solito acumine; licèt etiam aliter veniat explicandus: pro me tamen satis apertus ipse Textus. Misericors itaque Redemptor erga nos, quos in summa gratiæ paupertate constitutos posteà subleuauit: sed longè beniginiùs misericors erga Matrem, quam nunquam

Deuter. 15.

Eleemosyna qui impendenda.

Tertull.

in hanc reduci inopiam passus est: & benignissimè misericors, si sic diuitem destinaret, vt neque legi subiiceret paupertatis, hoc illam modo redimens, longè, vt ita dixerim, securiùs: semper enim verum illud Hieron. *Securius est, perire non posse, quam iuxta periculum non periisse.* epist. 47. D. Hieron.

388. Hinc illa vox Deiparæ ad cognatam de Deo misericordi: *Suscepit Israel puerum suum.* Luc. 1. n. 54. & in tanto salutari, nullum genus salutis priuatum voluit expressum: certe quia omnia salutis genera volebat intelligẽda. Hugo Victor. lib. 4. in Luc. *Vt sanaret*, inquit, *infirmum: vt redimeret captiuum: vt iustificaret impium: vt saluaret iustum.* Etiam iustus saluatur, non quòd iam in illo statu ægrotaret; sed quòd adhuc in illo poterat ægrotare. Et mihi miri instar, cùm ita semper propriissimè loquantur Patres, & vulgò nunquam aliter in quaui materia loquamur, quàm dum euadentes quoduis periculum imminens, nondum opprimens, saluos dicimus; solùm de Mariâ impropriè loqui arguamur, quòd illam nondum oppressam, aut culpa, aut lege obligante, inde dicimus saluam, quòd Christi meritis imminens periculum euasit. Sed in hanc rem non piget transcribere longum, sed grauissimum locum ex D. Dionysio cap. 9. de diuin. nomin. ad finem: vnde iam aliqui vnum, aut alterum verbum delibarunt: qui tamen si totus attentè legatur, aut fallor, aut vel etiam protervo Lectori satisfaciet. *Hæc*, inquit, *diuina iustitia, vt omnium salus laudatur, quòd suam cuiusque, & ab aliis solutam, & liberam essentiam, atque ordinem conseruet, atque tueatur; causáque sit suæ cuiusque rei actionis. Si quis verò salutem etiam laudet, quòd omnia à deterioribus conseruando, liberet, & eripiat; hunc etiam nos laudatorem, multiplicis, variæq; salutis probabimus: petemúsque, vt hanc, & primam omnium salutem statuat eam, quæ ita omnia tuetur, vt nec in se mutentur, nec secum discordent, nec in deterius, peiúsque vertantur: & omnia sine inimicitiis, & bello, suis quidque rationibus descripta custodit: omnémque inæqualitatem, & alienam actionem ex omnium finibus exterminat, & suum cuiusque modum ita instituit, vt in contraria, neque mutari possint, neque transferri. Nec verò hanc salutem extra institutum sacræ Theologiæ laudauerit: quòd ea, quæ sunt omnia, pro sua conseruatrice omnium benignitate à bonorum suorum amissione redimat: quatenus vniuscuiusque eorum, quæ seruantur, natura fert. Itaque redemptionem eam Theologi appellant, quatenus ea, quæ verè sunt, in nihilum recidere non patitur: & quatenus si quid in errorem lapsum sit, & ab ordine deflexerit, diminutionémque cumuli bonorum suorum senserit, id etiam à detrimento, ab imbecillitate, à priuatione redimit: id, quod deest, supplens, paternóque studio imbecillitatem firmans, & à malo excitans, aut potiùs in bono constituens; quódque bonum effluxerat resarciens; quod in eo inordinatum erat, & deforme, disponens, & ornans: ita vt integrum absoluat, & ab omni labe liberum dimittat.* Quid clarius pro vtraque redemptione, ordinariâ, & præseruatiuâ, non dicam afferri; sed nec etiam poterat excogitari? Quid iam dubitent Theologi, si Summum Theologum sic audiunt alloquentem? Et quærens, quinam sint

Luc. 1.

Christus omnia salutis genera attulit.

Hug. Vict.

D. Dion.

Theologi illi, quos citat Dionysius, inuenies, (si quid ex illius Operibus legisti,) Apostolos esse; & viros sui æui Apostolicos, quos Theologos appellabat. Sed ad prædictos quatuor saluandi, & redimendi modos primatim descendamus: & in primis de bello videamus.

389. Iudic. 3. Præseruatio facta in bello. Septuaginta Pagnin. Descriptis egregiis facinoribus Aod, quibus populum suum Iudex liberauerat, addit Textus: *Post hunc fuit Samgar, filius Anath; qui percussit de Philisthiim sexcētos viros vomere: & ipse quoque defendit Israel.* Iudic. 3. n. 31. Septuaginta pro Iv, *defendit*, habent, *saluauit*: & sic in Sixt. expressè vertitur: & eodem sensu Pagnin. Dominicanus ex Hebræo legit, *seruauit*. Sed obiectio est ad manum: vbi enim legisti vnquam, post salutem, quam Aod captiuo populo comparauerat, oppressum iterum fuisse, & captiuum Israëlem, vt Samgar meritò illius deinde Saluator diceretur? Respondet tamen optimè magnus August. tom. 4. lib. 7. q. 25. *Quomodo*, inquit, *post Aod iste pro Israel pugnauerit, & dictus sit saluasse Israel, potest esse quæstio: nō enim rursus fuerant captiuati, vel iugo seruitutis innexi. Sed intelligendum ita dictum, saluauit; non, quia nocuerit aliquid hostis; sed ne permitteretur nocere: quem credendum est bello cœpisse tentare, & huius victoriâ fuisse depulsum.* Quære nunc mihi, quonam seruitutis debito populus Dei liberrimus hostibus obligaretur: non inuenies: & tamen ob periculum, & solùm quòd potuerat captiuari, meritò Saluatorem suum Samgarem recognoscit.

D. August.

390. In Maria Assumptione. Origen. At erat (vt id obiter dicam) iste Samgar, Christi typus, qui Crucis suæ vomere laureato, sterilia gentium corda domans, & fœcundans, hostiles inde spinas deturbauit. Ideò Origenes ibi, & alij Cruce nobis fuganda vitia, explicarunt. Sed tu mihi pende in hoc loco, non tam spinas iam radicatas extirpari, quàm virtute Crucis etiam, ne pullularent, præoccupari. Vt scias virtute Crucis potuisse Deum Mariam ab spinis præseruare: & quamuis nihil ex lege spinis deberet; optimè tamen Saluatorem Filium recognoscere, cuius intuitu redimitur à lege, id est, à culpæ debito. Quàm pulchrè id describit Alanus, deferens ad Mariam assumptam illud Cant. 6. n. 12. *Reuertere, reuertere, Sulamitis*, vbi ita: *Reuertere, ô Maria, à captiuitate mundi, cui non debes subiici, per quam captiui à captiuitate sua sunt soluti. Reuertere ab onere, siue corruptione carnis: quia, sicut immunis es à corruptione peccati; sic ad immortalitatem transire debes, absorptâ mortalitate per gratiam Dei. Reuertere ad libertatem filiorum Dei: quia, sicut nunquam regnauit peccatum in tuo mortali corpore; sic digna es perfrui eadem spiritus libertate in carne virginali, qua fruuntur in spirituali scientia Angeli ab ipsa sui creatione, seu potius confirmatione.* Si verba fingerem, non essent clariora.

Alan.

391. Eccli 46. Iesus vnde præcipuè Saluator. Celebrabat Ecclesiasticus viros illustres: tunc de Iosuë ita: *Fortis in bello Iesus Naue, successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes; vt consequeretur hæreditatem Israel.* cap. 46. n. 1. Maximus in salutem? Ecquæ salus? Nunquid erepti iam ab Ægyptia seruitute, iterum nouo subditi iugo Israelitæ, à quo denuò per Iosuëm liberarentur? Apage. Cur maximus ad salutem, qui nunquam salutem visus attulisse? Quantò maior Moyses ad salutem, qui ruptis vinculis, Ægypto profligata, submersis hostibus, mari superato in libertatem populum redemit? Quidquid fecerit Moyses, adhuc in re salutis maior illo, Iosue: quantò est excellentior salus, & redemptio, quæ populum præseruabat, ne iterum in captiuitatem hostium insurgentium redigeretur, quam quæ populum priùs à seruitute eripuerat. Maius est, quod colligitur ex germana Lyrani explicatione ibi: *Secundùm nomen suum, id est, secundum proprietatem nominis sui, quod interpretatur Salus, siue Saluator: propter quod exponens dictum suum, subdit: Maximus in salutem.* Quasi Iesu, siue Saluatoris nomen tunc maximè impleatur, non cùm redimit ab actuali captiuitate; sed cùm præseruat: & expugnatis hostibus liberam sic stabilit hæreditatem. Nunquam Iesus noster (cuius iste typus pueris notus) excellentiùs Saluatoris titulum adimpleuit, quàm dum ab incurrenda seruitute Virginem præseruat.

Post mysticam illam luctam, quam cum Deo exercuerat Iacob, accepta iam benedictione exclamat: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Genes. 32. n. 30. id est, vitam meam asserui in libertatem. Ecquæ ista libertas, ô Iacob? Nunquid iam fratri seruieras? Nunquid debebas seruitium? Nullo modo. Quid ergo te saluum prædicas? Videbat suum à fraternis odiis periculum: timebat, licèt innoxius, mortem, vel seruitutem: nec vnquam se meliùs saluum existimauit, quàm dum à metu liberum se agnouit, & ab instante periculo securum. Lyranus ibi: *Salua facta est anima mea: quia consolatus est me, & benedixit mihi contra timorem de fratre meo Esaü.* Tunc excellentiùs salua Maria, cùm nec seruituti adstricta, nec debito obnoxia, ab imminenti periculo, & quodammodo a metu (ob communem naturæ societatem) liberatur. Vide quæ suprà n. 373. 392. Genes. 32. Maria non solùm à debito; sed & à metu culpæ liberatur. Lyran.

Venio ad Redemptorem nostrum Medicum. *Centurionis cuiusdam*, inquit Lucas, *seruus malè habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus: & cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum: rogans eum, vt veniret, & saluaret seruum eius*, cap. 7. n. 2. At, si *moriturus* erat, & non mortuus, cur non tam curandus dicitur, quàm saluandus? Imò, cur *moriturus* omninò ab Scriptura sacra narratur; cùm tamen non moriturum; sed sanum, dum hæc scribebat, iam agnouerat? Pulchrè res enarratur, & verè. Vbi nouit Medicum vocandū, Iesum, siue Saluatorem esse Centurio, excellentiorem in illo salutis rationem recognouit, & in eripiendo puero à morte nondum occupante, sed instante dulciorem salutē recolebat: ideò benè à Luca dicitur *moriturus*: infallibiliter enim mortē incurreret, nisi præueniente redimeretur suffragio. D. Ambros. ibi: *Quòd autem moriturū dixit Euangelista, non fefellit: moriturus enim erat, nisi fuisset sanatus à Christo. Impleuit igitur præceptum charitate cælesti, qui sic dilexit inimicos, vt morti eriperet, atque ad perpetuā spem salutis adsisceret.* Et quantò dulcior Saluator, quantò sublimioris charitatis impletor, sic aduenit præseruans noster Medicus; quàm si post fletus, & lamenta mortis, seruum delicias domini suscitaret? Charitas fuit planè diuina, & è cælo affulgens, qua inimicos à morte 393. Luc. 7. Christus, Medicus optimus. D. Ambros.

non

non iam absorptos, sed absorbendos, ante funebris doloris, & affectus mœstissimi impendia liberauit. Longè itaque charior Medicus Matri Christus aduenisset, si à teterrimo infamis mortis genere illam præseruaret.

394. Ioan. 11. *Cur Lazarū mori permittat.* August. Chrysost. Hugo Card. Theophyl.

Nec obstat illud Ioan. 11. vbi mortuo Lazaro dicunt quidam: *Non potuit hic, qui aperuit oculos cæci, facere, vt hic non moreretur?* n. 37. De quo August. *Potuit quidem, sed noluit: quia plus est mortuum suscitare, quàm, ne moreretur, facere.* Et Chrysost. *Hi, neque in calamitatibus malitiæ remittebant: & mirum, multò mirabilius, & maius est ingressam, & dominantem abigere mortem, quam sistere venientem.* Quos ibi dedit Hugo Cardinalis, Adde & Theophyl. in eandem mentem: non obstat, inquam: hæc enim de potentia agentis, non de accipientis beneficio intelligenda: permisit enim Dominus amicorum laborem, quamuis eisdem amarum, imò & voluit: vt maiori miraculo Diuinitatem suam comprobaret. Imò & hinc ego te vrgeo pro Maria: si enim & Deo facilius, & Matri dulcius erat, vt ita loquar, sistere venientem culpam, quàm abigere dominantem: cur non faceret? Si suauius factu creditur lege non obligare, quàm obligantem infringere; cur à debito Matrem non seruaret? Dices, alios cum Chrysol. Serm. 63. non suspensam mortem Lazaro, beneficio referre, & [illegible]ori. Fateor, quandoque hæc damna temporalia, iustis, non tam pro pœna, quam pro beneficio imputanda: imò, quamuis pœnæ sint, non ab odio, sed ab amore Domini prouenire. Sed nunquid idem dices de damno spirituali, de peccato? Absit. Semper benignior huius mortis præseruatio, quàm mundatio. Quin & spectatâ mere naturâ, vt dicebam, sine vllo ad spiritum respectu; benignior Medicus Deus, dum præseruat à morte temporali (memineris status innocentiæ) quàm dum mortuum resuscitat. Hócque plusquam satis ad similitudinem, vnde pro re mea ducebam argumentum. Pergo.

Chrysol.

395. Matth. 8. *Iesus, Gubernator optimus.* Origen.

Æquè signata in re subeundi naufragij, vox illa Discipulorum è cymbâ iam iam immergenda: *Domine, salua nos, perimus.* Matth. 8. n. 25. Si quam fidem de tot miraculorum experientiâ compararunt, nouerant, credo, posse Christum, facto naufragio, fracto phaselo, eosdem & littori, & vitæ restituere; sciebant tamen facilius Christo quodammodo, certè sibi longè felicius ab instanti, quàm ab opprimente damno liberari. Meritò deinde se ita constitutos saluandos clamant: quia in præseruando, gloriosiorem Saluatorem magistrum fatebantur. Acutè Origen. in Cat. *O veraces Discipuli! Saluatorem vobiscum habetis, & periculum timetis? Vita vobiscum est, & de morte solliciti estis?* Quasi dicat: Veraces estis, dum vos saluandos dicitis. Nunquam veriùs Saluatorem appellastis, quàm dum eius opem non man[illegible]i, sed imminenti damno aduocastis. Si ergo Saluatorem sic nostis, quid saluti desperatis? Ecquis vbi adspirat vita, mortis timore suspirat? *Ne timeas, Cæsarem vehis.* In exorta procella dixerat trepidulo nautæ Iulius Cæsar. Sacrilege verba solius Christi vsurpauit. Vnus est Saluator noster qui nauim suam, & Matrem, non solùm à communi naufragio; sed etiam ab illius timore, id est, à debito, præoccupatâ prouidentia cellâ, nouit liberare.

Concludo tandem in re famis, vno verbo. 396. Nilum vocari Ægypti Saluatorem, quòd a fame præseruaret, vidimus supra. Sed fallit Nilus, arescit alueus: & salubriori affectu auertit multò ante venturam famem Ioseph: tunc quasi ab iniusto possessore titulum eripiens Pharao, illum Iosepho indidit: *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.* Genes. 41. n. 45. Fortasse, quia superbus Ægyptum suam præseruatam, totius mundi appellatione dignam reputauit Pharao. Sed audiendus hic Hieronymus adductus à Glossâ: *Vocauit Pharao nomẽ Ioseph, Phasnec-phane: licèt hoc nomen Hebraicè, absconditorum repertorem sonet; tamen, quia ab Ægyptio ponitur, ipsius lingua debet habere rationem: interpretatur ergo Phasnec-phane, siue, vt Septuaginta transferre voluerunt, Pso ton-phanec, Saluator mundi, eò quod orbem terræ à fame liberauit.* Et quidem mirum est, easdem numero voces variis linguis, tam diuerso significatu, & tam congruo sensu, de eodem viro pronunciari: nisi quòd Dei Saluatoris nostri incarnata Sapientia in Iosepho, quod nemo nescit, designabatur: quasi illi personæ congruentiùs salus operanda committeretur, cui appropriatiuè Sapientia, & absconditorum notitia accommodatur. Quis ergo dubitet, tam sapientem salutem, tam salutarem Sapientiam prouisuram, ne Mater miserâ gratiæ fame, culpæ repletione contabesceret? Non quidem benignior in Ægyptum iam penè patriam Ioseph ille, quàm in Mariam Iesus noster Matrem penitùs.

Doctrinæ beneficentia sociatur. Genes. 41. Hieron.

Sunt deuotissima verba illa Cellensis lib. de Panib. cap. 9. loquentis ad Iesum, sed cum allusione ad illud, quod Ægyptij clamabant ad Ioseph: *Salus nostra in manu tua est.* Genes. 47. n. 25. vbi ita: *Verè, Ioseph, salus nostra in manu tua est: da nobis alimenta, vt viuere possimus: da nobis seminaria, quorum benedictionibus terram arentem, & australem inebriemus, & impinguemus: germen siquidem benedictionis habet, qui à te semen habet: semen enim tuum pinguescit in radice, turgescit in culmine, frondescit, seu florescit in cacumine. In vmbra eius est vita, sanitas in gustu, in odore medicina, in aspectu voluptas.* Si aliquando diuini altoris nostri benedictio pinguescens in radice meritò celebratur, tunc est, quando Marianæ Cõceptionis primitias gratia fœcundauit. Hinc gratia Mariana tali benedictione comparata, virtutibus deinde turgescit, & cum virginitatis flore, fructum germinat benedictum. Sed istud iam anacephalæosi longius videbitur: & planè anacephalæosis est tamen, si cum fusè dicendis comparetur. Adhuc tamen priusquàm ad priuatas Anthologias veniamus, aliquid necessariò adnotandum. 397.

Iesu nomen fœcundum. Genes. 47. Petr. Cell.

***

§. III.

Non decuit, Mariam vulgari modo redimi cateruatim.

398. VANVIS, quæ hucvſque dixi, non ita ſolida forent, conuincendo notam vtrique Paginæ ſalutem, & redemptionem præſeruatiuam; quæ tamen ſunt ſolidiſſima, ſolúmque per contumaciam ſpernendâ: vrgebat ratio decentiæ, (decentia verò, diuinis comprobandis, vbi Scriptura deficit, optima ratio docto cuiuis comprobatur,) vt meliorem redemptionem Reginæ aſſignaremus, quàm ſeruis; & nobiliorem ſalutem, digniorísque ſpeciei Deiparæ, quam nobis concederemus. Dedecebat Mariam redimi cateruatim: non conuenit Maieſtati vulgaris medicina: plebeium beneficium, quanuis ſub eadem ſpecie in ingens creſcat, vileſcit adhuc Principi comparatum. Omnis in turba decreſcit excellentia. Singulariſſimo capiti, ſingulare quæratur decoramentum. Huc reducendum puto, quod iam alij ad rem aliam, ſed tamen pro Conceptione in Iudithe, vero Mariæ typo, ponderabant.

Redemptio vulgaris Mariam dedecet.

399. Redibat Heroïna fauſta, fœmina vltra viros præſtantiſſima, virago inuito ſexu, animo virileſcens, Amazonum fides, glorioſius Iahelis incrementum. Hanc interim ſi conſpiceret Ethnicus, armatam Venerem putaret, ſed pudicam; imò venuſtam Palladem, ſed ſanctam. Horribile Gorgonis caput Pallas obiicit: æquè deforme Holophernis caput Iudith obiiciebat. Illo viſo lapideſcebant adſtantes: hoc Achior exanimatus obrigebat. Interim ſic ad ſuos: *Viuit autem ipſe Dominus: quia cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari; ſed ſine pollutione peccati reuocauit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in euaſione mea, & in liberatione veſtra.* cap. 13. n. 20. In communi, Deo adſcribendâ victoriâ, vna Iudith euadens dicitur, cætera turba liberata. Nanquam obſidioni ſubiacuiſſe viſa Iudith, quæ pluſquam liberè ab obſeſſâ erupit ciuitate, ipſum Tartareum Principem perruptura. Liberantur cæteri propriè, ſed vulgariter: quia iam obſidione preſſi, & in ſua ipſa vrbe, quaſi ſub liberiori cuſtodiâ miſerè captiui. Singulariter euadit Iudith, quæ nihil huiuſmodi ſeruitutis tolerarat. Maius aliquid indicat Auguſtinus adductus à Gloſsâ ad cap. 10. huius hiſtoriæ: *Hoſtium ſecuris greſſibus properauit in caſtra: intra muros ſollicita fuit; ſecura fuit, dum ad timenda peruenit.* Quia in media turba, licèt non ſibi, (quæ ſemper ſecuro fuit animo;) at ſuis timebat ſollicita: at ſola relicta, quaſi depoſito ſuorum onere, (quod de Moyſe aſcendente intrepidè in montem dixit Nicænus) leuior, & ſecurior procedebat. Tanta ſecuritas priuata euaſione, non communi liberatione cuſtoditur: vtraque tamen, ſed iſta prior: quia pretioſior, diuinæ meritiſſimò victoriæ adiudicatur. Quàm hæc faciant pro vera noſtra Iudithe, tute videris, niſi hanc in illâ negaueris figuratam.

Iudith 13.

Auguſt.

Principes plus ſuis, quàm ſibi timent.

400. Ex induſtriâ ſeruaui in hanc rem locum illum, quem ſupra n. 275. delibaui. Eligit Chriſtus piſcium piſcatores, vt felici metamorphoſi piſcatores hominum euaderent: iubentur ſæpè retia laxare in piſcaturam, vt dum genus omne piſcium congregant, ex omni genere gentium Eccleſiam congregandam intelligerent. At ecce tibi ſoluturus Chriſtus cenſum, præcipit Petro: *Vade ad mare, & emitte hamum; & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem.* Matth. 17. n. 27. Et cur non rete ſolitum præcipitur laxandum, vt inter multos captos, piſcis theſauri cuſtos pariter caperetur? Quorſum huc hami vſus, qui nuſquam alibi legitur in Euangelio? Dedecebat, nimirum, vt vulgariter, & cateruatim tam pretioſus piſcis captus veniret: ſingulare inſtrumentum paratur, vt eius dignitas ſingularis comprobetur: feliciter capitur turba ab euangelico rete, ab auxilio communi: ſed pretioſiores Eccleſiæ futuri, vt Paulus, v. g. & ſimiles, ſingulariſſimo modo capiuntur. D. Ambroſ. lib. 3. de virg. ad finem, in hoc piſce Stephanum intelligens: *Ergo,* inquit, *retibus, & hamo piſcatur perfectior, vt retis concludat, hamo adurat: ſed reti turba concluditur; hamo ſingularis eligitur.* Ab humanæ naturæ pelago communi redemptionis ſuæ reti efficaciter electos ſuos cepit Chriſtus: at prælectam, & ſingulariſſimam Mariam, ſingulariſſimo redemptionis genere feliciter expiſcatur, tanquàm hamo: ne cateruatim concluſa, ſed ſingulariter electa caperetur.

Inſtiores ſingularius vocantur. Sic Paulus.

Matth. 17.

D. Ambroſ.

401. Facit his etiam, quod addit Ambroſ. *Martyr igitur ille, qui de mari cælum primus aſcendit, captus à Petro miniſter altaris, non reti, ſed hamo leuatus, vt viuo ſui ſanguinis eleuaretur: cuius in ore theſaurus erat, cùm Chriſtum in confeſſione loqueretur: qui enim theſaurus in nobis eſt, niſi Dei verbum?* Quaſi non poſſet feruidus geſtator verbi, quo acriter confundebat Iudæos, minori priuilegio condecorari, quo non cateruatim concluſus, ſed ſingulariter noſceretur electus. At æterni Verbi geſtatricem, non vtcunque, ſed ſub ſpecialiſſima Matris prærogatiuâ, in cælum non ſpecialiter credemus deſtinari? Aſcendet cateruatim redempta, communi reti concluſa, per quam Deus ipſe deſcendit in remedium? Non eleuabitur præſeruationis hamo ſingulariter, per quam cæteri redemptionis bonum obtinuimus?

D. Stephanus.

D. Ambroſ.

402. Sed maius eſt, quod in hanc rem aureolis verbis ſcribit D. Epiphanius de laud. Virg. *Aue, gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo: in lampade geſtans lucem inextinguibilem, Sole ſplendidiorem. Aue, gratiâ plena, hami eſca ſpiritualis, in te ſiquidem hamus Diuinitas.* Sic enim erat rebellantis aliàs humani generis, & in vitiorum pelago immerſi amor expiſcandus: dum Diuinitatis hamus, ſub eſca Marianæ carnis piiſſimo quodam dolo delitebat. Fruſtrà, ſi [illegible] eſt dicere, olim Deus in attrahendis hominibus laborabat: rebellabant illi paſſim, diuinis auxiliis ſacrilegè renunciantes: rari ſub diuino obſequio perſiſtebant: quidni? incaſſum abſque eſcâ captat hamus, nec vnquam capit. Eligitur Maria ab æterno, & aptatur in tempore, vt hamatæ Diuinitati de carne ſua puriſſima præſtet eſcam: quis credat fuiſſe iſtam vulgari expiſcatione à peccati

D. Epiph.

Maria eſca diuini hami.

Maria Corredemptrix. peccati pelago abductam? sordidis, & amaris vndis enatasse? Priùs escam diligenter inquirit, & præparat piscator: deinde in piscium capturam se accingit: & piscaturus compiscatricem escam antè prouidet. Priùs electa Maria, priùs priuato quodam modo comparata, vt Redemptori piscaturo ad communem redemptionem compiscatrix veniret, & Corredemptrix.

403. Neque caret mysterio, quòd tam expressè voluerit Christus, vt is piscis sibi quæsitus intelligatur, qui *primus* ascenderet: quasi ille auidior, & indigentior, vt primus è funesto pelago liberaretur, qui primus, & diuturnior in pelagus deuenerat amarissimum. Benè D. Hieron. ibi: *Videtur autem mihi secundum mysticos intellectus, iste esse piscis, qui primus captus est: qui in profundo maris erat, & in salsis, amarisque gurgitibus morabatur: vt per secundum Adam liberaretur primus Adam.* Vt qui primus hamo serpentis Inferni captus, primus cælestis agni hamo caperetur. Et putes in Adamo captam à Dæmone Mariam, immersam amarissimo gurgiti, vt communi redemptione veniret expiscanda; quæ tamen hamum, quo Adam extrahendus, carnis purissimæ esca adaptauit? Primus in communi redemptione, ex Hieronymi mente, quoad intentionem, Adam eripitur: necessariò ergo in alia serie, & sub alia redemptione priùs electa supponitur Maria: cùm priùs esca iam supponatur parata, quàm piscis extractus. Si in communi piscatura primus Adam destinatur, & ante Adam Maria, euidenter communis piscaturæ, id est, redemptionis limites excedit. Vide, quàm apta ista veniant cum decretis, quæ in Examine primo enucleaui.

Quò maior miseria, eò profundior diuina misericordia.

Decretorum series in re Conceptionis.

404. Hoc est, quod ab initio Orbi inculcabatur, nuncium faustissimum. Producitur Adam, & addit Deus: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes. 2. num. 18. Adiutorium, Domine? Imò euersorium in muliere Adamo destinatur. Eua, Eua fuit, quæ miserum impulit in culpam: quæ in illa culpa prima nos vastauit, vt eadem infecti, de cætero iam proni ad lapsum, iam labiles deturbemur in ruinam. At in sexu fœmineo præuidebatur Maria, remedium Adami, Ecclesiæ antidotus. Abutatur Eua genio suo optimè constituto, sibi imputet, Deo non potest. Sed tamen, quamuis viro noxia; stat tamen diuina veritas, bonam, & optimam esse viro mulierem, quia futura Maria. Tertul. lib. 2. contra Marcionem, cap. 4. *Non est bonum, solum esse hominem: sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesiæ profuturum.* Proficit Maria Adamo: proficit omni Ecclesiæ ad redemptionem communiter obtinendam. Certè, quia ipsa Corredemptrix, & sic cælesti Adamo in adiutorium quodammodo facta, melioris alterius redemptionis particeps, vulgaris redemptionis laudem sequestrabat.

Genes. 2.

Maria Antieua.

Tertull.

405. Ad singularum creaturarum coronidem impositam, quasi corona eisdem, laudis commendatio adhibetur: additur: *Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Genes. 1. Producitur demum homo, imperij iure illas possessurus; nec tamen vel minimo laudis præconio mactatur: nimirum, inquiunt Doctores, laus hominis præcipua à virtutibus: non debuit ergo initio creationis laudari homo, donec in vitæ decursu cerneretur, qualem erga virtutes seipsum gereret. Benè est: non absolutè, & simpliciter laudetur homo, donec de vsu virtutum splendescat: sed, cur non saltem partialiter, quoad pulchritudinem corporis commendabitur? Si de pulchritudine inanimes, & irrationales creaturæ commendantur, cur humanum corpus pulcherrimis quibusvis cæteris pulchrius subticeatur? Suspendatur animæ encomium, quia suspensa causa: at, cur non impendatur corpori, cuius iam recognoscitur speciositas? Grauiter respondet Ambros. de instit. virg. cap. 3. *Pulchra quidem species, & præstantior cæteris animantibus: sed irrationabilia specie corporis æstimentur; ea autem, quæ rationis plena sunt, communem laudem sequestrent.* Non poterat homo laudari tunc quoad animam, à quo longus vsus arbitrij sperabatur: at poterat laudari quoad corpus: noluit tamen Deus, vt, dum irrationalia de speciositate commendabantur, de eadem interim homo laudaretur: ne, quamuis excellentiùs, at cateruatim cum turba, communi dote affectus crederetur. Sequestret communem laudem Princeps, cui priuata alia ob excellentiam reseruatur.

Genes. 1.

Hominis excellentia inter creaturas.

Ambros.

406. Pulchrescunt quidem iusti gratiâ redemptionis; sed sic pulchrescunt, vt ad Mariam comparati, tanquàm serui deueniant apud Reginam: magnam illi speciositatem accipiunt; sed communem: Mariæ priuata, & excellentior redemptionis venustas reseruetur. Allucet his illud Cant. 2. num. 3. vbi Maria, ex mente Guillelmi, sodalibus suis creditur allocuta: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Ideò enim piissima aliàs Virgo dilectum omnibus communem, suum priuatim vocat: quia sodalium amores, ad ignem eius comparati, tepescebant. Ergo Guillelmus ibi de Deipara Sponsa: *Dilectus meus, non dilectus noster: quia loquitur ad animas adhuc imperfectas, adolescentulas, quæ cùm sint adhuc delicatæ, & paruulæ, tam tepidè diligunt, vt respectu sponsæ excellenter diligentis, potiùs non diligere videantur. Itaque, cùm sicut nec stellarum igniculi Soli, nec parua illa scintilla, cum ingenti flamma Sponsæ potuerit collucere, meritò dixit, dilectus meus.* Acutus dubitat; sed respondet curtus: in re amoris, etiam Seraphini tepescunt apud Mariam: si in comparationem veniatur, adhuc priuatus eius dilectus enunciabitur: quia semper in Christi bonis participandis, communem rationem priuato sibi modo adstrictam recognoscat Deipara, necesse est, quæ in cunctis singularis, singulare, & non commune percepit beneficium.

Maria amor erga Deum qualis.

Cant. 2.

Guillel.

407. Descripto eboreo throno, quem in gloriæ ostentamentum efferato in leunculos, Salomon efformauit; addit sacer Textus: *Non est factum tale opus in vniuersis regnis.* 3. Reg. 10. n. 20. Quia, scilicet, Maria, quam typicè thronus iste referebat, vt nemo nescit, in vniuersis diuini regni operibus, nihil habet, cui non præferatur. Audiendus tamen D. Anthonius de Padua Serm. 2. in Dom. 5. post Trinit. *Thronus dicitur B. Virgo Maria: vnde Eccles. 24. Ego in altissimis habito: & thronus meus in columna nubis. quasi dicat: Ego, qui in altissimis habito, apud Patrem elegi thronum, &c. Et nota, quòd dicitur columna: quia nostram fragilitatem sustentat: nubis, quia à peccato immunis. Hic thronus fuit de ebore: quia Maria* fuit

3. Reg. 10.

Maria thronus innocentia.

D. Ant. Pad.

fuit candida innocentiâ: frigida sine libidinis ardore,&c. Verè tale opus non fuit in vniuersis regnis: quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Multa filia congregauerunt diuitias: sed Maria supergressa est vniuersas. Hic est Anthonius ille, quem tandiu aduersarij, pro obsoleta, id est, minùs pia sententia, buccinabant: quo iure, qua veritate: ipsi viderint. Habes ergo ab Anthonio Mariam innocentem, peccati immunem, sustentaculum nostrum: cui nulla creaturarum, quæ Redemptoris thesauro cumulatur, potuerit comparari: vtpote quæ pretiosiores illius thesauri gemmas accepit felicissima. Stemus iam promissis.



ANTHOLOGIA VII

Christus erga Matrem Dux præmuniens.

§. I.

Maria præsidium Christo tutum: sacrum armarium, è quo rebellantes sibi vrbes, & populos iterum feliciter subiugauit.

408. DVM populi tumultuant, dum rebellant vrbes, & legitimo Principe fugato, datâ dextrâ hostibus se confœderant, tyrannum in solio substituunt, & infaustæ seruituti se subiiciunt; solet legitimus Princeps ad vrbem aliquam tutissimam confugere, quæ integra fidei, animi syncera, hostiles siue dolos, siue machinas euitarat, nunquam tyranni stemmate fœdata, nunquam eius vexillo subiecta, nunquam eius dominio addicta: huc arma congerit, adducit munimenta, vt inde felicibus excursionibus hostes impetat, tyrannum prouocet, & aspirante fortunâ regnum recuperet. Non aliunde ergo clariùs Mariam semper liberam, nunquam captiuam probabimus; quàm si videamus illam vnam, cæteris omnibus rebellantibus in Deum, & Dæmoni spontaneâ subiectis seruitute, propugnaculi instar electam fuisse: vt inde erumpens Christus, deturbato tyranno, iterum sibi homines reconciliaret. Non fuit certè fœdifraga, non rebellans, per quam rebellantes populi reducendi: non subiacuit hostili seruituti ereptis armis infamis; quæ Christo arma robustissima pariter præbuit, & pulcherrima, quibus gloriosissimam victoriam comparauit. O qualem Redemptor noster erga Mariam præmunientem Ducem se ostendit! quam excellenter ab infaustis mystici belli calamitatibus præseruauit, dum vnam sibi tantam victoriæ vnicam destinauit administram!

Maria præsidium Christo tutum.

409. Communiter de Maria explicantur verba illa ex Ps. 45. num. 5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Sed tu mihi pende, quid statim addatur ad rem meam, num. 6. *Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Quasi propterea in ipso diluculo, & primo Conceptionis mane adiuuanda foret Maria, ciuitas sancta: quia inde non erat Deus commouendus. Ast, vbinam librator terræ, firmamenti stabilitor, basis constantiæ Deus vsquam commouetur; vt tanquàm mirum, in Vrbe nostra, immobilitas eius celebretur? Certe commouetur Deus, non quoad præsentiam; sed quoad amicitiam. Hunc rebellantes expellimus per culpam; & cordis arcem tradimus tyranno. Vna est Maria, in qua semper Deus stabilis perseuerauit: singularis vrbs, turris fortissima, quæ cæteris fœdifragis, & discedentibus, in Principis sacri munimen perseuerauit. D. Thomas Valent. Conc. 1. de Assump. Virg. *Considera*, inquit, *à principio seculi, & discurre per omnes filios Adam: nihil stabilius, nihil immobilius, nihil firmius hac sacra Virgine reperies. Turris fundata supra firmam petram, in montibus sanctis, immobili fundamento: siquidem Deus in medio eius non commouebitur.*

Psal. 45.

Immobile de innocētia tabernaculum.

In peccatoribus Deum mobilis.

Thom. Val.

410. Hinc explicarem illud Ioan. 1. num. 14. *Et Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius.* Vix Caro dicitur Verbum, cùm statim eius gloria celebratur: nam eo ipso, quòd Carnem induit, iam gloriosas victorias decantabat. Cur ita? Quia in regno suo vbiuis rebellante, turrim fidissimam, & fortissimam inuenit vnam, vnde per Incarnationem armatus, in victoriam certissimam progrederetur. Idem D. Thomas ibidem de Maria: *Ecce castellum fortissimum: ecce turrim inexpugnabilem, quæ nunquam Diabolo præstitit tributum, aut fidem. Hanc intrauit Iesus, quando Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis; inde inimicos expugnaturus, & regnum suum recuperaturus, in quo ab initio Dæmon fuerat intrusus. Sic enim solent Reges, quotiescunque rebellante regno tyrannus dominatur, occupare castrum aliquod in regno, vnde possint totum dominium suum recuperare.* Quasi non idoneum castrum foret Christo, si aliquando Dæmoni fidē, sine tributum præstitisset. Tunc è sic fideli propugnaculo victorias feliciter auspicaturus, meritò statim cum Carne, gloriam dicitur comparasse,

Ioan. 1.

Culpa tributum Dæmoni pensum.

Thom. Val.

Præuiderat,

411. Præuiderat hoc olim Iacob, qui Christum laudaturus sic dicebat: *Catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti.* Genes. 49. num. 9. Ἐκ Βλαστοῦ, legunt Septuaginta, id est, *ex germine ascendisti.* Et quid est, ex germine ascendere? Macarius Chrysoceph. Orat. de Cruce apud Gretser. *Ex germine*, inquit, *quo partus virgineus denotatus est.* Quasi sit idem in Christo, à Maria, instar pulcherrimi surculi, germinare, quàm, leonis instar, prædari Tartara, Dæmonem spoliare. Forte simile aliquid cogitabat D. Hilarius in Ps. 131. de hoc loco ita edisserens: *Ex Iuda*, inquit, *frutice, sicut ex radice Iesse est, qui & catulus leonis est, & Iacob erit filius: ex hac enim Tribu Iuda Maria est.* En properat, en festinat leunculus noster ad prædam: nunc se germen appellans, nunc prædatorem: quia pro eodem habebat, aut procedere germen Marianum, aut insignem prodire prædatorem.

Genes. 49. *Christus à Mariâ leo germinat.* Macar. Chr. D. Hilar.

412. Et meritò tunc leo dicitur, cùm germen appellatur: cùm enim germen à terra, in qua oritur, próque eius conditione, robustius, aut mollius producatur; tacitè insinuabatur, futuram absque dubio terram generosam, vnde sic robustum germen pullulabat; semper liberam, semper dominatricem, vnde leo euersurus Infernum germinabat; præseruarat certè Deus à iugo, quam subiugando Tartaro designabat. Ideò Chrysol. Serm. 142. de Mariæ dignitate: *Quam nasci*, inquit, *& vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & impetrauit authoritas.* Nondum germen edebat Maria; & iam Domina nascebatur: anticipauit germen Matri benedictiones, vnde posteà decentiùs pullularet: etsi tanta nascituri authoritas, ad Conceptionem etiam eiusdem non hebesceret: vt quò fortior eius meritis Mater, quò Dæmoni inexpugnabilior; eò generosior Filius nosceretur. Vel aliter: Cùm prædator leo Christus describitur, tunc germen Marianum appellatur: vt ex Filij virtutibus, Matris generositas deprehendatur: quia (vt illud Lyricum inuertam) non imbellis ferocem progenerat aquilam columba.

Et robustum germen. Chrysol. Horat.

413. Præmuniuit ergo diuinus Dux, prædator noster cælestis, castrum suum, ne vnquam Dæmoni seruiret, vt inde quodammodo securior, certè decentior opus salutis nostræ aggrederetur. De Deipara loquebatur Salomon, cuius aduentum suspirans exclamabat: *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Prou. 31. num. 10. Nimirum, fortes creantur fortibus. Proditurus fortissimus noster Dux, verus Dauid, manu fortis; fortissimam, & munitissimam vrbem, & Matrem sibi disponebat. Res clara. Sed cur è tam vltimis finibus *pretium*, id est, dignitas, & conditio Mariæ reuocatur: quæ quidem è medio genere nostro, ab ipsa natura humana nobiscum pariter processit? Eiusdem quidem naturæ est Maria; sed puritatis quidem longè diuersæ: quasi ab vltimis finibus, id est, à summo cælo egressa videtur: quia quoad innocentiam, cælestis cuiusdam originis quodammodo reputanda, quæ Redemptorem cælestem nobis editura. Fauet D. Bern. hom. 2. sup. *Missus est.* vbi ita post multa: *Mulierem fortem quis inueniet? quod est dicere: Si ita de manu fœmina pendet, & nostra omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria; fortis omninò necesse est, vt prouideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inueniet? At, ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando: Procul, & de vltimis finibus pretium eius. Hoc est, non vile, non paruum, non mediocre: non denique de terra, sed de cælo: nec de cælo proximo terris pretium fortis huius mulieris; sed a summo cælo egressio eius.* Tribuitur Mariæ fortitudo: & inde quæritur pretiosa conditio quodammodo: vnde reuerà incarnandum Verbum erat erupturum: quasi non ita idonea ob fortitudinem, in Ducis nostri arcem eligeretur, nisi pariter cælestis cuiusdam puritatis, nihil terrenæ labis participans intelligeretur.

Maria cælestis penè originis. Prou. 31. D. Bernard.

Et quàm aptè ad rem meam subditur statim: *Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.* num. 11. Ex eo enim, quòd præcognita est fidelis Summo Sponso, & à rebellantium turbâ segregata; non solùm non deseritur spolianda, quin potiùs armarium constituitur, spoliis hostilibus adornatur, ad nouas semper victorias comparandas. Est hoc illud Cant. 4. num. 4. *Sicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium.* Solent Principes in turri, quam habent tutissimam, reportata ab hostibus spolia in æternum gloriæ suspendere monumentum; ibidémque munimentum armorum recondere, quibus oblatâ incundi certaminis occasione sint vsuri: ideò Maria Dauidis nostri turris appellatur. Benè D. Thomas citatus: *Verè turris Dauid; illius, inquam, Dauid, qui superbum Goliam, &c. in Caluariæ monte prostrauit. Facta est hæc turris Ecclesiæ propugnaculum, & peccatorum vnicum refugium; vt ad ipsam confugiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflicti, & ea protegente liberentur ab hoste.* At, cur, inquis, turrita ista virginis, in collo eius præcipuè celebratur fortitudo? Audiendus priùs Gillibertus Serm. 26. de quouis iusto perfecto locutus: *Libera*, inquit, *planè ceruix, & seruilis condisionis ignara, tam erecta, tam munita, vt turris Dauid: non puto, quòd aliquo abiecto seruitutis iugo collum istud atteratur.* At certè attritum fuit in cæteris: vna est Maria, quæ, (vt dixi, & dicam infrà) collum semper ab omni iugo expers conseruauit. Benè ergo tanta libertas nullo vnquam attrita iugo, nulla incuruata seruitute, in Ecclesiæ propugnaculum, in Christi armarium assumitur: quasi minùs idonea in tantum ministerium, si hosti aliquando subiiceretur. 414.

Armariū est Christi. Cant. 4. Thom. Val. Gillibert.

Pulcherrimum in hanc rem mysterium illud Isaïæ de Christo nascituro: *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium: & dixit Dominus ad me: Voca nomen eius: Accelera spolia detrahere, festina prædari: Quia, antequàm sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam; auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* cap. 8. à num. 3. Omnes ferè Patres Mariam intelligunt purissimo diuini Spiritus afflatu concipientem. Sed tu mihi pende, nusquam alibi illustriori vocabulo Christi Matrem appellari, quàm in hoc loco, vbi Summus ille Propheta, à Moyse promissus, vt suprà dixi, spoliator Dæmonis decantatur: quia inde, ni fallor, quodammodo hæreditario iure, ad comparandas victorias progrediebatur: quidni enim spoliaret 415.

Isaiæ 8. *Christus à Maria cælest spoliator.*

spoliaret Tartara, qui Matrem suam ita à Tartareo incursu præseruarat, vt turrim quandam redderet munitissimam, vnde tanquam à victrice Propherissa, victor Propheta excurreret in hostes? Iterum D. Thomas: *Intrauit Iesus quoddam castellum, id est, Virginis vterum, vnde totum mundum ditioni suæ subiugauit. Statim enim, vt de castello hoc egressus est, viriliter agere cæpit, mundum, scilicet, inuadere, tyrannum excludere, & propriam hereditatem spoliato Dæmone ad se reducere, pastores à proximo, Reges à longinquo ad sui obedientiam celerrimè trahens: vnde & spoliatoris nomen sortitus est, sicut apud Isaiam legimus: Voca nomen eius*, &c.

Thom. Val.

416. Sed adhuc in hoc Spiritu diuino ad Mariam accedente, perflante Virginem, aliquid grandius ponderandum. Discessurus iam Christus aspectu suo cælis exhilarandis, & Spiritum Paracletum promittens suis ait: *Sedete in ciuitate, quoadvsque induamini virtute ex alto.* Luc. 24. n. 49. Sed, cur sedeant otiosi, qui interim apud aliquos Euangelium poterant nunciare? Cur per integros decem dies ignauescant, qui posteà sic sollicti discursuri? Nimirum, non ignauescit miles, dum arma quærit, comparat apparatum, machinas disponit: quantùm interim bello adimit, tantùm bello impendit feliciùs peragendo. Sic Spiritus Sanctus, virtus ex alto, lorica forti erat milites suos obarmaturus. D. Bernard. Ser. 3. de Pentec. *Ipse est, qui Virgini obumbrauit, Apostolos roborauit: vt & virgineo corpori temperaret Deitatis accessum, & Apostolos indueret virtute ex alto, fortissima, scilicet, charitate. Hanc, nimirum, apostolicus ille chorus loricam se se induit, sicut gigas ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Quia enim in domo fortis, ligare eum, & vasa eius diripere nitebantur, opus erat fortitudine ampliori.* Habes Spiritum Sanctum obarmantem Apostolos: neque tamen obarmans dicitur Mariam; sed contemperans eius corpori Diuinitatem: credo, quia ab ipsa Conceptione præmunitam contra Dæmones in excellentius opus attemperabat. Ecquod illud? Vt operaretur Maria erga Deum quodammodo, quod erga Apostolos ipse Deus fuerat operatus. Attende.

Luc. 24.

Apostolica lorica, & diuinorum militum arma vnde.

D. Bernard.

417. Armat Apostolos Spiritus; Maria Verbum armat: illi absque Spiritu perirent; Deus absque Marianis armis non pugnaret. Poterat quidem iste euertere Dæmones sub pura Deitate: sed tunc maiestatis excellentiam, non pugnę strenuitatem ostentaret. Dum ergo pugnam parat, arma comparet, necesse est; & ad destinatam victoriam, armarium Dei Maria collocatur. D. Methodius in Orat. ob Hyp. Dom. cuius fragmentum vertit noster Canis. lib. 1. cap. 2. *Tu Potentem illum, corpore, anquàm decenti quadam panopliâ, induisti, per quam quidem ipse facilè à me caperetur, & cerneretur: ego verò tutum, & commodum ad illum accessum haberem: per quam etiam omnia maligna tela extinguuntur.* Est panoplia, vt ex Græco nosti, *omnis armatura*: vt corpus, quod à Virgine sumpsit Verbum, omnis armaturæ loco illi veniret; telis Tartareis extinguendis: vt meritò de turri nostra dicatur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quidni enim pendeat ex illa omnis armatura, quæ omnem Deo ipsi impendit armaturam?

Maria Filij panoplia.

D. Method. Canis.

Recudenda tamen adhuc ad rem meam Græca Methodij: Σὺ ἐθωράκισας τὸν Δύνατον τὴν εὐπρεπῆ τῦ σώματος παντευχίαν. quæ verba fidelissimè sic verto: *Tu thorace loricasti Potentem, perpulchram corporis illi aptans armaturam.* Est enim θωρακίζω, propriè *thorace armo: loricâ munio.* Quasi Verbum e Patris pectore prodiens, in libera Mariæ immunitate solùm haberet, vnde condignè pectus suum diuinum thorace carnis fortissimo præmuniret. Quid ita? Nimirum, peccata nostra Deum ad mortem exposcebant, Christum deferebant in Crucem. Hinc illud Isai. 53. num. 6. *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Plures ex Hebr. vertunt: *Et Dominus irruere fecit in eum, iniquitatem omnium nostrûm.* Quasi ipsæ iniquitates nostræ in Christum irruerent, & rebelles peccatores Deum ipsum adigerent in Crucem: ideò ibi Forerius: *Hic mecum, Christiane Lector, considera, peccata tua, ac mea partem illius exercitus extitisse, qui in Christum irruit.* In sola Virgine inuenit Deus carnem peccato non infectam; ideò ab illa, tanquàm thorace, præmunitur contra Crucem, contra mortem: non vt mortem, & Crucem euitaret; sed vt in carne innocenti, & ideò munitissimâ, (dum non erat mortis debitor, nec iure adigebatur ad Crucem,) mortem, & culpas moriendo triumpharet. Fortasse ideò Honorius Cant. 7. n. 4. de turri Libani, siue de Maria locutus: *Turris Libani, id est, munimen fuit Christi.* Ibi tantummodo Christus tutus ab insequentibus culpis, vt inde ad easdem superandas pergeret armatus. 418.

In sola Maria Christus tutus.

Isaiæ 53.

Forerius.

Honor.

Postquàm Deipara cognatæ Elisabethæ magna sibi facta à Domino enarrauit, subdit statim: *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui?* Luc. 1. n. 50. Apertè quidem ex magnis illis Mariæ concessis, quibus in incarnati Verbi Matrem assumitur, infertur Orbi facta misericordia, & ingens adductæ redemptionis beneficium. Verùm, quorsum interim districtâ brachij diuini potentia, & superborum deiectio commemoratur? quid pacifico Regi nostro venienti, cum bello, & hostili euersione? Imò, quid piissimæ Matri (quæ tota, in enarranda suauissima se effusuram videbatur) cum profligatæ superbiæ expressione? Pax hominum, illato superbis Dæmonibus bello, comparata fuit: Maria arma se nouerat Christo ministrasse: meritò proinde tunc bellantis meminit potentiæ, cùm pacificantem enarrat misericordiam. Hugo Victor. ibi, lib. 4. in Luc. *Hæc est illa misericordia, quam se timentibus exhibuit Deus: quia Verbum suum per assumptam carnem in hunc mundum misit, vt per ipsum aërias potestates potenti virtuti debellaret, & genus humanum ab earum potestate redimeret: ipsi enim superbi sunt, quos dispersit, eiiciens eos foras à cordibus hominum, atque spolia eorum diripiens: nam, qua priùs in hominibus principabantur, virtutem dissipauit.* Decebat ergo, præmuniret Dux noster Matrem, ne vile foret Dæmonis spolium, per quam Dæmonis erat spolia reportaturus. 419.

In Visit. Mariæ.

Luc. 1.

Hug. Vict.

Parauerat Dauid adducere iam Arcam Domini in vrbem suam: vnde dicebat: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ.* 420.

Psal. 131.

Psal. 131. Sanctitas & robur coniunguntur. tuæ. Ps. 131. num. 8. Alij ex Hebræo vertunt: *Tu & Arca fortitudinis tuæ.* Quod sic conciliat ibi D. Chrysost. *Vtraque vera: quæ enim erant ei imposita litteræ, erant & sanctitatis effectrices, & roboris. Pulchrè ergo sic dixit: magnam enim Deus per eam potentiam ostendit semel, & bis, & sæpenumerò: vt quando capta est ab Azotis, simulacra deiecit; quando eos, qui ceperant, percussit.* Quasi robur, & sanctitas pari passu procedant in Arca: vt dum in Mariâ (huius illa typus apud omnes) tantùm miraris roboris, quod in armarium Dei constituatur: talem pariter mireris sanctitudinem, & talem in rebus omnibus excellentiam; vt nullam post Deum similem valeas excogitare. Verissimè ergo D. Thom. Valent. Conc. 2. de Natiu. Virg. *Solue cogitationibus habenas: dilata intellectus fimbrias, & describe apud te in animo Virginem quandam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, deuotissimam, humillimam, mitissimam, omni gratiâ plenam, omni sanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus charismatibus decoratam, Deo gratissimam: quantum potes, tantùm auge; quantum vales, tantùm adde: maior est ista Virgo, excellentior est hæc Virgo, superior est Virgo ista: non eam Spiritus Sanctus litteris descripsit: sed tibi eam animo depingendam reliquit: vt intelligas, nihil gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse; imò re ipsâ intellectum omnem superasse.* Sed nunc iam huius parthenici mysterij, & ministerij gratiosiores effectus exhibeamus.

D. Chrysost. — Thom. Val. — Maria excellentia omnem cogitatum superat.

§. II.

Christus, statim atque editus à Virgine, verè triumphator: ideò dona partitur, odium fugat, fuco pulchrescit, audit scommata.

421. Christus à Maria omnes triumphatoris partes implet.

PARVM est, vt à diuino duce præmunitam Mariam describamus, si illam eiusdem & turrim, & armarium exhibemus: illud sublimius, virgineo ministerio eũ prodiisse Christum: vt vbi conceptus, nedum editus, statim omnia triumphatoris munia obiret: vt iam sit nefas putare, vnquam à Dæmone triumphatam, quæ cælesti triumphatori apparatum, & pompam ministrauit. Discurramus per singula, quæ proposui. Rapiendo Eliæ in cælum paratur currus: *Ecce currus igneus, & equi ignei.* 4. Reg. 2. num. 11. E cælo ipso desumpta massa ignea, gemmea materia, pyropicus apparatus; qui desuper concameratur in tectum, assurgit in latera, detruditur in ascensus, striatur in columnas, in reclinatorium durescit, mollescit in habenas: inde protenditur in temonem, hinc in rotas sphærizatur. Parum id: animatur in equos, nunc ad labia candescentes in spumas, nunc ad nares fumantes in hinnitus. Non in sella, non in throno, non in lectulo molli defertur Elias: necessariò fuit currus apparandus. Quid ita? Nimirum, iam triumphator ascendebat. D. Chrysost. hom. de Ascens. Eliæ: *Apud quosdam veteres Reges moris erat, vt, si quis fortiter pro Rege fecisset in bello, & corpus, & animam periculis obiicere non timuisset; curru; atque aliis regiis insignibus decoraretur. Igitur Reges terreni, atque mortales, ita sibi deuotissimos remunerare consueuerunt. Quantò magis omnipotens Deus, qui Rex Regum, & Dominus dominorum est, Eliam suum tota se corporis, & animæ deuotione zelantem, post multorum laborum sudores, &c. igneo curru, atque equis flammantibus impositum, triumphali gloria præfulgentem ad sua regna voluit peruenire?*

4. Reg. 2. — D. Chrysost. — Triumphator in curru ferebatur.

Habetur ferè apud omnes ascendens Elias, ascendentis Christi typus expressissimus. Vnde tamen homo, qui ad futura Antichristi bella asseruatur, pacifici iam Domini figura habeatur? alij viderint: mihi incarnati Verbi, & in vtero virgineo gestati typus venit Elias. Purior cælo Maria, ad quam ab Empyreo suo, non tam descendit Christus, quàm ascendit: ab animato illo firmamento ad terras has nostras debellaturus Dæmonem descendit: sic tamen gloriosus in vtero, vt tanquàm in pompatico curru iam verè triumphator adoretur. Præiuit Ioannes Geometra hym. 1. de Deipara: 422.

Maria, Eliæ currus.

> Χαῖρε, ὄχημα φαάντατον Ἠλίε, [illegible]
> Ἐξ ἀρετῶν [illegible]
> *Salue, Thesbitæ viue & clarissime currus,*
> *Virtutum rapidis concite quadriiugis.*

Geometra

Æstimaui vulgarem versionem: re enim vera in hoc loco Ἠλίε nomine, non tam Sol, quàm Elias Thesbita venit intelligendus. Faustior itaque triumphator iam Christus in vtero Mariano, quàm in curru illo suo priscus Elias. Quidni enim iam triumphet incarnatus, qui ipsa carne purissima armatus iam hostem confundebat. D. Ioan. Damascenus in Iambis nuper editis de Natiuit. Christi: Damascen.

> Ἄρωγε Χριϛέ, τὸν βροτοῖς ἐνάντιον,
> Πρόβλημα τὴν σάρκωσιν ἀῤῥήτως ἔχων,
> Ἤσχυνας.
> *Auxiliator Christe, illum hominibus hostem,*
> *Propugnaculum Incarnationem ineffabiliter habens,*
> *Confudisti.*

Quasi purissima illa carne, contra insequentes culpas, vt dixi, propugnaretur, vt sic omninò innocens, & segregatus à peccatoribus, purior cælo factus hostem detriumpharet.

Quidni ergo iam sic Deitate potens, sic carne innocens hostem prouocaret? Hinc illa eiusdem vox: *Surge, Aquilo; & veni, Auster: perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. 4. num. 16. Quia, vt nemo nescit, aduentu Austri cælestis, & Spiritus Sancti obumbratione è Mariano horto aromata redemptionis nobis effundenda. Atqui, inquis, quomodò interim Aquilo surgere iubetur? An priusquàm veniret Auster diuinus; Infernus Aquilo, Dæmon Tartareus, sacrosanctum illum hortum perflasse intelligendus? Absit. Sed eo ipso, quòd ad Incarnationem Spiritus Sanctus aduocatur, iam prouocatur Dæmon ad certamen: non surgere iubetur à Maria, quam nunquam attigit; sed è solio suo, vt per Christum administrâ Virgine triumphetur. Guillelmus ibi decerptus à Delrio: *Cùm diu fortis iste armatus custodisset atrium suum, in pace seruans* 423.

Cant. 4. — E Maria Dæmonem Christus prouocat. — Guillelm.

seruans ea, quæ possidebat; Dei Filius ad desponsandum sibi Ecclesiam in mundum venturus ait: Surge, Aquilo. Præmiserat enim Patriarchas, & Prophetas, qui aduentum eius in carne, & gloriosum de hoste triumphum sacris vocibus præcinerent, in ipsis, & per ipsos quodammodo dicens: Surge, Aquilo. Quid sedes quasi super solium regni tui? Quid sedes quasi imperans in securitate? Surge: præpara te vel ad pugnam, vel ad fugam. Ecce venio fortior armatus, & regnum in manu mea, & potestas, & imperium. Optimè enim sic à Maria armato, & hostem prouocanti, iam triumphus præcinitur gloriosus.

424. *In Assumpt. Mariæ.* Hinc capio, quid sit illud Cant. 4. n. 8. *Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon; de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Voces sunt, ex mente Guillelmi, Christi iam post Passionem triumphantis, & Matrem ad coronæ è tot monstris reportatæ participationem, inuitantis. Sed, nunquid passa Maria? Nunquid Redemptor noster ope Matris indiguit ad salutem hominibus ministrandam? Non absolutè: sed suo modo ob intimum Incarnationis ministerium Corredemptricem habuit Mariam, vt suprà ex Patribus probaui. Benè ergo Maria, ad proportionatam triumphalis coronæ partem aduocatur, quæ nunquam carnem, nisi triumphalem pariter potuit adhibere. Idem Guillelmus, post multa: *Christus coronatus fuit, cum de Diabolo gloriosè per Passionem triumphauit. Huius triumphi nunc participem facturus Matrem, à qua carnem hanc triumphantem acceperat, tam feruenter inuitat.* Perfecit quidem totius triumphi pompam Christus post mortem; sed ab ipso præsepio, ab ipso vtero, iam in triumphante carne inceperat triumphum, iam spolia detrahere festinabat.

Cant. 4.

Corona triumphatoris.

Guillelm.

425. Facit huc historiola illa Iustini de Macedonibus priùs ab hoste victis; *Prælio pulsi, Rege suo in cunis pro acie, & ponè aciem posito, acrius certamen repetiuère: tanquàm ideò victi fuissent antea, quod bellantibus sibi, Regis sui auspicia defuissent, &c. Conserto itaque prælio, magnâ cæde Illyricos fudère: ostenderuntque hostibus suis, priori bello Regem Macedonibus, non virtutem defuisse.* Narratur res tota fusiùs lib. 7. Infans itaque in cuna vagiens iam instar gigantis suos animabat. Vnde mihi non mira vota illa Ecclesiæ Christum suspirantis: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te.* Cant. 8. n. 1. Cur enim, si ope indiget validâ, auxilio robusto, gigantem non sollicitat, sed infantem exoptat: nisi quia nouerat, infantem illum adhuc Virginis Matris vbera sugentem, gigantem esse, cui iam omnes victoriæ debebantur? Ideò D. Ambros. ad hunc locum, lib. de instit. virg. cap. 2. *Osculatur eam foris, quando tanquàm sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam. Tanquàm gigas foris est, qui non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, formam serui accepit. Vide illum intus, quando legis, quòd in sinu est Patris: cognosce eum illforis, quando nos quærit, vt redimat.* Vbi nos quæsiuit, statim gigantem inuenimus: latebat intùs in sinu paterno; at in parthenico adhuc sinu, iam gigas apparebat.

Iustin.

Christus in præsepio triumphans.

Cant. 8.

D. Ambros.

426. Veniamus nunc ad singulas triumphatoris, quas posui, conditiones. Relictis aliis, quæ ex prisco triumphantium vsu poterant obseruari, prima sit liberalitas, qua, vt passim legis, opulentia dona populo spargebantur. Et quidem quoad hoc, nihil Christo, dum nascitur, liberalius, non dicam esse, sed nec etiam poterat excogitari. Describit latè Isaias cap. 9. quam omnia fausta Orbi adueniente Christo aduenirent: *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius.* n. 6. Sed quid? Nonne etiamsi iuuenis, & vir descenderet Christus Dominus, cælestis Princeps, allati nobis regni bona tribueret? Non dubito: sed summa liberalitas fuit, sub eo habitu venisse, vnde quodammodo piè seduci, suauiter cogi posse videbatur ad donandum. Puerum pretiosissimis, & gemmatis comptum crepundiis obuius quisquis inuenerit, spoliabit facilè: quòd si forte voculas excitet, & lacrymulas, porrecto vili pomo arridebit. Quidquid pretiosum, & imperij sui ornamentum habebat Deus, puer attulit: vt liberalissimus admittat facilè spoliatores: & subiratulus pœnitentiæ munusculo facillimè recõcilietur. Bernard. ibi apud Tilm. *Quis nesciat, quòd puer leuiter placari potest, & facilè donat? Pauperes sumus, parua dare possumus: tamen reconciliari possumus pro paruo illo, si volumus. Totum, quod dare possumus, in ferum istud est corpus: illud si dedero, satis est.* Pulchrè satis.

Christus in triumpho liberalis.

Isaiæ 9.

Christus puer amore seducitur.

Bernard.

Parum erat, si Princeps noster, & bellator triumphans imperij sui dona aduenìens distribueret: totum principatum singulis suis viritim voluit communicatum: ideò Salomon: *Cum medium silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cælo, à regalibus sedibus durus, & debellator in mediam exterminij terram prosiliuit.* Sap. 18. n. 14. Vbi nascitur, statim debellat, triumphat, Dæmones, peccataque exterminat. Sed, cur expressè, dum exilit, regales cæli sedes, & non potiùs cælestes, vt alibi passim, exercitus celebrantur? Imò cur non ab vno Dei solio, sed à sedibus quasi multis prædicatur prosiliens? Planè, quia liberalissimus triumphator noster accedit: regales sedes appellat, & multas sedes; quia iam multis regni sui partitur cohæreditatem. Fauet Hugo Victor. ibidem apud eundem Tilm. *Venit quis? vnde? quo? Sermo Altissimi, vnicus Patris, Rex filius Regis: de consessu Patris, ad tolerantiam passionis; de æqualitate maiestatis, ad patibulum Crucis; de sede regali, ad officinam peccati; de lumine cæli, ad tenebras Inferni. Sed, nunquid ideò regnum perdidit? Imò eos, qui serui erant, à peccatis liberans, vsque ad conregnandum sibi sublimauit, & ideò fortassis à regalibus sedibus venit.* 427.

Plura de hac liberalitate pueri Iesu.

Sap. 18.

Hug. Vict.

Est autem in hac liberalitate magna, illud maius, quòd cùm omnia profundat, profundit omnibus. Enarrarat Panegyrista Plinius, ingentia, quibus populos affecerat, beneficia Traianus: deinde sic concludit: *Quæ singula, quantum tibi gratiæ dispensata adiecissent! At tu simul omnia profudisti, vt Sol, & dies, non parte aliqua, sed statim totus: nec vni, aut alteri, sed statim omnibus.* Vni, & soli Soli nostro diuino, id longè aptius potuit conuenire. Sed vide, quod ibidem iterum: *E cælo nunquam benignitas tanta,* 428.

Omnia dat, & simul omnibus.

Plin. iun.

vt omnes simul terras vberet, fouebatque. Hic omnibus pariter si non sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat: hic si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat. At fallitur in his verbis Plinius: iam enim suo æuo natus fuerat Christus, quando per totum Orbem mellifluì facti sunt cæli, quando immensâ benignitate omnes simul terras fouerunt, & vberarunt: idque non vno, aut altero dono, sed omnimodâ plenitudinis suæ effusione.

429. Est hoc illud Dauidis de Christo nascituro: *Inclinauit cælos, & descendit.* Ps. 17. n. 10. vt ferè omnes Patres notant apud Lorinum, qui addit ex Ambrosio, aptissimè inclinatos dici cælos, quasi cum suo Principe descendentes, qui cælestem thronum transtulit potiùs nobis, quàm mutauit. Sed pergamus in communi explicatione: idem enim est inclinare, atque inuertere, vt quidquid in cælo erat, nobis infunderetur. A Venere, gratiarum, & cupidinum Diua, quidquid pulchrum erat, venustum dicebant veteres; singulisque florum, siue donorum suorum abundè comptum aliquem prædicabant: at in nuptiis cuiusdam Principis, longe aliter factum, tenerrimus palpator voluit Claudianus, qui in Epithal. Pallad. ita de Venere, & Cupidinibus eò properantibus:

Psalm. 17.

Cæli, vt nihil relinquerent, inclinantur.

A Venere venustas irrogata.

Claudian.

Vt thalami tetigêre fores, tunc vere rubente
Desuper inuertunt calathos, largósque rosarum
Imbres, & violas plenis sparsêre pharetris
Collectas Veneris prato.

Quasi nihil mirum, si ibi iam omnia summa gratiarum plenitudine amœnarentur: quando Venus, quæ hucvsque parcior, vnum, aut alterum florem pro ingenti beneficio conferebat: tunc vt omnes effunderet, calathos ipsos inuertere iubebat: imò & Cupidinum suorū pharetras sagittiferas olim, iam florigeras inclinabat. Hoc ergo in re nostra volunt Patres: quasi hucvsque vnum, aut alterum donum parciores cæli emitterent: at veniente triumphatore nostro, vt omnia simul transfunderent, inclinatos fuisse, & inuersos. Hugo Card. ibi: *Inclinauit cælos, sicut vas, vt totum effunderet: vnde in natiuitate cantat Ecclesia: Hodie mellifluì facti sunt cæli.* Sed de hoc alibi.

Hug Card.

430. Erat secunda triumphatoris conditio, bullam gestare. Fuit autem bulla pyxis, siue capsula (prætereo materiam) ad cordis modum efformata: cuius vsum nemo ignorat ex Macrobio Sat. 1. cap. 6. *Bulla*, inquit, *gestamen erat triumphantum, quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent aduersus inuidiam valentissimis.* Scilicet, in tanta dignitate, & apparatus decorissimâ pompâ constituti, timebant fascinum, inuidos, & vrentes oculos formidabant: vnde contra inimicorum odia adhibito alexipharmaco se præmuniebant. Quid si secum deferre possent pharmacum, & amatorium veneficium, quo non solùm auerruncarent odia; sed etiam ab inimicis, amorem sibi tenerrimum conciliarent? Sed, quod illi peragere nequiuêre, id Triumphatori nostro suauissimè à Mariana carne concessum, qua non solùm ab auersis olim hominibus odia extirpauit; sed etiam dulcissimos amores sibi allexit. Expertus pharmacum Chrysostomus tomo 3. Orat. de B. Philog. qui, postquàm latè de die Natiuitatis Dominicæ, déque bonis abundè indidem nobis communicatis, sic concludit: *Propterea potissimùm amplector, diligóque diem hunc, & amorem eius in medium propono, vt vos huius amatorij pharmaci participes reddam.* Beneficus veneficus Triumphator noster bullam gestat carnem, vbi remedia congerit non solùm fugando odio; sed etiam figendo amori valentissima. Vnum subdo, sed valens testimonium pro hac re.

Triumphatoris bulla.

Macrob.

Christus natus, amoris pharmacum.

Chrysost.

431. Hilaris Ecclesia, & deliciis affluens, quasi congratulationes exigens à sodalibus, referebat: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. num. 3. Ac si adhuc repetitâ memoriâ palatum fructus dulcedo diuina titillaret. At si Sponsus totus lux est, & tenebræ eum non comprehenderunt; quid *vmbra* huc importatur, quasi obducto velo lumen obtectura? Pulchrè Guillelmus ibi: *Quis posset sustinere Solem iustitiæ nudum? Quis non consumeretur ardentibus radiis eius, de quo Isaias: Ardens furor, & grauis ad portandum? Assumpsit ergo Sol iustitiæ hominem mediatorem; & ita ex coniunctione Solis, & humani corporis, facta est vmbra.* Iam ergo nihil mirum, quod subdit Ecclesia n. 4. *Introduxit me in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem.* Incarnati enim Dei amor inebriet, necesse est: ideò addit Guillelmus: *Hoc vino nihil castius, calidius, sapidius.* Mirum ergo ibi videtur esse, quòd Hebræa versio, vbi nos legimus, *ordinauit in me charitatem*; habeat, *vexillum eius super me charitas.* Quia, sicut in loco victo, & expugnato Triumphator suum erigit vexillum victoriam inclamans: sic Christus natus, eiecto tyranno, debellato Tartareo Principe, in acquisita Ecclesia, inque eius affectibus superatis victoriæ sibi vexillum fixit gloriosum. Sed, vt dixi, videtur ibi esse mirum. nec est adeò: maius enim in re nostrâ mihi suboritur. Attende.

Id confirmatur.

Cant. 2.

Guillelm.

Christus natus se nobis attēperauit.

Hebr. text.

Amor inebrians, & debellans.

432. Illud ergo totum admirationis ordinem videtur exhaurire, quòd, detriumphata Ecclesia, quæ sub nouo domino mores mutat, voluptatibus renunciat, tota denique è vitiorum barathro, in virtutis studium crucifigitur; sic hilaris exultet, sic amet ardenter, vt subdat statim: *Fulcite me floribus: stipate me malis; quia amore langueo.* num. 5. Quid rarius? Ducebantur olim ante Triumphatoris currum constricti vinculis captiui, mœsto vultu, obortis lacrymis. Talis, licèt felicior, ducitur Ecclesia, omnes carnalis cordis delicias iugulatura. Pergat quidem constans, pergat serena, dabitur id illuminatæ menti. Sed cur exultans, cur ardentiùs amans, nec solùm robustiùs affecta, sed etiam teneriùs liquefacta? Potionatæ, nimirùm, amantis mores exprimit: quia diuinus triumphator, philtra non solùm amouendis odiis, sed magis admouendis amoribus deferebat, imò & ipse totus philtrum erat: ideò Symmachus ly, *amore langueo*, vertit, τετρωμένη γὰρ φίλτρῳ, id est, *philtro, siue amatorio pharmaco percussa sum.* Quæ vnquam sic valentia contra odium remedia triumphatores inuenêre?

Cur iustus triumphari à Deo gaudeat.

Cant. 4.

433. Venio ad tertiam triumphantum cæremoniam. Purpureo fuco, & minio pretioso solebant veteres Deorum suorum linire simulacra, vt augustiùs de pulchritudine adhibita colerentur. Hinc triumphatores, vt Deorum pulchritudinem imitarentur, eodem se fuco comere studebant.

Triumphator adhibito fuco pulchrescebat.

Plin. Tritum illud Plinij lib. 33. cap. 7. vbi dicitur: *Iouis ipſius ſimulacri faciem diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantiúmque corpora.* Ecquid igitur, inquis, an quia Verbum diuinum per incarnationem triumphat illicò, ideò etiam ad pulchritudinem fucatum audebimus aſſeuerare? Nunquid immenſa Dei pulchritudo aſſumpta carne potuit augeri? Reapſe quidem non potuit: at, quamuis idem in ſemetipſo perſeueret Deus; neſcio, quomodo oculis noſtris, imò & Angelicis de incarnatione pulchrior, tanquam fuco pulcherrimo videatur: cùm enim perfectiſſimis ſuis attributis pulchreſcat Deus; dum per Incarnationem ſapientia, charitas, & benignitas Saluatoris apparet: hæc pulchritudo, quæ denuò cernitur, quodammodo denuò creſcere iudicatur. Triumphat ergo à Maria Deus, per quam pulcherrimum virginei Sanguinis minium, & carnis fucū accepit venuſtiſſimum. Hoc oſtendo.

Chriſtus à Maria quodammodo pulchrior.

434. Naſcitur Chriſtus, & exultat Eccleſia: cæleſtem Curiam conuocat ad applauſus: *Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua.* Cant. 3. num. 11. Et benè tunc cæleſtes Spiritus, *filiæ Sion*, id eſt, ſpeculationis alumni appellantur, ne caſſo gloriarentur nomine; ſed titulo reſpondentes, Verbum à Maria carne, tanquam regio diademate cinctum contemplarentur. Sed hem! degunt Spiritus beati in ſapphirino throno, æternis adamantibus, Verbum ipſum in ſinu Patris ſpeculantes: & inde ad ſtipulas, ad ſtabulum, vt idem incarnatum in gremio Matris cernant, meritò euocentur? Quis vnquam ab amphitheatro, vbi regia ſpectacula, equeſtres ludi eduntur; ad puerorum choros arundinibus ludentium ſpectatores præſumpſerit ſeuocandos? Quis ſitibundis labris iam limpidi fontis cryſtallo viuo, & ſonoro perfruentibus, limoſi, algíſque obducti fluentis potu inuitauerit? Quis aquilam, volucrum Reginam, Solis ipſius immotis palpebris viſcera transfigentem, ad lychnuli tenuiores ſplendores appellitet examinandam? Quis leonem iam tauri ceruicibus inſtantem, ad imbellis agni prouocet certamen? Simile aliquid videtur, ſi Angelos nudum Verbum in gloriæ immenſitate contemplantes, ad eiuſdem ſub carne diſſimulati conſpectum prouocaueris. Sed fallitur, quiſquis ita putet. Pulchrè Gillib. Serm. 21. ad hunc locum: *Glorioſus planè in illo ſplendore gloriæ, & paternæ figura ſubſtantiæ; ſed ſuperaddito noſtræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto, dum ſublucet, plùs placet: nec illis tantùm, qui ſecùs ferre non poterant; ſed his etiam, quibus purè ſe ſplendor ille refundit.* Nihil tenerius de Triumphatoris noſtri fuco, & minio colorante dici potuit. Sed en aliud ſimilis ſuauitatis.

Cant. 3.

Virginea caro Deo, fucus pulchritudinis.

Gillibert.

435. Aſpexit aliquando Chriſtus Virginem Matrem, & maternitatis dotibus cumulatiſſimam prædicans, exclamauit: *Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra es.* Cant. 1. num. 15. Vix audit Maria, cùm alternans Chriſto ait: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Ibidem. Et vnde hoc, ô humillima Virgo, quòd nouo amicæ vnicæ, id eſt, Matris decoramento, ſic tibi pulchritudo accreſcat, vt etiam ipſum Filium Deum in admirationem, ſi fas eſt dicere, rapere videaris? Nullum mirum: ſed quòd æquo amœbæo reſpondeas, par pari referas, laudum liberans fidem: quaſi perinde à te pulchreſcat filius, vt à filio pulchreſcis ipſa: vtque ille tibi pulchritudinem auxit; ſic tu illi auxiſſe pulchritudinem commenderis. Quis non miretur? Reſpondet ibi Rupertus ex ore Deiparæ: *Dicis mihi: Ecce tu pulchra es. & ego dico tibi: Ecce tu pulcher es. ex quo ego pulchra facta ſum; ex eo tu, qui pulcher ſemper fuiſti, pulchrior factus es: nam verè in eo pulchritudinem tuam adauxiſti, quod, cùm Deus eſſes, homo dignatus es fieri.* Sed de hoc paſſim alibi.

De eodem adhuc.

Cant. 1.

Rupert.

Hucvſque ſuauiter, & decorè procedit Triumphator noſter Chriſtus à Maria. Vltima cæremonia iam oneroſa venit. Erat illa licentioſus quidam ritus obſeruatus, vt milites triumphatorem proſequētes dicteria funderent, ſcommata iactarent, quibus blanditiis mixtis acriter ducem pungerent, ad viuum lancinarent. Nemo neſcit, quam intùs in Gallico triumpho Cæſar pungeretur: legat, qui velit, Suetonium in eius Vita, cap. 49. ab illis verbis: *In Gallico triumpho milites eius, inter cætera carmina, qualia currum proſequentes ioculariter canunt, etiam vulgatiſſimum illud pronunciarunt*, &c. Agite ergo dum, milites Chriſtiani, præſepium Ducis noſtri, id eſt, laureatum eius currum proſequentes, eundem pio ſcommate feriamus: ne id veriſſimo triumpho deeſſe videatur. Et quoniam nullo dicterij genere grauiùs quis feritur, quàm dum eiſdem verbis pungitur, quibus olim ille alios pungebat, inde ſubſannatus, vnde ſubſannabat; hinc ſcommata noſtra mutuemur. 436.

Scommata in triumphatorē iacta.

Sueton.

Præuaricatur Adam, & his miſeriis infauſtus condemnatur, vt qui ſe Deum noſcere, ſe Numen cernere affectabat, veletur pudore ſuffuſus, ne ſe ipſum cernere cogeretur. Intendit interim Trinitas in hominem ad id vilitatis deiectum, vt nihil minùs quàm capax videretur, qui ſic tumidos ſpiritus paulò ante animaſſet: tunc ſubridens, & ſubſannans confuſum pungit adhuc, punctúmque vehementiùs confundit: *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum.* Geneſ. 3. num. 22. Verba quidem, imò verbera, quibus nulla alia diuina Iuſtitia in vindictæ fornace cudit ſæuiora. Audiuit diuinus Amor, & indoluit: etiam piam, contra diuinam vindicem, vindictam parat: cogit Deum, vt remedium deſtinet: & mille inter modos, mille curandi formas, illa eligitur, quæ ſtaret carior, dum charitati pronior; induit, vimirum, Deus hominem, Verbum incarnatur. Quorſum id? Vt dulci pungatur ſcommate, quo ſæuo pupugerat. Ricardus Victor. ibi apud Godefr. *Ceſſet iam vetus opprobrium: ecce enim audio vnam aliquam ex tribus in Trinitate Perſonis perſonare in voce exprobrationis: Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis. Meritò certè exprobraſtis: ſed nunquid ſemper exprobraturi eſtis? Certè, ſi ironicè dicitis, quia homo factus eſt quaſi vnus ex vobis; nos de cætero dicemus tam fidenter, quàm veraciter, quia Deus factus eſt quaſi vnus ex nobis. Dictum eſt illud in voce exprobrantis, & obloquentis: nos dicamus in voce exultationis, & confeſſionis. Quod igitur dictum eſt per ironiam de Adamo primo, iam dicere poſſumus ex ſententia de Adam ſecundo: Ecce Adam factus* 437.

Scommata pia Chriſtus audit.

Geneſ. 3.

Chriſtus factus eſt Adā ſciens bonum, & malum.

Ric. Vict.

eſt

est quasi vnus ex nobis, sciens bonum, & malum. Hui, Amor meus, dulcissime Iesu: ecce non solùm scis, & experiris bonum è cælo tuo; sed malum è terra nostra. Iaces in paleis, frigore riges, tremulus vagis, lacrymulas irrotas, triumphas patieris, & pateris scommata. Addo adhuc alterum.

438. Intuebatur triumphalis huius diei splendorem David, & exclamauit: *Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.* Ps. 117. num. 24. Nimirum, intuebatur triumphum; sed è longe: ideò adhuc ab Spiritu Sancto pungentia dulciter verba non edidicit: ideò scommate piissimo abstinuit: exultationem præcipit; sed exultationis suauissima supprimit dicteria. Atqui triumphantem iam cernimus paruulum nostrum, & currum eius prosequimur laureatum. Quomodo eisdem verbis scommaticè simus vsuri, discimus à D. Eucherio Lugdun. homil. 2. de Natiuit. *Benè*, inquit, *vobis, Fratres charissimi, & mecum fideliter retinetis, beatum Prophetam de præsenti solemnitate cecinisse: Hæc est dies, quam fecit Dominus. Ego autem dico: Hic est dies, in quo factus est Dominus: genuit posterior antiquum, occidens sempiternum: hic, inquam, est, in quo factus est Dominus seruus, vt persona serui transiret in Dominum.* En sub die factus, per quem factus est dies: en creatur Creator, en seruit Dominus, en æternitatis Conditor absconditur in occasu: en qui se tanti diei iactauerat authorem, authorem sui diem iam sortitur. Hinc exultans hunc diem hymnificat Ecclesia:


Psal. 117. — *Creator creatus per Mariam.* — *D. Eucher.*

Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne, quod in eis est,
Authorem aduentus tui
Laudans exultat Cantico.

Habes Ducem nostrum Triumphatorem à Maria. At, cuius esset incuriæ, tantæ administram gloriæ non præmuniisse, ne priùs vnquam à Dæmone triumpharetur?

§. III.

Cur in militarem annonam paretur Eucharistia.

439. VIDQVID in Eucharistia ex vi verborum habemus, à Maria nobis paratum, prædicant Doctores. Maria (vt infrà in Anthologia de Christo Altore fusissimè probabo) cælestis Panis horreum fœcundissimum fuit, clibanus purissimus. In hoc loco tantummodo causas aperio, cur Dux noster Saluator Eucharistiam militibus suis præbeat in annonam: quia inde probabiliter satis infertur, præmunitam ab eodem Mariam, nec vnquam Dæmoni subiectam, quæ victricem Eucharistiam militibus apparauit: quis enim decenter putet, noxiali pomo Mariam ab Inferno debellatam, quæ escam, qua vnicè à militibus Christi triumphatus debellatur Infernus, condidit, & condiuit? Nullam ergo eucharistico nutrimento aptiorem annonam, militibus suis præbere Christus potuit:

Eucharistia militaris annona à Maria.

hæc enim sic nutrit, vt armet: sic proprias vires roborat, vt pariter hostiles impetus eneruet. Egit de hoc ad rem suam variis in locis meus Mendoça, & Velasquez. Faxo tamen, vt in hoc epulo, ad rem Conceptionis, micis nostris contenti, alienas lautitíes non rapiamus: odi huiusce generis Harpyias.

Veniunt huc graphica, licèt obscura, verba Isaiæ, de conuersione Ecclesiæ: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia* cap. 9. num. 3. Quàm enim longa diuersitas inter messores agricolas, & triumphantes milites, vt vtrorunque lætitia in idem conferatur: nisi quandoque iidem, qui messores, milites pariter reapse haberentur? Ideò Interlinearis ibi: *Apostoli Christi, messores gentium, quia ad fidem colligunt: victores, quia carnem, & Diabolum vicerunt.* Puto tamen, nec immeritò, vtrunque ad fideles omnes deduci posse, qui eo ipso, quòd lætentur in Eucharistia cælestis frumenti messe; sibi etiam de victoria gratulantur: quia ab ista messe, & panem, & gladium simul reportarunt. Fauet mihi idem Propheta, dum subiungit statim n. 4. *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius, superasti, sicut in die Madian, &c. paruulus enim natus est nobis, &c.* Mirum enim, victorias nascentis Christi, expressiùs Gedeoni Madianitas superanti solummodo comparatas, quàm quibuslibet aliis ducibus afferri: nisi quòd priùs dixerat, vellet explicatum. Recurre, quæso, ad cap. Iudic. 7. n. 13. ibi videbis subcineritium panem in castra Madian descendere, percutere tabernaculũ, subuertere, & terræ funditùs coæquasse: qui tamen panis statim dicitur *gladius Gedeonis:* quem locum ad Eucharistiam bellatricem iam alij detulêre. Benè ergo victoriæ eucharisticæ in messe hilari, & hostili deprædatione celebrantur: quia illarum typus Gedeon tũc armatur gladius, cùm panis conuoluitur. Et proinde meritò D. Eligius Nouiomensis hom. 8. de hoc Sacramento locutus: *Sicut in primo populo vnicuique piorum manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat: sic in ore vniuscuiusque Christiani Sacramentum illud, quo subiugatus est mundus.* Quasi vniuersæ Christi victoriæ, de subiugato mundo comparatæ, vni sacræ Eucharistiæ debeantur.

440. — *Isaiæ 9.* — *Hinc fideles militant metentes, metũt militantes.* — *Interlin.* — *Isaiæ 9.* — *Iudic. 7.* — *D. Elig.*

Nescio, quo gustu feror, vt putem, ad eucharisticam messem allusisse iterum Prophetam cap. 2. num. 4. vbi de ipso Christo sic scribit: *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: & non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Grandis pax promittitur, fateor: sed quid, si fortè aliquis rebellet? Quid, si, cùm sit militiæ vita hominis super terram, insurgat hostis, & oppugnet, omnisne gladij propugnatio amolienda? Imò, cur vltrà non exercebuntur ad prælium, si, vt dixi ex Iobo, tota vita militiæ mancipatur? Nimirum, non erit prælium sicut anteà, quia non gladiis, & lanceis; sed vomere, & falce decertandum: ideò non abolentur arma, sed mutantur. Benè ibi D. Hieron. *Spiritualiter*, inquit, *intelligi potest, quando omnis duritia cordis nostri, Christi vomere frangitur, & eradicantur spinæ vitiorum, vt sementis sermonis Dei crescat in fruges.* Addo, disponi cordis nostri duritiam, non solùm vt Dei sermonem,

441. — *Isaiæ 2.* — *Messis eucharistica bellica, & pacifica.* — *D. Hieron.*

sermonem; sed, vt Deum sermonem, Christum, scilicet, (qui frumentum est è cælo cadens,) recipiat: quo deinde in nobis permanente, omnès affectuum spinæ, omnes tentationum tribuli eneruès suffocantur: vt iam gladiis, & lanceis non indigeamus vltrà ad prælium: quia ipso cibo securiùs obarmamur. Itaque priora arma mutamus in frumentaria instrumenta vitiis eradicandis: deinde facta felici eucharistica messe, iam non fit prælium, quia adest securitas armata.

442. Fugiebat Dauid impetum Saülis, & fame penè confectus Achimelech Sacerdotis domum intrat; orat cibum, & exorat illum, sed sanctificatum: *Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem.* 1. Reg. 21. n. 6. Condignum munus è manu Sacerdotis, vt iusta afflicti iuuenis postulatio. Mirum tamen, quod subdit: *Si habes hîc ad manum hastam, aut gladium, quia gladium, & arma mea non tuli mecum.* num. 8. A pacifico Sacerdote arma petuntur; &, quod magis est, habenda in promptu supponuntur: ecquid aliud ab armato Imperatore supponeretur exhibendum? Scilicet, repræsentabatur iam tunc typicè, quod reapse in sacro epulo nunc habetur. Mystico pane nutriti armamur, armati nutrimur: quia simul cum illo, arma perdendis hostibus comparamus. Lyranus ibi: *Per hoc, quòd Dauid in arcto positus venit ad Achimelech, significat, quòd quilibet Christianus in arcto positus, per preces deuotas recurrere debet ad Dominum Iesum Christum. Per hoc autem, quòd panem petiit, significat, quòd Christianus debet à Christo petere panem verbi diuini, & Eucharistiæ,* &c. *Per hoc autem, quòd Achimelech dedit Dauid gladium, significat, quòd Christus armat suos fideles, contra Dæmonum insultus.* Armat certè; sed maximè postquàm militari annona eos refecit: quasi nesciat armatura Christi à mystica refectione separari. Nec possint Eucharistiâ refectum militem, Dæmones armatum pariter non timere: ideò querelæ illæ Saülis ad Sacerdotem, ibidem, cap. 22. num. 13. *Quare coniurasti aduersùm me, tu, & filius Isai; & dedisti ei panes, & gladium?* Priùs datos panes queritur: quia inde robur mouendis contra se armis sentiebat.

1. Reg. 21.

Hinc nutrimur, & armamur.

Lyran.

1. Reg. 22.

443. Hac ille doctus experientia, summum ad ignauiam supplicium non tam precans, quàm prophetans peccatori, negatam Eucharistiam minabatur. Occidit Ioab per scelus plusquàm teterrimum, fortissimum Abner, cùm inter amica verba, inimicum occultat gladium; & mortis iaculum, vitalis amicitiæ velamine obducit. Quo audito exclamat Dauid: *Mundus ego sum, & regnum meum apud Dominum, vsque in sempiternum, à sanguine Abner: & veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab, tenens fusum, & cadens gladio.* 2. Reg. 3. num. 28. Quàm dura in peccatores maledictio! Per summam contumeliam obiiciebatur Herculi, quòd addictus turpissimis mulierculæ amoribus sic eneruaretur, vt colo, fusóque tractando addiceretur. Aptè Seneca in Hippolyto.

Vir mollis, fuso, & colo dignus.

2. Reg. 3.

Senec.

Natus Alcmenâ posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis:
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu clauam modò qua gerebat,
Fila deduxit, properante fuso.

En euiratus Hercules, & in mollem fœmellam efformatus. Huic ergo tam turpi maledicto robustissimam aliàs familiam destinat Propheta. Ideò Hugo Card. ibi: *Tenens fusum, est effæminatus.* Vt ignauescat mollis, colum pro lorica, fusum gerat pro gladio: & quem telæ, non tela decent, lanea vellera, pro aciebus hostilibus pertractet, cuiuis inimico gladio facilè succumbens. Quæris, vnde tam destituta præsidij conditio? Pane indiget, id est, eucharistico robore spoliatur. Ipse se aperit Dauid: *Nec deficiat de domo Ioab, tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.* num. 29. ibidem: vbi Glossa interlin. *Indigens,* inquit, *pane, qui de cælo descendit.* Quia huius cælestis cibi defectus, robustissimos aliàs milites eneruat.

Hug. Card.

Sine Eucharistia fuso, & colo dânatur fidelis miles.

Gloss. interl.

444. Peccat Israël, & irascitur Deus iam iam vltimum supplicium emissurus: quid tunc machinatur? *Ecce,* inquit Isaïas, *dominator Dominus exercituum auferet ab Ierusalem, & Iuda validum, & fortem: omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem.* cap. 3. num. 1. Benè tam gloriosis, tam pugnacibus titulis tunc insignitur Deus, quando mysticè populum suum dicitur eneruaturus. Sed pende interim, dum tot fortes dicuntur superandi, solius mensæ, non armorum, non arcuum, non murorum assignari vastationem. Quia, nimirum, in illa (vt ipsa verba præseferunt) vniuersum exercitus robur consistebat. Quidni, si erat panis iste viuens, & è cælo descendens, cuius defectus necessariò afficit fragilitate? Vbi robur huius panis deficit, robur armorum cadat, necesse est. D. Hieron. ibi: *Fortitudo,* inquit, *panis auferetur ab eis; ille, qui dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi,* &c. *Habent ergo Iudæi panem, sed absque fortitudine: habent aquas, sed absque robore: legunt enim Scripturas, sed non intelligunt: tenent membranas; & Christum, qui in membranis est, perdiderunt.* Ac si pauor, & metus, qui hodie miseros homines comitatur, ex pane viuo derelicto, & in Eucharistiâ non gustato oriatur. *Lacte enim,* addit Hieron. *aluntur, quasi paruuli, & non solido cibo: & quia fortitudinem perdiderunt, & infirmi sunt, olera Rom. 14. n. 2. manducent.* Perseuerent igitur damno suo, & Pascha sacrilegum oleribus celebrent, & amaris lactucis ægrotantes. Pascha nostrum immolatus est Christus, & sub robusto panis alimento, & forti soliditate celebratur: quia benè valentibus, & militaturis, fortis præstetur cibus, necesse est; cauéatque Christianus, ne sacrum euitet epulum euitandus.

Isaïæ 3.

Et penitùs eneruatur.

D. Hieron.

445. Sed nota obiter, pro eo, quòd nos legimus, *fortem virum, & bellatorem;* legisse Septuaginta, *gigantem, & fortem:* quasi iustus, dum ab Eucharistiæ robore non arcetur, meritò gigas appelletur; quandoquidem illum ipsum gigantem cælestem, & ad currendam viam exultabundum, integrum potest, & solet deuorare. Aliter ibi D. Hieronymus: nam *gigantem* istum à gente peccatrice auferendum de ipso Christo explicat: *Pro forti,* inquit, *quod solum est in Hebræo, Septuaginta transtulerunt, gigantem,*

Septuag.

Eucharistico epulo gigantes fiunt.

D. Hieron.

gigantem, & fortem: gigantem autem in bonam partem, hoc est, de Domino Saluatore: in 18. Psalmo legimus: Exultauit, vt gigas, ad currendam viam. Quasi in eodem loco Christus, & gigas,& panis pariter appelletur. Vnde forsasse videar minùs paradoxicus,si illustrem ex libro Numer. locum huc adducam. Lamentabantur ignauescentes illi terræ exploratores, timidorum fidelium infausti typi, quòd absque dubio irent perituri:
Numer. 13. *Ibi vidimus*, inquiunt, *monstra quædam filiorum Enac, de genere gigantæo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Num. 13. num. 34. Horum pauorem, fœmineus acierum sequitur eiulatus: quos contra, fortes stantes Iosue, & Caleb: *Nolite*, clamant, *rebelles esse contra Dominum;*
Ibid. 44. *neque timeatis populum terræ huius: quia, sicut panem, ita eos possumus deuorare.* cap. 14. num. 9. Et cur non sicut aqua dicuntur absorbendi, quæ faciliùs hausta, videbatur ad exemplum accommodatior? Quærebatur,credo, in exemplo, non tam ratio similitudinis, quàm causa corroborationis: ac si dicant animosiores isti fideles: Si ad nostram salutem, & robur,gigantem illum cælestem in pane mystico deuoramus, cur terrenos libidinis, aut Tartareos Inferni gigantes, ad eorum perditionem non possimus deuorare? Ille sumitur roboraturus, isti consumendi absu-
D. August. mentur. D. August. apud Gloss. pro illo, *sicut panem*; legit ex Græco, *cibus nobis sunt*: quod deinde sic explicat: *Cibus nobis sunt, hoc est, consumemus eos.* Certè virtus cordis, sumendi diuini gigantis capax, sic inde roboratur, vt giganti Tartareo sufficiat consumendo; id est, cuiuis libidinoso, & terreno affectui expugnando.

446. Sæuas has Isaiæ minas, eodem spiritu; sed emphaticoteris verbis celebrauit Dauid. Loquitur mysticè (litteram nunc prætereo) de Deo homines puniente: *Vocauit*, inquit, *famem su-*
Psal. 114. *per terram, & omne firmamentum panis contriuit.* Ps. 114. num. 16. Vocauit Dominus famem, an potiùs immisit? Et vnde pallida ista larua, fames macilenta, spectrum gracile, inanime simulacrum aures adhibuerit? Audi ibi Augustinum; *Quid est, vocauit famem? An fortè ista mala, quæ patiuntur homines, habent*

Damon Sacramentarius tædium ingerit Eucharistiæ.

D. August. *quosdam præpositos suos Angelos malos? nam & in alio Psalmo dicit, immissione per Angelos malos; Deum homines afflixisse; non vtique errante iudicio: & hoc est fortè, vocauit famem, id est, Angelum præpositum famis: & eius rei nomine, cuius est præpositus, appellatur. Ex qua opinione*
Dea Febris, Deus Pallor. *Romani veteres Deos quosdam tales consecrarunt, sicut Deam Febrim, Deúmque Pallorem:* Quod si mysterio applices, intelliges, nullum dirius supplicium à Deo contra homines fulminari, quàm si permittat Dæmoni alicui Sacramentario,(vt eum suorum Hæreticorum nomine compellem,)vt ingesto fastidio, ab eucharistico pane illos arceat: vnde fames, id est, inopia, & non vsus illius inolescat: hoc enim ablato pane, omne firmamentum conteritur,virtus omnis expugnando hosti eneruatur.

447. Longè aliter, sed maximè ad rem nostram Moyses, qui diuina beneficia fideli populo, in
Eucharistia euertit hostes. deserto concessa, enarraturus: *Panem*, inquit, *non comedistis: vinum, & siceram non bibistis: vt sciretis, quia ego sum Dominus Deus vester, & venistis ad hunc locum. Egressúsque est Sehon*

Rex Hesebon, & Og Rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam, & percussimus eos. Deut. 29. num. 6. At quorsum, inquis, subscripturus statim victorias comparatas, naturales cibos describit denegatos? Vt interim manna cælesti se pastos meminissent, quod loco alimenti deseruiebat; sícque innueret, vincendis hostibus robur addidisse. Sed quid inde? Lyranus ibi: *Nam in deserto filij Israel manna nutriti fuerunt loco panis, quod fuit figura Sacramenti Eucharistiæ, quo religiosi, & fideles spiritualiter nutriuntur. Vinum non bibistis: per sobrietatem enim in vita temporali, & deuotum vsum Eucharistiæ in vita spirituali, habetur prælibatio futuræ beatitudinis.* Hinc ergo benè oritur victoria nostra, benè hostium percussio inuisibilium. Deut. 29. Lyran.

Potest tamen hic locus, licèt magis abstrusè, subtiliorem sortiri explicationem, quasi dicat Moyses: Inde pia Dei misericordia, & potentia magna agnoscitur; quòd cùm egregias victorias, etiam temporales, ab Eucharistia dispostuerit dependentes; (vnde ab Eucharistiæ cultu Hispaniam semper nostram auguror victricem:) vos tamen sine pane, vinóque eucharistico fecerit victores. Quòd si languentes adhuc, dulcibúsque,& puerilibus bellariis assueti, (tantùm quòd è cælo pluerent) fortes euaserunt: quid nobis erit,qui solido cibo,& ipso Deo pane enutrimur? Pulchrè D. Zeno Veron. Serm. 6. in Exod. *Vulnera*, inquit, *detestabilis mentis curanda, lacte cum melle prouidendo curauit: nam infirmis, ac languidis manna teneritudinem irrorauit: non erant idonei, aut digni, qui cælestis panis perpetua soliditate fruerentur.* Nimirum, cælestis iste panis annona est militaris: valentes requirit, quos deinde iam reddat robustissimos. 448.

Hispania ab Eucharistiæ cultu victrix.

D. Zeno.

Commemorabat Ecclesiæ allata bona per Christum, Vates sceptriger, dicens: *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Ps. 144. num. 3. Nascitur Christus, & pax Orbi ab Angelis decantatur: moritur, & diuino Sanguine perpetuum confœderatæ pacis firmatur testamentum. Hæc pax insignis in loco isto celebratur:& tamen subditur statim adeps panis irrogatus: tanquàm maius aliquod beneficium, & firmius prædictæ pacis stabilimentum irrogetur. Credo, quia Eucharistia in hoc loco, concessa prædicatur; vnde hostes à finibus nostris pacificis arcemus. Certè de mystico hoc pane locum capit ibi Incognitus: *Agit, inquit, de beneficio recreationis, quod est Sacramentum Eucharistiæ. Vbi notandum, quòd Christus statim natus pacem attulit mundo: unde & Angeli statim laudantes Deum, pacem mundo datam annunciauerunt*, &c. *Hanc etiam pacem moriens confirmauit, dicens Apostolis: Pacem meam do vobis*, &c. *Et iste talis, scilicet, Christus adipe frumenti satiat nos: quia in figura panis frumenti, corpus suum nobis tradit, in quo plena satietas continetur, & refectio spiritualis.* 449.

Idem firmatur. Psal. 144.

Incognit.

Pulchrè verò Eucharistia, non tam frumentum solùm, quàm & *adeps frumenti* appellatur: vt dum pollinis flore, & tritici medulla, iustos videmus enutritos; cæteris paleas rantummodo, aut furfures ad summum relictos cognoscamus:&,quod inde sequitur, eò illi vincendis hostibus sint robustiores, quò cibo robustiori saginantur. Fauet Hugo Victor. ibi apud Incogni- 450.

Et iterum: & contra Hæreticos latè.

Hug. Vict.

tum citatum: *Filij*, inquit, *Ierusalem paleas non manducant, quæ sunt pabula iumentorum: sed frumenti adipe saturantur: omnes enim, qui internam dulcedinem gustare cœperint, quidquid extrinsecus transitoriè delectat, despiciunt; & ad illum cibum, quo mens illuminatur ad cognitionem, reficitur ad decorem, tota auiditate festinant.* Loquitur, vt aduertit Incognitus, de saturitate per Sacramenti sumptionem. Ecquid igitur roboris à palearum nutrimento miselli comparabunt? Equidem in palearum fragilitatem declinent, necesse est. Quid iam hæretica arma timeat Hispania, dum Hæretici paleas comedunt: & panem cæli equis suis obiiciunt sacrilegè? Expiabitur illorum sanguine, nefas Tirlimonis expugnati. Sic Thenas voco, vocabulo notiori.

451. *Adhuc plura.* *Psal. 101.* Capit hinc nouum splendorem locus, si fortè aliunde tritus, in hac materia. Querebatur homo lamentans: *Percussus sum, vt fœnum, & aruit cor meum.* Ps. 101. num. 5. quia fœni, & leuis paleæ instar, aut tundebatur ictu, aut vento iactabatur, aut tandem vehementi æstu comminuebatur. Ecquæ causa? Ipse illam subdit: *Quia oblitus sum comedere panem meum.* Obliuiscebatur panem comedere? Et cur ita? Quia paleis inhiabat. Non curabat adipem frumenti: quia fœno pascebatur. Quid ergo mirum, si toto solidioris cibi robore amisso, nutritus fœno, fragilis euadat, à quouis hostili incursu percutiendus? *Prosp. Aq.* D. Prosper Aquitan. ibi: *Acceperat*, inquit, *primus homo panem verbi in lege mandati: sed vetitum cibum sumens, panis illius, de quo viuebat, oblitus est: & ob hoc, sicut percussum fœnum, cor eius exaruit. Modò ergo reuiuiscat, & edat panem, quem fuerat oblitus, qui iam in Corpore est dicens: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* In vetito ergo ligno paleas degustauit, dum honorem suum non intelligens, iumentis insipientibus comparatur: indéque redditur aridus, & eneruis, solummodo per eucharisticum panem roborandus. Neque sine mysterio, *cor* aridum præcipuè describitur: vt enim à corde vires, dum viret; sic ab arescente corde debilitas facilè expugnabilis nascatur, necesse est. Et quidem ideò Eucharistia, (vt alibi latiùs dicam) panis est cordis: quia, vt vires manant à corde; sic cor ipsum ab hoc pane roboratur. Ideò Algerus de Sacr. lib. 1. cap. 3. ad illa verba Ioan. 6. *Cibus est cordis.* *Vt si quis manducauerit, non moriatur*, sic scribit: *Alger.* *Quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris: qui manducat corde, non premit dente.* Vt enim incassum, duros, & solidos cibos edentulis lactentium gingiuis apponas: sic mysticum epulum inutiliter, & ventre, & dente putes absumendum: ad cor hunc panem deducas, necesse est: à corde sanè deuoratur hoc epulum, à quo cor ipsum penitùs roboratur. Discant rem Hæretici, quos dixi.

452. *De eodem cordis cibo.* Habet adhuc Dauid locum alium in hanc rem, quo penè omnia, quæ dixi, grato quodam epilogo colliguntur. Loquitur de diuina misericordia, piissimos sinus suos omnibus mortalibus, bonorum profluuio, laxante: *Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum: vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominum: vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* *Psal. 103.* Ps. 103. à num. 14. Rigat quidem à superioribus suis, & pluit æterna pietas super iustos, & iniustos: ecquo discrimine? Malos, iumentorum instar viuentes, fœno, id est, temporalibus, caducisque bonis donat: iustis verò, &, vt par est, rationi humanæ respondentibus, virentia, quantùm sat est, temporis bona: deinde, quod summum est, mystica esculenta, & poculenta largissimè concedit. Sed pende magis ad rem meam, quonam tendat hic panis, cui apponatur: & militarem nosces annonam, vinum robustans: quo cordi, non ventri; animo, non stomacho robur communicatur. D. Prosper Aquitan. ibi: *Prosp. Aq.* *Manifestauit*, inquit, *de quo pane loqueretur: panis enim visibilis ventrem satiat, stomachúmque confirmat: iste autem cibus cordis est, & animæ fortitudo: de quo ipse Dominus dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Meritò itaque cor affectat hic panis, vbi roboris sui producit effectus: vnde eleganter de illo Abbas Cellensis *Abb. Cell.* lib. de Pan. cap. 2. *Ventrémne times onerare? Imò abundanter accipe, si ventrem, & mentem vis releuare: onera nanque tollit, non imponit: non in ventre tumor, non in venis excrescit superfluus humor: cor petit, & sanat: cor implet, & mundat: cor lustrat, & illustrat: cibus iste vitam sine molestia parat, leuamen sine grauamine, immortalitatem sine corruptione.* At Hæretici, equorum more nutriti, vnde vecordes? Cordis panem equis præbent. Vindica, Numen.

§. IV.

Aliunde, nata militaturis Eucharistia, declaratur.

453. *Ab hâc mensâ itur ad pugnam.* DESÆVIT in Baltazarem diuinus furor; Medúmque, & Elamitam Principes parat in vindictam; sed verbis exquisitis: *Pone mensam: contemplare in specula comedentes, & bibentes. Surgite, Principes, arripite clypeum.* *Isaiæ 21.* Isaï. 21. num. 5. Vox est Dei monentis architriclinum, vt paret mensam, vindices vocet: suauiúsque locus intelligetur, si in ly, *speculâ*, claudatur periodus. Sic ferè Hieronymus locum paraphrazans: *D. Hier.* *O Medi, & Elamitæ, quibus suprà dixi: Ascende, Elam: obside, Mede: sumite cibum, futuro vos prælio præparate: ne postquàm dimicationis tempus aduenerit, lassitudo vos retrahat: cúmque comederitis, & biberitis, surgite, arma arripite, Babylonem debellate.* Erat, nimirum, Baltazar typus Dæmonis à fidelibus Christi ministris, cum Babylone sua expugnandus: hi autem solummodo eucharistico epulo accepto, ad arma fidei arripienda, Tartaro expugnando possunt animari. Ideò ibi Glossa *Gloss. Ord.* Ordin. *Surgite, postquàm comederitis, & biberitis, arma arripite, Babylonem debellate. Comedite, & bibite credentes Sanguinem, & Corpus Domini: vt Principes Ecclesiæ sitis: vt clypeum fidei, & armaturam Pauli arripiatis, in quo ignea tela Diaboli extinguatis.* Sic itur de mensa ad pugnam, de conuiuio ad certamen.

Posita

454. Positâ tamen illâ interpunctione, quam habent Hieron. & Glossa, & expressè cum aliis habet Hugo Card. pendamus adhuc priora illa verba: *Pone mensam, contemplare in speculâ.* quæ possunt esse verba militi, siue Duci iam facturo excubias intimata. Scio quidem, præstantiores Duces, milites strenuiores, saltem excubiis faciendis, instante periculo solitos deputari: neque enim id temporis hæ partes ignauescenti cuiuis committi debent. Sed, quid mensæ, cum excubiis militaribus? Fercula quidem somnum, somnium sollicitant pocula: quibus nihil militari vigiliæ toti fundendæ in oculos, pestilentius. Eleganter Cornel. Tacitus Annal. 3. de Germanis superatis: *Ventum, inquit, ad vicos Marsorum, & circundata stationes: stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non antè positis vigiliis.* Neque enim vbi cura mensarum erat, vigiliarum ratio esse poterat. Scitè Poëta de fortissimis adolescentibus Niso, & Euryalo Æn. 9.

Et ad excubias vigil præstantiores.

Tacit.

Virgil.

Egressi superant fossas, noctisque per vmbram
Castra inimica petunt; multis tamen antè futuri
Exitio: passim vino, somnóque per herbam
Corpora fusa vident.

Quid ergo? Incuriámne, & somnum vigilibus suis, positâ mensâ sollicitauit Dux noster Christus? Absit. Habet hoc priuatum diuina nostra militaris annona, vt lynceos reddat oculos excubitoribus: tunc specularum ascensui aptiores, cùm è mensæ discubitu processerunt. Interlinearis ibi: *Mensa, inquit, Domini, cuius cibo saturatus, quæ ventura sunt mundo, contemplatur acutius.* Contemplatur mundi miserias, vt inde cautus hostiles quasuis insidias propulset.

Interlin.

455. Ex quo clarebit, cur mensa illa, vbi panes propositionis, (clarissima Eucharistiæ figura,) non intra velum, & in Sancto Sanctorum, quod fortasse alicui congruentius videretur; sed extra poni iubeatur: *Pones propitiatorium super arcam testimonij, in Sancto Sanctorum: mensámque extra velum: & contra mensam candelabrum.* Exod. 26. n. 34. Quia, nimirum, licèt Eucharistia sit sanctitatis apex; nos tamen adhuc in serena Sancti Sanctorum quiete, in quieta pacis non degimus serenitate. Nimirum, extra velum, excubias vigilantes agimus, & quibus in hostes fæuimus, paramus arma. Ibi ergo sit mensa, vbi robur excubiis necessarium. Et benè ibidem respondens mensæ candelabrum constituitur: quia cum hac mensa lux pariter discernendo acutiùs sociatur. Abbas Cel. de Pan. cap. 1. *Famelicis quidem extra velum esurientibus, mensam, & panes in mensa (de qua conscendens ascendit in cælum) misericors, & miserator Dominus reliquit, & dedit escam timentibus se. Sanguinis partem nihilominus ad bibendum, in crateris sacramentalibus, amicis, & imitatoribus suis reposuit. Partem iterum, non pretium* (lego, in pretium) *nostræ liberationis, tam Patri, quàm creditori hosti, piè & iustè soluit. Corpori suo, quod est Ecclesia, extra velum excubias agenti, donec Lucifer oriatur, parauit mensam, ne deficiat in via; candelabrum, ne exorbitet à via.* Dixit, *partem*: non quòd totus Sanguis non funderetur in pretium; sicut & totus libatur in Sacramento: sed vt diuersa eius munia significaret. Itaque, dum in hac vitâ, & viâ peregrinamur; necessariò contra hostiles insidias excubiæ sunt habendæ: neque aliunde melius, quàm eucharisticâ mensâ roborantur, quam semper lux diuina comitatur.

Quia lux inde vigili clarissima.

Exod. 26.

Abb. Cell.

Gloriosos effectus, quibus sanctitas hominem fouet, prædicaturus Ecclesiasticus, sic scribit: *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, &c. & firmabitur in illo, & non flectetur.* cap. 15. n. 3. Quia, vt crassi terrenæ escæ vapores, obscurandæ rationi caput impetunt: sic è contra panis eucharisticus, lucidas è se scintillas videtur iaculari, vt hostiles insidias præsentiat. Ideò benè additur: *Et firmabitur in illo.* Siue, quòd iustus in illo pane firmatur, ne cadat: siue id ad sanctitatem ibi firmatam deferas; quia aliud fulcimentum aptius nescit apponere, ne cedat hosti. Vtcunque sit, hic panis illustrat intellectum, vt tanquàm ab speculâ insidiis præuisis, facillimè iam hostis propulsetur. Interlinearis ibi: *Pane intellectus, id est, Corpore Christi, firmabitur; id est, non cedet persecutioni.* Quàm præclara annona militibus paratur, qua pariter excubiarum ars, militaris roboris pars maxima, sine vlla difficultate comparatur! 456.

Eccli. 15.

Panis est, non ventris, sed intellectus.

Interlin.

Et quidem cùm expugnandis hostibus inuisibilibus omninò sit necessarium, ad Regem nostrum immortalem, & inuisibilem aspicere; æternósque illos montes, vnde veniat nobis auxilium, intueri: necessarium videbatur, vt milites visibiles, in obiecto visibili, Numini inuisibili contemplando assuescerent: Imò, vt inuisibiles hostes, visibili creaturarum instrumento bellum mouent: sic nobis sub visibili Sacramento inuisibile propugnaculum delitescat. Quæ ergo potuit aptior eligi annona, quàm quæ, etiam hac ratione, milites suos nouit confortare? Hoc ergo erat, vt suprà dicebam, cur hæc mensa visibilis extra velum poneretur: vt nemo Sancti Sanctorum secreta, & arcana Diuinitatis præsumeret intueri, qui priùs ab hac mensa non illuminaretur: nemo auderet pia violentia cælum pulsans, inde contra hostes auxilium præripere, qui priùs ab hac mensa vires non perciperet. Idem Abbas Cellensis ibidem: *Stationem, inquit, medij veli non præripit, qui vigorem spiritus infrà ex Dominicis alimentis non percipit: non habet quoque idoneum palatum, ad percipienda diuina, & secretiora Trinitatis arcana, qui non anteà prælibauerit visibilia nostræ fidei Sacramenta.* Pende mihi ly, *stationem*, quæ propriè militiam sonat: quasi mente, & affectu ab hac mensa corroboratis, priùs Deus diripiatur piè, & spolietur deuotè: & deinde Tartareæ insidiæ pellantur, atque inferna castra debellentur. Eucharistiâ itaque pastus, à Deo deinde lucem præripis, qua tandem hostiles tibi obiectas tenebras discutias. 457.

Et cur ita.

Abb. Cell.

Neque mirum: est enim frequens belli stratagema, curare, vt prærepto situ, ventus puluere, Sol radiis aduersos hostium oculos præstringat: ne aut explorantes è castris, aut in agmine incedentes, aut in prælio decertantes, officium congruè valeant exercere. In vtraque Pagina exempla passim obuia. Id ergo in bello nostro eueniens, & Eucharistiâ propulsatum videamus. Obiicit se resurgens iam Christus Discipulis euntibus in Emmaüs; eâdem quidem formâ, quâ anteà, licèt speciosiori: quod enim scribit Marcus cap. 16. num. 12. *Ostensus est in alia* 458.

Amouet cæcitatem militaturis.

Marc. 16.

alia effigie. non tam de mutato Domino, quàm de discipulorum oculis delusis, & aliam effigiem sibi visis intueri capiendum est: id enim expressit Luc. 24. Lucas dicens: *Oculi eorum tenebantur, ne illum agnoscerent.* cap. 24. num. 16. Sicque vtrunque August. pulchre conciliat August. tomo 4. lib. 3. de Conc. Euangel. Sed a quo, inquis, quodammodo innexis vinculis, obducto puluere, oculi misselli tenebantur, ne tam felici obiecto fruerentur? Certè ab hoste inferno; qui, sicut olim 4. Reg. 6. Eliseus 4. Reg. 6. hostes populi sui, cæcitate magis, quàm quouis alio damno voluit percussos: sic infensos sibi discipulos percusserat cæcitate: nec tamen hanc cæcitatem tollit Christus, donec in eucharistico epulo hostiles hæ præstigiæ inanescant. Locus aliunde tritus venit ad rem belli, in qua sumus, illibatus; idque bellissimis verbis August. ibi: *Non autem incongruè accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio, vsque ad Sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participatâ, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.* Itaque agnoscitur Christus Luc. 24. num. 21. *in fractione panis:* quia sacra hæc annona, panis est intellectus: oculos illuminat præstantissimum pellendis hostium tenebricosis præstigiis amuletum.

459. *Armãs illuminat.* Habemus huius annonæ armantis simul, & illuminantis contra hostes, egregium in illius institutione testimonium. Ascenditur in cœnaculum; id est, vt docti norunt ex prisco vsu, in partem domus altiorem: reficiuntur Apostoli Eucharistia: & occasione Christus accepta, incipit Sermonem, quo deinde interrupto, iterum sic subiungit: *Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite, eamus hinc.* Ioan. 14. Ioan. 14. n. 31. Ast quò eundum? Certè ad decertandum cum Inferno, ad congrediendum cum Dæmone, & quod, si fas est dicere, peius erat, cum Pharisæis: quasi solâ eucharisticâ annonâ satis milites suos obarmaret, ne ingruẽtis tentationis põderi succumberent. Itur belle ad bellum, quia Abb. Cell. venitur è mensa. Huc adduco Abbatem Cellens. de Pan. cap. 1. *Mensa huius cœnæ, in qua Deus cum hominibus visibiliter innouat, imò continuat vmbram luci, figuram veritati, nouum Testamentum veteri, paratur in cœnaculo grandi, Apostolorum ministerio, vt pascat Dominus Pascha* (vulgò, pascua perperam habetur) *figurali in cœnaculo, patiatur agnus sine macula in patibulo: vt eius vnitione, qui in cœnaculũ ascenderit prælationis, non recuset post Iesum subire discrimen passionis: vt in cœnaculo confortatus cibis vitalibus, non concutiatur pro formidine, & tribulationum ponderibus.* Vt etiam videatur Cellensis voluisse, Christum Dominum semetipso eucharisticè sumpto, quodammodo confortatum, è cœnaculo in patibulum deuenisse. En robur. Audi nunc lucem.

460. *Idẽ firmatur.* In cœnaculo, in loco edito, tanquàm in speculâ constitutis Discipulis, paratur Eucharistia: nec ibi agnus verus emittitur, quin anteà, vt nosti, typicus agnus emittatur: sed, cur emittendæ veritati præmittitur figura? Vt iuxta vmbram lux clarior appareat, vt lux vmbram expellere cernatur: vt à tanta luce omnes scientias immissas, omnes hostiles tenebras fugatas intelligamus. Bene idem Abbas Cellensis ibidem de Abb. Cell. lucifluo nostro Agno: *In hoc conuiuio sanguinem, carnem, pellem, adipem, intestina, caput cum pedibus ponit: vt redemptio in sanguine, refectio in carne, vestis in pelle, vnctio in adipe, scientia occultorum mysteriorum in intestinis, stola prima in capute, consummatio beata in pedibus prabeatur.* Quasi semper eucharisticum robur ab hoc epulo, cum secretorum notitia, & lucis participatione coniungatur; quod suprà dixerat de hoc pane idem Cellens. *Cor lustrat, & illustrat.*

Deinde verò illa vnctio adipis cum intestinorum scientiâ coniuncta, ansam præbet, vt pu- 461.
tem, Athletarum panem dici Eucharistiam: in *Athleticus cibus.* illo enim robustissimo agonis genere, & confouendis membris, & antagonistarum nexibus explicandis vnguntur luctatores; vnde D. Hieron. D. Hieron. loco suprà adducto num. 444. de pane eucharistico sic concludit: *Athletarum solidus cibus est, qui & vitam sustentat humanam, & viuentibus prabet fortitudinem.* Quæ si vera sunt, (sunt autem verissima,) iam multam lucem afferent pluribus Scripturæ locis, hucvsque ad rem meam haustis, non exhaustis. Dubitarunt ergo iam aliqui, cur sæpè cum Eucharistiæ mentione, mystici etiam olei fiat mẽtio. Tale est illud Ps. 4. Psal. 4. num. 8. *A fructu frumenti, vini, & olei sui, multiplicati sunt.* vbi Lyranus ita: *Per oblationem, & perceptionem Eucharistia.* Lyran. Respondéntque cum Paschasio, diuini Spiritus oleum, & gratiam suscipiendæ Eucharistiæ prærequiri. Meliùs meus Mendoça tom. 2. not. 25. cùm videat, *oleum* Mendoça. in ordine postponi, fontes sacri olei, & gratiarum ab Eucharistiâ manantes, hîc voluit designatos. Sed attende.

Quis inficiabitur, ab Eucharistia profusissi- 462.
mos hos fontes emanare? [illegible] quiro tamen adhuc, cur hæ gratiæ ab Eucharistiâ prouenientes, olei *Et oleum athleticum.* potiùs, quàm alio vocabulo exprimantur. Et quidem naturali oleo id maximè conuenit, vt luctatorum membra vngat, quibus etiam lassam excitat virtutem: deinde sapientum lucubrationibus lucernam administrat. Meritò ergo sacra nostra annona, quæ, vt vidisti, milites suos, & agonistas, non solùm vngit ad pugnam, sed illustrat ad speculam, siue altam scientiam, olei fontes diffundit, vtrique ministerio seruientis. Egregiè Abbas Cellens. has partes oleo mysticó attri- Abb. Cell. buit lib. citato, cap. 22. *Quid autem,* inquit, *à facie olei non mollescit? Virtus lassa iam iam expirans, olei beneficio reparatur: vlcera fouentur, aspera leniuntur, amara dulcescunt, tenebra rarescunt, arida liquescunt.* *Oleúmque illuminans, & armans.* Proh annonæ nostræ excellentiam! Athletas in palæstrâ, milites roborat in acie, illustrat in specula: ibi reuocat vires, hîc tenebras propellit. Hinc illud Ierem. 31. n. Ierem. 31. 14. *Et laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini.* Quid non speres à tam profusa bonorum promissione? Et tamen solùm additur: *Super frumento, vino, & oleo.* Quia nihil vsquam maius, aut boni nomine dignius poterat promitti. Hugo Card. ibi post multa: Hug. Card. *Per oleum, virtus, in quantum nos armat contra Diabolum; per panem, & vinum, Sacramentum Corporis, & Sanguinis eius.* Oleum armans subsequitur Eucharistiam: & ideò oleum, quo pariter mentis foueas lucernam: diuina quippe hæc mensa, vtrique illud communicat ministerio.

Hinc

463. Hinc noua face aperies illud Psalmistæ: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est.* Ps. 22. n. 5. Græca pro *præclaro*, habent, κράτιστον, quæ vox non solùm significat *optimum*; sed vt notauit Velasquez noster, *fortissimum*. Ita est, scilicet, à verbo κρατεῖν: vnde passim miles robustissimus κράτιστος appellatur. Sed tu mihi nota, quàm nouo epitheto, calix, qui sapidus, dulcis, conditus, solet appellari, dicatur sub ipsâ fortitudine præclarus: & fateberis, Eucharistiam, cum robusta fortitudine, lucifluam pariter mittere claritatem. Cur ita? Quia oleum non solùm armandis membris, neruis roborandis; sed præcipuè impinguando capiti, siue menti illuminandæ administrat. Acutè Hugo Cardin. de hoc oleo: *Quare oleum dicatur spiritalis lætitia, est: quia illuminat, reficit, supernatat: facit etiam, ne homo luctans contra Diabolum, possit ab eo capi. Sic videtis, quòd inunguntur illi, qui sunt pugnaturi in duello.* Benè itaque mensa hæc in hostes parata: benè calix in illos propinatus, & de illuminante oleo præclarus, & de roborante spiritu fortissimus appellatur. Ideò Euthymius ibi: *Intelligit Altaris mensam, in qua cœna illa mystica iacet.* Et signatè: *In conspectu meo.* Quasi epulum nondum palato blandiens, aut gustui titillans; iam tamen cor contra hostes confortans agnoscatur. Ideò Vatab. vertit: *Parasti mensam mihi à regione hostium meorum.* Quia ostentata solùm Eucharistia, summum hostibus immittat terrorem, necesse est.

Idem probatur. — *Psal. 22.* — *Hug. Card.* — *Euthym.*

464. Facit tandem huc illud Ioëlis, vbi Dominus ad fideles post culpam pœnitentes: *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum; & replebimini eis: & non dabo vos vltrà opprobrium in gentibus.* cap. 2. n. 19. Vbi D. Hieron. *Cùm,* inquit, *hoc fuerint consecuti, nequaquam tradentur in opprobrium gentibus, de quibus Apostolus loquitur: Non est vobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem: sed aduersùs Principes, & Potestates, aduersùs mundi Rectores tenebrarum harum.* Meritò igitur, dum luctatores Inferni superandi dicuntur, fidelibus Eucharistia promittitur, quæ oleum exhilarans secum afferat; quo & vngamur Tartareos antagonistas eluctaturi; & illustremur, tenebras eorundem fugaturi. Hugo Card. ibi: *Promittit frumentum, id est, panem, qui de cælo descendit: vinum, quod lætificat cor hominis: & oleum, quod exhilarat faciem: vt vetus tristitia peccatorum, virtutum lætitiâ temperetur; & non detur vltrà in opprobrium Dæmonibus.* Habes robustam militaris nostræ escæ conditionem Dæmonibus expugnandis. Parauit hanc Maria, credo: quia nunquam Inferno pomo fuerit expugnata, quam diuinus Dux cellarium sibi sedulò præmuniuerit.

Ioel. 2. — *D. Hieron.* — *Hug. Card.*

***

§. V.

Maria angelicæ præseruationis idea: vnde redempta, indidem redimita.



QVAM verè hucvsque, à Duce nostro præmunitam Mariam ostenderimus, ne vsquam hostile iugum pateretur, clariùs apparebit ex verbis illis eiusdem ad eandem: *Equitatui meo, in curribus Pharaonis, assimilaui te, amica mea.* Cant. 1. n. 9. Equis enim equitatus iste Dei, quo Pharaonis currus dicuntur debellati, qui Maria Dæmonis victrix veniat cõparanda? Angelos art. 4. intelligit Dionys. deinde art. 5. de Maria sic concludit: *Hoc, secundum expositiones præhabitas, præclarissimè competit Virgini gloriosissimæ, quæ vniuersis angelicis Spiritibus facta est dignior, meritis maior, mercede felicior; quæ & omnium aeriarum malitiam Potestatum prorsus in se ipsa, & in aliis multis auxilio suo deuicit.* Vna Maria *prorsus* infernos hostes debellauit: quia non tam post vincula redimitur, quàm à vinculis præseruatur: meritò tunc Angelis comparata, quibus præseruatiua per Christum redemptio fuerit concessa. Ignorat nemo verba illa Bernardi Serm. 22. in Cant. *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens: & hac ratione fuit vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum.* Et nota mihi, stantes Angelos, nullo fœdere, nulla lege cum lapsis copulari: sed, quia nisi præuiis per Christum auxiliis roborarentur, sociorum ruinæ adhærescerent; ideò gloriosiùs redempti prædicantur: vt sic Maria, quamuis nobiscum sub communis, non dicam culpæ, sed etiam fœderis vinculo non iungatur; adhuc tamen, quia id per Christum accepit, meritissimò redempta appelletur.

465. — *Cant. 1.* — *Maria angelicæ redemptionis idea.* — *Dionys.* — *Bernard.* — *Redēptio præseruatiua Angelorum.*

466. Hinc aperies summum illud encomium, quo incarnatam Sapientiam affecit Salomon: *Attingit à fine, vsque ad finem, fortiter; & disponit omnia suauiter.* Sap. 8. n. 1. Cur enim, dum bellica fortitudo commendatur, suauitas simul pacifica extollitur? nisi quia redemptionis opus explicatur, vbi debellatâ culpâ, & Inferno, pax mittitur, gratia infunditur. Optimè verò hæc redemptiuæ gratiæ infusio, non tam compositio dicitur, quàm dispositio: quasi præcipua compositio, & ornatus allatæ redemptionis, in hac dispositione collocetur, per quam suaui serie, & pulchris gradibus eximium beneficium hoc disponitur. Pulcherrimè mihi Bernard. Serm. 14. de septem donis Spiritus Sancti, ad initium: *Sapientia vincit malitiam, dum Satanam conterit Dei virtus, & Dei Sapientia Christus. Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, in cælo quidem deiiciendo superbum, in mundo superando malignum, in Inferno spoliando auarum: & disponit omnia suauiter, in cælo stantes Angelos confirmando, in mundo venundatos redimendo, in Inferno captiuos liberando.* In hac itaque

De eisdē Angelis redemptis. — *Bernard.*

quæ suaui dispositione, suos benignitatis gradus disposuit etiam Bernardus a summo incipiens: excellentior enim Saluator Christus, dum stantes Angelos firmat, quam dum venundatos redimit homines: & adhuc viuentibus tunc amabilior, & largior quoad aliquid, quàm à sæculo mortuis, quos tandiu in Limbo captiuos passus est detineri. Dux ergo noster sic clientes suos Angelos præmuniens, Matri Reginæ præmuniendæ tardus aduentaret?

467. Imò crederem, Marianam redemptionem, & libertatem, ideam quodammodo, & formam Christo fuisse, ex qua ad præseruandos Angelos deueniit: quasi præmittens in Matre, quod deinde in seruis erat facturus: vt ab illa, quoad ordinem intentionis, feliciùs victoriarum suarum auspicium inchoaret. Congrediente Scipionis patre cum Annibale, illiúsque fuso exercitu, addit Florus lib. 2. cap. 6. *Saucius & ipse veniret in hostis manum Imperator, nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Et hic erit Scipio, qui in exitium Africæ crescit, cognomen ex malis eius habiturus.* Quasi non possent hæc initia minùs felices fines edere; nec deberent tam gloriosi fines nisi à præclara parentis redemptione exoriri. At Iesus noster non prætextatus modò, & fasciatus; sed etiam, antequàm nascatur, egregia sua facinora, vt supra dixi, a Matris redemptione inchoauit: illius præseruatione præludens, vt in alio signo Angelos præseruaret: quidni si Angelis ipsis, in ipso sui fieri, prodiit excellétior? D. Epiphanius Orát. citata: *Virgo sublimior Angelis facta est; superior ipsis Cherubim, & Seraphim; placens Christo Regi, & à Deo in honore habita.*

A Maria præseruata communis redemptionis Christus sumit auspicia.

Florus.

D. Epiphan.

468. Ponderarunt iam alij gestum illud Samsonis Iudic. 14. num. 5. *Descendit itaque Samson cum patre suo, & matre in Thamnatha; cùmque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sæuus, & rugiens, & occurrit ei. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, &c. & hoc patri, & matri noluit indicare.* Pergebant simul: sed iuuenis generosus viam præcurrebat, quidquid ibi periculi foret, prauie parentibus amoliturus, quos proinde incolumes, a leonis vnguibus, quibus misere inciderent, fortiter præseruauit. Quod, vnde Christo Matrem præmunienti comparetur, lege apud illos. Illud vnum addo ad rem meam, esse illud primum facinus, quo expressè Samson gloriam suam dedicauit: quasi inde liberando oppresso populo faustior dux procederet, si priùs parentes suos præseruasset: nec adeò ciuium suorum gloriósus Redemptor haberetur, nisi laudem in præseruandis parentibus fundaret. Angelos igitur cæli ciues sic fausto præseruationis genere redemit Christus: quia faustiori erga parentem se gesserat redemptione. Audi verba D. Hieron. siue Sophronij, Orat. sæpe citata de Assumpt. Virg. *Angelorum quamuis celsior natura sit; non tamen gratia maior: quoniam & ipsi gratuitâ gratiâ ne corruerent, sunt saluati. Vnde David: Verbo, inquit, Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod si spiritu oris eius omnis virtus eorum subsistit; constat, Beatam, & gloriosissimam Virginem Mariam, in quam superuenit Spiritus Sanctus, & Deus totus illapsus portatur nouem mensibus in vtero, vt credendum est, ampliora promeruisse virtutum priuilegia.* Pende mihi, illud: *Quoniam & ipsi.* Nisi enim ad similitudinem Mariæ, ne corruerent, præseruatos intelligeret S. Doctor, vix aliquid ponderis ratio sortiretur. Quamuis ergo naturâ cedat Angelis Maria; tamen gratiâ antecedit: quoniam, quamuis & ipsi præseruatiuâ gratiâ fulciantur; tamen in hac ipsâ præseruatione Deipara excellentior, & velut exemplar, maiora priuilegia comparauit.

Id confirmatur.

Iud. c. 14.

Angeli præseruati per Christũ.

D. Hieron.

Hinc sacro enthusiasmo percitus, citatus Epiphanius sic subiungit: *Quid dico, & quid proloquar? Quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo exceptò, cunctis superior existis: naturâ formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelorum.* Non, quòd natura corporea præstet spiritui, sed quòd diuinus Dux noster tali gratiâ Mariam præseruaret, vt humanam illam conditionem re ipsâ Angelis minorem, quodammodo ipsis redderet excellentiorem. Vel, quod magis puto, vocauit naturam, ipsum illud fieri Mariæ, id est, instans id, quo concepta natura est: illúdque formosius ipsâ Angelorum iustificatione, de immenso gratiæ illapsu appellauit. Audiendus tamen D. Thomas Villan. Conc. 3. de Natiuit. Virginis, ad loc. Cant. initio adductum, vbi, postquàm originalem culpam, & peccati fomitem a Maria excludit, sic concludit: *Sua caro sic imaginanda est, quasi esset argentea, vel vitrea, vel crystallina: sine carnis vitiis, sed tota angelica in carne: quod optimè tangit de ea Sponsus in Cant. dicens: Equitatui meo in curr. Phar. assimilaui te. Currus Pharaonis, caro mortalis: in carne itaque mortali equitatui angelico similis est in puritate.* Describit deinde latissimè S. Doctor animæ eius donamenta mirum ea prædicet, quæ dedi alibi, cùm carneam corporis naturam, spiritali Angelorum conditioni velit componendam. De Christo Angelorum Capite & Redemptore, vide omninò Examen art. 1. 469.

Succumbunt tamen Mariæ.

Maria caro qualis.

Thom. Vill.

Et quidem, cùm ex prædictis Patribus verè saluati dicantur Angeli, quia gratiam acceperunt, ne corruerent, vix apparebit ratio, cur id videatur Mariæ denegandum. Accingitur Deus ad hominis productionem, & subdit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. num. 26. Testimonium quoddam expressit Trinitatis, dum indiuisa personarum operatio intimatur. At, si nouerat Deus futurum, vt Iudæi, & Arriani æqualitatem Filij cum Patre denegarent; cur clariùs hoc non protulit testimonium, ne ab impiis in alios sensus detorqueretur? Credo, vt efficaciùs ex proprio ore posteà conuinceretur. D. Ambros. Hexam. 6. cap. 7. *Cui dicit? Non sibi vtique, quia non dicit, faciam; sed, faciamus: non Angelis, quia ministri sunt: serui autem cum Domino, & opera cum Authore, non possunt operationis habere consortium: sed dicit Filio, etiamsi Iudæi nolint, etiamsi Arriani repugnent. Sed & Iudæi conticescant, & Arriani cum suis patribus obmutescant: qui dum vnum à consortio diuinæ operationis excludunt, plures inserunt; & prærogatiuam, quam filio negant, seruulis donant.* Simili modo nonnulli Doctores cótrarij conuincendi, qui fatentes, Christum, quoad omnia, fuisse Angelorum Caput, hósque illius gratiâ præmunitos; solam Mariam denegant præmuniri potuisse: & dum à redemptione 470.

Malè negatur Reginæ, quod seruis Angelis conceditur.

Genes. 1.

D. Ambros.

præseruatiuâ

præseruatiuâ vnam excludunt, plures præseruatos Angelos admittunt: & prærogatiuam, quam matri negant, seruulis donant.

471. Notant nonnulli Patres ad illud Baptistæ dictum Ioan. 3. de Christo: *Illum oportet crescere, me autem minui.* id etiam ipsis temporibus approbatum: à natiuitate enim Christi dies crescit, decrescit à Ioannis natiuitate. Discutiamus rem piam magis, quàm solidam præsenti huic argumento roborando. Cur, inquis, ab æterno ea temporis differentia nasciturо Christo designatur, sub qua dies iam vegetior, & sublimioris Solis fulgore splendidior adornatur? Respondet Ambros. Serm. 12. de Christo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem: cur non illuminaret mundum? Atque ideò dies, quæ lucem humano generi peperit, prius ipsa eiusdem lucis fulgore resplenduit.* Quasi dedeceret, si dies immortalem cæteris lucem edens, vtcunque poterat, non cæteris prior lucem participare crederetur: vt dum à temporis conditione crescit, piè etiam à meliore Sole Christo crescere videatur. *Non est mirum*, addit Ambros. *quæ gemino fulgorum splendore vestitur.* Et quantò plus reapse dedeceret, si lux præseruantis Redemptoris, quæ à Mariano die orta Angelos illuminauit, non prius ipsam Mariam circumuestiret? Et quidem Patres, qui sic piè de natali die putarunt philosophandum, quid de nascentis Matre existimarent? cuive priùs tantum hoc priuilegium vellent communicatum?

Ioan. 3.

Idem probatur.

Ambros.

472. Quid? si reuerà putemus, natali die Solem solito clariorem effulsisse, quod piissimè olim creditum Ecclesiæ: Videndum iam ex Ambrosio, cuinam priùs Sol venustior comptu suo deseruiret, splendoribus blādiretur. Ergo ille Serm. 16. ita: *Benè quodammodo sanctam hanc diem Natalis Domini, Solem nouum vulgus appellat: & tanta sui authoritate id confirmat, vt Iudæi etiam, atque Gentiles in hac voce consentiant. Quod libenter amplectendum nobis est: quia oriente Saluatore non solùm humani generis salus; sed etiam Solis ipsius claritas innouatur. Sic ait Apostolus: Vt per ipsum restauret omnia, siue quæ in cælis; siue, quæ in terra sunt. Si enim obscuratur Sol, cùm Christus patitur; necesse est, illum splendidiùs solito lucere, cùm nascitur: & si Iudæis mortem operantibus offundit tenebras; cur non Matri parturienti vitam, exhibeat claritatem.* Quasi æquè condigna ad præmium Maria, quàm Iudæi ad pœnam: nec minùs ista ad vitam Christi, quàm Iudæi ad mortem operarentur. Et festinat materialis Sol Virgini priùs adblandituru:Dux verò noster, Sol iustitiæ, cuius in pennis sanitas aduolauit, militibus Angelis priùs, quàm Matri Reginæ præseruatiuam afferret sanitatem? Alius crediderit.

Resurrectio Christi Matris, quàm cæteris gloriosior.

Ambros.

473. At non ita rem credendam voluit Maria, quæ nos, imò & Angelos alloquens sic dicebat: *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me cōsiderare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Cant. 1. n. 5. Sol iustitiæ nihil aspicit, quod pariter non illuminet: totus in lucem funditur communicandam: obiecta splendore non spoliat; sed polit pulchritudine: non infuscat nigredine, sed claritate fœcundat: cur ergo à benignissimo Sole, non tam decoratur Mater, quàm decoloratur? Cur apud hunc Solem fusca, quæ ab illo splendidior dicenda videbatur? Respondet optimè D. Thomas Villan. Conc. 3. de Natiuit. his verbis: *Si naturalem conditionem consideratis, nigra sum, sicut tabernacula Cedar; puella ex carne, & ossibus; tenera Filia Adæ, sicut aliæ virgines: si gratiam attenditis, formosa sicut pelles Salomonis; vt omnibus virtutes humanas Christi innata, &c. Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol. Soli comparata, fusca sum: sed omnibus Angelis, & astris lucidior sum.* Sic locus legendus est. Non ergo se absolutè decoloratam indicat Maria; sed ad solum Solem comparatam diuinum, fuscam videri: à quo proinde tantùm lucis combibit, tantùm in omni genere gratiarum participauit, vt Angelis omnibus splendidior, & purior rutilarit. Dum igitur à solo Sole se fatetur decoloratam, se super omnia astra profitetur condecoratam.

Cant. 1.

Maria soli Christo cedit.

Thom. Vill.

474. Fatentur id ipsi Angeli, omnésque Spiritus beati, dum olim Assumptionem Virginis ambitiosis sollicitabant suspiriis, anxiis desideriis: *Reuertere, inquiunt, reuertere, Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Cant. 6. n. 12. Cur enim diuini vultus gloria satiati, & meræ Diuinitatis torrente inebriati, sitiant adhuc Mariæ conspectu perfrui glorioso: nisi quia eius splendor talis est conditionis, vt etiam cum diuino (perfecturus Angelorum gloriam, & licèt accidentario, nobilissimo tamen modo illorum felicitatem complexurus) coniungi videatur? Habet Maria hoc, licèt imperfectiori modo, cum Christi humanitate commune, vt ipsis Angelis accidentalis beatitudinis pars magna valeat aduenire. Alanus ibi: *Reuertere, vt intueamur te à dignitate Angelorum, ad superexcellentiam iam beatificorum Spirituum: quia, sicut in faciem Filij tui desideramus prospicere: sic in specie, & pulchritudine tua, vultus defigere volumus, & luce vultus tui illustrari.* Quis putet in redēptionis præseruatiuæ priuilegio, & præmunientis Ducis fauore, Angelis Mariam cessisse, quæ sic excellens ab Angelis prædicatur? Imò quidem, sicut à Corredemptrice gratiam mundatiuam homines accepimus: sic, tanquàm à præcipua idea, & fonte, Angeli suam gratiam compararūt, scilicet, ne corruerent, præseruatiuam. Huc redit illud, quod ex D. Thoma Valent. Conc. 1. de Annunc. dixi alibi de plenitudine gratiæ Marianæ: *Angelos, & homines ex tua plenitudine satiasti, Maria.* Sed iterum huius Patris verba pressiùs examinanda.

In Assumptione Maria

Cant. 6

Alan

Thom. Val.

475. Rogarat aquam seruus Abraham: ad quem tunc Rebecca: *Bibe, domine mi. Celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam; & dedit ei potum. Cùmque ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Genes. 24. num. 18. Vnde tanta puellæ facilitas, vt non soli nuncio, sed etiam bestiis aquam hauriret? aut, cur in signum, quòd apta tantis nuptiis veniret vnicè, plena effusio, vt ex historia patet, prærequiritur? Typum gerebat Mariæ Deo desponsandæ, quæ minùs apta veniret diuinis nuptiis, nisi de gratiæ suæ plenitudine Angelos innocentes, & bestiales per culpam peccatores perpotaret, in id assumpta ministerij, vt illi præseruarentur, hi mundarentur. Idem D. Thomas ibi: *Aue, gratiâ plena. O plenam, & plenissimam*

Genes. 24.

Angelos gratiâ satiauit Maria.

Thom. Va.

plenissimam hydriam, ex qua omnis potatur rationalis natura: bibit nuncius, bibunt incurui cameli. Angelos, & homines ex tua plenitudine satiasti, Maria: quis enim ex hac tua non potatur hydria? Vbi plura, quæ dedi art. 1. Facit huc tandem, quod habet Ambros. de instit. virg. cap. 9. vbi clausum virginitatis signaculum comprobans in Maria, sic de Christo subdit: *Si de eo dictum est ad Ecclesiam: Quoniam confortauit seras portarum tuarum. Psal. 147. suam portam confortare non potuit? Sed confortauit profectò, & seruauit intactam.* Quasi indecens Christo, vt aliqua erga Ecclesiam mitteret priuilegia, quæ meliori modo Matri non concederet: & dux fortissimus, qui Ecclesiæ portas roborauit, necessariò maternæ, virginitatis signaculum foret roboraturus. Ideò dixerat ibidem: *Audiant imprudentes. Clausa hæc porta est, quæ solum recipit Deum. Si igitur de eo dictum est ad Ecclesiam*, &c. Imprudentiæ quippe est, putare aliquid aliis concessum, quod in Maria excellentius non præmittatur; imprudénsque meritò haberer, si à Duce nostro præseruatos Angelos crederem, non Mariam.

Ambros.

Nullum illi negatum priuilegium.

§. VI.

Expleo propositum titulum.

476. XCREVIT vltrà, quàm putaram, pars illa prima: ideò seorsim venio ad secundam, vbi Mariam indidem dixi redemptam, vnde redimitam: vt hinc cum Angelis, sed excellentiùs præseruatam, & præmunitam agnoscamus. Fuit mensa illa aurea, mundi cordis typus apertus, vbi iuge virtutum conuiuium, & animæ, & Deo ministratur: mirum tamen, quod subditur: *Et inaurabis eam auro purissimo, faciésque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem.* Exod. 25. num. 24 Vocatur quidem ex Lyrano, corona *interrasilis*: quia habebat partes aliquas per circuitum, planas, rasas, & nullà insculptas cælaturà. Sed, cur tam pretiosum opus, tam venustum humani, & iustificati generis ornamentum, non vndique cælatur, non vbique insculpitur, non totum venusto pulchritudinis labore exasperatur? Quia, licèt iustificati; tamen humani generis ornamentum est. Vni angelico generi gratia perfecta vndique, integræ insculpturæ corona: nobis saltem in conceptione deficiens, & in pluribus sæpè alibi interrasilis corona, & redemptionis gratia diminuta veniat, necesse est. Abbas Cellens. lib. 2. de tabern. *Quòd corona est, Dei est: quòd interrasilis, nostrum. Si homo non peccasset, corona interrasilis non esset: non enim corona angelica interrasilis est, quæ de capite illorum nulla offensione corruit: sed humana interrasilis est, quæ per peccatum cecidit, & per gratiam rediit.* Et non putaueris dedecuisse, vt quoad hoc nobiliori corona serui Angeli, quàm Regina Deipara decoraretur?

Hominũ iustorum corona, semper imminuta.

Exod. 25.

Abb. Cell.

477. Planè in quouis genere, Regibus maximè præseruatiua redemptio videtur conuenire, vt vnde redimuntur, inde etiam redimiantur; nouáque redemptio, in nouum illis vertatur redimiculũ. Huc innouandus tritus alias locus apud Suar. & alios, de redemptiua præseruatione. Sollicitabat diuinam opem Dauid, contra Saülem hostem, sic precatus: *Qui das salutem Regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno: eripe me.* Ps. 143. num. 10. Redemptum iam olim se fatetur Dauid, non quòd gladio gigantis, & captiuitatis vinculis subiacuisset; sed, quòd salubrius ab ictu præseruaretur. Lyranus ibi: *De gladio Golia, cuius hastile erat quasi liciatorium texentium.* Ab accepto ergo tam nobilis redemptionis beneficio, argumentum facit, vt denuò ab hoste Saüle iterũ præseruetur. Sed nota, ibi aptissimè cum salute Regum, præseruantem redemptionem copulari, quasi nulla salus regalior, nulla Regi decentior, quàm quæ redimit præseruando. Litteram saltem indicauit ibi Lyranus: *Regibus, id est, mihi, & Saüli: vocat enim se Regem, eò quòd esset inunctus per Samuelem: & similiter Saülem, eò quòd adhuc actu tenebat regnum: & vterque tunc fuit saluatus; quia Dauid habuit victoriam de Golia, & Saül de exercitu Philisthinorum.* Quasi deceret diuinum Ducem, & auxiliatorem Deum, Regibus non aliam, sed præseruatiuam mittere salutem, & redemptionem. Quid ergo tardaret Angelorum Reginæ præseruandæ?

Maria præseruati, ne sua coronatur.

Psal. 143.

Lyran.

Regum priuilegia apud Deum.

Misit aliquando Saül satellites, qui domum Dauidis obsidentes, eundem manè raperent ad necem, 1. Reg. 19. Iterum in monte hunc latentem, *Saül, & viri eius in modum coronæ cingebant* capiendum. 1. Reg. 23. num. 26. Vtrinque tamen diuino fretus præsidio Dauid euasit: qui proinde epinicium Deo canens, grates sic reddit: *Benedic, anima mea, Domino, &c. qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Ps. 102. à num. 1. Ecquæ redemptio Dauid, si nunquam captiuus? Optima: quia à captiuitate præseruatrix. Vnde & meritò tunc coronantis Dei, suique in Regem meminit coronati: quasi tam nobile redemptionis genus, dignitatem regiam acceptam condeceret. Fauet ibi Lyranus: *Redimit, quando Saül fecit custodire domum Dauid de nocte, vt interficeretur mane, & fugiens saluatus est. Similiter, quando Saul, & viri eius cingebant Dauid in modum coronæ, ita quòd desperabat se posse euadere: & tamen saluatus fuit Dei ordinatione. Qui coronat te, &c. quando fuit coronatus in Regem, &c.* Vtrunque sic coniunxit beneficium: quia coronæ regali præseruatiua redemptio præludebat. Propriissimè igitur redempta Regina nostra dicetur, dum præseruatur: & meritissimò à diuino Duce auxiliatore optimo præseruatur, quæ in creaturarum Reginam constituitur. 478.

1. Reg. 19.
1. Reg. 23.

Idem probatur.

Psal. 102.

Lyran.

Sed neque hoc satis, nisi viderimus, ab eodem redemptionis pretio redimi, & redimiri. Explico hinc illud Cant. 7. num. 5. Christi ad Ecclesiam: *Caput tuum, sicut Carmelus: & coma capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.* Ambros. legit: *Ornatus capitis tui, sicut purpura Regis.* Ecquis vnquam Reginam ad caput, purpurâ potiùs, quàm coronâ vidit adornatam? Purpura in vestem consuitur, non cuditur in coronam: vestiens corpus adornat, non caput adornans coronat. Quid ergo? Purpura ista 479.

Cant. 7.

Maria Christi sanguine coronata.

Ambros.

ista diuini Regis Sanguis erat in redimendæ Sponsæ pretium effusus; ideò in purpureas gemmas construendæ iam coronæ aptabatur. Ambros. prout in Cant. extractu circumfertur à Monchiaceno: *Ornatus ergo capitis gloriosus, quòd non regalia diademata; sed Dominici Sanguinis insignia coronarent.* Inde ergo redimitur Ecclesia, vnde Regina redimitur. Accommodant hunc locum Mariæ ferè omnes Doctores cum Ruperto, Dionysio, & aliis. Verè igitur Maria redimente hoc Sanguine coronatur. At, si Angelis integram, & non interrasilem coronam hinc positam vidimus, cur Reginæ optimæ interrasilem, & diminutam apponemus? Nónne præcipua ad coronantem Sanguinem veniret; quæ prima carptura huius redimentis, & redimientis pretij fructum parabatur? Attende.

480. Luc. 1. *In Visitat. Mariæ.* Nunciat Zachariæ Angelus, Baptistam nasciturum: nec ille firmus credit. Nunciat Gabriel Mariæ, Deum nasciturum: quæ fidelis assentit. Longè facilius erat, nasci hominem à senioribus parentibus, quàm à Virgine Deum: ibi res exemplo Abrahæ, & Saræ muniebatur; hîc nullo retroacto exemplo mysterium occultabatur. Præstat longæuo Sacerdoti puella tenera: errat ille in facili, labitur in plano; corrigit hæc errorem, ne vel etiam in salebris titubaret. Cur ita? Quia, quæ prima omnium fructum redemptionis acquisiuit, nihil vel leuissimæ culpæ, vel titubantis erroris poterat contrahere. D. Ambros. lib. 2. in cap. Luc 1. *Meruit audire: Beata, quæ credidisti. Et verè beata, quæ Sacerdote præstantior: cùm Sacerdos negasset, Virgo correxit errorem. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à Matre: vt, per quam salus omnibus parabatur; eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Huc faciunt, quæ suprà dixi de redemptionis primitiis. Mariæ communicatis. Cui primæ destinatur salus coronans, cur præcipua corona denegetur? Redeo.

Primitias redemptionis accepit. D. Ambros.

481. *Maria Christi Sanguine, Regina purpurata.* Dicitur caput Carmelo simile: vbi non tam montem, quàm cum multis (vide me ad Cant.) coccineum intelligo ornamentum: quasi totum caput cum comis diuino Filij Sanguine rubescat. Et quid in capite Mariæ, nisi eius libertas significetur; quæ quouis ancillatus genere, *maximam capitis diminutionem* pateretur? Hæc ergo libertas inde regnat, inde purpurascit insignibus maiestatis, quòd rutilo diuini Sanguinis splendore perfundatur. Sed quid? Nónne & alij iusti ita? Ita planè: sed non eodem modo: sola quippe Maria hoc Sanguine rubricata, propriè dicitur *vincta canalibus*: quia, quemadmodum purpurea lana, eò puriùs tingitur, eò imbuitur pretiosiùs, quo propinquiùs aheno purpurario religatur: sic Maria, quæ, vt dixi, primà, & propinquior purpureo, & redimenti Sanguini accessit, quasi sacris canalibus religata, dibapha redditur, & perfectior, ad quam comparatæ cæteræ animæ liberæ, sunt ancillæ; ideóque hæc redemptio vni Deiparæ præcipuè fit corona.

482. Iob 10. Sunt obscura illa Iobi: *Si impius fuero, væ mihi est: si iustus, non leuabo caput.* cap. 10. num. 15. Vnde enim opprimatur iustus Iob, ne caput leuet, ne libertatem ostentet, cùm iustitia, & virtus iugo non lædatur? Pende mihi illud Christi ad Discipulos de instante iam gloria: *Leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. n. 28. Quò propinquior est redemptionis perfectio, & fructus præcipuus, scilicet, beatitudo; eò libertas perfectior, & capitis eleuatio affulget excellentior. Meritò igitur Beatus Iob, qui ab hac redemptione præcipua, tot sæculis ante Christum longè erat: licèt iam eiusdem meritis iustificatus, adhuc caput non poterat leuare. Galfridus ibi apud Godefr. *Quid est, quòd Dominus dicit: Leuate capita vestra: ecce appropinquat redemptio vestra. & Beatus Iob, non leuaturum se caput dicit? Quare leuare caput non poterat? nisi, quia redemptio longè erat.* At Mariæ caput, siue libertas semper *vincta*; vel, vt alij legunt, *iuncta* redemptionis canalibus; ideò semper erecta, semper coronata: nunquam caput illud demissum, nunquam incuruum: vt ex intima approximatione iam ipsa beatificante, redemptione coronari videatur.

Libertatem, Christo proximiores, cõparant maiorem.

Galfrid.

483. *Maria in Conceptione vidit Deum.* Imò (vt id obiter dicam) putarem, ideò iunctam, & appropinquantem Redemptoris Sanguinis canalibus celebrari semper: quia etiam hac gloriosa redemptionis corona, scilicet, beatitudine, adhuc viatrix quandoque Beata fuit: si enim id Paulo, & aliis concedit D. Thomas; cur id Mariæ, cui maiora concedenda fatetur priuilegia, denegauerit? Vnde iam quidam inferunt, Mariam in ipsa Conceptione, per modum transeuntis Beatam fuisse: ac proinde necessariò peccatum euitasse. Duo assero ad rem meam. Primum: Si verè Paulus, Benedictus, & Ignatius meus, vt volunt, viatores adhuc quandoque fuêre beati: plusquàm temerè id Deiparæ denegandum: imò piissimè id Mariæ concedendum, quamuis aliis omninò denegetur. Secundum: Si Maria vsquam viatrix Deum vidit, probabiliter inferri posse, etiam in Conceptione vidisse: ac proinde optimè purpura redemptionis, & sacro redimiculo coronari. Vidisse verò aliquando, Authore classico docto iuxtà, & sancto, sic illustro denuò.

484. Luc. 1. *Maria Beata adhuc viatrix, aliquando.* Visitauit Maria cognatam Elisabetham, à quâ salutatâ, eidem sic respondet: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 1. n. 47. Quàm diuersi affectus! Magnificatio reuerentiam innuit, & timorem diuinæ maiestatis: at bonitatis diuinæ dulcem fruitionem, exultatio. Vnde igitur in eodem Mariano pectore tam diuersa conformitas, tam conformis diuersitas? Attende, quæ hîc lib. 4. in Luc. Venerabilis Hugo Victorinus: *Duo quippe sunt, quæ beati Angelorum, & hominum spiritus in illo fonte boni æternâ contemplatione hauriunt: incomprehensibilis, videlicet, maiestas Dei, & ineffabilis bonitas: quorum alterum castum timorem generat, alterum dilectionem parit: pro maiestate enim venerantur Deum, & pro bonitate amant: ne vel dilectio sine reuerentia dissoluta sit, vel reuerentia sine dilectione pœnalis: admirantes enim diligunt, & diligentes admirantur: vt inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & suauiter dilectione ferueat admiratio.* Dedi de his affectibus, in quibus tota beatitudo consistit, plenas, neque ignauas paginas in Cant.

Hug. Vict.

Amor reuerentia immixtus.

Cant. lib. 3. notat. 9. §. 1. Si ergo similes affe-ctus audis in Maria, quidni pro tunc beatam existimaueris? Sed præstat audire Hugonem, non similes, sed eosdem in Deiparâ agnoscentem: *Ad hanc ergo contemplationis lucem, mens Maria subleuata fuerat, quæ cælestis patriæ dulcedinem in verbis suis tam mirabiliter expressit, quàm ineffabiliter comprehendit: nam, cùm se Dominum magnificare perhibuit, venerandam illam, reuerendámque vniuersis æterni Numinis maiestatem contueri se manifestè declarauit: cùm verò se in suo salutari exultare asseruit, gustum se internæ dulcedinis percepisse ostendit.* Nihil clarius pro interrupta Mariæ beatitudine dici potuit. Si ergo redemptionis perfectio in glorificatione consistit; meritò Maria primos, & præcipuos redemptionis fructus tam ligata canalibus, & coniunctissima dicitur percepisse: quæ etiam viatrix quandoque beatitudinis gloria coronatur: meritò digniùs, quàm Angeli, creditur præseruata, qui nunquam, dum viatores, Deum viderunt. Sed de Maria in Concept. Deum vidente infrà fusissimè.

Hug. Vict.

485\. Et quidem si redemptio, vt vides, corona est, faustissimè à Maria inchoanda, vt à Principe ad alios, pro conditionis qualitate deueniret, mundans homines, Angelos præseruans. Prudenter Valerius Maximus de oleagina corona ab Atheniensibus inuenta, quáque primus omnium fuit Pericles coronatus, lib. 2. cap. 6. sic scribit: *Eadem vrbs bonos ciues decorandi primò consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. Probabile institutum, rem, siue personam intueri velis: nam & virtutis vberrimum alimentum est honos: & Pericles dignus, à quo talis muneris dandi Posteritas potissimum initium caperet.* Sumit ergo redemptionis corona initium à Maria, inde ad Angelos, & homines deriuanda: quia planè digna quà Mater, à qua id honoris gloriosius caperet initium.

Corona redemptionis à Maria in Angelos deriuata.
Valer. Max.

486\. Aliunde verò benè *vincta canalibus* redimentis, & redimientis Sanguinis, Maria dicitur: cùm ipse Redemptoris Sanguis sit Marianus. In hoc sensu explico verba Eusebij Gallicani, (falsò hucvsque Eusebio Emisseno Græculo, & Hæretico assignata,) aut, si mauis cum Baronio, D. Eucherij Lugdunensis: quem aduersarij, sed decurtatum, contra Conceptionem, plusquàm gratis armarunt. Transcribo integrum locum altiùs examinandum. Ergo homilia 2. de Natiuitate Domini, ad illud: *Benedicta tu in mulieribus.* sic Sanctus Doctor scribit: *Exulta, Mater salutis humanæ: ecce Domini mei, vniuerso mundo per tanta retrò sæcula promissum, prima suscipere mereris aduentum: habitaculum immensæ Maiestatis efficeris: spem terrarum, decus sæculorum, commune omnium gaudium, peculiari munere nouem mensibus sola possides: initiator omnium rerum, abs te initiatur: & profundendum pro mundi vita Sanguinem, de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit, quod pro te soluat: à peccati enim veteris nexu, per se non est immunis nec ipsa Genitrix Redemptoris.* Sed priusquàm locum ad rem meam amœniùs expliccm, perpendo contra aduersarios seuerè.

Sãguis Christi Marianus est.
Euseb. Gall.

Doctores pij ex hoc loco fatentur, ex opinione Eusebij, Mariam debitum contraxisse, sine nexum veteris culpæ, non culpam. Optimè quidem *nexum* de debito explicarunt: sed diminuti, hinc proximè debitricem pronunciarunt. Pende mihi ly, *per se non est immunis:* & inferes apertè, per alium, id est, per Christum immunem fuisse ab hoc nexu. Non est per se immunis, quæ à Filio præstantissimo summam libertatem acceptam recognoscit. Putes, me non soluere, sed rumpere temerariè hunc *nexum?* Adde, quæ subdit Eusebius: *A peccati enim veteris nexu per se non est immunis, nec ipsa Genitrix Redemptoris: solus ille, licèt ex debito renascatur, lege tamen veteris debiti non tenetur.* Quid est, nasci Christum *ex debito?* Nihil aliud, puto, quàm nasci ex natura humana in specie sua debitrice. Hunc ergo solum Christum sic nascentem vult Sanctus Doctor lege veteris debiti non teneri. Cùm ergo Christum Mariæ contraponat, luce clarius est, id tantùm dedisse Mariæ, quod Christo denegauit: vnde, cùm à Christo non tam culpam tollat, (quod clarebat,) quàm legem debiti; tantùm lege debiti obligatam voluit Mariam. Ergo, inquis, saltem à lege debiti non est immunis Maria: quod contra me. Distinguo sequelam ex eodem Patre: non est *per se immunis,* concedo: per Christi merita, nego: Christus itaque per se immunis non solùm à culpa; sed etiam à lege: Maria immunis similiter, sed per Christum. Ad rem. 487.

Eusebius Gallicanus explicatus.

Dedit Maria Sanguinem pro se soluendum: vnde ergo magis iuncta coronantis huius Sanguinis *canalibus* esse potuit? Prima suscipit aduentum: quia prima redemptioni destinatur. Prima sæculorum decus sola possidet: quia huius Sanguinis meritis coronata decoratur. Quid Marianum Caput Angelis dignius, in ipsa proinde Conceptione à Duce semper vincente coronatum, & victoriæ Sanguine redemptum pariter, & redimitum, hostis Tartareus fugiens non perhorresceret? Sumo ab historiola exemplum. Phocenses Duce Onomacho, templum olim Apollinis (cui semper laurus sacra) spoliarunt sacrilegi, & fœdarunt. Contra hos Thebani, Thessalíque, Duce Philippo, iustam de hoc tanto scelere vindictam apparabant: castra mouent. Subdítque Iustinus lib. 8. *Igitur Philippus, quasi sacrilegij, non Thebanorum vltor esset, omnes milites coronas laureas sumere iubet: atque ita, veluti Deo Duce, in prælium pergit. Phocenses insignibus Dei conspectis, conscientia delictorum territi, abiectis armis, fugam capessunt; pœnásque violatæ religionis, sanguine, & cædibus suis pendunt.* Dissimulabatur in gratia, quæ conceptæ Mariæ data, Sanguis Christi, ídque, vt vidisti, in coronam efformatus: quidni ergo fugerent Dæmones offensi Numinis insignibus radiantem. 488.

Maria prædita Sãguine coronata fugat Dæmones.
Iustin.

Sed quid, si Marianum Caput, purpurâ Regis nitidum, non tam coccino, quàm monti ipsi Carmelo dicamus comparatum? Certè etiam 489.

Maria, mons sanctitatis.

etiam indidem redempta Regina nostra, plusquàm Angeli, ab omni culpa immunis apparebit. Ecquid, inquis, monti cum Maria? Quid erecto colli, cum humillima virguncula? Aptè Dionysius artic. 25. sic respondet: *Caput Reginæ nostræ, est sancta eius voluntas; nunquam ad inferiora hæc reprehensibiliter inclinata: sed ad eum, qui essentialiter bonus est, semper altissimè, & fructuosissimè eleuata, vtpote ardentissimâ charitate plenissima: ideò monti Carmelo, qui valdè sublimis, & frugifer est, similis perhibetur.* I tu igitur, & ad infernas vsque valles detrude hunc montem: & voluntatem nunquam ad inferiora reprehensibiliter inclinatam, Dæmoni subiice conterendam: certè non esset illa Regina omnium, si in præseruationis gloriâ Angelis cedere videretur.

Dionys.

§. VII.

Maria Sponsæ dominantis titulo, à Duce nostro sollicito præmunita.

490. E Maria Sponsæ titulo præseruanda, deque eadem, si peccatum contraheret, à Dæmone adulteratâ, suprà iam fuse. Hæc pauca, sed in re belli, denuò congerenda. Nihil vsu tritius, nihil in historiis deploratius, quàm ludibrium illatum virginibus, & matronis captiuis: quidquid Marti victores impenderunt in prælio, effrænandæ posteà Veneri videntur impendisse: nihil fœdiùs, quàm pudor captiuæ etiam Reginæ spoliatur. Hinc illud Darij audientis, ab Alexandro victore, in captiuæ pridem vxoris suæ morte, lacrymas effusas: *Ob hæc ipse amantis animus in sollicitudinem, suspicionemque reuolutus est, desiderium captiuæ, profectò à consuetudine stupri ortum esse coniectans. Submotis igitur arbitris, vno duntaxat Tyriote retento, iam non flens, sed suspirans: Vides in te, Tyriotes, locum mendacio non esse: tormenta iam hîc erunt; sed ne expectaueris, per Deos, si quid tibi tui Regis reuerentiæ est: num, quod & scire expecto, & quærere pudet, ausus est, & dominus, & iuuenis?* Et ni Alexandri modestiam iurans probaret Tyriotes, qui nuncium attulerat; Darius de vxoris captiuæ pudore priùs, quàm de vita actum fuisse, pro belli conditione existimaret. Quis Absalonem etiam paternis vxoribus stupra inferentem, ignorat adhuc? Si in communi ergo bello, naturæ nostræ illato, captiuaretur Maria, absque dubio victorem Dæmonem pateretur adulterum, & turpiorem Spiritus purissimi corruptorem: & non curaret Dux noster, aliunde potens, à tanta belli calamitate, à tantâ sui infamiâ optimam Dei Sponsam præ-

Maria, quà Sponsa, sedulo præmunitur, ne Dæmonis foret adultera.

Bellum pudori virginũ, & matronarũ infestum.

Pintus de Concept. B.M.V.

seruare? Horret mens hanc incuriam Christo obtrudere.

Hinc illa Dauidis, id est, Christi vota ad Patrem: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* plures ex Græco, *animam confitentem.* & Vatab. ex Hebræo fonte: *Ne obiicias animam turturis tuæ, cætui hostium.* Psalmo 73. num. 19. Ecquæ hæc Turtur, nisi Maria, de qua Christus: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis: & collum tuum, sicut monilia.* Cantic. 1. num. 10. De quo vide Alanum datum suprà, num. 123. vbi ait, Turturem nostram, alterius, quàm Christi coniugium ignorasse. Turtur auis soliuaga, vninuba, vel vniuira: nec poterat Maria, & Turtur esse, & hosti obiici violanda. Turtur est; sed Turtur æterni Ducis: quid hanc à Dæmone victore præfœdatam suspicaris? Sed pende, quàm aptè in hoc Cantic. loco, turturis inuiolatum coniugium, cum collo iugi expertе, nec trituris fœdo, sed pulchris monilibus specioso coniungatur. Ecquæ, inquis, hæc monilia? Postquàm Christus obediens factus est, & præcepto paterno collum subdidit, eius obedientia, non iugum oneris, sed honoris; monileque pretiosissimum appellatur. Ast vnde, addis, collum Mariæ obediens, monilibus, id est, obedientiæ Christi comparabitur? Credo, quia instar Christi, nullum profanum captiua; sed solùm diuinum iugum pertulit obediens. Sic Maria in hoc, quoad fieri potest, Christi gloriam exæquauit. Alanus ibi: *Per collum, quod inclinare solemus in obedientiæ signum, significatur obedientia, & subiectio, quam Christo exhibuit: pro eo, quòd quasi iugum Christi accepit, & fidei eius obedientiam præbuit. Ornamentum ergo ceruicis, quod est obedientia, Christus est: ipse enim prior factus est obediens vsque ad mortem: exornatio ergo, & monile ceruicis eius, id est, obedientiæ Virginis, obedientia Christi est. Sed & ceruix eius, id est, obedientia, similis facta est obedientia Christi, quæ est monile Christi: magna ergo in hoc laus Mariæ, magna eius gloria: quod imitatio eius gloriæ exæquatur obedientiæ Christi, quam imitatur illa.* Et quomodo æquaretur, imò exæquaretur laus Marianæ obedientiæ, Christi subiectioni: si illa in primo instanti captiuata, excusso diuinæ legis iugo, adultero victori subiugandam se exhiberet? Sed hic locus infrà fusè examinandus.

491.

Psal. 73.

Maria turtur pudica: Christo similis ad libertatem.

Cant. 1.

Alan.

Id tamen venit huc gratissimum, quòd genæ istæ adulterium euitantes, collum seruilia onera excutiens, inde oriri videantur, quòd Maria Christi curribus assimiletur: *Equitatui meo, in curribus Pharaonis, assimilaui te, amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ,* &c. loco suprà citato. Quasi ideò Turtur nostra, diuina hæc Sponsa vniuira, ideoque eius collum iugi expers, quòd equitatui sacro foret similis. Ecquis equitatus iste, ecquæ quadrigæ? Respondeat Habacuc cap. 3. num. 8. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Semper Christus ad saluandum celer, semper velocibus quodammodo quadrigis ad hominum properat salutem: ast vna est Sponsa Maria, quæ non tam saluata dicitur, quàm ipsi saluationi, siue gratiæ simillima: quia magis illam exprimit,

492.

Maria Corredemptrix.

Cant. 1.

Habac. 3.

 quia

quia celeriùs illam rapuit; quia illam ebibit pleniùs. Quòd si hic cum aliis saluationem capias, de Saluatore ipso Duce nostro: videbis iterum in hoc bello, infernis hostibus illato, Mariam Saluatori similem, nec nisi temerè præsumes captiuandam. Quidni, si ipsa etiam Saluatrix facta est? Pulchrè Honor. ad locum Cant. *Sicut populus Dei à Pharaone per virgam Moysis: ita Ecclesia à Diabolo, per virgam Iesse Mariam, & florem suum Christum liberata est.* Quæ Sponso Duci in salutis quodammodo venit adiutorium, hostis captiuam esse repugnabat: non subiacuit Tartareo Pharaoni Virgo, quæ meliori Moysi virga extitit redemptionis.

Honor.

493. Sed videamus, quales sub hoc infausto Pharaone Ægyptio degant captiuæ. De his Ezechiel: *Fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt. Ibi subacta sunt vbera earum, & fracta sunt mammæ pubertatis earum.* cap. 23. num. 3. Explicat Propheta de his ad litteram Ierusalem, & Samariam: in spiritu, gentilis, Iudaïcique populi animæ intelliguntur. Et benè subacta vbera per fornicationem exprimuntur: quia, vt latè ostendi in Cantico, vberum tumor, & durities signabat virginitatem. Sed cur, inquis, inter tot alia damna, tot scelera perpetrata, vna priùs, & maximè exprimitur fornicatio? Quia captiuæ erant, quia in Ægypto miseræ seruiebant: vnde necessariò victori Principi inferno ad stuprum obtemperare cogebantur. Rupertus infrà citandus: *Quanta iniuria seruilitatis, in illa tali subactione vberum, talique fracturà mammarum!* Nescit seruilitas virgineum vberum tumorem conseruare: per domini libidinem constupratur, fœdatur per iniuriam.

Ezech. 23. *Ancilla stupris subiecta.*

Rupert.

494. Audi nunc, quàm aliter Dux noster ad Mariam: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli: collum tuum sicut turris eburnea.* Cant. 7. num. 3. Vide, quàm multa dixi de hinnulis conificatoribus, quibus vbera virginea, & stantia ibi declaraui. Nunc id pendendum, cur laudatis de integritate vberibus, collum de turrita fortitudine commendetur: quid enim robusto collo, & vberibus integris commune? imò, inquam ego, quid non commune, quid non conuenientissimum? Fregerunt miseræ prædictæ mulieres vbera sua stuprum passæ: quia collum seruili iugo priùs submiserant. Stent ergo Mariæ vbera, virginco corporis, & spiritus tumore, & pudore conseruato: quæ collum instar turris fortissimum ab omni iugo illæsum, & Dæmoni inaccessibile, præmunientis Sponsi Ducis gratiâ conseruauit. Sic vtrunque locum grata antithesi componit hìc Rupertus apud Delr. *Ista laus liberæ opposita est vituperationi ancillæ, &c. Ergo tu, ô libera Sunamitis, tu maximè, cuius duo vbera sunt gemella, sæculis omnibus inaudita virginitas, atque fœcunditas: tu, inquam, ô dilecta, singularis es ab omni iugo peccati secundùm istas similitudines. Quod est collum tuum, vel quale est collum tuum? Vtique non extentum, imò amicabiliter demissum Et hæc est humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima, verè sicut turris eburnea: quæ & aspectu amabilis, & staturâ sit fortis. Cui fortis? Cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis: Diabolo autem terribilis, & inaccessibilis.* Certè si Rupertus in locis, à minùs piis Doctoribus citatis; imò & in Prologo Cantic. Mariam originali labe infecit: hic resipuit, vbi illam singulariter ab omni peccati iugo eripit; & non solùm inaccessam, sed inaccessibilem Dæmoni commendat. Quomodo enim *inaccessibilis*, si eò accessit Dæmon, nec sine opimo spolio decessit? Quomodo terribilis, cui se subeundo iugo incuruauit? Quàm vana thalami sacri custodia, nisi integer Sponso asseruatur!

Cant. 7. *Maria non ancilla Dæmonis, quia virgo spiritu.*

Rupert.

495. Quàm vel ipso nomine pacificum se exhibet cælestis noster Princeps: & tamen in ipsa media pace, dum se propriè ostentat Salomonem, quidquid bellicum est, in thalami custodiam coacervat: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: viniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Cantic. 3. num. 7. Mirum! pacifica sunt omnia apud Salomonem; & solus thalamus perstrepit tumultu bellico: quia, nimirum, anxiè custoditur: vnde non tam hostis adulter dicitur expulsus, quàm ne temerè erumpat, prohibetur. Ecquis hic thalamus? Aponius ibi: *Salomon, pacificus interpretatur: Israel; mente videns Deum. Ecquis alius pacificus, nisi Christus? Hic sibi lectum fabricauit in Virgine Maria: quia etiam super animam obedientem requiescere comprobatur. Sexaginta vero, &c. Angelorum ministeria demonstrantur.* Imbelle robur, inermis vis, vel infideles custodes habendi viderentur, si castissimum Domini lectum, adultero alicui traderent polluendum. Quid? Sponsam, quam sibi Dominus vni fabricarat ipse, hanc ipsam, ministrorum incuriâ, statim à fabricatione tenebrarum adultero patuisse dicamus? Et benè custodia ista dicitur ambitio: *Sexaginta fortes ambiunt.* Quasi in ipso fabricationis instanti, quo Deus lectum, siue Sponsam istam sibi condebat, piissimè ambitiosi Spiritus cælestes, ministrare Mariæ concupiscerent: neque enim dignius, & Deo gratius munus æterno Duci, milites sacri poterant exercere. Benè, *ambiunt*, quasi de Reginæ custodia gratiosiores. Erubescamus aut Ducem nostrum obliuiosum ponere: aut supremos Seraphinos Virginis custodiæ destinatos, credere, (si fas dicere,) viles proditores.

Christus zelotypus.

Cant. 3.

Apon.

Angeli ambiunt Mariæ ministrare.

496. Sed id, inquiunt, fuit tantùm semel, originalis culpæ admisso adulterio, & antequàm ad Sponsæ, siue thalami eueheretur honorem: postquàm verò sanctissimis coniugij adscripta legibus, supremi Regis thalamus facta est, semper se Sole puriorem custodiuit. Lepidum effugium, quod risum pariter moueat, & stomachum! Fabricat illam Deus in singularissimam Sponsam, & Deiparam: intactam potuit, & maluit præfœdatam? Potuit, qui pascitur inter lilia, ex liliatâ fragrantiâ hanc educere: & ex hostis adulteri congressu, ex belli captiuitate, atque harâ educeret turpitudinis? Audi Gillibertum hìc, de quauis perfectiori anima locutum: *In hoc aliorum & tua, & læta sunt otia, quòd aliorum*

Angelorum custodia erga tutior.

aliorum sunt munita custodia : ideò lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. Non vult Salomon noster lecti sui turbari delicias, dulces attenuari affectus, nec attentari quidem : pacata diligit, qui pacificus dicitur. Cùm ad perfectionis apicem venitur, non solùm non turbari; sed quandoque nec attentari animæ dilectæ delicias patitur ipse Deus: an non digna Maria, quæ in ipsa sui fabricatione id caperet, quod aliæ in progressu? Pateretur Dux noster Sponsam Matrem, quam antonomasticè delicias appellat, non attentari solùm; sed penetrari? non solùm peti bello; sed captiuari? Gillibert.

497. Ego credo prædictis omnibus assentire Dionysium hìc art. 12. Lector non impius iudicauerit: *Nulli pura creatura tam eminenter, ac verè competit esse lectulum, id est, humilem lectum Salomonis, seu Christi, vt glorificandissima Virgini, in qua summus ille Pacificus elegit concipi, incarnari, ac habitare in medio vteri eius; spiritualiter quoque gratiosissimè in mente ipsius. Hanc igitur electissimam omnium creaturarum, statim vt in vtero Matris sua concepta est, Deus Trinitas Angelis sanctis custodiendam commisit; eámque frequenter vallauit, & honorauit multitudo cælestis militia; non tam ob indigentiam, quàm ob reuerentiam.* Cæteri fœtus, dum in vtero sunt, à materno tantùm Angelo custodiuntur: Mariæ de reuerentia ambitiosa, statim vt concepta est, Angeli ministrant: nec credo, si in instanti immediato, id est, in ipsa Conceptione, illam ex adulteri Tartarei amplexibus, ex captiuitatis infamiâ cernerent exsurgere, id honoris ambirent, neque excubias suas reuerentiæ potiùs, quàm indigentiæ deputarent. Nec esset Maria omnium creaturarum electissima, nisi semper Domina, & Angelis excellentior extitisset.

Dionys. *Angeli reuerenter Mariæ ministrarunt.*

Fatetur, ni fallor, istud ipse Gabriel; Virgini pàrtum annuncians: *Ne timeas, Maria*, &c. Luc. 1. Nam, cur speciosiori vocabulo illam non compellet, nisi quia ad ingentis dignitatis legationem nullum illustrius poterat excogitare? Vocauit Mariam, id est, *Dominam*, vt se seruum, & illam iam Reginam designaret. At si nondum Deum conceperat, nondum Verbi Mater erat, quo titulo in tantum dominatum euecta creditur; vnde iam Angelorum Domina salutatur? Respondeat Chrysologus Serm. 142. *Ante causam dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo sermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deserat seruitutis: quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & impetrauit authoritas.* Iam Maria nascitur Domina virtute Filij, Filio nondum concepto. Priùs ergo quàm Verbum esset Caro, sedulum futuræ Matri assistebat: & Dux præmuniens, quidquid seruitutem redoleret, indidem auertebat. Cur ergo ipsam Conceptionem conniuens deseruisset? Authoritas Filij nascenti Matri regnum irrogat: & cur authoritati tantæ, negatâ Conceptione præseruatiuâ, derogamus? Vocat, credo, Gabriel Dominam ante incarnationem, quam in ipsa Conceptione talem recognouit: quam tunc ambiuit venerari, quam semper liberam vidit, & nullo captiuitatis aut iugo, aut stupro præfœdatam. 498.

Luc. 1. *In Annunc. Mariæ.* Chrysol.




ANTHOLOGIA VIII.

Christus erga Mariam Altor prouidus.

§. I.

Protoparentum gula, famem Orbi miserrimam, aut bestialem indixit saturitatem, eámque omni felle amariorem.



499. HÆc est iam noua præseruantis redemptionis differentia, ex illis quatuor, quas huius articuli initio proposui, & confirmaui. Ab hac igitur miserâ fame, vt ostendam, Mariam à Christo altore prouido præseruatam; præmittendi sunt effectus, quos protoparentum gula Orbi, sibi nimirum protulit, atque posteris. Fuerunt isti præcipuè, fames miserrima, aut bestialis saturitas omni fame molestior, quippe draconum felle longè amarior: inde enim iam, vel ipsa luce clariùs comprobabitur à noxiali pomo ieiuna Virgo, quæ nunquã infausta fame torqueri potuit, cui plusquàm angelica saturitas, eáque omni dulcior melle, ministratur. Agedum, & ad singula iam fusiùs accingamur.

Protoparentis gula in nos effectus.

500. Vix pomum protoparentes degustant; cùm addit Textus: *Et aperti sunt oculi amborum: cùmque cognouissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Genes. 3. n. 7. Nihil apertis oculis priùs vident, quàm nuditatem, vt dum ad vilissima ficulneæ indumenta confugere coguntur, quam temerè Diuinitatis purpuram immortalem, & lucis inaccessibilis vestem anteà affectarant, recognoscerent. Sed, cur tam celeres miseram nuditatem protegere festinant? Cur, qui in Deum adeò impudentes, pudore sui inuicè suffunduntur? Puto, nõ solùm pudore affectos; sed & deliquio. Recrudescebat in stomacho infaustus cibus, durabat indigestus: ideò nõ saturi alimento;

Genes. 3. Famem, & deliquium induxit.

alimento; sed famescentes languore, ad vestem, si forte calefacti foueantur, confugerunt. Fauet D. Leontius apud Phot. cod. 272. de Eua locutus: sed perinde est, imò & arctiùs de Adamo: *Eua cum temerè de ligno gustasset, ipse Dæmon huius mortem petens, incoctum peccati cibum tenuit: & fame liquescentis nutritus, & illius induens nuditatem; purpuram esse regalem ficus folia illis imputauit.* Deuorant parentes infaustum scientiæ fructum; sed Dæmon quidem eodem famem miseris inferente nutriebatur: indigesta illa esca liquescentis languoris famem illis ingerebat, qua fame teterrimus tunc Serpens saginatur: incoctus adhuc permanet peccati cibus, vt pariter cum natura, ad posteros transmittatur: & dirâ fame interim cruciemur. Infrà num. 551.

D. Leont.

501. Prodegit omnia miser adolescens, gentilis populi typus expressissimus: & ecce subitò communi regionis infelicissimæ fame ingruente distorquetur: cibum captat, & capit siliquas, humanas, scilicet, scientias, terrenas voluptates. Nihil clarius: illud obscurum: *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Luc. 15. n. 16. Sed, cur Dæmon abūdè misero siliquas, & vitiosas scientias, & voluptates non offerebat? Vt semper auidior, & famelicus ad illicita perquirenda ex ipsa difficultate redderetur: & quid inde emolumenti hostis Tartareus reportaret? Nimirum, turpibus illis vitiis, & turpiori nouorum fame, qua tortus prodigus ipse saginaretur. Chrysol. Serm. 5. *Manducant siliquas, hoc est, voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant, & pascunt Dæmones, qui semper corporum vitiis saginantur, & sordibus* &c. *Sed hic iunior, quamuis cuperet; non tamen saturabat de siliquis ventrem suum. Quare? Quia nemo illi dabat. Diabolus quidem volebat per famem scientiæ, per voluptatum difficultatem, gentilem reddere auidiorem, ad illicita perquirenda.* Quasi vitiosa hac fame, plusquàm vitiis ipsis hominis Diabolus saginaretur. En igitur humanum genus, paterni morbi particeps: protoparentes infausto scientiæ boni, & mali fructui inhiarunt; hoc inutilium scientiarum siliquis anhelat: illi in ipsa carpti cibi voluptate famescētes enutriebant Dæmonem; nos indidem eundem pariter saginamus, dum famescimus.

Peccator semper nouâ vitiorum fame cruciatur.

Luc. 15.

Chrysol.

502. Sed, quid illud, quod addit prodigus? *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo?* num. 17. Si peribat voluptatum, & vanæ scientiæ fame, quid paternæ domus panem suspirat? Nunquid in domo Dei misera harum escarum genera reperiuntur? Absit: iam feliciùs alterius cibi generis famem sentiebat; cuius in paterna domo abundantia; cuius in mundo, post noxialis pomi esum, inopia extrema. D. Ambros. ibi lib. 7. in Luc. *Fames*, inquit, *non epularum, sed bonorum operum, & virtutum, quæ sunt miserabiliora ieiunia: etenim, qui recedit à verbo Dei, esurit: quia non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo Dei. Qui recedit à fonte, sitit: qui recedit à thesauro, eget.* Summum nefas, immane scelus in pomo illo vetito degustauimus: inde ad inopiam, & famem redigimur virtutum, omni epularum ieiunio duriorem. Sed cur signatè paternos cibos per *panes* explicaret, explicuit cum aliis Lyranus, quòd torqueretur fame *Eucharistiæ Sacramenti*: quam in Dominica domo videt, & inuidet peccator abundantem: vt enim nihil efficacius contra vetitum fructum mortis, hoc fructu vitæ, per summam misericordiam concesso: sic nihil per illius esum minùs meruimus, quàm huius esum.

Luc. 15. *Iustorum fames, qua.*

D. Ambros.

Lyran.

Habes famem à primo pomo illatam: quòd si cum illo pariter saturitas quandoque venire visa, bestialis illa est: dum enim per culpam in bestias transformamur, quidni belluinis epulis inescemur. Quod victus genus quàm sit abiectum, nouit ipse ethnicus Claud. 3. de rap. vbi querebundam inducit naturam, quòd genus aliunde tam nobile, in tam abiecti generis escam degenerasset: 503.

Peccatoris bestialis saturitas.

Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput: pecudum si more pererrant
Auia, si frangunt communia pabula, glandes?
Haeccine vita iuuat communibus abdita lustris,
Indiscreta feris?

Claudian.

Putares prodigi siliquas, & glandes doluisse. 504.

Primicerius quidem in hac miseriâ, ipse, qui miseriæ nostræ causa fuit, fuit Adam. Huic ergo post peccatum iratus Deus ait: *Comedes herbam terræ, in sudore vultus tui vesceris pane.* Genes. 3. num. 18. Si panem, licèt sudatum, iam promittit, quid herbam porrigit? Synonyma dixit, & aut herbam pro pane, aut panem instar herbæ habendum enunciauit. Et cur ita? Quia qui per culpam brutescens paradisiacos vitæ cibos spreuerat, necessariò in herbam brutorum cibum, id est; terrenas escas, auidus, & gulosus declinaret. Philo Iudæus lib. 2. Allegor. *Herbam vocat panem, per synonymiam rem eandem: herba bruti cibus est; brutus verò malus, cui exsecta est recta ratio.* Hinc ad posteros cum origine eadem tristis conditio deriuatur: hinc à patre, gulosi ieiunium fastidiunt, quibus per ventris ingluuiem belluini pastus, terrena edulia in deliciis sunt, quæ pro deprauato appetitu scitissimi condimenti sapiunt suauitatem.

Genes. 3.

Bestiarum cibo inhiat.

Philo.

Præcipitur clamare Isaïas: & dum quæreret, quid tandem clamaturus, illud sibi audit hominibus intonandum: *Omnis caro, fœnum: & omnis gloria eius, sicut flos agri.* cap. 40. num. 6. Quasi sicut fœnum marcescat, & tanquàm flos egressus conteratur. Fœnum in caducæ durationis assumitur ostentamentum: at, quot sunt inconstantiora longè fœno, & fragiliora? Foliolo vili hanc comparauit Iob, dum frondatum trunco, ludibrium vento rapitur, puluere consumitur. Bullam aquæ vocauerat Philosophus, quæ ad primam formata stillam, conteritur secundâ. Fumus dicitur à Dauide: quia quò audacior subit, subitò euanescit. Imò & somnus passim appellatur, quasi vigilans mendacium fuerit, veritas somniata. Cur ergo post tantum clamoris apparatum fœno comparetur, quod licèt arescat breui, ast aridum diu conseruatur? Optimè D. Zeno Veron. Serm. de car. & spir. sic ad hunc locum: *O cæca mens! quid præsentium carnalium rerum fugaci illuderis blandimento? quid deteriori meliorem subiacere compellis? scriptum quippe cùm noueris: Omnis caro, fœnum.* 505.

Isaïæ 40.

Mūdi gloria bestialis.

D. Zeno.

fœnum. eius si curam geris, pecudem te esse cognoscis. Sic ergo Deus inconstantiam, & fragilitatem carnis voluit edoctam, vt carnis amatores de bestiali indole commoneret.

506. Peruicaci brutorum stoliditate delirantes, diuino imperio Ægyptij puniuntur, sub quorum typo impiorum omnium inscitia castigatur. Quid tunc? *Linum, & hordeum læsum est: eo quod hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret: triticum autem, & far non sunt læsa; quia serotina erant.* Exod. 9. num. 31. Heu quàm miseris Ægypti incolis serotina! tandiu enim peccatores tritico, id est, humano rationis alimento abstinebunt, donec à brutalitate semel assumpta resipiscant, quod vtplurimùm serò euenit: interim hordeo iumentorum esca vtantur, carnali, scilicet, voluptate: quâ etiam quandoque, (vt iumenta ab irato domino priuantur hordeo,) à Deo spoliantur. Stephanus Cantuar. ibi apud Tilm. vno verbo: *Hordeum cibus est iumentorum: hæ sunt deliciæ sæculares.* Et his deliciis, proh dolor! homo ex pomo vetito, paradisiacas delicias postposuit.

Hordeo saginatur. — Exod. 9. — Steph. Cant.

507. Sed parum erat, vt belluinis escis inhiaret, nisi amarissimè eisdem pungeretur. Benè Germanus Constant. Orat. 3. de Cruce apud Gretf. *Lignum in Paradiso, ligniqne fructus decerptus, & comesus, acerbiores eructationes effecit.* Has adhuc humanum genus identidem reuoluit, & in singulis natorum inficiendis eructat denuò. Ideò Paulus Roman. 5. *Per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit; & per peccatum, mors.* Non tam in Adamum intrasse peccatum exprimitur, quàm supponitur: sed per vnum, in omnes homines deriuatum, quia omnes in vno peccauerunt. Et cur ita? Quia, sicut fons dulcis amaritudine aliunde infectus, euomitis vndis communicat amaritudinem: sic natura per culpam in Adamo tanquàm in fonte amaricata, eructationes felleas despumat adhuc. Fauet comparationi Chrysol. Serm. 111. *Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo,* &c. *Fontes, quantùm grati sunt per suam dulcedinem, & naturam; tantùm efficiuntur ingrati, cùm aliquod vitium, ex accessione susceperint.* Vbi multa de hoc loco Pauli, & peccati ab Adamo transmissione. Hi sunt breuiter, aut malè famelicæ, aut peiùs saturatæ naturæ affectus per peccatum: vt à fame saturetur miseriis, & ieiunet virtutibus à saturitate. Videamus iam, quàm hinc remota Maria à prouido altore Christo ad huius famis, aut praua inopia, aut deteriori saturitate præseruetur.

Germ. Const. — *Bellualis hic cibus, quàm amarus.* — Roman. 5. — Chrysol.

* * *

§. II.

Deipara à pomo vetito feliciter ieiuna, nihil prauæ famis passa: beatâ abundantiâ satura felicissimè.



INVITABAT Maria Christum, vt veniret humanæ naturæ vineam visitaturus, vt exurgeret in iudicium & misericordiam Deus, ne velut sub mandragorâ, quasi terrena non curans, dormire crederetur Cant. 7. num. 16. Deinde, vt pelliceat, sic subiungit: *In portis nostris omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* num. 17. Et pomis his attrahendus Deus tanquàm puerulus? Planè trahendus, saltem quatenus dilectus. Asseruabant, vt in Cant. dixi ad hunc locum, amasiæ dilectis intacta, & ab arbore poma pendentia: vnde illud Virgil. ad puellam dilecto absenti adspirantem: 508.

Cui pendere sua pateretis ab arbore poma.

Non ita protoparentes dilecto Deo, qui gulosi pomum præripuerunt, neque amanti intactum asseruarunt: at Maria, & illud, & cætera omnia præceptorum obiecta, instar pomorum, inuiolabiliter dilecto seruanda illi dedicauit. Fauet Cardin. Hailgrinus ibi: *Bonorum operum perseuerantia demonstratur in Virgine. Omnia boni odoris, ò dilecte, quæ feci, tam vetera, quæ ex mandatis legis veteris processerunt; quàm noua, quæ produxerunt præcepta euangelica; sine infectionis maculâ, sine corruptionis putredine seruaui tibi, tanquàm grata xenia præsentanda.* Omnis nostra iustitia, inquit Propheta, tanquàm pannus menstruatæ: quia & ab origine saltem maculâ inficimur, sapimus corruptionem. Vna est Maria, cuius opera Deo gratissima seruantur, quæ nec maculam sapiant, nec putredinem, vtpote quæ nec veteris originis pomum præsumpserat attrectandum, quod vna tantùm, quia custodiuit dilecto, cætera incorrupta potuit adhibere.

Cant. 7. — *Maria à vetito pomo ieiuna nunquã famelica, satura semper.* — Virgil. — Card. Hailg. — *Maria nullũ præceptum nõ seruauit intactum.*

Et fortassè ideò *in portis* dicuntur incorrupta præcepta asseruari: porta enim, qua rerum naturam ingredimur, conceptio est: & in hac porta, vbi omnes pomum illud à parente morsum, iterum remordemus, sic feliciter ieiunauit Maria, vt ibi felix augurium exhiberet cæterorum omnium pomorum immaculatè, & incorruptibiliter dilecto asseruandorum. Facit huc etiam, quod Philo Carpath. ad rem suam explicuit de portis sensuum, quod mirificè, dicendis iam conducet: *Per portas, vires animæ, & humani corporis partes, ac membra significari arbitror, vt aures, & os, & oculos: per quorum portas, & vitæ merita ingrediuntur, & mortis.* Audiuit infausta Eua Serpentis sibilos; en aures debellatas: vidit curiosa pomum, quod esset pulchrum; en oculos expugnatos: inde tulit, & comedit; en os perruptum: quidni superatis portis arx ingrediente morte caperetur? Mentior, aut in his omnibus dissimilem Mariam testatur Scriptura; & portarum suarum custodem fidelissi- 509.

Phil. Carp. — *Sensuũ portæ claudendæ.*

mam, ne illam in vetito pomo mors ingrederetur. Attende.

510. Cant. 4. *Maria Antiiua.* Rupert. Laudaturus hanc Christus: *Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecùs latet: capilli tui, sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad: dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Cant. 4 num. 1. Vbi Rupertus ex ore Christi sic scribit: *Quam pulcher ordo! Primum oculis, & post oculos capillis, post capillos, dentes laudantur innocui. Respicite, amici, ad sinistram, considerate Euam mulierem odiosam, huic dilectæ oppositam, & oculis, & capillis, & dentibus, & labiis, & genis, & collo, & vberibus infaustis.* Aliqua breuiter ab eodem examinemus. Oculi columbini dantur Mariæ. Si spiritualis pulchritudinis dotes quærerentur, Phœnicis oculi adducendi videbantur, quibus arcanum iubar, vt ait Claud. indidit natura. Si perspicacitas *Oculos habuit columbinos.* mentis laudabatur, vocentur in exemplar aquilini, Solis examina, astrorum censores. Quid ergo in columbinis nitet, quo maximè in tantam comparationem adducantur? Innocentia prædæ, & raptus displicentia: vt hinc tota Euæ Maria opponatur. Rupertus: *Oculi eius, non sicut columbarum, sed sicut oculi coruorum rapacium: scriptum est enim: Vidit igitur mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum.* Non ergo guloso affectu hoc lignum respexit Maria in protoparente: quæ non rapaces coruos; sed innoxias columbas gestabat in oculis: cuius palpebræ non efformabantur in vngues vetito attrahendo; sed in vallum tenendæ obedientiæ formabantur.

511. *Dentes immunes à cibo vetito.* Maius est, quod de dentibus additur. Sunt tonsæ istæ (apud Rupertum) de lauacro ascendentes; iustificati omnes è diuini Sanguinis balneo, & è Baptismatis lauacro feliciter resurgentes: vbi vix videtur apparere, quid dentibus Mariæ, cum iustorum renouatione sit commune: imò quid, si Virginis excellentia laudanda veniebat, à dentium metaphorâ desumatur. Sed nihil vsquam ad rem meam excellentius dici poterat. Optimè idem Rupertus de Eua: *Dentes verò eius, quales* Rupert. *fuerunt? Nimirum, sicut dentes leonum, qui momorderunt, & mordendo vetitum, ventura posteritatis suæ animas interfecerunt: si enim de filiis eius veraciter dictum, vel scriptum est: Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ. & illud: Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus. quantò magis de illa, quæ tali consilio momordit, cuius morsus tam malus prouentus exitii, rectè quis dicat: Quia dentes eius arma ferrea fuerunt: dentes eius molæ, siue molares fuerunt. At tui dentes, ô amica mea, sicut grex tonsarum,* &c. Nulla ratione pulchrius feliciter à noxio pomo ieiuna Maria poterat celebrari, quàm dum eius dentes (quia Euæ dentibus malè gulosis oppositi) baptismali innocentiæ comparantur. Quàm sit certum, non momordisse cum Eua pomum infaustæ scientiæ, quæ maximè à dentium munditie nitida, nitore sancto, ipsi Euæ antithesis collaudatur.

512. *Iterum Antiiua Maria.* Eua itaque, lernæ ritu, rictus gulosos deuorandæ scientiæ expandit: Maria, ouis instar purissimæ, ieiunam se seruauit: inde illic fames, hîc saturitas. Eua scientiæ prohibitæ auida, tota labitur in errores: Maria inde abstinens, penè diuinis notitiis abundat. Benè Dionys. art. 15. ad hunc locum, in his Mariæ dentibus purissimas considerationes, diuináque ruminata mysteria Dionys. graphicè explicans, sic concludit: *Hæ considerationes, discretiones, ac masticationes illustrissimæ Virginis, instar tonsarum ouium puræ, & innocentes fuerunt, ab omni errore, admixtionéque culpæ penitus alienæ, tempore ascendentes de totius luminis fonte, de lauacro, id est, de flumine sapientiæ Virginis sacræ.* Ieiunarat Maria à cibo vetito absque dubio, quæ sic diuinis notitiis, prorsus à culpæ, & erroris admixtione alienis saturatur: inde enim in tot errores, & veræ cognitionis famem deuenit natura nostra in protoparentibus; quia malè faustæ scientiæ fructum degustauit.

Ad hunc sensum putarem referenda, quæ statim de Maria subdit Christus eodem cap. n. 11. 513.
Fauus distillans, labia tua, Sponsa: mel, & lac Cant. 4.
sub lingua tua. Vt nihil in Mariano ore credatur, *Mel, & lac in Baptismate gustata.*
quod vetiti pomi sapiat amaritudinem, quam suprà vidisti felleam; non illa fel fœtidum despumauit, quæ merum mel sic dicitur stillare. Est tamen occultius aliquid mihi ponderandum, in iucundissimâ hac mellis, lactisque mixtura. Solebat in primitiua Ecclesia fidelibus inter Baptismi cæremonias, mel, & lac præberi degustandum: ideò Tertul. de corona militis, cap. 3.
Ter mergitamur, &c. *Inde suscepti, lactis, & mel-* Tertull.
lis concordiam prægustamus. Cuius moris ferè omnes antiqui Patres meminêre. Causam explicare videtur ipse Tertul. lib. 1. contra Marc. cap. 14. vbi de Christo: *Sed ille quidem vsque nunc, nec aquam reprobauit Creatoris, qua suos abluit: nec oleum, quo suos vngit: nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat.* Itaquè, sicut infantibus recens natis mel, & lac porrigitur: sic renatis per Baptismum, quasi modò genitis infan- Delr.
tibus, infantilia edulia porriguntur. Delrius no- Cerda.
ster Adag. 61. & Cerda item ad Tertul. volunt, mysticæ huius mixturæ baptizatis porrectæ rationem deducendam ad illud Exod. 3. num. 17. Exod. 3.
Educam vos de afflictione Ægypti, &c. *ad terram fluentem lacte, & melle.* Et paulò antè num. 8. *Educam de terrâ illâ in terram bonam, & spatiosam; in terram, quæ fluit lacte, & melle.* At, quid, inquis, habet terra fluens lacte, & melle, cum rationabilibus infantibus: vt eius causa his renatis, mellis, & lactis mixtura prælibetur? Ego quidem ita puto: in terra fluente lacte, & melle, Paradisi delicias, quas amisimus, insinuari: ad quas iterum, relicta mundi captiuitate, abolito originis peccato per Baptismum, innocentes reducimur. Si itaque melle, & lacte redundat innocentia, stillet mel, & lac Maria, quæ innocens amaritudinem nostram non gustauit.

Hæc est felix illa terra, quam Abrahæ, & eius 514.
posteris in stellas designatis Genes. 15. promisit
Dominus: de qua audiendus Ricardus Victor. ibi Genes. 15.
apud Tilm. *Videamus ergo, quæ sit terra, quæ lacte, & melle manat: quam cum Abraham in hæreditatem accipere, & de manibus Chananæorum debemus violenter eripere. Sed, vbi quærenda est terra, quæ tanta dulcedine tota redundat? De regno autem cælorum credimus, quod intra nos sit: vnde & sui generis terram, viuentium, scilicet, nihilominus intra nos esse, credere debemus,* &c. *Hæc terra multa prorsus dulcedine manat: quia cordis iucunditatem conscientiæ securitas parat: promissionis terra, conscientia secura: terra melliflua, iucunda conscientia,* &c. Quid hîc audis, quò quodammodo originalis innocentiæ

Maria terra paradisiaca. Ric. Vict.

innocentiæ felicitas non referatur, & terra illa Paradisi, penè de cæli temperie exultans? Talis est terra melle, & lacte fluens: talis est Maria, terra benedicta, terra originalis felicitatis: non gustauit acerbum pomum, quæ mellis, & lactis dulcedine saturatur: non appetiuit gulosa scientiam boni, & mali indiscriminatim; quæ ab ipsa origine lactea, & mellea, feliciùs satura notitiis diuinis, sciuit reprobare malum, & eligere bonum.

515. Certè simili argumento, in occultiori sensu, visus mihi visus fuisse Isaïas erga Christum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: & vocabitur nomen eius, Emmanuel. Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* cap. 7. num. 15. Quæ enim ista consequentia, vt quia infantilibus escis nutriebatur Christus; ideò & eligere bonum, & reprobare malum profunda cognitione celebretur: nisi quia infantiles istæ escæ, innocentiæ pueritiam, & terram illam originalis iustitiæ lacte, & melle fluentem in ipso redintegratam significabant? Venit ergo secundus noster innocentiâ pastus melleâ, & lacteâ, vt Adam primum nociuæ scientiæ gulosum, eiúsque pastu, verâ discretione ieiunum sic curaret. Fallor, aut fauet huic menti D. Bernard. Serm. 2. de Aduent. Dom. *Propter nos venit, tanquàm vnus ex nobis, similis nobis passibilis. Denique, butyrum, inquit, & mel comedet: ac si dicat: Paruulus erit, & vescetur infantilibus alimentis. Vt sciat, inquit, reprobare malum, & eligere bonum. Etiam hîc bonum, & malum audis, sicut in arbore vetitâ, sicut in ligno transgressionis: sed multò meliùs à primo Adam, secundus iste partitur: eligens enim bonum, malum reprobat.* Et statim in humana natura, tanquàm oue, lac pingue, siue dulce butyrum, à caseo corruptionis acidæ coagulis condensato subdistinguens, sic subiungit: *Vide, & quàm optimè puer noster elegit, qui naturam nostram sine vlla peccati corruptione suscepit: nam de peccatoribus legis Ps. 118. coagulatum est sicut lac, cor eorum. in quibus vtique lactis puritatem corruperat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis.* Si ergo vides, Mariam lacte liquido dulcescenti, non coagulato, & amaricante, simúlque, instar Filij, nectareo melle pastam: quid illam proportionaliter cum Christo, ad terram melle, & lacte fluentem, id est, ad innocentiam non reducis? Aut quid huc adducis ligni vetiti fructum, cuius non gustasse felleas amaritudines arguitur, quæ mellitis innocentiæ epulis saginatur?

Isaiæ 7.

Maria de innocentia Christo similis.

D. Bernard.

516. Deinde agedum. Constitue mihi hinc lignum vitæ; inde lignum scientiæ boni, & mali, id est, lignum mortis: an non putares incommodum, si mortis surculum ligno vitæ insereres, vt in vitali gremio mors adolesceret, vt mortis fructibus vitalis illa arbor funestaretur? Nemo dubitet. Quam ergo putas Mariam, nisi purum & putum lignum vitæ, quæ (vt exclamant Sancti) vitali fructu, vitæ æternæ edulio, Christo, scilicet, Orbem satiauit? Vnde ergo mortis fructu, amaritudinis veneno hanc putes infectam? Nemo Catholicorum dubitabit de Maria, & Christo, capienda illa Isaïæ: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* cap. 11. num. 1. de quo Hieronymus latè. Sed, cur ad redemptionem nostram, non solùm Christus promittitur; sed & Maria; idque sub virescentis virgæ, sub fructus floridissimi, aut floris fructuosissimi metaphora? Conuincatur vt apertæ Dæmon falsitatis: dixerat ille: *Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri,* &c. Genes. 3. num. 4. At, vnde ex virga, & flore promisso conuincitur? Acutè Bernardus citatus, post multa de hoc loco, sic concludit: *O Virgo, virga sublimis,* &c. *O verè cælestis planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua: duo imposueras Creatori: mendacij, & inuidiæ infamaueras eum: sed in vtroque conuictus es esse mentitus: siquidem & ab initio mentitur, cui dixeras: Nequaquam morieris. & veritas Domini manet in æternum. Sed & nunc responde, si potes: quam ei arborem, cuius arboris fructum inuidere potuit; qui nec hanc quidem virgam electam, & fructum sublimem negauit?* Arborem scientiæ, eiúsque fructum Dei inuidiâ hominibus negatum blasphemauit Dæmon. Planè mendacij iam conuincitur, dum Dei misericordiâ Maria vitæ lignum pretiosius, eiúsque fructus pretiosissimus Christus hominibus conceditur. Et dicamus adhuc, talis vitæ lignum, mortis pomo funestatum? Ieiunauit certè ab hac amaritudine, quæ vitæ suauitate satiatur.

Isaiæ 11.

Maria, ligni vitæ.

Genes. 3.

D. Bernard.

Deum veracē ostendit, confuso Dæmone.

Attende adhuc, quæ Leontius suprà citatus de Eua subdit: *Ipsa manu contumaci defectionis scribens legem, acquisiuit sibi pulchrum fructum, & adolescentiâ mortis maturum.* Græca habent: Τῇ ἀκμῇ πεπαινόμενον τῦ θανάτυ. Est verò ἀκμὴ, flos ætatis, seu vigor adolescentiæ: vel, quia mors tunc incipiens, & adolescentula vernabat in pomo: vel, quia ibi erat in toto vigore suo, quæ ni tunc gustaretur, iuuenile furens, de cætero aut reperet infans, aut vetula titubaret.. Pulchrius mihi, si, τῇ ἀκμῇ, reddas per datiuum: *Acquisiuit fructum adolescentiæ mortis maturum.* hoc est, solum maturum, vt si comederetur, mors inde vigens contra homines adolesceret. Sed, vtcunque explicetur, audis dissimulatam mortem, pomum purpurantem, & in ipso maturitatis pulchræ lenocinio obuelatam. Arbor igitur illa infausta, cum fructu simul mortem porrigebat: è contra vitæ arbor immortalitatem incorruptibilem propinabat. Genes. 3. num. 22. Quid inter se diuersius, imò auersius? Si ergo Mariana arbor fructui vitæ producendo plantabatur, quid illi mortis surculum inserimus? Si verè *cælestis planta*, cur supplantandam culpæ obiectamus? Si salutis germen electum, cur Tartareâ bipenni credamus detruncatum? Certè non tam dulci fructu Maria satiaretur, nisi in communi amaritudine ieiunaret. 517.

Leont.

De Maria, vita ligno. plura.

Grandius aliquid meditor. Sic Maria diuina dulcedine satiatur, sic à communi amaritudine ieiunat; vt communem amaritudinem extinguat, & nobis necessariam dulcedinem restituat. Quemadmodum gustus felleâ qualitate morbidâ vitiatus, cuncta, quæ sumit, vitiat, & venenat: sic humanum genus morbido scientiæ vetitæ fructu venenatum; diuinam etiam scientiam, quam fortè attingebat, reddebat amaram: vnde, vt ait Paulus, litterâ mortificante obruebatur, ne viuificanti spiritu animaretur. Quid faciendum hominibus, quibus ipsa etiam scripturarum dulcedo, amara erat? vnde sibi remedium comparandum? 518.

Maria, Paradisus felicior.

randum? Videbis alexicacon, si attendis exem- Genes.2. plo: *Non pluerat, inquit Genesis, Dominus Deus super terram; & homo non erat, qui operaretur terram: sed & fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Genes. 2. num. 5. Est autem *fons* iste, fluuius ille, qui è Paradiso num. 10. in quatuor flumina dicitur diuisus. Ast, vnde ascendebat hic fons, siue fluuius, in medio Paradiso? Certè per occultos meatus è mari procedebat prominens, scaturiens promanabat. At ad irrigandam terram, aquà marina, sterilis salsugo nonne ineptiret? Planè, nisi priùs in dulcedinem verteretur. At vnde tam breuis, tam subita immutatio? Acutè Rupertus infra citan-
Rupert. dus: *Aquæ suapte natura salsæ erant, & amaræ: ascendendo autem per illam quasi terræ mammam, scilicet, paradisiatam terram, versæ sunt in dulcedinem, vt irrigarent vniuersam terræ superficiem: ipsæq; dulces, ac potabiles, captiuo (quod futurum erat) generi humano, terram extra Paradisum facerent habitabilem, scilicet, herbarum, lignorum, seminúmque feracem: & inter aquas cæteras, quæ ex illa mamma dulcorem acceperunt, illa flumina Gehon, & Phison, Tigris, & Euphrates præcipua sunt.* Nihil amaritudinis habuit terra paradisiaca, quæ salsuginem in lacteam dulcedinem, tanquam suauissima mamma, commutabat. Quàm benè à maledicta captiui populi terra condistinguitur, quæ illius vicem dolens, quam potuit, quam habuit, intulit feracitatem!

519. Dedi typum apertissimum Mariæ, ad quam proinde Christus: *Fons hortorum, puteus aquarum*
Cant.4. *viuentium.* Cant. 4. n. 15. vbi Rupertus prædictis sic subiungit: *Similiter aquæ Scripturarum ex te,*
Id probatur. *Soror mea Sponsa, dulcescunt; ex vtero tuo, siue per vterum tuum, viuentes factæ sunt: aliàs autem valdè*
Rupert. *amaræ, imò & mortuæ, & mortificantes sunt: littera enim occidit,* &c. Felicior Paradisus Maria, per quam dira litteræ salsedo, in viuificantem Christi spiritum commutatur. Quid à veteris scientiæ amaritudine ieiuna non colatur, quæ æternæ sapientiæ Dei thesauro satiata, scientiarum cælestium flumina irrigandæ Ecclesiæ dulcorauit? Hæc satis de Maria à fame diuinarum notitiarum præseruata, quam parentum gula miserè Orbi intulit, déque amaritudine veteri pomi non degustata illi, per quam etiam amarissima dulcescunt. Plura de hac re Honorius, Guillelmus, Alanus in Cat. Cant. apud Delr.

§. III.

Maria eucharistici Panis Conda, Proma: non debuit per culpam fame cruciari.

520. VIDISTI suprà ex Lyrano, famem, & inopiam è culpa ortam, & Eucharistiæ defectu cruciantem. Dicebam, nihil ita oppositum pomo vetito, quàm cibum eucharisticum: & quantùm est ex se, nihil minùs protoparentum gulam meruisse, quàm humano generi hanc escam apparari. Audi nunc, Mariam non *qua munditia ad Eucharistiã requiratur.* solùm Eucharistiæ fame non cruciatam; sed etiam miro quodam modo in Condam, & Promam eiusdem nobis electam. Illa hunc panem è cælo venientem apparauit, & in cellario condidit purissimo: inde illum nobis promit in escæ mortalis antidotum. Quid mortis odorem exhalaret horreum sacrum, officina beata, vnde vitalis cibus depromendus? A qua fame per culpam orta non præseruaretur, quæ bonorum omnium saturitatem nobis ministrauit? Vnde bene D. Anthonius de Padua Dom. 3. Quadrag. de frumento il- D.Ant. Pad. lo, quo Ioseph apud Ægyptios mundum sustentauit, sic habet: *Iesum Christum significat, qui in cellario beati ventris gloriosæ Virginis, nouem mensibus fuit reconditus.* Et inde à liberalissima Proma nobis editus.

Maria eucharisticum Panem concepit, & dedit omnibus. Et

Non debuit quidem infaustæ cuiussuis famis 521. incendio cruciari, quæ Panem viuum, contra mortalia primi pomi incendia, erat conditura. Si vsquam congruè, congruentissimè huc adducun- *Clibanus purus fuit.* tur verba Petri Cellens. lib. de Pan. cap. 21. *Virgo virginum clibanus est ad Panem cælestem suscipien-* Petr.Cel. *dum, non ad vrendum: ignem enim vrentem nunquam admisit, quæ carnis concupiscentiam non sensit: ignem fumantem non nouit, quæ non concepit iniquitatem.* Dedecebat cælestem Panem ibi recondi, vbi famescens aliqua concupiscentia cruciaret ad appetendum vetitum; aut vbi fames, & puritatis inopia vsquam inuenta. Nihil malè vrentis ignis, imò nec obumbrantis fumi, neque conceptæ iniquitatis, cælestis Panis officinam potuit sordidare.

Pretiosissimis è lignis mensam iubebat sibi 522. Deus apparari: nec id satis: sed etiam auro, cóque purissimo adornatam, Exod. 25. num. 23. *Aurea mẽsa.* De hac igitur statim subditur: *Et pones super mensam panes propositionis.* num. 30. Ac si nulla Exod.25. munditiès non foret necessaria, panibus Deo sacris excipiendis: Quid Pani Deo excipiendo non prærequiratur? Qualisnam sit Maria, de qua D. Epiphan. sæpè citatus, alludens ad hunc locum? *O fidei mensa intellectualis, quæ Panem vi-* D.Epiph. *tæ mundo suppeditauit!* Nec immeritò, & ignis purissimus, & aurum mundissimum, huic & condiendo, & suscipiendo Pani postulatur: vt quà *Panis*, non fumetur: & quà *aureus*, nihil fæcis in hoc sanctissimo conflatorio inueniret. De Christo explicant aliqui verba illa Iob: *Habet* Iob 28. *argentum venarum suarum principia; & auro locus est, in quo conflatur.* cap. 28. num. 1. Vbi audiendus, Ricard. Victorin. apud Tilm. *Quis, quæso,* Ric.Vict. *huius conflatorij locus? an fortè est vterus virgineus? Quis huius operis conflator, aurique mundator, nisi Spiritus Sanctus? Huius sanè operatione in ventre virginali conflatum est aurum, & decoctum ad purum: natura humana purgata, & ab omni labe mundata, Verbo vnita, & in vnam Personam coniuncta.* Qui eos Patres contra piam sententiam congerunt; qui dicunt, Mariam in vtero Matris mundatam: videant, quid hîc venerabilis Ricardus de humanitate Christi dicat, dum purgationem inducit, & mundationem: cùm non nisi plusquàm impiè, in illa sacratissima humanitate aliquid præcedentis labis intelligatur. Redeo. Quis vnquam artifex fæces iniecit conflatorio? quis purgando auro, noua addidit purgamenta? Si ergo in Maria, aurea humanæ naturæ

naturæ placentula Deo vnienda, nobis condienda apparatur; sit nefas credere, virgineum conflatorium fæcibus præfœdatum.

523. Magis tamen ad rem præsentem id, quod addit Ricardus, Spiritum Sanctum in hoc conflatorio naturæ aureæ fuisse mundatorem. Scilicet, *Singulare Dei opus non profanatur.* nec poterat, nec debebat Marianum attingere conflatorium, clibanum accendere virgineum, nisi diuinus ignis: vt quemadmodum ipsa (de quo suprà latè) ab ipsomet Deo impensissimis curis fuit fabricata; sic ipsomet, tanquam igne, accenderetur. Exemplo rem declaro. Blandiebatur Statius lib. 1. Syl. 5. amico Hetrusco, quòd eius balneum Dei ipsius industriâ fabricaretur, quòd eidem diuinæ manus desudarent:

Stat. *Ipsa manus tenuit Cytherea mariti,*
Monstrauitque artes.

Quasi mira pulchritudine fabricarentur thermæ, quibus ipsemet Vulcanus, adblandiente venustatis Dea, impendebatur: at camini, fornacésque à Diis fabricati, quis crederet profano igne accendendos? Ideò prudens subdit Poëta:

Neu vilis flamma caminos
Vreret, ipsa faces volucrum succendit amorum.

Indignè enim diuinum opus, minùs decenti incendio destinatum fingeretur.

524. At Maria reapse impensissimè à Deo constructa, sola diuini amoris igne potuit accendi: & id *Quàm purus clibanus Maria: & quo igne accendendus.* quidem semper, etiam ab ipsa Conceptione: nec boni alicuius fame inopi, aut mali alicuius æstuanti desiderio laborauit, quæ promendæ eucharisticæ saturitati concipiebatur. Hoc expressè Petr. Cell. voluit citatus Cellensis: *Oportuit*, inquit, *hūc priùs clibanum non vili stemmate, neque more consuetudinario fabricari: quatenus in plenitudine temporis, Panis, qui dat vitam mundo, de cælo descendens, pro dignitate suâ congruum inueniret locum, vbi posset opportunè, carnem assumendo, decoqui.* Quid iam obtrudas vitiatum ab Adamo stemma, & morem originis fœdatę consuetudinarium? Non congruè exciperetur Panis vitæ, nec puritate debitâ coqueretur, nisi purissimè clibanus fabricaretur. Ideò in eodem cap. iterum: *Filius altare est de terra sancta: quia corpus habet de Matre sine macula.* En à Deo singulariter, & mundissimè fabricatum clibanum nostrum. Iam verò ignem eius fusissimè explicat ibidem idem Author de gratia, déque Spiritu Sancto, concludens: *Clibanus ardet igne materiali, &c. Virgo æstuat amore speciali.* Non solùm ignis est sanctus; sed & specialis: qualis prædictæ fabricæ tenorem decebat: cum quo nulla fames ab escâ noxiâ ingesta, nulla concupiscentia æstuans stare poterat.

525. Primitias Deo offerendas sub panis forma, vt Panem cælestem exprimerent, præcepit Leuit. 23. Moyses his verbis: *Panes primitiarum duos co-* 1. Cor. 10. *quetis.* Leuit. 23. num. 17. Et tamen de eadem *Maria est quidquid in Eucharistia est ex vi verborum.* oblatione locutus Paulus 1. Cor. 10. num. 17. id est de Christo; Christum *vnum* tantummodo *Panem* appellauit: sic passim Panis vnus appellatur. Quid ergo, inquis, Moysem impulit, vt Panem diuinum nostrum sub dualitatis numero subdiuideret: cùm passim in Testamento nouo vnus Panis, sub quo omnes vnum sumus, celebretur? Respondet aptissimè Cellens. cap. 7. Petr. Cell. prædicti libri, Moysem, vt longè erat ab Incarnationis tempore felicissimo, vtranque naturam, diuinam, & humanam, adhuc separatam; sed tamen nobis condiendam in panem aspexisse: vnde, licèt iam festiuus de esca; tamen de mysterio duos panes appellauit: at Paulum post Incarnationem, duas naturas in vnitate Personæ coniunctas adorasse: sic meritò Panem vnum voluit exprimendum. Ergo in hoc Pane, vnde totius mundi salus dependet, partem Pater indidit, & partem etiam Mater subrogauit: vt non solùm illi clibani, vel cellarij munus; sed etiam dimidiam Panis salutaris partem (id est, totum, quod ex vi verborum ponitur in Eucharistiâ) debeamus. Benè Cellensis proximè citatus, sic subiungens: *In natura quidem Diuinitatis, ante omnia natus est de Patre: in natura verò humanitatis, in fine sæculorum editus est ex Matre. In eiusdem certè Virginis clibano cocti sunt panes isti: quia Verbum, & Caro sic fuerunt ad inuicem coniuncta in vtero virginali, in vna, eadémque vnitate Persona, vt vltrà non diceretur separatim homo, vel Deus; sed diceretur vna Persona inseparabiliter homo Deus.* Vbi deinde Moysem Paulo conciliat. Quàm verò hinc nullus culpæ fomes, nulla fames noxia, nulla gratiæ inopia, nulla cum Deo inimicitia in Maria inferatur; alio etiam ab humanis exemplo, lubet enucleare.

Exercitæ olim sæuissimæ, & scenicissimæ inimicitiæ inter Salinatorem, & Claudium, ac vtriusque familias: qui tamen per posteros matrimonio coniuncti, communem ab vtroque *Maria continenter Deo semper amica.* genere fructum, Imperatorem Tiberium ediderunt. Ponderat id palpator Valerius lib. 2. cap. 9. & concludit: *Quibus viris, si quis cælestium significasset, futurum, vt eorum sanguis illustrium imaginum serie deductus, in ortum salutaris Principis nostri conflueret; depositis inimicitiis, arctissimo se amicitiæ fœdere iunxissent; seruatam ab ipsis patriam, communi stirpi seruandam relicturi.* Veniebat quidem Panis noster cælestis, Redemptor salutaris, priscæ fami pro totius mundi salute expellendæ: impiè ergo putemus, inter vtrunque salutaris Principis diuinum comprincipium, Deum, scilicet, & Mariam, inimicitias exercitas fuisse. Et fuissent quidem, si hæc à pomo noxio non ieiunaret: neque enim indiguit aliena significatione Pater luminum, vt præuideret, non imaginum cerearum seriem post longos ductus; sed imaginem suam diuinam, & substantialem, cum substantiali Mariæ imagine, in ortum vitalis Panis confluxuram. Qui igitur tantam in communi stirpe præuidit coniunctionem, certè amicitiam comprincipio non inuidit: vt posses dicere, ideò *panes propositionis* (qui, vt dixi, Christum referebant) Exod. 25. n. 30. ab Aquila vocari, *ἄρτους προσώπων*, *panes facierum*: quia in Christo viuæ Diuinitatis à Patre, & humanitatis à Matre imagines, in vnam personam, tanquàm diuinum facierum Panem, confluxerunt. Exod. 25. Aquila.

Nihil certè potuit sordidum in cellario nostro inueniri, quominùs mundè cæleste manna nostrum exciperetur. Pulchrum huc venit illud de Manna: *Cùmque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & manna.* Num. 11. num. 9. In Hebræo est: *Descendebat super eum manna.* cui fauere videtur Vulgatus noster, sic de eodem scribens. Exod. 16. n. 4. *Ros iacuit per circuitum castrorum: cùmque operuisset* 526. 527. Valer. Numer. 11. *Quàm purè eucharistica vmbra, manna, scilicet, exciperetur.* Exod. 16.

superficiem

superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, quasi pilo tusum, in similitudine pruinæ super terram. Quasi priùs operuisset ros superficiem terræ, & tunc desuper manna minutum appareret. Sed adhuc emphaticotera ad hunc Exodi locum lectio Hebræa, quæ sic habet: *Mane quoque. fuit operimentum roris per circuitum: & ascendit operimentum roris, & ecce in solitudine minutum discoopertum.* Habes itaque apud Numeros ex Hebræo clarè constratam priùs rore terram excepisse manna: habes ex eodem Hebræo apud Exodum, manna ipsi super rorem immisso, obductum aliud roris operimentum. Sed quorsum id? Respondet Lyranus ex Rabbi Salom. *Primò cadebat pruina super terram, & postea manna desuper: & posteà ros aliquantulùm congelatus desuper. Itaque manna erat intermedium quasi mundè custoditum, & repositum inter duo stramenta, scilicet, pruinæ, & roris.* Quasi non casurum, nisi vndique mundissimè custoditum, obduceretur: nefas enim, vt manna cælestis Panis figura extraordinariam munditiem non supponeret, & vel sordem admitteret leuissimam.

Heb. lect.

Lyran.

528. Maria igitur, quæ manna verum, Panem viuum excepit, quibus non dispositionibus credemus præparatum? Equidem iustitiam originalem habuit stramentum; & posteà mille cælestis roris benedictiones, operculum: ne quid minùs ex infecta Matris conceptione mundum, Filio adhærescere videretur. Vide, quæ suprà multa dixi de gratiæ Marianæ plenitudine, quæ conceptionem vacuam dedignatur: inde inferes, quàm apte D. Epiphan. loco sæpè citato hæc duo coniungat: *Aue, gratiâ plena, quæ es vrna aurea continens manna cæleste.* Quasi aurea tota futura necessariò, nihil miseræ famis; sed totam abundantiæ sanctæ plenitudinem habitura, quæ in cælestis mãna horreum mundissimum condebatur. Neque videtur carere mysterio, quod additur in Hebræo: *Et ascendit operimentum roris: & ecce in solitudine minutum discoopertum.* de quo ipse Lyranus: *Ros parum congelatus, qui erat super manna, oriente Sole, resoluebatur, & ascendebat in vapores; & tunc apparebat manna discoopertum.* Quasi tantùm à cælesti Solis igne, quo manna fuerat conditum, & coopertum; in communem vsum foret discooperiendum. Ideò optimè Cellensis citatus cap. 21. de Spiritu Sancto, siue igne cælesti, qui virgineum clibanum, Panémque vitalem fouit, sic subiungit: *Tam facile exibit panis, quam sine obstaculo aduenit ignis: nam ignis Panem decoxit, & extraxit: coquens, Carni Verbum inseparabiliter vniuit: extrahens, ad instructionem generis humani, mundi Creatorem, & Redemptorem obtulit. Ignis iste clibanum illustrauit, & confirmauit; Panem coxit, & confortauit: & Panem quidem quodammodo præcessit, dum in Virgine præuenit, & superuenit. Sed nullo modo deseruit, dum ab eo, & Patre semper procedens, in eo ab ipsa Conceptione interminabiliter conquieuit.* Nescit Panis noster nisi mundissimè tractari, aut ab Spiritu Sancto, aut à clibano Spiritus Sancti participe, &, vt suprà dicebat, nullo vili stemmate, nullo consuetudinario more fabricato: vt ita in mundi redemptionem condignè ederetur.

Maria, vrna aurea.

D. Epiph.

Lyran.

Petr. Cell.

529. Concludo hanc materiam verbis illis, quæ Ecclesia accommodat Mariæ: *Facta est quasi nauis institoris, de longè portans panem suum.* Prou. 31. num. 14. de quibus infrà plenè. Suus, suus est Panis, siue scientiæ, siue Eucharistiæ, quem mundo importauit Deipara: ideò *à longè*: quia ab ipsa Conceptione gratiâ, & dispositionibus requisitis condiendo huic Pani, condecorata: bonis saturata, quia in protoparentibus ieiunauit. Nam, quid malæ famis, aut fomitis contraheret, quæ in onerariam fertilitatis nauim edebatur? aut, quid non gemeret Orbis, si, quã sperabat Nauim, in communis famis remedium; hanc simili fame, & inopiâ oppressam in ipso sui initio contemplaretur? Da veniam, & audi longam, sed elegantissimam descriptionẽ populi in extrema fame, promissam frumentariam nauim sperantis. Dat hanc Quintil. decl. 12. increpans institorem, qui licèt panem vexerat; at tardarat. *Non dicam illa, quæ poteram: putà, cæruleus imber in naues ruit, classis inter fluctus latet, nec inter canẽtes collisarum aquarum spumas, vela dignoscimus: egerit in fundo arenas mare, micant ignes, intonat cælum, scissis rudentibus tempestas sibilat; denique sydus hybernum conditur: tu tamen perseuera, frumentum vehis: nihil horum necesse est feliciter nauiganti, festina. Quererer, si naues commeatu tardasses, dum velocitatis ratio haberetur: mallem accipere dimidium. Non delicati sumus, non luxuria quæritur abundantia: sed vnde spiritum sustineamus, vnde mortem differamus: in præsentia quantuluncunque; si plus opus fuerit, redibu. Siccæ fauces sunt, ager anhelitus os tendit: iam frustrà in sinu parentum, liberi plorant; & nondum editi conceptus, intra vterum famem sentiunt: iam nemo diues est, auras captamus, & rore vescimur, & iam sperare tormentum est: quotidie vires deficiunt, iam non imus in littus, sed redimus. In editis scopulis populus sedet, dum naues expectat, in pascua non redit: aquas ingredimur, & vnus ad te spectantium rictus est: & cùm defecerunt omnia, expirant. Te te expectantes intentis oculis morimur, in mare mortui cadunt. Quoties Sole percussa nubes refulsit, nauem putamus: quoties fractus vento fluctus incanuit, vela interpretamur. O mobiles miserorum spes! ad vnaquæque solatia, ab vnoquoque quomodo nutant! Hæc certè nauis est: ecce vela panduntur: propiùs appellitur, & accedendo crescit: nostra est, suos in vtranque partem ventos habuit, nostris votis gubernati fluctus sunt. Hæc dicimus, & illa interim transuolat: fletus inde, & desperatio, & lucis odium. Nihil grauius, quàm destituta spes torquent.* Pende singula, & in simili statu naturam sperantem, & suspirantem, promissam Nauim nostram recognosces. Et vide, quàm meritò quereretur, si Mariam huic vitæ appellentem, non tam onustam, licèt post tot sæcula visam desiderantibus tardam; quàm eiusdem inopiæ participem, eadem, à cibo vetito, fame cerneret cruciatam.

Prou. 31. Quibus votis à natura. Mariana nauis frumentaria sperabatur.

Quintil.

§. IV.

§. IV.

Falsum ventris Numen, Numine vero, Cibo strangulatum: inde homo sanctè ieiunus: & brutalitate deserta recuperat rationalitatem.

530. *Adhuc de Mariâ Eucharistiam parante.* PER protoparentis gulam effrænem, vt vidimus, affectatur ingluuies, voracitas ingruit, & pium inde ieiunium abhorretur. Noxiâ escâ in bestiâ transformatus homo, carnales escas, bestiarum cibos quærit auidus: vna est Eucharistia, quæ gulam strangulat, sanctum indicit ieiunium, & hominem miserè à prisco pomo reformat deformatum. Vna fuit Maria, quæ nobis tantum remedium, vt dixi, ministrauit. Quis ergo, nisi durissimus, crediderit, à cibo illo noxio non fuisse ab Altore nostro piissimo præseruatam, per quam sic infausti, & morbidi escæ funestæ affectus resecantur? Quis Mariam pomi noxij in Adamo famelicam augurabitur, & gulæ inde sequentis candidatam, quæ in diræ illius famis, & subsecutæ gulæ antidotum destinabatur? Percurramus singula.

531. *Impius venter Deus: huius victima.* *Euripid.* Irridebat Deorum Numina Polyphemus apud Eurip. in Cyclop. sic subiungens felicitate sua commemoratâ:

Iouis enim ego fulmen non metuo, hospes:
Nec scio, quòd Iupiter sit me potentior Deus;
Necposthac illũ curabo. Quòd autem non curem,
Audi. Quando deorsum mittit pluuiam,
In hoc antro habitaculum habeo solidum,
Aut vitulum assatum, aut aliquam feram bestiam
Epulans sub tecto tegente meum supinum ventrem:
Epotâ lactis amphorâ vestem
Pulso; cum Iouis tonitruis, strepitu contendens.
Quando verò ventus Thracius niuem fundit,
Pellibus ferarum corpus circundans meum,
Et ignem accendens, niuem nihil curo.
Terra verò necessariò, siue velit, siue nolit,
Pariens herbam pinguefacit pecudes meas:
Quas nulli macto Deorum, præter mihi,
Et ventri huic, qui maximus est Deorum:
Quia bibere, & comedere quotidie,
Id quidem Iupiter est hominibus sapientibus.

Philip. 3. Hoc quidem, si minùs verbo, opere complent, qui ventri suo mille epulis litant, *quorum*, vt ait Paulus Philip. 3. num. 19. *Deus venter est.*

532. *Adhuc de ventris victimis.* Vt ergo infami Numini blandiantur, aërem aucupio, venatione terram, piscatu maria omnia fatigant. Et venter adhuc implacabilis, & à primo exulceratus pomo, famescit adhuc: parua omnia putat: quò indulgētiùs habetur, eò furit audaciùs: appetentiā à satietate acuens, à nimietate in magis, ac magis superflua irritatus. Doluit Deus noster turpissimum istud idololatriæ genus, & absconditus conditur in cibum: vt vero Numine misso in stomachum, blandiendi falso Numini curas deponamus. Sed quid, agis, æterne Numen? Vno ferculo, singulari missu satiabis stomachum, cui tam varia fercula nunquam satis? Deuorabat Imperator Maximinus tot aues, tot feras, tot pisces, tot poma vnus, (iniectâ desuper immodicâ vini amphorâ,) quibus bona pars exercitus poterat tolerari: nec dum saturatur: tu verò vno ferculo stomachum voracissimum vis placandum? Planè quippe in vno ferculo tota epularum varietas continetur: tota dapium substantia saginandis hominibus apparatur.

Apparat Deus in deserto populo suo conuiuium, pollen è nubibus, panis ab Angelis venit, pluit manna: & breui fastidium conuiuis generat acclamantibus: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Numer. 21. num. 5. Quasi illis tam leue ad digestionem, quàm ad nauseam graue videretur. Itáne, pessime venter? panem cæli, Angelorum escam fastidis, maximè *omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem?* Sap. 16. num. 20. Non miremur: erat enim ferculum vnius substantiæ singulare, in quo, vt vides, non tam variæ substantiæ sapidæ, quàm substantiarum sapores continebantur: ventris verò voracitas, non tam multiplici accidentium, quàm substantiarum diuersitate recreatur. Hinc meritò ad euangelicum epulum conuocat Chrysol. Serm. 163. *Sed te fortè mellitus imber, & singularis cibus Iudaici fastidij deterret exemplo, nec carnem credis humorum varietate concretam, per solum manna, sua voluntate compleri? Dicis: Deus, corpus sicut ex diuersis voluit constare membris; ita variatis dapibus voluit, & iussit enutriri. Superfluus est, ô homo, iste, qui te exagitat timor: nam Creatoris ad prandium, tota concurrit, & aduolat creatura: vnde, si te legalis cibi singularitas, & parcitas terret: inuitet, & prouocet euangelici conuiuij cælestis effusio.* Et quod aliud euangelicum epulum meliori iure capiam, quàm eucharisticum? Quàm alius à manna, cibus noster cælestis? Ibi sub vna substantia, varia saporis accidentia condiebantur: hîc sub breui accidentium circulo, variæ substantiæ sapidissimæ absconduntur: diuina, humana, spiritualis, corporalis, solida, liquida. Quid ergo non satiemur, licèt ferculo singulari?

533. *Eucharistia ferculum vnum, omnia ciborum genera apponit.* *Num. 21.* *Sap. 16.* *Chrysol.*

534. *In idē plura.* *Actor. 10.* Orabat Petrus à prædicationis munere fatigatus: instat meridies, & famescit: surgit ad cibum, & subitò raptus in spiritu, videt è cælo descendentem linteatam mensam, ferculum paratum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli; auditque vocem: *Surge, Petre: occide, & manduca.* Actorum 10. num. 13. Et vbi abstinentia illa Petro pœnitenti vsitata, & Dominici ieiunij exemplo commendata? At ab humanis epulis ieiunos nos cupit Christus, certè ieiunantes: non ita à diuinis, aut in mysterium diuinitùs apparatis, vbi rerum omnium vitanda proponitur abundantia. Esto. Sed pergat paulatim conuiuium, nunc aues, nunc quadrupedes, &c, si libet, posteà pisces emittantur: at semel omnia, omnia simul, & in vno tantummodo ferculo apparata? Ita sanè: est enim hæc diuinæ affluentiæ potentia, vt in vno missu longè plura, & excellentiora immittat, quàm in

mille ferculis, in ipsa prodigalitate auara, humana industria solet præparare. Chrysologus citatus de illa: *In vno ferculo, manducaturo Petro totius apponit genera creaturæ: quidquid Noë, vector noui sæculi, sæculi seruauit ad semen; quidquid in aere volitat, & fertur; quidquid gignitur: & viuit in terra; quidquid in aquis est, & mouetur: hoc vni Petro cælitus mactatur, & exhibetur ad cœnam.* Quasi Noë non tam secundæ originis conditor, quam condus, & cocus Petri destinaretur.

Chrysol.

535. Vide nunc, quàm multa in eucharistico ferculo, singulari licèt, ad Petri conuiuij similitudinem apponantur. Hinnulum habes Sponsæ accurrentem; vitulum prodigo saginatum; taurum, & altilia ad nuptias parata; Agnum paschalem; hœdum contra peccata piissimè oblatum; columbam absque felle, & lacte lotam; verum turturem, cuius murmuri terra produxit flores: habes carnes è domo, ab aucupio, à venatu. Cupis & pisces? Hinc alitur Tobias, fugatur Dæmon, illuminatur senex. Veni ad secundas mensas: hìc fructus vitæ, imò & lignum vitæ, quo ligni mortis edulium expellitur: hìc bellaria mellis, & lactis, quæ sub Sponsæ linguâ palatum titillabant. O ferculum de numero singulare, singularissimum de præstantia! Quanta sub breui circulo ministras!

Quot dapes sint in vna Eucharistia.

536. Agedum, vanum Numen, adesto, venter: iamne satis? Minimè, inquit. Ecquid deest? Aliud, ait, sacrificiorum genus pretiosius, quo me etiam mortales percolebant: neque enim carnibus, piscibus, pomis, siue bellariis contentus, quæ, quanuis starent cariùs, forent vilia: coëgi, vt mihi gemmas esibiles, & potabiles apponerent. Anthonium suum Cleopatra, alterâ inaurium pretij inæstimabilis liquefactâ, perpotauit. Aceto dissolutas gemmas absorbebat Caligula Imperator: imò & priuatus quidam Romanus conuiuarum singulis totidem simili modo propinauit margaritas. Hæc, inquit venter, condigna cultui nostro sacrificia, munera pretiosa: quid enim cætera fercula non vilipendam, quando psittacis, & phasianis leones suos pasceret Heliogabalus? Ni in Eucharistiâ gemmæ condiantur, famescam adhuc. Nunquid & gemmas hic habuerimus, Christe sancte? Imò & pretiosissimas, & germanas, quibus collatæ terrenæ, pro fractis vitris veniant æstimandæ.

Gēma ventri sacrificata.

537. Fatetur se Isaïas debuccinando Domino, pollutis labiis: munditiem implorat: & ecce purificaturus eum accedit Seraph. *Et in manu eius*, addit Textus, *calculus, quem forcipe tulerat de altari.* capite 6. num. item 6. Locus est, quanuis primo aspectu perspicuus videatur, obscurissimus: si enim flammata pruna erat, vt putant; cur calculus appellatur? Si calculus, vt alij volunt, cur fertur forcipibus, quibus tantummodo prunæ tractari solent? Maius est, quod additur: si enim priùs forcipe calculum tulerat, quid iam purificandis labiis in eius manu, non forcipe, dicitur asportatus? Quòd si tunc in manu ferri potuit, cur priùs tollendo forceps admouetur? Erat, nimirum, pretiosus calculus, ignita gemma, quam vocant, carbunculus eximius. Hunc vbi vidit Seraph, siue Sacerdos in altari, de flammeo colore, & scintillante splendore, candentem prunam existimans, forcipem adhibuit. At, vbi nouit, gemmeum esse pyropum, demissis forcipibus, manu attrectauit. Ecquæ ista gemma? Alcaçar noster in cap. 2. Apocal. cuius fuit politissima explicatio; *Christus, siue in Eucharistia, siue in spirituali Communione, ritè concipitur quasi altare, quod suis Seraphinis pro ignitis prunis carbunculos pretiosissimos donat.* Fauet pro parte D. Hieron. ad Isaï. *Potest non carbonem, vel prunam significare, vt plerique existimant: sed carbunculum lapidem, qui ob coloris flammei similitudinem, igneus appellatur. Ex quo intelligimus, altare Dei plenum esse carbunculis, hoc est, ignitis calculis, & prunis peccata purgantibus.* Ecquod autem condignius altare ab Hieronymo acceptum intelligas, quàm eucharisticum? à quo tamen audis gemmas porrectas nobis.

Eucharistia, gēma esibilis.

Isaïæ 6.

Alcaçar.

D. Hieron.

Animabat Christus Pergamæum Episcopum, vt perfidas Nicolaïtarum impiorum phalanges oppugnaret intrepidus: & subdit: *Vincenti dabo manna absconditum.* Apocal. 2. n. 17. id est, me ipsum, manna verum, Panem viuum de cælo descendentem, qui sub prisci manna typo abscondebar. Atqui antiqui Reges non solùm epulo, sed etiam gemmato torque victores suos Duces excipiebant; pretiosóque aliquo dono, vbi gentilitium deinde stemma fundaretur. Nunquid ergo auarior Princeps noster, vt licèt tanto, epulo tamen solo sit contentus? Absit: ipse enim, qui epulum est, gemma est pariter è paterno thesauro pretiosissima: ideò subdit: *Vincenti dabo manna absconditum: & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum.* Vbi Glossa Ordin. *In Daniele scriptum est: Abscissus est lapis sine manibus. & in Prouerb. Gemma gratissima, expectatio præstolantis. Corpus candidum virtutibus, & spe immortalitatis: scriptum quinque litteris, scilicet, quinque vulneribus, cum quibus ostensum fuit corpus eius in Cruce.* Vt non solùm corpus candidum omni adamante pretiosius; sed etiam vulneratum, & quinque pyropis insigne, in hoc passionis suæ incruento memoriali eucharistico exhibeatur. 538.

Idem probatur.

Apoc. 2.

Gloss. ord.

Iam hinc non vltrà esuries, male venter: quid vltrà gemes? Gemmas deuoras, & illas pretiosissimas: quid restat adhuc ad famem? Et tamen esurio adhuc, inquit ille. O malè pereas, bestia voracissima: ecquid requiris? Humanam carnem, inquit: neque enim contentus brutis carnibus, esibilibus gemmis, etiam humana corpora in cibum mihi offerenda postulaui, ratus, quò nobiliora, eò etiam sapidiora mihi futura. Nunquam Polyphemus pulchriùs saginatus, nunquam me habuit indulgentiùs, quàm dum ad prandium hospites, Vlyssis socios, mihi apparauit. Mirum est, tantas dapes, præ aliis deliciis, Galatheæ dilectæ non obtulisse. Ni mihi caro pura puta humana præbeatur, ecce famesco. At ab hac, inexplebilis conuiua, saturaberis: si enim brutalitati tuæ hominum caro cæteris sapidior iudicatur: quid hominis, & Dei Caro non sapiat longè dulcior, nunquam peccati humoribus corrupta; sed gratiarum omnium saporibus condita? 539.

Humana caro ventri sacrificata.

Quis non miretur inter præcipua monumenta Orbi, adueniente Christo, inferenda, illud maximè 540.

Psal. 59. ximè à Deo propositum celebrari: *Iuda, Rex meus; Moab, olla spei meæ.* Ps. 59. n. 10. Quasi iam hinc omnia sibi auguraretur superanda: quòd non solùm iusti per Iudam; sed etiam peccatores per Moab significati, in ollam tunc, & cibum pararentur; in ollam, & sic auidè appetitam, vt in illa spes Domini collocetur? Non solùm res, sed & ipsum ollæ nomen, à quouis politiore sermone solet exulare. Solent helluones insignes iactare vulgò: *Post Deum, olla.* En iam hinc prætendent excusatiunculam, quando Deus post se apponit ollam; &, quod maius est, in olla ipsa iam collocat spem suam. Ecquæ est olla tanta, qua sibi visus Saturnales etiam dies comessationibus deputatos, parare Deus? Grauissimè D. Paulinus epist. 3. *Non solùm ex Iuda, sed etiam ex Moab: hoc est, non solùm de Sanctorum, sed etiam de peccatorum origine, corpus assumpsit: qui decoctâ quasi per ollam carnis nostræ cruditate, sanctificauit in æternum nobis cibum, Carnem suam.* Vt non solùm humana caro: sed etiam Diuinitatis sapida condimentis, humano palato gustanda præbeatur.

Eucharistica caro sapidissimè condita.

D. Paulin.

541. Esuris adhuc, venter? Imò satior, inquit; imò ipsa deficio saturitate: periit mihi gula, periit appetitus: heu! suffocor diuinâ saturitate strangulatus. Ah! pereant Ægyptiæ ollæ, facessant naturales escæ: supernaturali conficior saturitate. Id ego, affirmarem, ô bestialis venter, pereundum tibi diabolico, ab hac esca: sicut Diabolus, quo brutescens induebaris, periit ab eadem. Ponderastin', mi Lector, aliquando, cur Christus Dominus, (qui vel minimo reuerentiæ nutu potuit de toto iustitiæ rigore Orbem redimere,) in salutem nostram tot multa pateretur? Cur, cùm Dæmonem posset vel leuissimo aspectu perterritum effugare; permittat nihilominùs ab eius ministris adigi in Crucem? Quousque pergis, diuine Amor? Quid paras gesto tãto, Potentia diuina? Pulchrè Euseb. Gallic. homil. 11. de Pascha: *Incentorem peccati, in formam peccatoris illaqueat: humanæ auidam perditionis inexplebilem bestiam, per escam carnis illudit: homo in se prouocat esurientem, & Deus præfocat deuorantem.* Et benè, cùm præfocatur, *incentor peccati* appellatur Dæmon: pari arte delusus, qua olim dum protoparentes induxit ad peccatum, miseros delusit. Porrexit pomum aspectu pulchrum, esui suaue; in quo tamen mors, vt vidisti, delitebat: sic permittit Christus, vt carne inescetur, latente tamen Diuinitate suffocandus. Hoc & guloso ventri nostro euenit; inescatus accidentibus panis, solito cibo, ferculum impetit; sed tamen delitescente gratia strangulatur.

Ventris rabies ab Eucharistiâ perit.

Dæmon à Crucifixo strangulatus.

Euseb. Gal.

542. At vnde, inquis, verè strangulatum iam falsum hoc ventris Numen, vero Numine cibo affirmabimus, cùm viuat adhuc? Quia, cùm tota eius bruta vita in immodica gula, & effræni consisteret saturitate; si, qui debitè vtitur Eucharistiâ, sobrius iam degit, & temperatus; meritò amotis sacrificiis, spreto immodico epularum luxu, detruncatum tyrannum existimemus: nescit enim hic cibus, piè ieiunantes à carnalibus escis non reddere conuiuas; sicut vetitus cibus ingluuiem sollicitauit. Sed hoc, & cætera, quæ titulo præfixo desunt, ne longior excurrat, seorsim exponamus.

Ab Eucharistia redduntur sobrij, & ieiunantes.

***

§. V.

Cætera præfixi tituli exponuntur.

543. EVOCAT Deus Moysem in montem, immittit hominem in nebulas gloriæ, id est, mysticas luces diuinæ familiaritatis: fruitur diuino colloquio: *Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Exod. 24. num. 18. idque, vt nemo nescit, ieiunus, incibatus. Hem, dicat aliquis, eo se visus Deus tenore gerere erga Moysem, dum illi legem tradit; quo erga seruos suos, inhumani quandoque domini se gerunt: stat seruus, seruit obsequens, nec sportulam saltem suggeris, mi domine, qui visus rectam cœnam expectasse? Ecquid aliud faciunt hodie tyranni Principes, quàm denegato victu, obsequia imperare? Optimum, credo, exemplum hinc Moyses, iam Dux populi deportabit. Seruiant, dicet, absque stipendio, absque annona, mihi milites: nam absque his ego Domino deseruiui. Quid ergo? Non is est Deus, qui victum necessarium amico deneget gratissimo; qui etiam ingratum populum rorantibus polis, pluuiali escâ saginarat. Moyses, Moyses erat, qui cibum omninò respuebat. Ecquid non aleris, Moyses, robustior descensurus, cum tauro infami, populi tui fidem ventilante, statim conflicturus? Mortales ille iam escas fastidiebat. Causam aperit Chrysol. Serm. 166. *Substantiâ Dei pastus tota mortalis cibi oblitus fuerat adiumenta: vnde didicit coram Deo, & cum Deo, vitæ subsidia non deesse. Et reuerà, Fratres, nescit lassari, mori non potest, cui panis, cui vita Deus est.* Quantò hoc pressiùs Eucharistiæ conueniat, nemo non videat. Inde putarem piissimè Societatem Iesu per quadraginta Horas ante Quadragesimam eucharisticam mensam fidelibus apparare, vt ibi pasti, facilè quadragesimale ieiunium valeant superare.

Id probatur.

Exod. 24.

Chrysol.

Quadraginta horæ eucharisticæ, in Societate, quorsum.

544. Do in hanc mentem, & etiam ad rem nostram, locum aliàs notum; sed nouo comptu nobilem. Fugit Elias Iesabelem potentiâ Reginam, idololatridem religione, irâ fœminam; quorum quodlibet constantissimum quemlibet perterreret. Fessus in spineto iacet, neque iuniperi curat asperitatem, tribulis, nimirum, animæ punctus sæuiùs: & sub mordaci cura ideò fortasse dormiens, vt quando mortem non poterat, quam suspirabat; saltem mortis imaginem amplecteretur. Excitatur interim ab Angelo panem deferente, comedit, & dormit iterum. Excitatur secundò, cui denuò Angelus: *Comede: grandis enim tibi restat via.* 3. Regum, 19. num. 7. Itáne? & quid inde si magna restet via? Comedat nunc semel: posteà enim singulis diebus poterit suo tempore sumere alimentum. At desertum est, inquis, nec inueniet. Quasi verò paulò antè à coruo in deserto non aleretur: & fatigaretur Deus similem Prophetæ alitorem

De eadē Eucharistia ad ieiunii conducente.

3. Reg. 19.

altorem ministrare. At non expedit hoc temporis, responderet Angelus: ieiunet enim, dum pergit, necesse est, *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. num. 8. Et cur ieiunabit? Saturabatur enim cælesti Pane, qui, dum pascebat animam, ieiunum corpus reddebat necessariò. Gritmundus ibi apud Glossam hinc pulchrè infert: *Si Elias virtute illius refectionis, quadraginta diebus, & totidem noctibus vixit: quantò magis ex virtute diuini conuiuij, in quo non iam subcineritios panes, sed ipsius Dei Verbi Carnem propriam, & Sanguinem de manu eiusdem sumimus Christi; potest quispiam meliùs sustentari?* Viuemus ab hoc Pane, quo ieiunantia prudenter corpora sustentantur. Scio, quæ huc afferri possent ex Ambros. de instit. virg. cap. 4. & 5. de Eua in se intemperante; sed in prole, ieiuna: vnde inferunt, Mariam in pomo vetito ieiunam. Sed sibi habeant acumina, quæ mendacia. Vtinam id vellet Ambrosius. Sed sunt aliqui, qui, aut oscitanter legunt, aut temerè præsumunt: plausum quærunt, non solidum pro veritate argumentum. Malo ergo me hebetem in scribendo, quàm in citando mendacem. Doleo, quæ multa hodie falsa omninò, & contra Patrum mentem Lectoribus obtruduntur, miris ignorantis vulgi encomiis celebrata.

Gritmund. Ambros.

545\. Venio ad aliud, quod proposui, de hominibus (quos pomo vetito, & immodicâ gulâ in bestias dixi transformatos) per Eucharistiam reformatis, & depositâ brutalitate, priscum rationis decorem acquirentibus. Nihil erat in Paradiso non pingue, nihil non ferax: beata gleba felici inundatione irrigata, suaui fota Zephyro, non solùm proceras, & benè fertiles arbores edebat; sed & frutices, & olera odore grata, gustu iucundissima; & tamen audis, Deum protoparentibus cibum assignantem: *Ex omni ligno Paradisi comede.* Genes. 2. num. 16. Sed, cur ex lignis, siue arboribus tantummodo? Cur non etiam ex fruticibus, & oleribus? Imò, cur non ex seminibus tritici alicuius, aut farris pretiosi? Respondet Author epistolæ de cibis Iudaïcis, qui aliquibus creditur D. Cyprianus, cap. 2. *Cibus primis hominibus, solus arboris fuit fœtus, & fructus: nam à pomis, vsum posteà ad fruges contulit culpa, conditionem conscientia ipso vsu corporis approbante: nam & innocentia, decerpturos alimenta ex arboribus adhuc sibi benè conscios homines, ad superna subrexit: at commissum delictum, ad conquirenda frumenta, homines terræ, solóque deiecit.* Vt, dum erecto in superna corpore arbores vellicantur, carpuntur poma, innocentia hominis in cælum respicientis, sublimem vultum gestantis designaretur: quem culpa bestiarum more in terram pronum, segetibus metendis incuruauit. Quantò igitur excellentiùs eucharisticus cibus, nos homines, & penè ad innocentiam reductos exhibebit, qui cælestis, non solùm è subalimiori vitæ ligno decerpitur; sed totus in cælum nos attrahit, & impellit?

Per Eucharistiam è bestiis in homines reformamur. Genes. 2. D. Cyprian.

546\. Qua non exultatione prorumpit Dauid Psalm. 22. *Dominus regit me: & nihil mihi deerit.* num. 2. Diuinum gubernamen, attenta Dei cura inuigilans Prophetæ, hunc ad summam felicitatem euehat, necesse est. Hinc iam hostiles reportatos triumphos speres à Dauide: & Solymitani throni basim, super Ægyptiaca, Babylonicaque diademata collocatam. Et adhuc parum. Et tamen longè aliud subdit Propheta: *In loco pascua ibi me collocauit.* Et huc'ne tota cura impenditur? Hinc adeò exultat Dauid? Et meritò: nouerat enim homines lethali pastu comparatos fuisse iumentis insipientibus, hisque similes effectos: vnde impensè gaudeat, necesse est, quòd in tam felicia pascua, vnde reformari queant, reuocentur. Exemplo res clarebit. Pingitur Lucius quidam à venefica quadam in alium transformatus: protenditur subitò infelici, fœdè vultus, & in enormi fronte in pugnos oculi: aures plusquàm in palmos euehuntur: complanantur nares foraminibus dilatatis, os vsque ad summas malas diductum è labris turpibus, bestialitatem dentium porrigebat. Incuruatur subitò bipes, monstrosa pelle tectus, & brachiis innixus pariter, perstat quadrupes, ab homine in asinum deformatus. Vnum restabat misero solatium prisco recuperando honori; si Milesias rosas degustet, formam recipiet. Quærit has anxius, inuenit tandem felix: vix gustat, cùm brutalitate exutâ hominem reinduit. Quid, putes, non exultaret, beatam prædicans pastûs conditionem? Idem meliori iure celebrat Dauid. Et vbi, inquis, diuinæ pascuæ rosa? D. Ambros. ad hunc locum, Serm. 14. sup. Ps. 118. *Quæ sunt pascua, nisi Christus: in quibus pascuis se locatum Propheta testatus est? Ipse enim nos pascit, & reficit. Bona pascua, diuina Sacramenta: carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est, Dominici Corporis Sanguinem.* Et quis tantæ rosæ effectus? Suppleat Hymnus ecclesiasticus Ambrosium:

Psal. 22. De eodem plura. Sanguis eucharisticus, cur rosa. D. Ambr.

> *Cuius Corpus sanctissimum*
> *In arâ Crucis torridum:*
> *Cruore eius roseo*
> *Gustando, viuimus Deo.*

Et vnde Deo viuimus, nisi, quia iam viuimus rationi? Aut, vnde rationi viuimus, nisi quia irrationabilitatem à nocuis pascuis contractam olim exuimus?

547\. Ideò iterum idem Propheta faustis iubilationibus exultantes diuinarum laudum confessioni nos inuitans, subdit causam: *Populus eius, & oues pascuæ eius, introite portas eius in confessione*, &c. Psalm. 99. num. 3. Sed, cur ab vna ouium comparatione condignam Deo aucupatur retributionem? Credo: quia hinc illi maximam, ni insanire præsumimus, debemus. Vidistin' ouium gregem, postquàm lethale fortè gramen pastus sauciatur, balatu mœsto querulum, affectu mœsto antidotum suspirantem; huc, ac illuc dispersum; herbas, quas nouit sibi medicas, indagantem? Tales eramus: & certè perituri, nisi diuinis pascuis sanaremur. Chrysolog. Serm. 6. *Probatum est prouerbiis sæpissimè, quia cælitùs venerit pastor, qui errantes oues, & lethali gramine sauciatas, superno iubilo vitalia reuocaret ad pascua.* At exhibe feliciora alia Pastoris nostri pascua, & præbendæ vitæ largiora, lethalique protoparentum escæ

Psal. 99. Antidotum est nobis. Chrysolog.

escæ sanandæ efficaciora, quàm eucharistica. Certè non ostendes.

548. Quàm ergo meritò Mariam ab esca noxia iejunam, &, quod inde est, à fame, siue inopia gratiæ, prædictisque culpæ effectibus præseruatam poluerimus, iam hinc patebit, quòd vna ad exhibendum antidotum parabatur: nec infectam veneno culpæ, aut aridam sanctitatis inopiâ radicem iure dicemus, vnde nobis remedium in eucharistico fructu germinauit. At videamus expressiùs in hac ipsa materia apparatam nobis à Virgine Eucharistiam. Venit tandem plenitudo temporis, quo Sol diuinus erat iam noctis tenebras discussurus: peruenerunt felicissimi peregrini, Maria, & Ioseph, in Bethlehem; nec Orbis Principibus debita solùm palatia, sed vel conducta diuersoria inueniuntur. Reducitur in stabuli angustias, augusta Maiestas: ibi in Angelorum stuporem Deus editur: adorat Virgo Dominum, natum fasciat, & statim *reclinauit eum in præsepio*. Luc. 2. num. 7. O quid agis, Maria? tam breui puppum suauissimum deponis? Reliquit paternum sinum, cur non in parthenico sinu conquiescat? Annon blandiùs in vlnis tuis, quàm in præsepij paleis reclinabitur? At, inquit Maria, in hoc venit: noui ego Corredemptrix, Redemptoris suauissimi ingeniũ: cedo tenendi dilecti deliciis immensis, vt in præsepio faustè redemptionis opus inchoetur. Ecquod illud? Hesychius hom. 2. de Virg. *Libens reconditur in præsepio, vt qui sunt pecuini, accurrant, & reperiant logon, id est, sermonem, & rationem in præsepi constitutam: vt ex eo recipiant dignitatem rationalem: vt, qui currunt ad paleas, frumentum nanciscantur: vt bestiarum more festinent, arbitrantes se inuenturos in præsepi manipulos hordei, & panem verum manducaturi, alimentum vitæ, cœnam lucis, escam lætitiæ, incorruptionis dulcedinem: vnde oritur notitia regni, arrha adoptionis filiorum, cælorum hæreditas, societas cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.* Nihil faustum de Eucharistiâ dicitur, quod infestum in primo pomo non doleat humanum genus.

Christus cur in præsepio collocatus.

Luc. 2.

Hesych.

549. Eandem mentem, & penè eisdem verbis exprimit Chrysip. hom. de Virg. Deip. sed cum allusione ad escam mysticam, siue Eucharistiam. *Reclinauit in præsepio eum, qui proprio arbitrio cælos inclinat: reclinauit in præsepio eum, qui sedet super solium. Hæc porrò non frustrà contingebant: sed in præsepi animalium irrationalium proponebatur logos, id est, verbum, & ratio, vt pro instituto accurrentes homines, sensu rationali participes efficeret. In mensa bestiarum proponebatur Panis cælestis, vt ex hominum genere, his, qui bestiales erant, communicationem escæ mysticæ exhiberet.* Vnde meritò etiam propterea visus dixisse Chrysost. Orat. de B. Philog. tom. 3. de eucharistica mensa: *Si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in præsepio iacentem: nam hæc vicem explet præsepis: nam & hîc ponitur Corpus Dominicum, non quidem fasciis inuolutum; sed vndequaque Spiritu Sancto circumuestitum.* Maria itaque nobis cibum condit, ferculum apponit, quo bestialem famem obturantes Deo viuamus: certe, quia ipsa ab hac fame, & eius affectibus præseruata, quòd à noxio pomo temperaret.

Chrysip.

Mensa eucharistica vicem explet præsepij.

Chrysost.

§. VI.

Primi pomi morsus, mors indigesta: eius participes Dæmonem deuorant; inuicem deuorantur: à gula in lasciuiam proniores. Horum antidotus, Eucharistia.

Momordit protoparens infaustum pomum, mortem deglutiuit; sed indigestam retinuit: vt communicata soboli, occisam simul redderet, & occidentem. Parum id: sic cum morsu, & morte deuorauit Dæmonem, vt à Dæmone inuicem voraretur: & à tanto veneno saturus, iam pronior in lasciuiam laberetur. His damnis remedium præbuit Eucharistia, quam nobis mirè Maria præparauit. Videamus singula: & inde Deiparam præseruatam à pomo; &, quod inde oritur, à quauis mala fame, & libidine inde orta inferamus. Accusabat terra Caïn, vnde vox Dei: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Genes. 4. num. 10. Neque enim tam rubebat sanguis, quàm erubescebat terra fratricidio sacrilego impiata. Adesto, impie Caïn, cruenta bestia: ecquis te docuit primam peccati pœnæ executionem? Vidistin' occisorem alium? Vidistin' aliquem occisum? Minimè, inquit. Vnde ergo didicisti, fratrem acerbo funere immergere, & celeriores morti plumas subdere? Væ, ipsa illum natura impulit iam corrupta, quæ non solùm tenetur mori; sed inclinat occidere. Et vnde tam peruersa inclinatio? A primo illo cibo, mortis ferculo: qui in Adamo indigestus, tam longè erat, vt aleret, & nutriret, quin potiùs famem importaret, & mortem. Et benè indigestus, nunquam absumptus, vt communicatus, filios, non solùm interiùs occisos redderet; sed occisores exteriùs. Acutè D. Zeno Veron. Serm. de Pat. de Adam locutus: *Vbi sacræ arboris pomum malè dulce delibauit, lacrymas reperit; dolores, & gemitus; & spinas, & tribulos, sibimet comparauit: vltimóque sudore turbatus, posteris hæreditatem indigestæ mortis, quæ homicidium mox peperit, dereliquit.* Non ergo indigestæ mortis, infamis hæreditatis particeps Maria, quæ tantùm abfuit, vt neci perpetrandæ inclinaretur, vt potiùs in Matrem vitæ destinaretur, dum vitam sub eucharistico cibo apparauit. 550.

Culpa, mors indigesta, necem suadet.

Genes. 4.

D. Zen. Ver.

551. Hinc iam percipies, cur Serpenti, indigesti huiusce cibi infausto conditori, irrogetur in pœnam: *Terram comedes.* Genes. 3. si enim pœnæ apud Deum, vtplurimùm correspondsuræ culpis proportionantur: si Dæmon non tam gulæ, quàm inescantis ad gulam crimine conuincitur; quis non miretur, vt vilissimo terræ ferculo addictus, in gula puniatur? Rem, inquam, ex dictis percipies. Peccauit quippe Dæmon gulosus pariter: vnde meritò in gula sic

Genes. 3.

Fames inops virtutũ Dæmonem fatigat.

punitur. Ecquid vetitum gustauit Dæmon? Summas, quas optabat, cupedias, famem protoparentum famelicorum, ab incocto, & indigesto cibo miserum deliquium. Huc iterum expressiùs faciunt verba D. Leontij citata suprà n. 500. *Eua cùm temerè de ligno gustasset; ipse huius mortem petens, incoctum peccati cibum habuit, & fame liquescentis nutritus*, &c. Sanè non decuit, vt indigesti huius cibi fame torqueretur Maria, quæ in pestiferæ huius famis auerruncamentum, cælestem sub Eucharistia pinguedinem afferebat.

D. Leont.

552. Docebat Philippenses suos Paulus, factum obedientem Christum vsque ad mortem; mortem autem Crucis: ideóque exaltatum, & donatum illi nomen, quod est super omne nomen, *vt in Nomine Iesu omne genu flectatur*. cap. 2. num. 8. Saluatoris enim operi cælum venerationes, amores terra, trepidationes adhibet Infernus: illud colit, illa exultat, vlulat iste. Atqui, nónne nouerat Apostolus, vel minimâ actione Christi, plusquàm profusissimam salutem hominibus importari potuisse? Certè. Cur ergo ad Crucis arborem putauit recurrendum? Quia, quòd ab arbore salus nobis profluat, mirificè morbo congruit medicina. Germanus Constant. Orat. 3. de Cruce apud Gretserum, vbi de Adamo vorante: *Quamuis fructus grati odoris esset; tamen os inconditum quid, & fœtidum exhalabat: iámque corruptionis pignus præferebat*, &c. *Ceterùm, ex quo se Christus humiliauit factus obediens vsque ad mortem; mortem autem Crucis: effecta est Crux, lignum obedientiæ, mentémque illuminat: & aromatis instar grato halitu os complet, córque confirmat, & nos participes facit fructus vitæ perpetuæ. Tollitur autem è medio fructus inobedientiæ, fructu obedientiæ.* Nihil obedientiæ lignum participat funesti, à ligno inobedientiæ. At, quantò digniùs, quàm Crux, Maria, lignum vitæ, salutarem fructum ministrans, appelletur, probaui suprà: & audebis, hanc ligni mortis participem, & inconditæ corruptionis, indigestíque halitus concipere gestatricem?

Philip. 2.

Eucharistia antidotum, quia obedientiæ fructus.

German.

553. Peior adhuc effectus alius à pomo vetito. Sic cum morte illa, & fame inde sequente Dæmonem deuoramus, vt inuicem iuxtà à Dæmone deuoremur. Videamus, quid Paulus de hac re sentiat, quídque de Eucharistiæ antidoto enunciet. Plorabat ille apud prædictos Philippenses, esse aliquos inimicos Crucis Christi, in ipsâ suæ gloriæ confusione perituros: *Quippe homines sunt, quorum Deus, venter est, & gloria in confusione ipsorum; qui terrena sapiunt: nostra autem conuersatio in cælis est.* Quasi tota miseria consisteret, quòd vice versa degerent iustorum: hi enim iam è cælo viuunt, illi terram sapiunt, carnem redolent, siue Infernum. Perge paulatim, Lector: multa enim necessariò euoluenda. Peccatores, qui ventrem gulosi colunt, & vitiis blandiuntur, sapere terram, id est, terræ saporem ingerere dicuntur, si gustentur. Vnde, & quomodo? Vbi peccauit Adam, gulæ suæ, & libidini adblandiens; properat illicò in iudicium Deus: hinc ille se ab Eua excusat trepidus: hæc, rē ad Serpentem deducit, meticulosa: túc ad Serpentem Deus, (vt suprà dicebam:) *Terram comedes*, inquit. Sed, quid hoc, ô Domine, cùm de bestiæ huius, siue Dæmonis esca dicat Habacuc: *Cibus eius electus*. cap. 1. n. 16. Verum id: elegit enim sibi hominem deuorandum, quem putat omnibus escis sapidiorem: ac proptereà dicitur statim homini peccanti: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* citato Genes. cap n. 19. vt tanquàm terra alat Serpentem deuoratus, qui gulosus Serpentem deuorarat. Totum est ex Paulino statim citando: *Cùm*, inquit, *quæ sursum sunt, sapimus, & quærimus; terreni esse desinimus, vt iam non simus esca Serpentis, qui vicissim datus est in escam populis Æthiopum.* Quasi Æthiopes, id est, homines moribus, & vitiis denigrati, Draconem haberent escam, cui inuicem, dum terreni degunt, esca fiunt.

Peccator Dæmonem deuorat, inuicem deuoratus.

Philip. 2.

Habac. 1.

Genes. 3.

D. Paulin.

554. Hoc ergo est, quod ait Apostolus, ac si clariùs diceret: Gulosi isti homines, qui ventrem instar Dei colentes, Dæmonem deuorant; terram sapiunt, terreni sunt, vnde inuicem à Dæmone deuorantur: cuius cibus electus pariter, & terrenus, quia iam terrenus peccator deuoratur. *Nostra autem conuersatio in cælis est.* id est: nos autem cælum sapimus, cælestem gustum ingerimus, terrenum nihil redolemus. Sed vnde, aut quorsum? Vt cælestes terrenis opponamur. Illi deuorant Dæmonem, inuicem deuorati: nos in Eucharistia deuorantes piè Christum, ab eodem feliciter deuoramur: vt ideò videatur aptissimè dictum apud Ioannem, manere nos in Christo, & illum in nobis. Apertè res tota constabit ex Dauide, cui alludebat Paulinus. Describebat Propheta, Christi victoris gloriam, operantis salutem in medio terræ: quia Caluariæ locus, vbi fixa Crux, totius terræ creditur vmbilicus. Illi ergo claui, qui diuinas plantas penetrarunt, has non tam pungere, quàm armare videbantur, quò duriores Draconis caput confringerent conterendum. Tunc sic subditur: *Tu confregisti capita Draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.* Psal. 73. num. 14. Cur enim Draco detur in escam peccatoribus, omni virtutum candore spoliatis; nisi vt mutua adhæsio cognoscatur? vtque in pomo vetito, & aliis peccatis à Serpente credimur deuorati; sic eiusdem credamur voratores? Aptissimè igitur in antidotum paratur Eucharistia, vbi in fructu vitæ, Christum edimus, & absorbemur à Christo. Nunc iam accipe, & cape integrum locum D. Paulini ex epist. 9. vbi de hoc Sacramento: *Factus est nobis in escam, vt eo Pane viuentes, & secundum eum ambulantes, possimus, iuxta Apostolum, dicere: Nostra conuersatio in cælis est. Cùm enim, quæ sursum sunt, sapimus, & quærimus; terreni esse desinimus, vt iam non simus esca Serpentis, qui vicissim datus est in escam populis Æthiopum, vt ab his edatur, quos edit. Quod nobis è contrario salutare est, qui Christum edimus, & absorbemur à Christo, qui absorbet mortale nostrum; quia vita est, vt induat nos immortalitate.* An tanti remedij gestatrix Deipara, in illo primo morsu dignè præsumatur Dæmonis deuoratrix deuoranda: & non potiùs ab immani pomi appetitu, & fame inde proueniente, digniùs præseruata colatur. Hos, qui dati non fuerint, coget ratio cogitando.

Christum edentes in Eucharistia, inuicem edimur.

Psal. 73.

D. Paulin.

555. Propero ad alium è pomo vetito prouenientem effectum, affectum pestilentem, scilicet, lasciuiam,

uiam, Euchariſtiâ prorſus expugnatam: hinc enim clariùs Mariæ præſeruatio declaratur. Vix peccarunt protoparentes, in Dominum rebellantes, cùm in ſe rebelles, vt noſti, libidinis motus ſunt experti. Neque mirum: cùm enim iam a famelica gula proſternerentur, quidni ſperaret illius primogenita luxuria, *væ victis*, intonans, noua ab eiſdē ſpolia reportare? Illud ergo mihi rarius, quòd, cùm tot aliarum foliis arborum ſe tegere potuiſſent; ficus foliis ſummoperè ſe tegere feſtinarent. *Conſuerunt folia ficus*, &c. Geneſ. 3. num. 7. At fortè, inquis, de pœnitentiæ intentione prouênit electio: aſpera ſunt hæc folia, quæ, tanquam cilicium, iniecto continentiæ fræno, ſibi admouerunt. Aſt ego nondum ſatis putarem pœnitentes, qui pudore nequam à Domino ſe abſcondere, & illi quodammodo imputare culpam præſumpſêre. Quid ergo ſibi velint viridanti ficus integumento, quibus gratiæ viror exaruerat? Nouit mentem, ni fallor, protoparentum Germanus Conſtant. Orat. ſuprà citata: *Primas tenet clades illa ventris orta ex delectatione. fructus: huic coniungitur affectio illa, & commotio, quæ ſub ventre: ferunt enim, folia ficus naturali quadam proprietate ſua titillationem excitare.* Quaſi eo ipſo, quòd ab arboris vetitæ fructu, gulæ ſibi blandimenta quæſierunt, luxuriæ irritamenta aucuparentur, quæ in ficus foliis (quod ex multis Patribus cum Germano alibi oſtendam) reperitur. Sic non potuit gula indulgenter habita, libidinis fomenta non perſuadere.

Gula laſciuia mater.

Geneſ. 3.

Ficulnea laſciuiam impetrat.

German.

556\. Enunciaturus Chriſtus, & reprehenſurus Iudaïcæ gentis perfidiam ingratam, poſt propheticum cultum, & gratiarum imbres, adhuc ſterilem; relictâ aliarum arborum ſimilitudine, ficum aduocat, in qua etiam iniquorū omnium durities deploratur Luc. 13. Sed pende verba: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua: & venit quærens fructum in illa, & non inuenit.* num. 6. Nam eſt plenum myſterio, quòd ampliſſimam vineam ingrediens, prætermiſſis aliis, in vnam dirigatur ficum, quæ forte ad angulum, neque proximum, deliteret. Si fructus quæritur, cur nō e vitibus pulchrior, & ſuauior? Si ab aſpectu iucunditas captanda, nihil ferè inter felices arbores ficu deuenuſtius. Quid ergo ad ficum raperis, optime Chriſte? Imò id maximè expedit: venit enim Chriſtus præcipuè in primi peccati remedium, cuius ob noxam omnes in Adamo nudo, nudi pariter, ſub ficus foliis infauſti delitebamus. Venit quidem, vt nudos tegat ſeipſo: quod iam alij ponderant ex Chryſologo. Sed eius verba profundiora ſunt, quàm reputantur: cur enim dicatur Adam omninò nudus, ſi iam ficulneo perizomate ſuccinctus? Certè, quia ficus folia, non tam tegebant, quàm pungebant pudorem: pudicitiam naturali quadam prurigine ſtimulabant magis, quàm velabant: vnde, his amotis, Chriſti corpore, & virginali carne caſtitas erat homini reſtituenda. Nunc iam clarebit Chryſologus Serm. 106. ad hunc locum: *Ad ficulneam venit Chriſtus, ad quam legitur Adam nudus fugiſſe poſt culpam. Venit ergo ad ficum Chriſtus, vt inueniret Adam, & nudum tegeret pio ſui corporis indumento, cuius ficus non velabat, ſed ſtimulabat pudorem.* Stimulabat: quia naturali quadam proprietate, vt docuit Germanus, commouet luxuriam, quæ Carne Chriſti virginea guſtata, & adumbrante, penitùs effugatur.

Euchariſtia caſtitatē conciliat.

Luc. 13.

Chryſol.

Habemus in re pudicitiæ, infauſtæ gulæ, & virgineæ noſtræ eſcæ certamen ſingulare, & nobiliſſimum: hoc exhibeo. Quis vnquam cerneret ſedentem Iſraëliticum populum, fontes ab oculis deplorantibus, Ætnas ab ore ſuſpirante euomentem: lacrymas deſiderij igne accendentem, ignem rore lacrymoſo è mœſtitiæ nubibus ſtillato, animantem: qui non putaret, aliquid magnum cupere, aliquid ſingulare ſuſpirare? Attamen applica aures, percipe, oro, quò deferantur. *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & allia. Anima noſtra arida eſt: & nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi man.* Numer. 11. num. 5. O ceſſa, infamis turba: claude os, ceparum, & alliorum flatu lædens aërem. Hinc erant tot deplorantis mœſtitiæ apparatus? At quando non ſuppudeat eſcas deplorare; ſaltem non erubeſcitis has eſcas, pepones, cucumeres; imò, quod fœtidiſſimum eſt, cepas, & allia? Sed & id condonandum, aliàs: nunc verò, dum manna adeſt, cæli cibus, Angelorum panis, Euchariſtiæ figura ſingularis: quis patienter ferat, viliſſimas illas eſcas ſuſpiratas? Puto, deperditos homines non ſolùm faſtidiiſſe manna; cepas & aillia appetiiſſe; ob guſtum illic ſpretum, hìc affectatum: ſed maximè ob effectus vtrinque immiſſos. Cepa, & allium, vt nemo Medicorum ignorat, flatuoſus cibus, amicus Veneris, libidinis incentiuum eſt. Hoc ergo ſuſpirat, & cupit populus: quia, dum manna guſtarat, ſe caſtum, & continentem fuerat expertus: cibo renuncians, quo, ſatiatâ gulâ, non commouetur laſciuia. Pulchre Abbas Cellenſis de Pan. cap. 11. *Manna faſtidit, carnes cum deſiderio petit, Ægyptios ſuſpirat cibos, & conqueritur ſibi melius fuiſſe in Ægypto. Cucumeres quoque, & pepones inſipidos, porros, cepas, & allia, cibos ad libidinem commotiuos, rebellis, & ingratus populus, non multùm inconuenienter eſurit: ampliùs enim placet deſidia, quàm labor, luxuria eos magis delectat, quàm continentia.* 557.

Idem aliunde probatur.

Numer. 11.

Abb. Cell.

A gula igitur, maximè primi pomi, orta luxuria: ab Euchariſtia caſtitas reſtituta, indita virginitas. In ſæculo, *ſine Cerere, & Baccho, friget Venus*: in Eccleſia, vice verſa, ſine cæleſti Pane, & Vino, languet pudicitia. Eſt enim Euchariſtia noſtra frumentum electorum, & vinum germinans virgines, Zachar. 10. Ex his ergo, puto, clariùs patebit, quàm immunis à protoparentis gula, à pomi eiu foret Maria, cui tam nihil libidinis ſubſtituitur. Virgo virginum deſtinata, neceſſariò à luxuriæ pomo, omni cepa, & allio nocentiore, præſeruanda videbatur: cur enim à radice laſciuiæ libidine infectâ virginitatis ſtemma pullularet? Sed maius robur argumenti ex eo, quòd vna euchariſticum luxuriæ antidotum apparauit: quid enim libidinoſæ famis ſentiret, quæ ab altore pio, in horreum feliciſſimum fabricatur? 558.

Id verò magis mirum.

Zach. 10.

Furti arguar, ni iterum recurram ad illud Cant. 7. num. 2. vbi ad Mariam: *Venter tuus, ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Vbi Rupertus: *Venter tuus, venter interioris hominis, (iuxta quod quodam loco dixit: Qui credit in me, ſicut* 559.

Cant. 7.

Maria de virginitate, & innocentia parat Eucharistiâ. vt dicit Scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:*) *ipse est sicut aceruus tritici, id est, nunquam indiget pane verbi Dei; imò abundat omni tritico, quodcunque seminauerunt omnes alij.* Tot ante sæcula nunquam panis diuinæ doctrinæ indigens prædicatur Maria: frustrà tamen, si in primo instanti esuriret, & pomo vetitæ scientiæ inescata obcæcaretur. Sed in hoc tritico, ad rem præsentem sumo eucharisticum: quid enim tritico cum liliis, nisi quia cælestis Panis, virgineo, & liliato candore condiri debuit? Guillelmus ibi: *Aceruum istum tritici vallauit Dominus liliis, id est, candore circundedit perpetuæ virginitatis: perpetua enim virginitate illam decorari oportuit, de qua Panis ciuium, vt etiam peregrinos aleret, corporaliter nasci voluit.* Vt panis generans virgines, virginitatem in Matre præfundaret. Cur ergo non dixerim, eundem Panem, qui famem à pomo noxio illatam, erat adducta saturitate amoliturus, saturitatem istam in Matre præfundasse, quam prouidus Altor ab omnibus cuiusuis famis miseriis præseruaret? Sed de his satis.



ANTHOLOGIA IX.

Christus erga Mariam præcauens Gubernator.

§. I.

Humanum genus de culpa æstuans, naufragum, inconstans.

560. *Peccator omni mari turbulentior.* HIc iam tertius titulus, quo initio huius Articuli probaui, Christum Dominũ redemptionis præseruatiuæ authorem, cùm expediret. Id ergo in præsenti Anthologia discutiendum, an Deipara ex naufragio, ventis, & vorticibus obruentibus, fuerit post procellam liberata: an potiùs à præcauente Gubernatore nostro feliciùs, & decentiùs præseruata. Vtque clariùs procedatur, considerandum priùs, qualis humana conditio post communis culpæ naufragium perseueret; quàm æstuans, quam inconstans, quámque omni mari turbulentior: vt dum ab his longè Mariam constituerimus, immunis à naufragio cognoscatur.

561. *Marc. 3. Peccator secessu Christi punitur.* Quærebat totus amanter anxius, anxiè edisserens, hominum salutem cælestis Gubernator Christus, Marc. 3. cui tamẽ illi sacrilegè ingrati, nimis seduli mortem machinantur, n. 6. Putares, summæ impietati, pœnarum summam subitò imponendam: & tamen nec leuiculo admonitos verbo relinquit illos Christus: vnde subditur: *Iesus autem cum discipulis secessit ad mare.* num. 7. Quasi in ipso ad mare secessu, satis illos punitos declararet. Et cur ita? Acute Chrysol. Serm. 32. *Secessit ad mare, vt cõparatione fluctuũ, prauiorem Iudæorum probaret, & demonstraret errorem.* Non solùm procellosũ culpæ pelagus nauigabant Iudæi; sed etiam in mare omni furore sæuius, omni horribilius sæuitie transformabantur, turbulento quouis Ionio turbulentiores. Secedit ergo Christus in mare, ipso opere perfidos coarguens: ac si longè mare istud serenius de malacia, de serenitate tranquillius, quàm quod illorum pectore æstuans intumescebat.

Oratur à Christo signum: sed signum negat impiis Dominus, nisi signum Ionæ Prophetæ: 562. *Sicut enim*, inquit, *fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Matth. 12. n. 40. Sepulcrum suum prædocet in monte, in terræ visceribus excauandum: & cùm facilè posset, è terra etiam funere figuram, è solo mari petere habet conuenientiùs. Et quid passo, sepultóque Domino, cum fluctibus, cum procella? Quia, quæ ibi procella Ionam vndis addixit, quæ sæuientes vndæ, Prophetámque deuorantes sepelierunt, cum procellâ, & fluctibus pectorum illorum Christum damnantium comparatæ, sibi inuicem mirificè respondebant. Fauet idem Chrysol. post alia, Serm. 37. vbi de Iona Christo comparato: *Quid sibi vult confusa ventis procella, nisi Diabolum, qui cor Iudæ penetrans, Reges, gentes, populos, militiam, Iudices, marinos eleuauit, & insti uit in fluctus: vt ascendentes, & cadentes vndæ, authorem suum, sæculi peterent ad quietem? Audi vndas sæculi, audi Prophetam dicentem*, &c. Benè ergo è mari sumitur comparatio, ad plusquam marinos æstus exprimendos.
Impij cordis procella, & fluctus. Matth. 12. Chrysol.

In prima rerum productione creata terra, 563. *erat inanis, & vacua.* Genes. 1. num. 2. quam deinde aqua totam tegebat, vt ex num. 9. satis constat. Sed, si tandem arida erat apparitura, quid nunc aquis submittitur, & tenebrioso substernitur abysso; vt, è fluctibus, & tenebris, in fructus, & lucem posteà erumpat? Scilicet, quò ex productione, & renouatione primæ matris, naufragæ, & fluitantis, terrigenæ discerent, interim etiam sibi fluitandum, nihilque habendum solidi, donec pacatis vndis affectuum in mentis serenitate conquiescerent. Ideò Drogo Ostiens. lib. de Sacram. Domin. Pass. *Ecce animaduerto, Domine,*
Genes. 1. Impia mens vacua fluitat. Drogo.

Domine, quia terra mentis mea adhuc inanis, & vacua est; & tenebra super faciem abyssi. Inanis est: quia fluitat misera inquietudine per inane nugarum, & phantasmatum fucum: vacua bonorum operum fructus, &c. *Abyssus inferior, & obscura, inuocat abyssum superiorem, te, qui exsuperas omnem sensum: inuocat te, Domine, abyssus mentis mea, vt etiam de me nouum calum, & nouam terram crees.* Ni enim ita creetur, & recreetur, semper procellis improbis subiacebit: nescit enim, dum tenebræ, dum culpa durat, infaustè naufraga mens non fluitare.

564. Genes. 4. *Amor Dei cor serenat.* Vbi se à Dei vultu, & amicitiâ expulsum vidit Caïn, subdit illicò: *Ecce eiicis me hodie à facie terra, & à facie tua abscondar: & ero vagus, & profugus in terra.* Genes. 4. num. 14. Ast vnde consequentiæ robur, hominum miserrime? An idem est, non stare Deo, & æstuare mundo? & quòd ibi non figeris, hic vagari? Certè idem: quia necessariò inquietis se fluctibus, & perstrepenti pelago immittit, qui è corde serenum illud pietatis pelagus Deum, pacatas vndas gratię dimittit. Hugo Victor. ibi apud Godefr. *Ecce morbus hominis, cor, scilicet, inquietum, & fluctuans: causa morbi, amor mundi; remedium morbi, amor Dei.* Tot quippe cor fluctuat æstubus turbulentis, quot feruet caduci amoris affectibus incompositis: periturum omninò, nisi auspice Deo semotis naufragij causis deducatur. Eruditè D. Paulinus epist. 4. (ad illud Luc. 8. vbi Dominus ventos perstrepentes increpauit), monet, perpetuò rogandum Christum Dominum: *Vt increpans ventos Spirituum inimicorum, vel etiam nostrorum sensuum, saluos nos faciat à pusillo animo, & tempestate: tendentibúsque nobis ad tranquillitatem suam maria consternat: vt quasi naues suarum onerarias opum, deducat in portum salutis: victricibus fluctuum puppibus, virides latus imponat coronas.* Fragilitas quippe humana, quæ etiam ad scrupulos collabitur, absque dubio, internis ventis agitata, ad scopulos naufragabit, nisi à gubernatore nostro deducatur, & fluctuans, amore placidissimo firmetur.

Hug. Vict.

D. Paulin.

565. *Timor sanctus cor stabilit.* Deploratur Ierusalem sedens in puluere, vidua gemens, soluens tributum, fabula gentibus, derisus hostibus; idque latè, & patheticè satis per versus septem: deinde subditur: *Peccatum peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est.* Thren. 1. n. 8. Hucusque non inculcatâ culpâ, pœnæ nihilominùs terribiles inculcantur: at, cùm peccatum proditur, cui supremum aliquod malum responsurum videbatur, vna instabilitas memoratur. Nec immeritò: ab hac enim vnâ instabilitate, mysticæ Ierusalem ruina procedit vnicè. Quid ita? Quia, si per culpam redditur anima mobilis, fabulosa, & instar arenæ marinæ fluitans, atque æstuans, quid mirum, si, quidquid speciosum præædificatum fuerat, corrueret? Allucet Drogo suprà citatus: *Timor Domini stabile cor facit, vt domus septemplicis gratia superædificata, Prou. 9. num. 1. perseueret immobilis. Tu nosti, Domine, quàm inquietum est cor meum, & instabile, sicut puluis, & velut arena maris: vt quidquid moliar superædificare, potius in ruinam capitis videar coacernare. Quàm benè dictum est: Peccatum peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est.* Quomodo enim instar arenæ maris æstuantis non resorbeatur mobilis, quæ sibi instar arenæ vilis, affectuum sollicitudines multiplicauit?

Thren. 1.

Drogo.

566. Luc. 17. *Hominis conditio inconstans.* Hinc est, quòd propellendæ Discipulorum gloriolæ, si fortè subrepenti, monebat Christus Dominus: *Cùm feceritis omnia, qua pracepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Luc. 17. num. 10. Sed vnde tam inutiles, si cooperante gratiâ, tanta peregerunt? Quia de se, sic naufragi, & instabiles, debentes ventis ludibrium, lanienam scopulis, nihil nisi omninò inutile ostentarent. Chrysol. Serm. 161. *Quando per se homo vtilis ad diuina, qui sic sibi est inutilis ad humana? Cogitet homo cordis mala, carnis vitia, voluptatum fluctus, desideriorum procellas, irarum scopulos, naufragia criminum: & tunc quidquid in se est vtile, dabit Deo: sibi quidquid inutile est, deputabit.* Nihil sine diuini gubernatoris gratia, qui & mulcere potest ventos, & tollere fluctus, serenabitur: melius enim humano mari, id est, naturæ naufragæ conuenit illud Lucretij lib. 2.

Chrysol.

Maris fallax pellacia.

Lucret.

Infidi maris insidias, virésque, dolúmque
Et vitare velint: néve vllo tempore credant,
Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti.

Tertul. Quod pulchrè imitatus Tertullianus lib. de Pallio: *Mari fides infamis: dum & flabris aquè mutantibus, de tranquillo prorsum fluctis temperatum; & exemplò de decumanis inquietum.*

567. Isaïæ 23. *Peccator etiã in insensibilibus reprehenditur.* Cincta mari, coronata fluctibus, spumis circùm canescens imperabat Sidon, typus humanæ indolis iactabundæ, & in pelagi corde sita gloriabatur: ad quam tunc Isaias: *Erubesce, Sidon: ait enim mare: fortitudo maris, dicens.* cap. 23. num. 4. Quasi mare ipsum insulam subsannet, & rubore suffundat pudibundo. Sed ô delirium! vndè enim benè sitæ, fundatæ optimè insulæ subsannans accedat pelagus natura vagum, genio instabile? Insulæ habitatoribus insultat mare, & elementum tempestatibus, & inconstantiâ iam diu infame, se exonerans, infamiam, ad indomitos & procellosos hominum affectus, longè inquietiores, transfert confidenter. Ambrosius ibi lib. de Elia, cap. 19. *Tanquàm fatigati elementi vox ista dicentis est: Erubesce, Sidon, hoc est: Meos fluctus negotiator arguis, cùm sis ipse fluctibus inquietior: erubesce velut pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores sunt venti vestris cupiditatibus: illi habent otia sua, nunquam vestra quarendi studia feriantur: & cùm otiosa tempestas est, nunquam vestra otiosa sunt nauigia: versatur vnda sub remige, quando quiescit à flamine.* Non sinit itaque elementum quiescere, qui perpetuò internis cupiditatibus inquietatur: non sinit feriari mare, qui nunquam à libidinis fluctuatione feriatur: ventorum æmulus marinos impellit vortices, qui internis sæuiorum ventorum flatibus verberatur. Sic natura per peccatum naufraga, redditur omni pelago turbulentior.

Ambrof.

568. Ezech. 7. *Anima impia ventis agitata.* Mira visio illa Ezechielis, vbi, vt ipse narrat, sub quatuor bestiis, quatuor regna depinguntur, *qua consurgent de terra.* cap. 7. n. 17. Audi tamen, quid initio capitis dicat n. 2. *Ecce quatuor venti cali pugnabant in mari magno, & quatuor bestia ascendebant de mari.* De terrâ ascensuræ bestiæ regnatrices, siue bestialia regna dicuntur: quæ tamen hîc è mari dicuntur emissa. Anne idem? Planè: terra enim, siue terrena propago

Ric. Vict. propago vnde ascenditur, iam peccato naufraga, omni æstuabat mari fluctuosior. Ricard. Victor. ibi apud Godefr. licèt mouere dubium non curarit; aptissimus tamen dubio soluendo, sic scribit: *Quis nescit, mare quam sit instabile, & inquietum, quod semper mouetur ad omnem flatum, impulsúmque ventorum? Rectè itaque in eo cordis mutabilitas, & inconstantia figuratur: eò quòd verè sit similis fluctui maris, qui a vento mouetur, & circumfertur.* Quia non eâ facilitate venti flatulo mare commouetur, quàm praui motûs flabello cor ventilatur, in noua semper naufragia impacturum.

569. Vide nunc, si à quouis vento circumfertur miserè naufragaturum genus nostrum; quale, quatuor, id est, omnibus ventis digladiantibus, se sit gesturum. At, inquis, in mari inuicem concertare solent venti contrarij: in animo verò affectus vnde opponentur? Ex contrario genio, quo quisque in diuersa rapit, & in idem animæ damnum coniurans, in contraria distrahit mari turbido, naui lacerâ. Idem Ricardus: *Quæ est ista pugna ventorum, nisi fortis impulsus, & vehementia tentationum? Diuersitas verò ventorum cæli, contrarij sunt affectus animi: aliter enim spirat concupiscentia, aliter flat iracundia; aliter autem, & aliter confidentia, vel diffidentia.* Debacchantium affectuum agmina sibi opponuntur, perturbant omnia; nec animam permittent conquiescere, & in statione secura permanere.

Iisque multis, & contrariis.

Ric. Vict.

570. Hæc est, vt tandem concludam, hæreditaria illa miseria, quam nobis primus parens dedicauit: vix peccat, cùm statim fluctuans æstuat, æstuans naufragatur: optiméque id Scriptura voluit commemoratum. Abscondendo Adamo causam præbuit, quòd audisset *vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso.* Genes. 3. num. 8. Satis miri est, quòd Deus ambulare, & progredi, cùm sit ipsa constantia, dicatur: sed plusquàm mirum est, quòd non tam ambulare dicatur, quàm deambulare; ibi errabundos gressus, & commeantes vagationes stupescas, necesse est. Causam tamen scitè aperit Hugo de S. Vict. vbi apud Tilm. *Non ambulauit, sed deambulauit huc, & illuc, quasi errabundus, & vagus; in directum non vadens, sed pergens quocunque; hoc est deambulare. Et quare deambulare itaque voluit? Vt ostenderet se talem foris, qualis intus cœperat ille esse: iam enim in eo mota erat veritas, & fluctuabat, & ideò veritas foris deambulabat.* Totus naufragans fluctuabat Adam, in illóque tota progenies æstuabat, intus quodammodo Deum commouens, & concutiens: ideò talis foris apparebat. Nunc ergo, quàm ab hoc communi naufragio, & vaga fluctuatione præseruetur Deipara, videamus.

Deus talem se nobis gerit foris, qualem intus habemus.

Genes. 3.

Hug. Vict.

* * *

§. II.

Maria fluctuanti arcæ gemmea fenestra, portus salutis.



CONSERVANDIS naufragaturi humani generis reliquiis, arcam parauit Deus, cuius dum fabricam, & tenorem præciperet Noë, sic subiungit: *Fenestram in arca facies, & cubito consummabis summitatem eius.* Gen. 6. num. 16. Fortè in alto ista, vt lucem immitteret, aquam non admitteret. Ast, quà lucem immittat, si clausa erat, vt colligitur ex cap. 8. num. 6? Fugiunt aliqui ad Hebræum, vbi habetur ex aliquorum interpretatione: *Lucernam facies.* Sed, quę ista lucerna, quę ingētem arcam illuminet, nec incendat? Quæ lucerna, quæ à nostro fenestra valeat appellari? Imò, quæ fenestra, quæ clausa, vt diluuium impediat, expedit splendores? Dicam, quid sentio, si audis priùs ibi Lyranum: *Hebræi habent, lucernam: & dicunt aliqui, quòd ista lucerna erat lapis pretiosus, suo lumine illustrans arcam, sicut carbunculus. Alij autem dicunt, quòd fuit fenestra crystallina, vt lucem reciperet, & aquas prohiberet.* Ego vtrunque coniungerem: ipsúmque carbunculum speciosissimum speculari conditione in fenestram efformatum, vt innato conceptóque splendore arcam illuminaret, arcens aquas, combibens radios. Vtcunque fuerit, gemmea erat fenestra, quâ non obductâ & clausâ, arca inundaret: quâ non gemmeâ & diaphanâ, cæcutiret. 571.

Arca Noë vnde illustrata.

Genes. 6.

Lyran.

Erat arca ista, vt nemo nescit, Ecclesiæ typus, extra quam peritur; in quâ solâ salus per Christum comparatur: à naufragio æternæ damnationis præseruata, quæ tamen iam, in ipso saltem originis peccato, naufragarat. Vt verò tota intùs obscura; deforis verò, atro oblita bitumine, partem fenestræ habebat puram, atque diaphanam, non solùm lucidam, sed etiam illuminantem: sic Ecclesia habet Mariam matrem lucis, gemmam, & lucernam, non solùm in se illustrem, sed illustrantem: nullâ piceam atredine, nullâ obscuritate maculatam: per hanc à priori naufragio erepta, à secundo præseruata. Benè Hesychius Orat. 2. de laudibus Mariæ, quem do carptim: *Iure proculdubiò, omnis grati animi lingua salutat Virginem, & Deiparam, &c. Iste cognominat eam matrem lucis; ille stellam vitæ, &c. Specimen cuius, gemma Sole splendidior, &c. alij similiter lucernam oris expertem, quæ à seipsa iugiter ardeat: Arcam, arcâ Noë latiorem, longiorem, illustriorem.* Ideò Honorius Cant. 1. n. 8. vocauit Mariam, *Cæli fenestram, per quam Sol iustitiæ in mundum resplenduit.* Non ergo putem, eiusdem esse conditionis quoad puritatem, cum reliqua Ecclesia, Mariam, per quam Ecclesiæ tenebræ obscurissimæ illustrantur: nullum commune cum Ecclesia passa naufragium, quæ prioris naufragij remedium, & euitando secundo contulit præsidium. 572.

Maria, lux, & fenestra fulgoris.

Hesych.

Honor.

Sed,

573. Sed, quidni seruet naufragos nunquam naufraga, quæ ipsis portus dulcissimus facta est: Ioan. Geometra Hym. 4. ad Mariam:

Maria, portus salutis.

Χαῖρε, πλέουσι συνέμπορε, ναυαγοῦσι σωτὴρ,
Ἰθύντηρ, λιμὴν, ἱςία λευκότατα.

Geometra. *Salue, nauigantibus comes, naufragorum seruatrix,*
Gubernatrix, portus, velum candidissimum.

Epiph. Faciunt in idem verba D. Epiphanij Orat. sæpè citata, vocantis *mare, vniuersum mundum: cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum.* Habes Mariam, aut portum, aut melioris portus, Christi, scilicet, exhibitricem; & vtrinque naufragorum auxiliatricem. Ecquis crediderit, communi istam naufragio periisse? Quis in profundum vsquam dixerit deportatam, quæ portum apportabat? & demissam eam in procellosos vortices, per quam erat serenitas emittenda? Conscenderant Castores Argonautarum clarissimi (fert Mythistoria) primam nauim: hanc subitò coorta tempestas inuadit: instat naufragium, sed euaditur, immissis à Patre Ioue super Castorum vertice stellulis: indignum, scilicet, habitum, vt illi iuuenes succumberent naufragio, qui mortalium naufragiis auertendis destinabantur. Saltem ideò posteà Numina nautis electa: quia primas naufragij minas euitarunt, de quo multa Diodorus Siculus. At quàm durum fuerit, si nos simus erga Deiparam inurbaniores! Destinabatur Maria procellis humano generi fugandis, portui præparando: cur illam procellâ infaustâ dicemus periisse?

Diodor. Sic.

574. Maius aliquid expendo in hoc portu. Non inueniremus Christum portum per Mariam, nisi priùs ipse Christus, dum tota natura origine vitiata naufragabat, portum securum, & quietem placidam, omnibus naufragij damnis expertem, in Mariæ libertate reperisset. Recole, quæ suprà dixi ad illud: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis: collum tuum, sicut monilia.* Cant. 1. num. 10. Vbi in redemito collo, immuni ab omni iugo, libertatem Mariæ, Patres celebrarunt. Nunc vide, quid de his monilibus Græce dicatur: *Collum tuum, sicut hormisci.* Est autem ὅρμος (vnde diminutiuè ὁρμίσκος) lunatus portus, qualem describit passim Authorum quiuis. Audiendus hic Nicæn. apud Delr. *Vsurpamus*, inquit, *propriè vocabulum*, ὅρμος, *de locis maritimis, in quibus parte interiori, litus sinu suo mare, instar Lunæ falcatæ curuatum excipit, quietémque de mari adnauigantibus præbet. Verùm per translationem, ob eiusmodi formæ similitudinem, etiam ornatus is, qui collum ambit,* ὅρμος *appellatur, hoc est, torques: at cum forma diminutiua pro* ὅρμος, *dicimus* ὁρμίσκος. Aptissima explicatio ad litteram; sed neque mihi inepta ad mysterium. In vno Mariano collo, siue libertate, portum sibi commendat Christus: & qui quocunque oculos converteret, naues, & prouincias naufragas, & inundatas aspiciebat; in sola Maria, quam præseruat, tutam, & quietam à fluctibus naufragium commouentibus, inuenit stationem. Neque mirum: dum enim cæteri omnes homines peccato ab origine naufragi, Christum, saltem ad mortis naufragium, impulerint; quid non quiescat in Mariâ, cuius innocentiæ purissimæ nunquam naufragæ, non verberatur malitiâ, sed malaciâ recreatur?

Maria, Christi portus.

Cant. 1.

Nicæn.

Cùm tot multa gloriosissima nomina Christo Domino pararentur, tunc augustius illud, *Emmanuel*, componitur; cùm expressior materna Mariæ dignitas, de virginitate phœnix declaratur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius, Emmanuel.* Isai. 7. num. 4. Sed cur, inquis, quando Mater decoriùs commendatur, tunc Filij nomen celebriùs prædicatur? Credo, vt, dum illustriùs Filij nomen Matri videtur adblanditum, aliquid in Matris nomine excogites, quod excellentissimè Filio correspondeat. At, cur tanta cura, vt *Mariæ* nomen decorè, ex Filij nomine intelligatur? Ne fortè *Mariæ* vocabulum ad interpretationem aliam deduceretur, quâ aliquid naufragantis, & ab amara salsugine emergentis, videtur denotari. Do pulchra, nec dum explicata verba Ambros. ad hunc locum, de inst. virg. cap. 5. *Emmanuel, quod interpretatum est, nobiscum Deus. Vnde hoc munus? Non de terra vtique, sed de cælo. Vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit, & sacrauit templum pudoris. Per vnam descendit; sed multas vocauit: vnde & speciale, Maria, Domini hoc nomen inuenit, quod significat, Deus ex genere meo. Dicta sunt antè Mariæ multæ: nam & Maria soror Aaron dicta fuit: sed illa Maria, amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Dominus in amaritudinem fragilitatis humanæ, vt conditionis amaritudo dulcesceret, Verbi cælestis suauitate, & gratiâ tẽperata.* Vult itaque Ambrosius, longissimum discrimẽ inter vtriusque Mariani nominis etymologiam intercedere: Maria Deipara, diuini tituli particeps habetur, & Christo gratâ vicissitudine correspondet: vnde, sicut ille, *Deus nobiscum*, dicitur: sic illa, *ex genere meo Deus*, appellatur. Maria verò Aaronica, *amaritudinem maris* sonat: cum cuius tanquàm è naufragio salsugine, nihil commune melior nostra Maria habere potuit. Ad Mariam ergo Aaronicam, & alios omnes, qui simili amaro naufragio subiacebant, liberandos, descendit Dominus. Sed vas, per quod descenderet, *è cælo*, id est, purissimum elegit, *non de terra*, sine terrenæ fragilitatis amaritudine præfœdatum: quo non tam naufraga, quàm placidissima portus statio Maria intelligitur. Aliter hunc locum tracto infrà n. 722. 575.

Isai. 7.

Maria nomẽ. Filij nomini correspondet.

Ambros.

§. III.

Conceptio Mariana faustum nunciat: quia nihil funestum exhibebat.


HABET ad rem, in qua sumus, multùm emphasis epitheton illud, quo Ioannes Gemeotra, Christianus Apollo, Cygnus cælestis, Mariam non solùm gubernatricem, & portum naufragantibus appellauit; sed tanquàm summum vocans conclusit: ἱςία λευκότατα, *velum candidissimnm.* Vt autem in illis hymnis, (quod eruditi norunt,) non solùm diuina congerit, sed humana exornat; attentiùs considerandum, quid magnum in velo candido appareat; aut quo festiuæ allusionis gustu 576.

Geometra.

Maria cur velum candidissimum appelletur.

gustu id dicatur: iurarémque ad historiam Thesei celebrem recurrisse, quam posteà tot fabulis Poetæ inuoluerunt. Theseus cùm è patria, tributo infami obnoxia, pro eiusdem libertate Cretam nauigaret, ad expugnandum Taurum, virum hoc nomine superbum iuxtà, ac strenuum; in mandatis à Parente Ægeo accepit, vt, si victor rediret, mutato nauis velo, (quod nigrum gerebat,) candidum aliud in lætitiæ appenderet significationem. Abuit, conflixit, superauit. Erat interim pater in Attica, ab alta turri semper expectans, ab alta specula reditum suspirans: tunc sic subdit Plutarchus in Vita Thesei: *Cùm Attica appropinquaret, tradunt præ gaudio, neque Theseo, neque gubernatori in mentem venisse, vt velum illud tollerent, itáque saluos se venire Ægeo ostenderent: sic hunc desperata incolumitate suorum, præcipitem se egisse, & periisse.* Quippe ad nigri veli conspectum, nihil felix & faustum potuit concipere.

Plutarch.

577. Pone ergo mihi vniuersum humanum genus ab Adamo, (qui primus audiuit, Mulierem Serpentis caput contrituram) ex Mariana Conceptione, salutis, & incolumitatis recuperatæ nuncia fausta suspirans, & sperans: certè, si hæc etiam in medio hoc pelago, quasi naufragij, & captiuitatis particeps, atro pariter culpæ velo nauigans appareret: nonne desperationem salutis, & spei nostræ gladium potiùs afferre, quàm gaudium nunciare videretur? Sed quàm aliter exultans canit Ecclesia: *Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo: ex te enim ortus est Sol iustitiæ, Christus Deus noster.* Non obtegebatur Conceptio illa atro vellere, non nigro velo nauigabat, quæ naufrago mundo gaudia, & salutis nuncia dicitur attulisse: quid enim faustum nunciaret ægra, & communi naufragio consepulta?

Maria Conceptio, faustū nuncium.

578. Præoccupauit mihi optimum in hanc mentem locum doctissimus Archiepiscopus, Antonius Perez, Benedictinæ Famil. splendor. Confosso Absalone rogauit Achimaas Ioab Ducem, vt nunciaturus rem Dauidi mitteretur: ad quem Ioab: *Non eris nuncius in hac die; sed nunciabis in alia. Hodie nolo te nunciare: filius enim Regis est mortuus. Et ait Ioab Chusi: Vade, & nuncia Regi, quæ vidisti.* 2. Reg. 18. num. 19. Et quid aptius apparebat in Chusi, infaustis illis nunciis deferendis? Est *Chusi*, non tam proprium, quàm appellatiuum nomen, sonans Æthiopem: ideò acutè ibi Caietanus: *Ad ferendum enim nuncium mæstum misit Æthiopem.* Vt, scilicet, teter color, teterrimo etiam nuncio responderet. Si igitur Mariana Conceptio tetra foret, non tam gaudium lucis, quàm mæstitiam noctis nunciaret; absonéque, nisi tota rutilaret, ferendo splendori afferretur. Hæc ferè Perez Serm. vernaculo de Concept. Virginis: quæ mens acuminis non vulgaris, nobis plurimis locis longissimè illustranda.

Ant. Per.

Infausti nūcij nuncius qualis.

2. Reg. 18.

Caiet.

579. Addo in primis vim historiæ ex versione, & explicatione Vatabli, qui ex Hebræo sic legit: *Vade tu, & significa Regi, quæ videris.* Deinde in notis sic scribit: *Chusi, id est, Æthiopi cuidam viro, aut natione, aut propter nigrorem faciei: non est nomen proprium.* Secundum, de nigrore faciei, magis probo: licèt enim nuncium esset mœstum; non tamen decenter ad Regem vilis Æthiops mitteretur. Hebræus igitur, & nobilis: sed tamen nigerrimo vultu insignis apparatur. Tota emphasis latet in ly, *significa*. Quasi dicat: Curre, propera, Niger; & ipso tuo colore, occisi filij signum esto Regi: vt priùs luctum, & mortem, ab atramento, quo insigniberis; quàm à verbis, quæ dixeris, condiscat. Apto huc pulchra verba Curt. lib. 4. de seruo, qui Dario nuncium defunctæ vxoris deferebat. *Exceptus à vigilibus, in tabernaculum Regis perducitur gemens, & veste laceratâ: quem vt conspexit Darius, multiplici doloris expectatione commotus, & quid potissimè timeret incertus: Vultus tuus, inquit, nescio quid ingens malum præfert: sed caue, miseri hominis auribus parcas: didici enim esse infelix: & sæpè calamitatis solatium est, nosse sortem suam.* A vultu illo subtristi & funesto, à veste lacerata, nihil hilaris nuncij poterat sperari: & quid gaudij Conceptio tristis, laceráque per culpam nunciaret?

De eodem.
Vatabl.

Curt.

580. Emisit olim Noë columbam fausta finiti diluuij nuncia relaturam: & addit Textus: *Quæ, cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Genes. 8. num. 9. Atqui quadraginta dies antè, apparuerant montium cacumina, num. 6. & per totidem istos dies, absque dubio aquæ fuerant imminutæ. Quid ergo non inuenisse, vbi figeret pedem, columba dicitur? Respondet ibi Lyranus: *Hoc videtur falsum: quia iam anteà apparuerant cacumina montium. Sed dicendum, quòd ex diutina mora aquarum super terram, terra non erat desiccata adhuc; sed erat quasi lutum, in quo non libenter quiescit columba.* Non poterat, quæ confecti naufragij nunciū faustum in secunda missione, erat allatura; in prima aliquid, quod naufragatorium diluuium saperet, afferre. Non poterat tunc in extremis pedibus, imísve vngulis, lutulentæ aquæ maculam gestare, paulò post ridentis oliuæ serenitatem gestatura: & ipsamet Conceptio Mariana, quæ, vbi erupit, gaudium serenandæ procellæ nunciauit vniuerso mundo, immundâ sordidantium limorum labe fœdaretur?

Genes. 8.

Columba nunciatrix.

Lyran.

581. Non talem columbam nostram contemplabatur Dauid exclamans ad fideles: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Ps. 67. num. 14. inuitans, vt in quauis sorte, instar Mariæ, placido animi silentio, & sopore quiescamus. Sed, vnde pennæ illius deargentatæ, cùm terrenæ sortis, & humanæ naturæ foret particeps? Respondet Guillelmus ad cap. 2. Cant. num. 7. *Pennæ eius, virtutes eius, quibus subleuatur à terra, licèt originaliter esset ex terra: pennæ eius deargentatæ, id est, nitidæ; nihil obscuræ, vel sordidæ admixtionis habentes.* Non pedem in luto figit columba nostra, nihil contrahit sordidum, nihil naufragantis Orbis participauit. Pulchrè Bernard. Serm. 2. de Natiuit. locutus de Maria: *Non sensit naufragia vllius vitij*, nedum originalis, vnde omnis obscuritas deriuatur. Scilicet, nec aliter serenitatis veniret nunciatrix.

Psal. 67.

Maria qualis columba.

Guillelm.

Bernard.

582. Quærunt omnes Interpretes ad illud Genes. 8. num. 6. *Aperiens Noë fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit coruum: qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* quidnam de huiuscemodi coruo factum foret;

Genes. 8.

ly

Infaustus nuncius festina nescit gaudia nunciare.

ly enim, *donec*, non significat tunc reuersum, vt similibus locutionibus comprobatur: & respondent vtplurimùm, aut suffocatam periisse; aut depascentem cadauera substitisse. Sed cur, inquam ego, aut suffocari permittitur, aut subsistere non reuersurus: qui nuncius à Patriarchâ fuerat expeditus? Noluit, putarem, Deus, vt nocturnus teterrimæ auis color, transacti diluuij, serenitatísque claritatem nunciaret. Allucet tantisper D. Paulinus epist. 4. ad illud Cant. 5. num. 11. vbi *coruo* crines Sponsi comparantur: *Bonus iste coruus, nec ille ad arcam reuertendi immemor: sed ille pascendi Propheta memor, &c. Vnde nunc coruus iste, non noctis, sed luminis coruus est: cuius coloris speciosi crines sunt.* Quasi nigredo corui prophetici ad mysterium, in ipso adhuc atro, aliquid speciositatis sortiri videretur: arcæ verò coruus, qui typus Dæmonis, nihil non horroris haberet, & fœditatis. Vnde ergo serenitatis lucem annunciare poterat, & candorem?

D. Paulin.

583. Nimirum, seruabatur tanti nuncij munus purissimæ columbæ: de qua ibidem subditur: *Venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noë, quòd cessassent aquæ super terram.* num. 11. Sed, cur, inquis, ex tot puris, mundísque auiculis, vna in id ministerij seligitur columba? Quia sub eius formâ posteà Spiritus Sanctus erat appariturus: vt quemadmodum in Baptismo Christi Ioan. 1. num. 32. visibiliter apparuit, & ad Baptismum nostrum (vbi peccatis naufragantibus munda surgit natura) venit inuisibiliter, pacem illatam nuncians, diuina columba: sic post diluuium, vbi caro naufragauit, saluæ iam meliori naturæ sub eodem typo pacem nunciaret. D. Ambros. Serm. 21. ad finem, de Spiritu Sancto locutus: *Columba enim ipse est, quæ nunc ad Ecclesiam Christi in Baptismo venit: quæ quondam ad arcam Noe in diluuio properauit, tunc illi securitatem annuncians oliuæ ramo.* Tam felix nuncium, felicissimam, & purissimam nunciatricem requirebat, sub qua totus diuinus Spiritus deliteret.

Genes. 8. *Spiritus Sanctus nunciat faustissima.* Ioan. 1. D. Ambros.

584. Vnde iam infero, cur hæc ipsa columba, typus Virginis nostræ habeatur. Non nunciaret gaudium, id est, libertatis salutem, & communis naufragij terminum Mariana Conceptio: nisi in ipsa Conceptione Maria sic Spiritus Sancti plena appareret, sic Spiritui Sancto similis, vt eadem columba, nunc Spiritum Sanctum referat, nunc Mariam. Grauiter Apostolus Germaniæ Canisius lib. 1. cap. 6. de Deipara: *Hæc vna speciosa, & electa, dilectáque columba, suum semper natiuum, & perpetuum candorem retinens, omnis peccati sorde, fœtore, felle, vel amaritudine vacans: nihil nisi viride, ac floridum Domino suo exhibens, eique, postquàm emissa fuit, perpetuò fida, & gratiosa.* Præcauit ergo sollicitus diuinus gubernator, ne periret naufragio Maria, quæ naufrago generi virescentis oliuæ securitatem erat allatura: nec eius Conceptio gaudij tanti felix, faustáque nunciatrix potuit infesto atrore denigrari.

Maria columba felix. Canis.

§. IV.

Fausta nunciantibus, nihil non felix, & faustum adhærescit.



585. VT, quæ dixi de columba nostra, peracti naufragij facta nunciatrice; vtque meliùs ecclesiastica Antiphona, qua eius Conceptio gaudium nunciasse dicitur, intelligantur: operæpretium me factum duxi, si fusè fausta nunciantium habitum describerem, quámque iste nunciandis ipsis rebus conueniat, declararem: vt nihil non faustissimæ libertatis in Mariana consideres Conceptione, dum gaudij, id est, libertatis nuncia prædicatur. Vno verbo, id etiam ab humaniori litteratura confirmemus. Solebant Romani Duces ab exercitu glorioso *laureatas epistolas* mittere ad Senatum, vt priusquàm resignatæ, ipso statim aspectu victoriam nunciarent. Sophocles in Oedip. de nuncio:

Nuncij felices quales. Sophocl.

O Apollo! vtinam ille ita felici
Auspicio veniat, vt vultu læto adest:
Aspectu quidem hilaris apparet: quod nisi esset, non ita
Coronatus incederet lauri frondibus.

Nec vice versa nuncium gestaret lætum, quin hilaris, & coronatus deueniret. Magis ad ustum prædictorum Æschylus in Agamn. vbi ἐλαίας κλάδοις expresè ponit:

Nuncium à littore prospicio redimitum
Ramis oliuæ.

Æschyl.

Nimirum, nihil iste non pacificum afferebat: nec aliquid communis stragis columba nostra, melioris oliuæ gestatrix, asportabat. Nolo plura. Diuinis me confero.

586. Sumpturo Deo Carnem Gabriel mittitur ad Mariam: & subditur: *Ingressus Angelus ad eam, dixit.* Luc. 1. num. 18. Audis gradientem, vt sub habitu iuuenis visibili intelligas venientem. Nemo vel leuiter cælestis commercij tinctus notitiâ ignorauerit, inter omnes diuinas reuelationes, infimi, & vilioris generis esse illas, quæ sub formâ visibili exhibentur: perfectissimæ sunt, quæ interiori ad mentem illapsu, omni, vel etiam imaginario phantasiæ strepitu semoto peraguntur. Cur ergo in summa obiecti reuelandi dignitate: in ea legatione, qua maior nulla à Deo mitti poterat, visibilis species assumitur? Quia Maria intus perfectissimo illapsu fuit illuminata: decuit autem, vt foris cælestis nuncius nunciando mysterio conformaretur. Ludolphus ibi par. 1. cap. 5. *Angelus in hominis forma apparens, quasi exemplo docuit, quia Deum incarnari, & Spiritum cooperari nunciauit: quia enim illum nunciauit, qui in se inuisibilis, Corpus visibile voluit ex Virgine sumere; congruâ debuit corporali specie apparere. Formauit autem Angelus corpus lucidum: quia secundùm Augustinum, specie rutilans, & veste*

Luc. 1. *In Annunc. Mariæ.* Ludolph.

coruscans Virgini apparuit. Vt lucido corpore, & ad humani specimen fabricato, faustè incarnandi Verbi præsagiũ ostentaret: nec decentiùs, nisi sub pulcherrimi hominis forma, pulcherrimum hominum Deum nunciaret: sicut nec Mariana Conceptio, nisi libera, libertatem naturæ significauit.

587. Luc. 1. Salutat Angelus Mariam: at ipsa, *turbata est in sermone eius.* num. 29. At, quoties viderat Angelos Maria? Angeli baiuli diuinam puellam nutrierunt: obsequentes Angeli Virgini ministrabant: quid ergo Angelo conspecto turbatur, Angelorum commercio assueta? *De eodem.* Thom. Val. Respondet D. Thomas Valentinus Concione 1. de Annunciatione: *Intrat vultu rutilus, veste coruscus, cælestique totus candore decorus: sternitur ad pedes, lætóque illam vultu salutat*, &c. *Per hoc, quod dicitur, in sermone eius, intelligimus, non tam de visu, quàm de salutatione turbatam: licèt non sit mirum, tali fulgore commotam: quia, etsi prius Angelos viderat; non tamen tali maiestate fulgentes. Turbabat autem illam nimia eius humilitas, & miranda Angeli nouitas.* Nimirum, tam fausta nunciaturus Angelus, nihil non pulcherrimum debuit exhibere. E cælestibus pratis immortalia lilia rosis commixta vultum temperarunt, micabant in oculis sydera, Sol in crinibus rutilabat, corpus sapphirina firmamenti telâ obtegebatur. Admiratur nouitatem Maria, & ab Angelo longè solito splendidiore, iam sibi grandius aliquid nunciandum auguratur.

588. At vide, quàm aliter nuncium Euæ expediat Infernus. *Sed serpens erat callidior omnibus animantibus terræ: qui dixit ad mulierem.* Genes. 3. Genes. 3. num. 1. Sed quò ruis, hostis teterrime? Si callidus, si sagax, quid desipis decepturus? *Inde Antiqua Maria.* Serpentem induis? at trepidet fœmella: muta serpentem in agnum; squammeam duritiem, in molle vellus; maculas fœdas, in placidum candorem: sibilos asperos, in teneros balatus. Agnus tactu blandus, lusibus iucundus, aspectu gratus, faciliùs sexum fragilem illudet allectum: serpens territum effugabit. Mauellet Dæmon agnum; sed non permissus à Deo hunc assumere: vt inexcusabilis redderetur Eua, quæ à sic infausta, & fœda forma, nihil faustum, & felix sibi nunciandum debuit augurari. Idem D. Thom. Val. Thomas Concione 2. eiusdem festi: *Poterat Euam intentata fraudis, colubri commonere figura, si mens non lana fuisset: quid enim à serpente expectari poterat, nisi virus? Non agni, aut ouis speciem Diabolus assumere permissus est, non vultu Angeli splendore corusco: ne esset potestas in fraude, excusatio in credulitate. Competentem sibi figuram assumpserat Zabulus, & quæ, intus latentis nequitiæ, exterius preberet indicia.* Ruinam totius humani generis machinabatur Dæmon, dum fictitiam Diuinitatem Euæ nunciabat. Infaustum ergo nuncium, sic etiam infausta forma condecebat: vt forma faustissima Marianæ congruebat Conceptioni, quæ huiusce ruinæ remedium iam proximum nunciabat.

589. Quid? non solùm cælestis nuncius sic nouo vultûs, habitúsque decore, incarnandi Verbi gratiam significauit: sed etiam ipsa tempora amœniori habitu gaudium nunciarunt. Venit hinc explicandus ad litteram locus ille Cantic. vbi Deus ad Mariam, de Incarnatione acceleranda: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* cap. 2. num. 10. Chronographia est ætatis, qua Angelus nunciator aduenit, & felix illa vigesimaquinta dies Martij declaratur: at, si Orbis mense Septembri, vt creditur, oppetentéque vere producitur ad naturam; cur vere appetente, & penè ad Aprilem, ad gratiam reproducitur? Respondet ibi Rupertus, ex ore Dei ad Mariam: *Ecce enim æquinoctium vernum iam iam præteriit, & adest festiuitas paschalis: dum hæc loquor tibi, dum foris Angelus annunciat; & ego intus vocem sequor annunciantis: quo tempore sine dubio secundùm Solis, & aeris naturam, hyems transiit, imber recessit. Ex ipsâ ergo qualitate temporis auspicium cape magnæ felicitatis.* Ne vel tempora, quæ redemptionem signabant, sine vernis deliciis, absque florida veste apparerent. *In eadem Annunciatione.* Cant. 2. Rupert.

At qualis veniret florida Conceptio Mariana, dum intimiùs, & meliori modo nunciat redemptionem? Sicut dies verni, canit Ecclesia, circundant Mariam flores rosarum, & lilia conuallium. Et quid Maria non vernaret in se, vbicunque fuerit: cuius memoria è fidelium pectore hyemem fugat, ver floridum inducit? Piè Ludolphus part. 2. cap. 86. *Sicut tempore vernali, cùm ad alta cæli Sol incipit ascendere, & terris fœcundam radiorum suorum luminositatem infundere; vegetabilia quæque hyemali glacie constricta incipiunt reuirescere; animalia quoque in antris, & specubus, ac diuersis quibusuis latibulis abscondita, ad tanta lucis nouitatem respirare incipiunt, ac vires resumere, & cordis lætitiam cantibus, & plausibus lætabundis ostendere: homines quoque senes cum iunioribus, eius in aduentu exhilarantur: & tota superficies terræ decore induitur, & applaudit, ac congratulatur. Sic nobis accidit, cùm Sole amicta Virgo fœcunda, Regina cæli prælecta, vt Sol fines cordis nostri ingreditur, & memoria eius mentibus nostris rutilantibus absque nube infunditur: continuò enim durities omnis ad tanta lucis immensitatem resoluitur: arida cuncta rore cælestis gratiæ irrigantur: fugantur tenebræ, lumen nouum exoritur, & gaudiorum nobis materia immensa cumulatur.* Pergo. 590. *Maria memoria, fidelibus suauissima.* Ludolph.

Nascitur Christus Dominus: & ecce, stella nunciante, vocantur gentes, vnde exclamant Magi: *Vidimus enim stellam eius in Oriente.* Matth. 2. num. 2. Astrologi, inquiunt, erant Magi; & ideò noto, & familiari signo excitantur: vt iam inde veritatem discerent, vnde olim combiberant errorem. Ast in Magis, inquam ego, tota gentium multitudo; nec tamen tota Astrologiæ dedita, trahebatur. Aliud ergo splendeat in stella nunciante, necesse est, quod vocatis omnibus valeat conuenire. Ecquid illud? Iam dicam. Constituto olim Abrahæ in Patrem gentium, syderea proles Genes. 22. fuerat promissa; promissio hoc temporis implebatur. Meritò ergo nitoris dandi, stellatæ conditionis gentibus concedendæ, 591. Matth. 2. *Iusti, stellæ viua.*

nuncius

nuncius stella mittitur: vt nihil non purissimum, & sydereum nuncio adhæreret, qui homines in stellas iam iam reddendos significabat. Leo Magnus Serm. 3. de Epiph. *Quondam beatissimo Patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fœcunditate generanda; & ideò stellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre, non terrena, sed cælestis progenies speraretur. Ad creandam ergo promissam posteritatem, hæredes in syderibus designati, ortu noui syderis excitantur: vt in quo cæli adhibitum fuerat testimonium, cæli famularetur obsequium.* Quia dedecebat minùs nitidus nuncius nitidissimam familiam conuocandam. Et conueniet fœdata Conceptio Mariæ Christo Soli iustitiæ nunciando?

Leo Magn.

592. Præcauit istud Deus, qui Mariam non solùm stellam purissimam; sed stellarum Principem, & nitidiorem Auroram efformauit. Luctabatur Iacob cum Deo, femore tactus, libidine marcescens: nec tamen cedit, imò dum claudicat corpore, spiritu vegetatur: ad quem tunc Deus: *Dimitte me: iam enim ascendit Aurora.* Genes. 32. num. 26. Quasi non vltrà luctandum, id est, precibus pro Incarnatione contendendum: quia iam Aurora, id est, Maria apparebat. Nihil tritius. Sed expendas, amabo, cur, dum oriatur Christus, Orbis exhibitâ Mariâ contentus esse iubetur: an suppleat Maria Iesum? Absit: sic tamen proximum nunciat, vt iam velut possessus possit existimari: vnde enim Sol iustitiæ, nisi ab Aurora lucida (quæ Solis appellatur nuncia) nasceretur? Haïlgrinus Cantic. 6. num. 9. *Per Iacob luctantem cum Angelo, Sancti Patres designantur, qui luctantes cum Domino, precibus, & lacrymis extorquere, & obtinere à Domino incarnationem Filij sui, tali instantia, velut quadam victoriâ nitebantur. Sed eorum cœtui respondetur à Domino: Dimitte me: iam enim ascendit Aurora. Cesset instantia vestri luctaminis: quia iam lux nascitur, videlicet, Virgo, quæ vobis pariet verum Solem. Ipsa in natiuitate processit Aurora, vt fieret Luna.* Benè igitur Conceptio gaudium nuncians Mariæ adscribitur: quia ex illa ortus est Sol iustitiæ, vt Aurora intelligatur: in Aurora autem tantummodo lippus tenebras cogitabit: neque vnquam funesta Aurora, Solem potuit clarum nunciare.

Maria, Aurora faustissima.

Genes. 32.

Haïlgrin.

593. Hinc capies ænigma penè illud Ecclesiastici: *Luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, & signum æui. A Luna signum diei festi.* cap. 43. num. 6. Si enim *in tempore suo* tantùm, ostensio est temporis, cur *in omnibus* esse perhibetur? aut vnde *in tempore suo* omnibus potest aliquid ostendere, quæ huic hemisphærio lucens, caligat alteri? Claret res, si recurris ad mysterium. Haïlgrinus citatus ad hunc locum? *Nam Beata Virgo in omnibus nationibus, tempore suæ apparitionis, ostensio est illius temporis, de quo ad Galatas: Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex Virgine. Et ipsa est signum æui, insigniens omnem ætatem præteritam, & futuram. Et benè de ipsâ subditur: A Luna signum diei festi. nam ab ipsa omnis nostra festiuitas.* Fac ergo appareat Maria in ipso pri-

Eccli. 43.

Maria, Luna festiuissima.

Haïlgrin.

mo instanti fœda, obducta tenebris, beatam temporis plenitudinem ostensura: nunquid indecentius aliquid cogitaueris, quàm Christi pulchritudinem, lucem, gratiam, fœditate, tenebris, culpâ enunciari? Quis Conceptionem cernens denigratam, innocentiæ candidæ per Christum nobis allatæ crederet nunciatricem? Certè non Auroram pulchram, non Lunam vocaret puram; posset imò Cometam pertimere, non tam è naufragio salutem, quàm naufragij damnum nunciantem. Talis ille Claud. 1. de rap.

Augurium qualis laturus in Orbem
Præceps sanguineo delabitur igne Cometes
Prodigiale rubens: non illum nauita tutò,
Non impunè vident populi: sed crine minaci
Nunciat, aut ratibus ventos, aut vrbibus hostes.

Claudian.

At nihil igniti fomitis peccaminosi, nihil sanguinis originaliter maculati potuit afferre Deipara, quæ vniuerso Orbi, non procellam, aut gladium, sed gaudium nunciauit.

Accensa diuinis verbis, recurrit in ciuitatem suam Samaritana exclamans: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid ipse est Christus.* Ioann. 4. num. 29. Quòd credat, quòd compungatur Saluatoris illuminata sermone, nihil mirum: at, quòd fœmina paulò antè nota non satis spectatæ vitæ, imò & impudicitiæ notata, audeat se iam ciuium Magistram, & Christi nunciam ingerere, id demirandum. Quid enim si vanæ præsumptionis arguatur, quòd præteritarum culparum conscia, aliorum iam consulat conscientiis? Puto, non auderet sic repentè has partes obire, nisi quodammodo iam, qualis paulò antè fuerat, obliuisceretur. Ergo ea gratiæ vbertate, & aquæ viuæ flumine potauit illam Christus, vt iam castissimo amore ebria, non solùm amores turpes; sed etiam illorum memoriam deposuisse videretur. Et quorsum tantum impedium gratiæ erga hanc mulierculam? Quia, cùm ad nuncia salutis æternæ deferenda destinaretur à Christo, opus fuit, ne quid priscarum sordium in se videret; neque enim id muneris à Domino aliter accipere sustineret: quia prudens timeret forè, vt indecenter salutem nunciaret, quæ à suis sic ægra noscebatur. Subtrahitur ergo fœminæ tunc sordium memoria, vt timor nunciandi subtrahatur. D. Ambros. Serm. 30. *Relinquens aquæ vasculum, ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam: vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate. Plena, inquam, redit: quia, quæ peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix, &c. De hac igitur dixisse Prophetam puto Prou. 30. Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis, quæ, cùm se abluerit, nihil se dicit fecisse prauum. De hac planè dictum est: quæ postea quàm est fonte abluta Saluatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit: & viuâ aquâ abstergens maculas suas, ad euangelizandum non conscientiâ peccati retrahitur; sed fidei calore cōpellitur: nihil enim se dicit fecisse prauitatis, dum fit nuncia veritatis: & obliuione abnegat pudicitiam, dum deuotione prædicat castitatem.* Tam multùm erat candoris, tam nec vmbram, vel memoriam priscæ fœditatis allatura, quæ agnum candidissimum nunciabat,

594.

Ioan. 4.

Vera pœnitentia effectus mirus.

Prædicatores quales esse debeant.

D. Ambros.

bat. Quàm illa Conceptio candida, quæ hunc non vni Samariæ, sed vniuerso Orbi nunciabat?

595. Resurgente Christo, venit Angelus, quem sanctæ fœminæ *introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stolà candidà*, Marc. 16. num. 5. Ad quas tunc ille: *Nolite expauescere.* num. 6. Sed, cur non expauescant fœmellæ, si, vt ait Matthæus, ad eiusdem conspectum exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui? Quid non timeant inermes mulieres, si armati etiam milites trepidarunt? Quia his terror; illis verò nuncius veniebat: nec debebant felicia, faustáque nuncia non præsumere, dum nunciantem sub splendenti habitu agnoscebant. Ideò D. Gregor. hom. 21. *Stola candida coopertus apparuit: quia festiuitatis nostræ gaudia nunciauit: candor etenim vestis splendorem nostræ denunciat festiuitatis.* Fugerent meritò, pauescerent, si pullato colore dolorem & tristitiam Angelus nunciaret.

Marc. 16. *In Christi Resurrectione.* D. Greg.

596. At, inquis, ascendente Christo, etiam Angeli *in vestibus albis* Act. 1. num. 10. apparuerunt. Ecquid ergo erat, quod faustum mœstissimis Discipulis, & amantissimi Magistri desiderio liquescentibus nunciarent? Exultent illi, & vestium comantur splendoribus, quòd tantum Principem è terra nostra, in cælestem sibi Curiam deferunt perfruendû: at quid, dum nobis nuncij expediuntur, illaturi mœstitiæ atrorem, adueniant candidi? Nunquid vt mœstis insultent, prouocent ad inuidiam? Absit: fausta, imò faustissima nobis nunciabant, ideò nihil non felici candoris circumferebant. Hugo Card. ibi. *In vestibus albis: quia prospera nunciabant, & lætitiam Angelorum de societate humanæ naturæ significabant.* In Christo tota humana natura cæli possessionem comparabat: id Angeli nunciant, dum Christum Iudicem venturum, & inde secum suos ad regna eucturum prædicabant: non decuit ergo tantum nuncium, nisi sub candore eximio deferri.

Act. 1. *In eiusdem Ascensione.*

597. Postquàm Moyses in montem ascendit: *Operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai.* Exod. 24. n. 15. Erat autem nubes ista tetra, quæ ibidé caligo, & nebula appellatur. Ab hac caligine, *species gloriæ Domini, quasi ignis ardens.* n. 17. erumpebat. At vide, quàm alia nubes in monte Transfigurationis Dominicæ obtegat Discipulos: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Matth. 17. n. 5. At, cur caliginosa nubes diuinæ gloriæ præmittitur? Aut, si caligo illa gloriæ exhibendæ necessaria; cur exhibendo gloriosiori Christo non tam caligo adducitur, quam lux; non tam nubes atredine depingitur, quàm candore? Pende, quàm aliter gloria prisca Dei in Sinaï, & gloria Christi appareat in Thabor: ibi minax, & instar ignis, terribilis, atque vindictæ Deus ostendebatur: hic placidus, & totus salutem, atque misericordiam spirans. Benè ergo ira atro, candido nuncio venia declaratur. Euthymius ad Matth. *Considera, quo pacto, dum minatur, obscuram ponit circa se nubem, vt super Sinai: nunc autem Filium ostendere volens, lucidam illam habet.* Quis dicat ergo, caliginosam nubem, & non potiùs lucidam, & pulcherrimam fuisse Marianam Conceptionem, quæ nobis felicissimè hoc gaudium nunciauit?

Exod. 24. *Christi Transfiguratio.* Euthym.

598. Creato Adamo, addit Deus: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes. 2. n. 18. Oleaster ex Hebræo vertit: *Faciamus ei adiutorium, sicut nuncium ipsius.* Quod deinde suo modo explicat, nec mihi ad gustum. Puto, nuncium, siue nunciam mariti dici Euam, quòd primo statim aspectu brutis visa, maritum Principem nunciaret, ipsisque cælestibus, & Tartareis Spiritibus visa fœmina, statim viri memoriam excitaret; indéque venerabilior redderetur Adam, quòd in tam perfectâ nunciâ, in tam pulchra sui indice colluceret: imò ipsa Eua perfectissima veniebat existimanda; quia in tanti Principis nunciam, siue indicem parabatur. Et fortasse ideò Eua non tam formari dicitur, quàm ædificari n. 22. vt quemadmodum ex pulchritudine domus, habitantis excellentia dignoscitur: sic ex Eua, vbi Adamus per amorem viuebat, & dominiũ, huius dignissima præstantia nunciatur.

Genes. 2. *Uxor assimilatur marito.*

Audiendus nunc de meliori Eua nostra, Ioannes Geometra hym. 2. 599 *Maria Antiena.*

Χαῖρε, προάγγελε Νύμφη Τριάδος μέγα θαῦμα,
Παστάδα πηξαμένη κάλλεος ἐνδοτάτω.

Salue, prænuncia Nuncia Trinitatis, magnum mirum, Geometra.
Porticum fixans pulchritudinis interioris.

Nunciat Maria Trinitatem ipsiusmet prænunciam: quasi ab initio sæculi Deus in nuncianda tanta Virgine occuparetur, quæ posteà ipsum nobis Deum faustissimè nunciauit: neque enim aliunde clariùs Dei potestas agnoscitur & imperium, quàm dum (quoad puras creaturas) Mariæ Deo subiectæ perfectio recognoscitur: imò nec Mariæ dignitas parum augetur, quòd in tanti Numinis nunciam procreatur: quòd immensæ illius, & absconditæ pulchritudinis, velut porticus, & exterius frontispicium apparuerit. Prænunciat itaque Deus nunciatricem suam: quia ista in diuino illo archetypo excellentiùs continebatur; ille in sua hac figura nunciandus, clarissimè resplendet. Sed de Maria, viua Dei imagine, infra suo loco fusè.

Imago est expressa Dei.

Cupiebat ardenter Deipara, dum apud nos vixit, cupit & modò purissimas animas Christo despondere: quas vt promoueat, & ipsa inquisitione reddat feruidiores, sic adiurat: *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei: quia amore langueo.* Cant. 5. n. 8. Sed, quàm alia ab intento scopo visa adiuratio! Adiurantur, vt sollicitè quærant, si fortè feliciter inueniant. Videbatur addendum, vt inuentum tenerent arctè, diligerent ardenter: & tamen solùm in nuncias expediuntur. Itáne? Inuideat animabus amorem Christi Maria, vt solùm nuncias velit, non diligentes? Imò prudentissimè ad amoris dulcissimam participationem sic inuitat: neque enim amantem Virginem possent condignè nunciare, nisi amantes; neque fausto languentem deliquio, nisi languidæ. Guillelmus ibi post multa: *Nunciate ei, non quasi ignoranti; nihil enim ei incognitum est: sed, quia gaudet, quæ nouit de dilecta, etiam ex aliis intelligere. Nunciate ei, quia amore illius langueo: id est, amore illius languete exemplo meo. Nunciate, quid ego sentiam, sensu vestro,* &c. *Nunciate ei, quòd langueam, languendo, vt ego,* &c. Sic ignis ignem, languorem languor nunciaret: nec Mariam, nisi similes nunciæ exprimerent: sicut 600.

Cant. 5. *Maria nostri cupit æmulatores.* Guillelm.

nec

nec ipsa Mariæ Conceptio, nisi gratiosa omninò, gratiæ tempora nunciaret. Hæc illius occasione dicta sunt, quòd Mariam naufragis nobis, candidissimum velum apparuisse diximus: quódque in idem, eius Conceptio gaudij nunciatrix celebretur. Nec piguit longiùs excurrere, cùm ipsa digressio à totius Operis scopo non aberret. Redeo ad Gubernatorem nostrum præcauentem Matri, naufragij pericula, damna maris.

§. V.

Maria Ecclesiæ felix Arctos: Argo Christi fausta: Halcyonides dies.

601. *Maria qualis Arctos.* BREVITER adhuc aliunde ab omni immunis naufragio Deipara comprobanda. Illa, vt nemo nescit, Arctos Ecclesiæ, siue polaris stella nauigantibus constituitur: hac duce via dirigitur, portus capitur. Et putemus naufragam, quæ vnicum euitandis naufragiis præsidium apparatur? Sed in re nimis notâ (quam tamen de Gubernatore nostro agẽs, non debui præterire) illud vnum minùs triuiale obseruo, quàm contra fas salsugini communis culpæ Maria immergatur, quæ non vtcunque stella; sed stella illa maris, id est, *Arctos* prædicatur. Nescit hæc stella vsquam intingi mari, fixa semper & rutilans perseuerat. Cæteræ occidunt, merguntur, quodammodo in pelago videntur suffocari renasciturae: vna est Arctos, quæ perennis lucet, immobilis ad ducatum splendescit. Semel tantum (vt etiam ex Mythologis pro Maria decertemus) fingitur Arctos mari inuoluta: sed id fuit, quia timidum cælum, & astra omnia collabentia, viso Plutone ab Infernis emergente nutauerant. Claud. 1. de Rapt. rem fingebat:

Claudian. *Apparet subitus cæli timor, astra viarum*
Mutauêre fidem, vetito se proluit Arctos
Æquore.

Fabula est, credere, Arcton immersam: nec tamen ausa fabula, nisi ruituro cælo, Tartaream inueheret quadrigam, aurigam Infernum: vt iam ruiturum cælum præsumere videamur, imò ruisse, dum diuinam nostram Arcton pelago immittemus; phantasticum quendam Plutonẽ Conceptionis Marianæ tempore excitantes. Certè absque fictione Arctos nostra immersa nõ credetur.

602. Fortunatus Balaam, dum quærit Dæmonem, inuenit Deum, repletur Spiritu, & cælestis iam
Numer. 24. Astrologus sic prophetat: *Orietur stella ex Iacob: & consurget virga de Israel: & percutiet Duces*
Stella feliciter ducens. *Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Numer. 24. n. 17. Promittitur Christus virga, ex stella Maria nasciturus. Sed mihi semper ratum dictu visum, quòd cum Christus virga appelletur, Maria Mater non tã arbor, quàm stella veniat celebranda: ecquid enim percutienti virgæ cum lucida stella; percutienti Principi, cum splendente Regina? Certè non parũ. Conterit Christus Infernos Duces, Tartari filios, vt nos inde eripiat in liberta-

tem: iam redempti, in patriam nauigemus, necesse est: at naufragabimus denùo occultis mille scopulis, nisi stella nostrâ duce dirigamur. Benè igitur cũ Redemptore nostro vastante Tartara, & nos in cælũ dirigente, Maria stella coniungitur: hanc enim ille nobis ducem, & gubernatricem apparauit. Ideò Ludolphus 1. par. cap. 2. de typis Ludolph. Mariæ, non vtcunque; sed Mariæ conceptæ, post alios, sic ad hunc locum: *Hac etiam præfigurata fuit per stellam Balaam, qui promisit, quòd de Iacob orietur stella: per quam figurabatur Maria, fluctuantium ductrix, & adiutrix singularis, & præcipua: sine qua stella non poteramus hoc feruidum mare pertransire, nec ad portum cælestis patriæ peruenire.* Et credes, Arcton sacram, in tantum munus destinatam, in ipso primo instanti naufragasse? fluctuantium ductricem fluctuasse? periisse sub mari feruido, sine qua cælesti portui non appellitur?

Quando Maria in Cantico introducitur di- 603.
cens ad Christum: *Indica mihi, quem diligit anima* Cant. 1.
mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. cap. 1. n. 7. *Maria fausta Helice.* non tam ignorabat locum, quàm ita se gerebat, quasi ignoraret: vt comites, animæ, & Ecclesiæ, illius curæ commissæ, Christo respondente discerent, quod ignorabant. Indicari itaque sibi petit, quod nouerat, vt quæ non nouerant, per ipsam docerentur. Vide Rupertum. At nunc vide, quid Matri Christus respondeat: *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere*, &c. n. 8. Quid enim ex hac responsione discerent Virginis comites? Aut quid ex hac non tam præsumpta ignorantiâ, quàm inculcata Virginis notitiâ, inueniendo Christo manuducimur? Dicam, si præit Cardin. Hailgrinus ad hunc lo- Hailgrin. cum, vbi ita: *Dicit: Si ignoras te, hoc est: An ignoras te? Et debet pronunciari ly, te, cum pondere: ac si dicat: An ignoras te, quòd sis stella maris, quæ non solùm benè merentes dirigis, sed etiam errantes, & deuios reducis ad portum salutis?* Nihil ergo aptius responderi poterat, vbi quæritur, quorsam locorum quietis suæ portum Filius deduceret, quomodo, & vbi inueniendus; quàm propositâ Matris excellentiâ, quæ in hac nauigatione fausta Helice nobis fuerit, felix Cynosura, vt dulcissimo portui appellamus.

Non solùm Maria Arctos est; sed etiam cæ- 604.
lestis Argo. Maria primam istam ratem; ratam fecit: nec tantùm Argo fabulæ concessêre, *Vera nauis Argo.* quantùm reuerà Mariæ nostræ colimus concessum. Sacrauit Argon ipsam ethnica pietas, eámque in cælo, inter sydera credidit collocatam, ne vnquam aut vndis periret, aut flatibus cederet, aut carici succumberet de vetustate; sed ab omni damno, & periculo maris seruaretur: idque solùm; quia Argonautas, Deorum filios, vexit, & à marinis iniuriis seruauit. Deam itaque nauim coluêre: quia Deos deuexerat. Manil. lib. 1.

Tum nobilis Argo Manil.
In cælum subducta mari, quod prima cucurrit:
Seruando, Dea facta, Deos.

At Nauis nostra Maria, quæ verum Dei veri Filium tulit, quæ Seruatorem nobis asseruauit; Tartareo pelago immitteretur, & Stygiis damnaretur vorticibus? Si rem verioribus calculis reducimus, inueniemus, primam

Plin. hanc nauim, ex Eone arbore factam fuisse, quæ neque igne corrumpitur, neque vndis frangitur, de quo Plin. lib. 13. cap. 22. At nos diuinam Nauim nostram, & ignibus fomitis, & culpæ fluxibus dicemus penetrabilem? Si poeticam verò pensamus, inueniemus apud Apollon. materiam huius nauis fuisse ipsissimam Dodonæam quercum, vnde Iouis columbæ oracula reddebant: artificem verò illius, fuisse Palladem Deam Sapientiæ. Scilicet, non potuisse Sapientiæ Deam minùs dignam tanto operi materiam eligere, prudenter putauit Apollonius. At ego imprudenter putarem, æternam Sapientiam, Naui suæ tam sedulò efformandæ, abiectam, & naufragio expositam materiam quæsiisse? Denique Argo dignitas, ex quærendo, & reportando aureo vellere celebratur: & habebitur indignè Maria, quæ cælestis velleris Agnum, Dei thesaurum nobis importauit?

605. Nihil hucvsque lusi, quod iam seriò non veniat perpendendum ex Chrysippo Orat. de B. Virg. *Arca, inquit, speciosissima est Virgo Deipara; Arca, quæ excepit totius sanctificationis thesaurũ: Arca, non ea, in qua erant omnium animalium generá, quemadmodum in arca Noë, quæ fluctuantis vniuersi mundi effugiebat naufragium, &c. Sed Arca, cuius architectus, & incola, gubernator, & mercator, comes viæ, & Dux erat Opifex omnium creaturarũ.* Quis crederet, architecti Dei manus totas occupatas in fabricanda singularissimè hac naui, siue meliori arca Noë; rimas improuidè reliquisse, vnde fluctibus cingentibus inundaretur? Itaque non solùm non naufragauit nauis diuina nostra; verùm neque (sicut illa Noë) naufragium, tanquam minax, & instans, fugiebat: non enim tam fugit, & euitat naufragium quasi aliunde debens; quàm naufragio, & fluctibus insultat, quia non debet. Totius vitæ, & viæ comitem, ducem, & gubernatorem habuit Deum: qui virtute meritorum Christi sic illam efformauit, vt non solùm è naufragio; sed etiam è naufragij debito euaderet immunis, securissima nauigaret.

Id probatur.

Chrysipp.

Apoll.

606. Sed neque caret mysterio, quòd Deus in naui nostra vectus, felicior Argonauta, à Chrysippo *Mercator* appelletur: ne quis putaret Mercatorem diuinum, qui huic Naui omnes suas diuitias commendare, & credere destinabat, sic illam fabricaturum, vt malo omine ad primum statim egressum illidendam scopulis, vorticibus absorbendam pateretur. Vocauit benè Hesychius Orat. 2. citatâ, Deiparam, *Nauem mercibus refertam, nulloque egentem gubernatore: thesaurúmque locupletantem.* Quid enim, dum referta mercibus dicitur sacra Nauis, *nullo egens gubernatore* celebratur: nisi vt ex vi Græcæ phrasis (quod puto apertè demonstrarem, si Græcus codex præ manibus adesset) demonstretur, nulla gubernatoris curâ vllo vnquam tempore indiguisse Mariam, id est, prouido vbique Dei ministerio fuisse gubernatam? Sic Prou. 31. num. 11. *Spoliis non indigebit.* id est, abundans spoliis commendatur. Sic frequenti Elattosi *non egens virtutis* apud Græcos pro abundantissimo virtutis possessore vsurpatur: vnde Virgil. 11. Æneid.

Cura Dei erga Mariam. Hesych.

Prouer. 31.

Illa Nauis Dei oneraria.

Virg.

Miratur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies.

Nullo ergo indiget gubernatore Maria, id est, impensissima Gubernatoris diuini cura fouetur, ne onusta mercibus diuinis, Deo tandem Filio oneranda, vnquam naufragaret.

Hinc illud de Argo nostra eodem Prou. cap. num. 14. *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Clarius Septuaginta: *Facta est, tanquam nauis mercaturam exercens de longè: congregat autem hæc vitam.* Longè exercuit Maria mercaturam suam: quia diuinus institor e cæli bonis, peregrinisque mercimoniis, e terraque remotissimis, tanquam meliori aureo vellere illam onerauit. Ecquæ autem merces istæ, nisi vita? Nimirũ, in terras mortis caligine opertas, nihil de longè magis, nihil magis peregrinum adduci poterat. Panis è cælo portatur ad vitã: quia cibus ab arbore vetitâ deportatus fuerat ad mortem. Et benè, *facta est*, dicitur: quia ideò facta, vt nobis spiritualia omnia bona comportaret. Non foret Maria (vt suprà latissime probaui) nisi ab Institore sacro vitalibus his mercibus oneranda: ideò producitur, vt mortuis vitam afferat, & carnalibus produceret spiritum. Horreat ergo mens naufragam credere, cui tam sacrum depositum concredendum. Meritò igitur Dionysius ibi art. 33. *In gloriosissimâ Virgine congregauit Spiritus Sanctus omnium spiritualium copiam diuitiarum: fuitque cunctis virtutibus, donis, fructibus, & beatitudinibus, in termino excellentia, excellenter omninò onusta. Et sicut nauis defert contenta in se, ad loca remota: sic diuinissima Virgo exuberantiam suorum charismatum, vndique longissimè, atque latissimè diffudit, dispersit, communicauit. Itaque de plenitudine eius accepimus omnes.* Vt iam videatur indignus, qui de plenitudine eius accipiat, qui illam adhuc, in hoc vnicè ministerio fabricatam, naufragam infeliciter contendat: neque enim infaustæ olim naui, tot diuitias securè deferendas Mercator noster crederet prudentissimus.

607.

Septuag.

Huius Nauis merces.

Dionys.

Sed, quid mirum, naufragium euitet Maria, maris procellas; quæ procelloso vitæ nostræ mari halcyonidas quodammodo dies (Brisas Ianuarias vocant Hispani nautæ) asportauit? Animaturus Christus Discipulos suos, vt contra tyrannorum & machinas, & tormenta roborarentur; post alia sic subdit: *Nonne quinque passeres vaeunt dipondio; & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis.* Luc. 12. num. 6. Cùm tot sint passeribus viliora, vt dispersus puluis, folia caduca, vermiculi abiecti, in quibus nihilominùs altissima Dei resplendet prouidentia; vndéque neruosius videbatur argumentum pro cura erga homines gerenda, deduci potuisse: mirabar aliquando, cur aues hic in exemplum adducerentur; crederémque dicendum, etsi in omnibus eluceat prouidentia: at erga auium aliquas specialissimam istam adnotari; ideò optimè ad rem præsentem significandam aduocari. Cur enim credant homines in obliuione coram Deo se futuros, dum hostium sæuientium iactantur tempestatibus; cùm halcyonas auiculas sic ipse curet, vt illarum feturæ consulens serenet pelagus, & in media hyeme malaciam inducat? Fauet his Ambr. Hex. 5. cap. 13. de halcyone: *Est auis maritima,*

608.

Maria halcyonidas dies asportat naufragis.

Luc. 12.

Ambros. *tima, quæ in littoribus fœtus suos edere solet, ita vt in arenis oua deponat medio ferè hyemis: nam id temporis fouendis habet deputatum partubus, quando maximè insurgit mare littoribus, vehementiórque fluctus illiditur; quò magis repentinæ placiditatis solennitate, auis huius elucerct gratia. Nanque, vbi vndosum fuerit mare, positis ouis subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatúsque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua foueat halcyone sua*, &c. *Tantam autem gratiam minuscula auis diuinitùs indultam habet, vt hos quatuordecim dies nautici præsumptæ serenitatis obseruent, quos & halcyonidas vocant, quibus nullus motus procellosæ tempestatis horrescit. Nónne vos passeribus pluris estis, Dominus ait? Si igitur auis minusculæ contemplatione insurgit mare, & repentè comprimitur; atque aspera hyemis, ingruentes procellas, tempestatésque ventorum detergit; cæli nubila, fluctúsque componit elementis omnibus subitò infusa tranquillitas: quantùm præsumere debeas, ô homo, ad imaginem Dei factus agnoscis: si tamen auicula istius fidem, studio deuotionis imiteris.* Quàm secura à procellis auicula, quæ cæteris omnibus procellas effugauit! quam non mari subiecta, naufragióve exposita, quæ elementis omnibus serenitatem indicit, & quietem!

Ecquid aliud cælestis nostra Halcyon, Maria, mundo sæuienti asportauit? aut quid mundus culpis feruescens, nisi procellosum mare referebat? Et non voces Halcyonem diuinam, quæ nobis halcyonidas dies, serenitatem, scilicet, adduxit? Ideò sæpè citatus D. Epiphanius vocandum *mare, vniuersum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquillitatem contulit*; suprà dixit. An, qui in media hyeme auiculæ substernit fretum, vt congruè nidificet, pullos edat; non curaret in media originis procella, vt Mariæ communis culpa sileret, quò decentiùs se ad fœtum augustissimum præpararet? Planè per Mariam halcyonidas feliciter comparauimus: & quia nunquam naufraga, nobis illa naufragium, & procellas amouit, deturbauit. Sed pro titulo, ad amœnitatem potiùs, quàm ad efficaciã posito, ista satis. 609. *Id confirmatur.* D.Epiph.

ANTHOLOGIA X.

Christus erga Mariam, Medicus præseruator.

§. I.

Mariana Caro theriaca contra mortem: odor respirans ad vitam: à morte, & fœtore culpæ præseruata.

610. *Maria Caro, vnde culpa antidotus.* EVENIMVS iam ad vltimum titulum, quo ad huius Articuli secundi initium diximus, Christum præseruantem Redemptorem; & inde optimum Medicum, quia salabris, quia præseruator, non solùm à morte instante; sed & à quouis fœtore, à quauis causa mortis, imò & morbi, imminenti. Ideò pulchrè D. Bonauentura in stimulo amor. cap. 1. de Christi vulneribus, ita: *Ecce enim aperta est apotheca Paradisi, omnibus aromatibus medicinalibus tota plena. Vulnerum igitur fenestras subintra, & ibi inuenies, & accipies medicinam curatiuam, restauratiuam, conseruatiuam, & præseruatiuam: ibi quascumque volueris species, accipies.* Si Christus, optimus Medicus agnoscitur, cùm præseruat, cur, si Matrem ab originali culpa præseruaret, talis non diceretur? aut, cur non præseruasse crederetur, si ab illa carnem accepit, vnde nobis medicinam apparauit? Certè à Mariana Carne theriacam contra mortem culpæ formauit Deus: & dum nobis spiritum oris nostri, scilicet, Christum Dominum emisit, è suauissimo Mariæ prato, voluit exhalantem. Et dices, aut mortuam culpâ Mariam; aut pratum tantum languore tabidum, fœtore respersum? Ah nefas!

D.Bonau.

Christus qualis Medicus.

Productâ iam iam terrâ, ait Deus; *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen: & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum: cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.* Genes. 1. num. 11. Cùm tam facilè ad eius verbum arbores producantur; cur tantâ curâ, vt posteà medio semine producerentur, cauet? Imò, qui terræ productæ occulta semina potuit concreare, vnde sponte posteà arbores pullularent; cur negato semine, verbo, & imperio suo vti maluit? Vt, dum plantarum alias solo verbo, alias medio semine cernimus productas; Incarnationis fidem faciliùs caperemus. Potuit Christus ad imperium Patris fieri absque semine virili, licèt reliqui homines hoc indigeant. At, quorsum, inquis, Christi tam noua generatio è terra virgine, qui potuit solius Patris verbo extrà omnem matris etiam concursum, instar Adami creari? Vt congruè generatio à carne impolluta, à Virgine purissima, mortem aliunde, & culpam generationibus infectis debacchantem trucidaret. D. Leontius Arabis. Cod. 611. Genes. 1. *Christi Incarnatio cur à Maria.*

D. Leont. sæpè citato : *Vox aquas viuificat: peperit terra, & sine congressu, fœtu impleta est. Quid dices, ô Hæretice? Vides pro immissione seminis, verbi mandatum factum: & quomodo dubium ducis Virginea Conceptionis mysterium? quæ enim iam sine semine non concipiuntur, cum his aliquando concursu vox vocantis ad generationem; & conceptionis modum, præcepti lex imitata est, & vna voce omnia incarnata sunt. Qui tunc creaturam carne induit, & semen sine semine omnibus contulit; ille à carnea terra, carne indutus sine semine descendit, mortis radicem, quam caro plantauit, falce Virginea generationis præcidens.* Mariana Caro fugandæ spiritus morti fit instrumentum: & quam Euæ maledicta caro plantauit; benedicta Mariæ eradicauit conditio. At minùs congruum robur contra prædictam mortem fœlix sacra ferret, cuius acies aliquando eadem hebetante morte obtorpuerat: nec aptè ex vitiata radice, radix mortis extirparetur.

612\. Cùm omnia, vt nosti, verbo Deus produceret, hominem ipse manibus efformauit: *Formauit*, inquit, *Deus hominem de limo terræ.* Gen. 2. num. 7. Cernere erat Deum mente, cogitatu, & magis affectione in homine plasmando occupatum: & illius manus, quæ Solis, stellarúmque tactum fastidierant, (sydérea quippe massa, verbi tantùm dignatione contenta prodiit,) in terreno limo tractando immersas diligentissimè. Quæris causam? Limus adhuc purus erat, & in limo, vt supra ex Tertulliano dixi, cogitabatur Christus. Sed pende ad rem præsentem pulchra verba Chrysologi Serm. 148. *Qui non nascendo, ex intacto limo fecit hominem; nascendo ipse, hominem de corpore fecit intacto: manus, quæ in nostrum plasma, lutum dignanter assumpsit, ad reparationem nostram, dignanter assumpsit & carnem.* Et quid per intactum limum intelligemus, nisi terram, prinsquam in operibus hominis maledicta diceretur: priusquàm mortalitati misera damnaretur: quod ex Andrea Apostolo alij ostenderunt. Si ergo ex intacto corpore morti euertendæ Christus Dominus ortus affirmatur: cur mortiferæ conditioni culpæ Mariam condemnamus? Et quidem licèt comparatio inter intactum limum, & Virginem à maledictione intactam valere queat: nihilominùs puritatis conditio, tantò præstitit in Mariâ, quantò limi naturæ, humani corporis nobilitas præfertur. Idem Chrysol. serm. 144. iam ad rem medicam, in qua sumus: *Quod in partu Virginis agitur, non est Creatoris iniuria; sed salus est creaturæ. Si Deus fecit hominem, quis arguit, cur refecit? & quod ex limo formasse dignè creditur, quare ex carne reformasse, iudicatur indignum? Quid pretiosius, caro, aut limus? Ergo reparationis quantò pretiosior est materia, tantò maior est gloria.* Ideò ergo non è limo, licèt intacto, formatur Christus: sed è corpore virgineo, vt salus, & medicina nostra veniret excellentior, quò purius, & nobilius è Maria remedium, quàm fuerat limi integritas sumebatur.

Gen. 2.

Maria, terra benedicta.

Chrysol.

613\. Dedecebat ergo absque dubio Medicum, qui curationem intendebat, ipsi medicinæ venenum immiscuisse; & pharmacum salutis, permisisse pestiferâ qualitate toxicatum. Contra mortem à carne plantatam, carnis Marianæ thériacam armat Christus: quis huic virus aliquando coniunctum existimabit: Optimè citatus Chrysol. *Quæ*, inquit, *nascendi necessitas Deo, cui suppetit faciendi potestas? Quæ? vt ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando: quia, quæ facta fuerat, vt generaret ad vitam, ipsa generabat ad ad mortem, & cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc est ergo negotium natiuitatis, quod nasci compulit Christum, vt natura curam natiuitas daret Authoris.* Producebatur Maria, vt sanaturo Authori natiuitatem, id est, carnem ministraret. Congruéne ergo vulneris remedium, pestilenti vulnere curaret: & cancerum originis, ab ægra pariter origine persanaret?

Christi Incarnatio.

Chrysol.

Et quidem durum satis videtur, denegari Adamo nostro cælesti carnem intactam ex Maria; cùm terreno Adamo intactus limus è terra adhuc benedicta concedatur: cùm tamen ab hoc infirmi, ab illo sanati agnoscamur. Celebrabat Oseas Redemptoris nostri aduentum, & quasi ab eius ore sic scribit: *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors*, cap. 13. num. 14. Et statim num. 15. redemptionis, & medicinæ modus sic describitur: *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto, & siccabit venas eius, & desolabit fontem eius.* Hic ventus faustus, qui venas mortis exsiccat, qui mortis fontem desolat, Christus est: sed tamen, cùm ventus, aut salutaris, aut noxius intelligatur, ex diuersitate locorum, quæ perflat, considerandum restat, cur ventus noster de deserto adducendus celebretur: qui potiùs ab amœnissimo aliquo plantario respiraturus nobis videbatur. Nimirum, non aliunde nobis viuificus iste spiritus decentiùs perflare poterat, quàm à Maria: nec Mariæ intacta puritas, meliùs quàm per desertum, non de siccitate sterile, sed humanis vsibus inuium, significaretur. Gillibert. Serm. 15. *Bonum desertum, aluus virginalis. Talis erat Beata illius, & specialis virginitatis vterus, quem nullius impudici motus, affectionis immundæ temerauit læsio. Caro ipsius terra deserta, & inuia, & inaquosa, in qua Christus apparuit: non tamen deserta penitùs, quæ Christum parturiuit: irrigua est; sed fluenus virtutum: ideò quasi puteus dicitur aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano: quod virginalis munditiæ candor spirituales refundit gratias, &c. Vis audire, qualis hæc terra deserta dedit fructum? Oseas te docet, qui dicit: Adducet Dominus, &c. Quis alius mortis dissecauit venas, nisi Christus Iesus, quē nobis intemerati ventris desertum refudit? Et benè ventus: quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Denique factus est secundus Adam in spiritum viuificantem.* Opus erat sanè vitales satis qualitates iuesse huic deserto, vnde ventus viuificans spirat: aut, quis putaret mortis fœtorem hinc aliquando exhalasse, vnde, & quà spiritus contra mortem erat animandus? Certè si mortem aliquando redoluit Maria, ventus diuinus hac pertransiens, non ita decens morti fugandæ animaret. Pestilentibus halitibus pellendis, purissimos Zephyros solemus suspirare: an, si Zephyri per morticina deferantur, congrue eisdem ad salutem respirabimus? Quod materiali vento cauti tollimus, cur viuificanti spiritui nostro quodammodo impingemus? Adde illud in hac re planè robustissimum, Zephyros per infecta loca tantummodo transire; Christum verò viuificantem nostrum

614\.

Oseæ 13.

Maria cur desertum appelletur.

Gillibert.

Maria, qualis terra.

nostrum spiritum, ex ipsa Mariæ carne coagmentari. Præseruauit igitur hanc à culpæ fœtore, vt inde culpæ faceret medicinam.

615. Neque sine pondere ad hanc rem, in vltimis verbis Gillibertus alludit ad illud Pauli: *Factus est primus homo Adam in animam viuentem: nouissimus Adam in spiritum viuificantem.* 1. Cor. 15. n. 45. Visus enim in hoc spiritu viuificante, ad ventum Oseæ attendisse Paulus: ideò enim infra num. 54. eiusdem cap. vt nemo negat, ad sequentia Oseæ verba respexit dicens: *Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est, mors, victoria tua?* Quasi spiritus iste viuificans siccandis mortis venis mitteretur. Sed vide contrapositionem, qua Adamus *in animam viuentem*, id est, animalis nostræ vitæ principium constituitur: Christus *in spiritum viuificantem*, id est, spiritualis vitæ auctor designatur: at, vnde ad tam diuersa munia apparatus diuersi? Innuit ibi pulcherrimè Chrysol. Serm. 117. *Ille vilissimo plasmatur ex limo: ex vtero pretioso Virginis hic procedit. In illo terra mutatur in carnem: in isto caro promouetur in Deum.* Refugit cogitatio putare, eandemmet carnem, quæ in Filio est Deus benedictus in sæcula, in Matre fuisse maledictionibus fœdatam aliquando. Quantò enim in hac re valentior Augustini consequentia Serm. de Assump. Virg. negantis, potuisse carnem Mariæ corruptioni, & vermibus subiacere? *Caro enim*, inquit, *Iesu, caro Mariæ est.* Prætereo enim, turpius longè esse carni, vt alij notant, fœdatam ab anima peccatrice appellari, quàm vermibus corrumpi. Illud noto, Mariæ carnem post editum Christum, non propriè Christo derogare, qui portionem, quam a Maria sumpserat, seruabat incorruptam: at, si in origine Mariæ caro malediceretur, cùm deinde maledictæ huius carnis portio Christum constitueret; aliquid, quod maledictum fuit aliquando, iam Deus esset. Id an deceat, tute videris. Præstat igitur secundus noster Adam factus *in spiritum viuificantem* Adamo primo: & præstat quidem ob multa; sed hinc etiam, quia, vt decenter viuificaret, illibatam carnem, & nullius culpæ morti obnoxiam elegit: vt quam in theriacam efformabat veneni, nulla vnquam veneni labe permisceret infectam: sicque diuinus Zephyrus decenti puritatis respiramine viuificaret.

1. Cor. 15.

Chrysol.

August.

Maria Christo concarnis.

616. Sic dulcis nobis Medicus aduenit Christus, quos ab inflicta iam morte suscitauit virgineo instrumento: sed dulcior ipsi Virgini Medicus properauit. Prudenter Statius lib. 3. in Coma Ear. commendaturus Æsculapium, Medicorum Numen, sic scribit, post descriptum eius templum:

Christus, Medicus Mariæ.

Vbi maximus ægris
Auxiliator adest, qui festinantia sistens
Fata, salutifero mitis Deus incubat angui.

Stat.

Quasi hoc maius foret in Æsculapio, celeri remedio fata prohibere instantia, quam mortuos (quod & fecisse fingitur) suscitasse. Sed Medicus noster, vt initio Articuli latè ostendi, non solùm mortem; sed & morbum, imò & causas morbi præseruator expellit. Benè Eusebius Gallic. hom. de Nat. Apostolorum Petri, & Pauli: *Medicamenta sumenda sunt, quibus repellantur vulnera, vel sanentur. Nullus profectò, aut excusationis, aut veniæ relinquetur locus, quando omnis anima in promptu habere cognoscitur opportunum pro sua qualitate præsidium, id est, illæsa munimentum, & vulnerata remedium.* At, quomodo, quæso, magis in promptu præsidium putabis, quam quod in manu Filij vides collocatum? Vbi verò maius, aut amoris, aut virtutis cernis monumentum, si illæsæ foret festinum munimentum: an, si tardum afforet remedium vulneratæ?

Peccauit Dauid, & pœnitens misericordiam veniæ consecutus, summi huius beneficij laudes intonabat: *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex Inferno inferiori.* Ps. 84. à num. 12. Prosequenda planè tot laudibus, tot affectibus æternitati litantibus misericordia, quæ hominem ab Inferni faucibus, ab ignibus æternitatis æmulis eripuit. Quàm iure dictum! Ast, sanctissime Propheta, de te loqueris, qui, licèt ad Limbum deducendus; nunquam tamen, aut fuisti, aut eris in Inferno inferiori, in barathro æternis suppliciis deputato. Quòd si in te sub publicæ personæ titulo, cæteros etiam intelligis peccatores, quem assignabis erutum ab Inferno, cùm in hoc loco, imò lacu nulla sit redemptio? August. ibi. *Eruisti, dixit: quia liberauit a talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta Inferni inferioris. Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere: nam, si non feceris, ægrotabis. tu autem si feceris, & saluus sis; rectè dices Medico: Liberasti me ab ægritudine. non in qua iam eras; sed in qua futurus eras.* Hæc est enim optima ratio curandi, non tam morbo remedium afferre iam grassanti, quam imminentem sistere præseruatiuo. Et cur erga Matrem non talem se gessisset Medicus noster? 617.

Psal. 84.

Omnis homo cur dicatur liberatus ab Inferno.

August.

Nihil vnquam immanius Pharaone, (typus erat Dæmonis festinanter originalis culpæ veneno animas occidentis, fœdatæ stirpis vnco harpagantis,) qui ad obstetrices Hebræis fœminis ministrantes, ita: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite.* Exod. 1. num. 22. Nondum natis iam mortem destinabat: nondum in partu vagientes, iam quodammodo in pœna reddebat vlulantes. Dedi suprà ad hanc rem acutissima verba Tertul. Cape nunc grauissima alia Augustini Serm. 89. de tempore: *O prodiga furoris audacia! necdum natis pœna mandatur: & ante principium vitæ, periculum concitatur. Cohibe, nefarie homo, insaniam tuam: quos necdum vides, insequeris, quid scelestius? nondum natos occidis. Seruet ordinem feritas tua: nascantur, antequàm punias.* Fateatur à Medico nostro non præseruatam Mariam, qui illum minùs prodigum ad misericordiam, quàm Pharaonem iudicet ad iram. Et si hic nondum natorum iam verus læsor dicitur, & de seuero decreto iam punitor; dicatur verè indultor, & de pio decreto seruator erga nondum natam Mariam Medicus noster, à qua aliis medicinam comparauit. 618.

Peccatoris pretium fuerit.

Exodi 1.

* * *

§. II.

§. II.

Non austera à Virgine; sed suauißima, diuinus Medicus nobis deprompsit medicamenta.

619. OCAVIT signatissimè suprà num. 610. D.Bonau. vulneratam Christi carnem, *apothecam Paradisi omnibus aromatibus medicinalibus totam plenam.* Nimirum, Marianâ carne dum curamur, vngimur, non pungimur. Nihil ibi ignis vrentis, ferri secantis; sed totum aromatis fouentis, balsami perstillantis. Grauissima planè vulnera, & lethalia; sed potentior, sed salubrior medicina, quæ floribus, quæ aromatibus omni igne, omni ferro potentioribus efficaciter curat, suauiter delectat. Ecquid morbosi, aut fœtidi pones in Maria, vnde sic gratâ mixturâ medicamen efficax, & odoratum iuxtà propinatur? Et qui seruos ægros curat sic benignè, quid Matrem longè benigniùs suauis præseruator non curaret? Medicum tantum non coniecturæ, aut rationes nostræ debent examinare, sola veneratione prosequendum. Benè Ambros. Hex. 2. cap. 1. *Non ergo secundùm elementorum naturas; sed secundùm Christum, qui omnia, quæ vult, fecit, abundans plenitudine Diuinitatis suæ, consideremus, quæ facta sunt, & naturæ possibilitatem interrogemus: neque enim cùm in Euangelio leprosum curaret, cæcis visum refunderet; populus, qui aderat, & spectabat, illum medicinæ ordinem recognouit; sed potestatem Domini miratus, dedit (vt scriptum est) laudem Deo.* Scribæ tantummodo superbi, quia diuinam potentiam miratu non venerabantur; dum medicinæ ordinem non recognoscebant, Medicum blasphemabant. Crede mihi, mi Lector, populus, & turba sumus, & Medici nostri potentiam recognoscentes, nihil vltrà quæramus ordinem, quo Matrem nondum læsam sanare potuit: satis est, quòd ista Mater, quòd ille potens: nedum, cùm iam salutis præseruatiuæ tenor luce clarior Ecclesiæ splendescat. Sed ohe! quò pergo? Venio ad rem tituli.

D.Bonau.

Suauissimum remedium, molle, non austerum medicamentum nobis per Mariam.

Ambros.

Dei opera curiosè nõ scrutanda.

620. Laudatura Sponsa Christum, sic decantat: *Oleum effusum, nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Cant. 1. num. 3. Non sic capias, quasi ipsum nomen, ipsum *Iesu* vocabulum, omni vnguento suauius celebretur: esto id aliàs verum. Sed, vt in Cantico dixi, ipse Iesus sic totus fragrans est balsameus, vt iam vnguentum, eius sacra persona appelletur. Illud dubium nec leuiter: cur, cùm tot aliis prærogatiuis fulgeat amori conciliando, maximè de vnguentaria conditione animabus diligendus prædicetur. Sed, quidni? Originalis culpæ vermibus scatebant, & sæuissimo cancro sauciatæ, turpissimum fœtorem exhalabant: auidæ arriperent medicinam, quamuis ferro, & ignibus armatam: & non diligant Medicum, qui suauissimo tantùm oleo, qui seipso infuso attulit remedium? Nimirum, à Maria acceptum, imò & conditum sic nobis opportunè deriuatur. D. Ambros. ibi de inst. virg. cap. 13. in hoc vnguento nunc ipsum Christum medicinam, nunc eius medicantem gratiam intelligens, sic optimè ad rem meam: *Descendat ista vnguentum in anima præcordia, viscerúmque secreta: quo non deliciarum odores Sancta Maria; sed diuinæ gratiæ spiramenta redolebat. Hæc pluuia Euæ restinxit appetentiam: hoc vnguentum fœtorem hæreditarij erroris abstersit.* Condiuit Maria hæreditarij antidotum fœtoris: & fœtens vnguento excipiendo conderetur?

Cant. 1.

Iesu suauitas.

D. Ambros.

Pergat Ambros. ibidem inuitans ad hoc vnguentum ex Maria capiendum: *Excipite voluntariam pluuiam, pluuiam benedictionis, quam hæreditati suæ Dominus effudit. Excipite aquam, & non effluat vobis: quia nubes est, diluat vos, & sacro humore perfundat. Excipite itaque ex hac Moabitide olla gratiæ cælestis vnguentum.* Dicitur Maria *nubes*, vt ibidem ait Ambros. quia fontem intra se genuit, quo rigauit Orbem terrarum. Sed cur excipiendo vnguento olla Moabitis? Ni fallor, quia Ps. 59. num. 10. dicitur à Deo: *Moab, olla spei meæ.* quo quid significetur, dixi alibi. Nunc mihi satis Ambrosij mentem aperire, quasi ideò sacro vnguento olla Moabitis requiratur, vt ardenter sperata, & à Deo concupita intelligeretur. At si ardenter sacrum hoc vasculum optabatur, & diuinæ quodammodo spei obiectum erat; quis prudenter putet, in ipsa sui fabricatione, odore nequam infectum sic fuisse? Ah! quam timeo, ne, si Maria in ipsa Conceptione mortis odorem exhalaret, diceretur vulgare illud: 621.

Idem.

Vnguenti vasculum, Maria.

Psal. 59.

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

Horat.

Quia, licèt in Maria per gratiam posteà infusam omninò expelleretur peccatum, eiúsque odor *quoad esse*: attamen *quoad fuisse*, vt sic dicam, nullâ vnquam potentiâ poterat expelli, id est, infamiæ præteritæ odor nescio quis, & ab inimicitiâ diuinâ, licèt iam depositâ, contracta indignitas, nullâ vnquam gratiâ ita tolli poterat, vt non haberetur purior, & dignior, si nunquam antè, culpam sortiretur. Perperam itaque alabastrum Marianum diuino vnguento excipiendo, nobis inde ad salutem effundendo, infectum odore tetro existimatur. Adduco huc exemplum à Leuitico.

622. Instituebat Deus legem de morticinis immundorum animalium: deinde sic subdebat: *Vas autem fictile, in quod horum quidquam intrò ceciderit, polluetur: & idcircò frangendum est: omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit.* cap. 12. à num. 33. Quid verò, inquis, ad morticina, omnis alius cibus? Imò, cur cibus immundus, & pollutus habeatur, si aquâ fuerit superfusus; cùm tamen cibi omnes mundi, & lauarentur, & ad coctionem aquâ indigerent? Respondet optimè August. lib. 3. in Exod. quæst. 37. tom. 4. *Non quæcunque aqua intelligenda est, quæ superueniret cibo, faciens eum immundum: sed ex illo vase, quod factum est immundum, de morticinis immundis, si fortè ipsum vas habuit aquam.* Quasi ab ipso vase morticinis infecto, sic inficeretur aqua, vt hæc, quamuis naturâ ipsâ abluens, iam respersa pollueret, quidquid tangeret. Planè si vas Marianum vnquam culpæ morticinis pollueretur, non vnguentum viuificum, sed immundum humorem nobis effudisse videretur. Pluuiam benedictam & odoratam immisit

Leuit. 11.

Et quàm purum.

August.

misit nobis Maria, quæ non tam mundos inficeret, quàm purificaret immundos: nimirum, quia morticino aliquo nunquam infecta; sed semper putissimis aromatibus abundans.

623. Sed habet adhuc profundum mysterium ad rem meam, quod ad locum citatum Cant. *Oleum effusum, nomen tuum.* habet Philo Carpathius: *Tunc enim verè effusum, cùm se nostra mortalitate contexit, vt nos suâ immortalitate donaret.* Quasi dicat: Tunc verè effunditur, cùm è corde Patris, in vterum Matris descendit Filius, hominem induturus: quasi Verbum ipsum vnguentum esset, vt par est, pretiosissimum mortalitati nostræ viuificandæ. At vnguentum istud purum, & diuinum non nobis sic proficeret, nisi admixtum temperaretur. Quando ergo diuino balsamo, odor erat humanus copulandus; putes hunc aliquando mortuis muscis corruptum, & præfœdatum? Nunquam fœtere potuit illa caro, vnde aroma diuino coniungendum apparatur. Quantùm fieri poterat, accedebat humani aromatis excellentia, aromatis diuini dignitati: vt nobis suauissimè, non igne, & ferro; sed suauissimo vnguento vulnera curarentur.

Cant. 1. Philo Carp. *Mariana carnis aroma diuino immixtum.*

624. Hinc Angelus ad Mariam: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Luc. 1. num. 28. In quibus verbis, vt suprà latissimè probaui, nihil ab ipsâ Conceptione gratiâ vacuum celebratur. At benè, cùm incarnatio iam instat peragenda, id Mariæ in memoriam reducit Angelus; credo, vt faciliùs mysterio assentiret: neque enim aliundè aptiùs sumenda Verbo caro, quàm ab illa, quæ nullo fœtore culpæ vsquam exhalarat. Quid ita? Quia, cùm morbo veteri non tam austerum cauterij, quàm suauissimum commixti balsami remedium pararetur; necessariò portio humana, diuinæ immiscenda odoratissima, & perfectissima debuit existimari. Pulchrè D. Epiphanius Orat. toties citatâ: *Gabriel effectus hospes Virginis, cæli, & terræ incensum, atque suffimentum vnà copulauit.* Distat longè suffimentum humanum à diuino: at vt in vnum non absonè conuenirent, nihil corrupti, nihil interpolati in humano consideres, necesse est, quo quodammodo diuinum videretur adulterandum. Piè ergo Cellens. de Pan. cap. 21. *Filius est nostra apud Patrem propitiatio; quia interpellat pro nobis: Mater apud Filium; quia rogat pro culpis nostris. Filius est Sanctus Sanctorum; quia Deus Deorum: & Mater est Sancta Sanctarum; quia Virgo virginum. Filius habet phialam purissimæ carnis, vt ab ea sumatur poculum vitæ: Mater similiter in omni conuersatione suâ casta, & munda præbet nobis exemplum conuersandi sine querela. De thuribulo Filij Pater odoratur incensum propitiationis: de thuribulo Matris tota perfunditur domus angelicæ conuersationis.* An decuit fœtere vnquam Dæmone, quæ Angelis sic respirat? An potest maior esse proportio Matris fœminæ ad Deum Filium? Talis futura, quæ phialam purissimæ carnis ministrauit: vnde nobis non amarum pharmacum, austera potio: sed *poculum vitæ* saporatissimum, & odoratissimum porrigitur. Et quàm bene, vt id obiter notem, Epiphanius, remedium nostrum, thus, siue *incensum* vocauit, atque suffimentum: nouerat, credo, insanabilem, serpentémque originis morbum cancri vocabulo optimè significari: at verò cancer, non aliunde meliùs, quàm thure curatur: de quo Dioscor. lib. 1. ait enim habere thus, *δύναμιν σταλτικὴν καρκινωμάτων*, *vim compescentem morbos cancri.* Thure itaque Mariano cancer noster fugatur: & tu infectum cancro contendes adhuc.

Luc. 1. *In Annunc. Mariæ.* D. Epiph. *Maria Filio simillima.* Abb. Cellens. *Culpa cancer.* Dioscor.

625. Piissimè quidem Nicodemus, & pariter sanctæ fœminæ vngendo Christo mortuo emerunt aromata, vt ex Euangelio nosti: & cùm tot deuotissimæ obsequio impenderentur: non audis Mariam Matrem similiter occupatam. An, quia dolore passionis vulnerata, collapsa viribus, non sufficiebat officio pietatis? Absit: dolor summus; sed erat æqualis animus, & constantia. Cur ergo pio ministerio isti deest? Certè non quòd minùs pia in Filium; sed quòd magis fidelis. Nouerat se diuino fauore purissimam, & nusquam culpæ subiectam, viuum vnguentum Christum effudisse: qui, licèt paulisper morti cederet stratagematicus, eidem detriumphandæ procedebat, per corporis mortem, mortem nobis spiritus curaturus: ideò aromata non emit, quæ melius promit aroma. Aromata mortua quasi minùs necessaria Christo, præteriuit: quia præiuerat illi viuum carnis aroma mortem triumphaturum apparare. Fauet Gillibert. Serm. 17. *Attulit Nicodemus mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum: & Maria emerunt vnguenta. Sed Maria, Domini Mater, vnguenta non tam comparat, quàm spirat, quæ vnctum oleo lætitiæ ipsum parturiuit Christum. Tanquàm balsamum, inquit, non mixtum, odor meus.* Et meritò, portio illa à Virgine data *balsamum non immixtum* appellatur: quia nihil adulterinæ mixturæ vnquam passum. Aut fortè totus Christus *balsamum non immixtum* appellatur: quia, licèt reuerà ex humano, & diuino misceretur; tamen, quoad fieri poterat, sic humanitas Diuinitati congruebat purissima, vt in vnitate personæ coniunctæ, simplex oleum, simplicissimum medicamen videatur. Nesciuit ergo Maria Christo, nisi aroma meracissimum communicare.

Ioan. 19. *Mariæ Caro Diuinitati congruebat.* Gillibert.

626. Hinc illa vox Patris mittentis Spiritum Sanctum, vt Marianum hortum purissimus perflaret: *Veni, Auster; perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. 4. num. 16. Iam tunc exprimebatur, quod posteà in Incarnatione peragendum, quando Spiritus Sanctus in Mariam superuenturus, & illam Altissimi virtute obumbraturus. Videtur ergo dicendum: Veni, Spiritus diuine: præpara Virginem, vt carnem purissimam Verbo tribuat. at non ita: sed: *Et fluent aromata.* Certè, quia idem erat carnem dare, quàm perstillare aroma. Affluebat Verbum fluentibus è Maria aromatibus, dum ad salutem nostram incarnabatur. Honorius ibi: *Vnde, inquit, hæc omnia in Mariano horto? Quia Pater præcepit talia dicens,* &c. *Auster, id est, Spiritus Sanctus, te, hortum meum, possideat: & fluant aromata illius: per te meus incarnetur Vnigenitus.* Nihil, nisi aromata, Maria ministrauit: nullum nisi suauissimum medicamen à Matre diuinus Medicus deduxit.

Cant. 4. *Christi Incarnatio nobis aroma.* Honor.

627. In idem recidit, quod statim subditur Cant. 5. num. 1. *Veni in hortum meum, soror mea, Sponsa: messui myrrham meam, cum aromatibus meis.* Quia Caro Christi, vt vult Guillelmus ad hunc locum, de munditia, mortalitate, & potentia contra corruptionem meritissimò myrrhæ comparatur. Sed, quorsum, inquis, cùm myrrha pretiosissimum sit aroma, tanquàm aliquid diuersum

Cant. 5. *De eodem.*

uersum ab adiunctis aromatibus computatur? Credo: quia Caro illa diuina, quæ nobis aromata suauissima tulit in medicamen, qua parte mortis amaritudinem inuoluebat, Christo seruabatur. Aroma præstantissimum, myrrha est; amara tamen: ideò ab aliis aromatibus non pungentibus, sed suauissimis, condistinguitur. Quidquid ergo in aromatica illa Carne morti, & passioni destinatur, Christo metitur: cætera eius vnguenta suauissima, vita, pax, salus, redemptio, nobis afferuntur. Fauet ibi Guillelmus post multa: *Myrrham messuit, quando Carnem, in qua pro nobis moreretur, assumpsit: messuit cum aromatibus, quia metendo myrrham, illam, & aromata simul messuit: quia in hac Carne erant aromata eius, vita, salus, & pax. In Carne illa predestinata ad opus Redemptoris, causaliter (vt sic dicam) latebat omnis efficacia redemptionis.* Ipse de myrrhæ moritur amaritudine: sed nobis inde salus, & redemptio superfuso aromate communicatur.

Christus amara sibi, nobis dulcia propinauit.

Guillelm.

628. Concludo, locum alium ex Cantico delibans: ille est ex cap. 6. num. 1. vbi Maria: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum.* Vbi non caret mysterio, quòd in vterum Virginis descendens Deus in *hortum*, & *areolam* dicatur deuenisse: quod quidem non disiunctiuè sumendum est, quasi in horto priuata aliqua pars, aromatum areola appelletur: sed appositiuè, quasi totus hortus, areola odoratissima intelligatur. Sed, cur, dum vterus ille necessariò de virginea fœcunditate, *hortus* dicitur; hortus tantummodo floridus, & aromaticus, quasi *areola*, vel, vt alij legunt, *phiala* aromatum celebratur? Quia è Maria puras deinde animas erat Christus gratiis beaturus: at gratiæ, & medicamina è Virgine, non vtcunque ab horto (qui, licèt salubria; austera tamen aliqua remedia solet germinare;) sed ab horto aromatico proueniunt: vt suauissima, & gratissima cognoscantur. Psellus ibi apud Delr. in Caten. *Descendit in vterum pura, atque immaculata Virginis, vt in aromatum diuinorum mundam phialam: vnde sine semine progrediens; & quidem modo, qui ei soli est cognitus, in animas hominum puras influxit.* Vbi obiter nota, sic *mundam phialam* vocari Mariam à Psello, sicut suprà n. 624. Cellensis *phialam purissimæ Carnis* Christo tribuit: penè enim eisdem verbis de Carne Christi, déque Mariæ Carne loquuntur Patres. Nimirum, sic oleum, & balsamum effusum bono nostro, vt nos sanaret; decentiùs ex balsamea virga, & Virgine immaculata procedere necesse erat.

Cant. 6.

Psell.

Maria Christo concarnis.

629. Cur ergo fœdabimus aromatum phialam mundissimam, qui nos bonum Christi, id est, Mariani vnguenti, cupimus odorem? Vt Prædicatores simus, bonus odor simus, vult Apostolus. Caueamus ergo, ne eum, cuius odor sumus, fœtidæ aliquando carnis participem efficiamus, déque Matris fœtentis infamiâ, filium infamemus. D. Iustus Orgelit. ad hunc locum suprà citatum: *Areolam aromatis, ipsam sanctam Mariam Virginem, intelligendam accipimus: ex ea quippe nobis odor iustitiæ ortus est.* Et quàm iniustum, vt odoratam iustitiam, odorem odoratum, graueolenti aliquando matris phialæ immisceamus? Ideò benè pontificio Diplomate nobis cautum, ne vel leuiter minùs piam opinionem concionantes, aut in publico disputantes ingeramus: ne, qui aliis conamur esse odor Christi ad vitam, videamur esse odor ad mortem: dum ipsum diuinum odorem nobis in medicinam præstitum suauissimum, & vitalem, fœtore maternæ mortis quodammodo respergimus.

Prædicatores Conceptionis quales.

Iust. Orgel.

§. III.

Prædicta Marianæ Carnis excellentia breuiter confirmatur.

630. QVÆ hucvsque dixi de Carne virginea Verbo indita, cum ordine ad suauissimum nobis allatum medicamen; meliùs capientur si nonnulla, quæ obiter ibi diximus, breuiter licet, at clariùs confirmentur. Dixi, sic puram, & odoratam Carnem à Matre Verbum accepisse, vt vnguentum illud Diuinitatis, quod à Patre accepit, decenter ipsâ Carne temperaretur; nec inde corruptum, aut interpolatum dixi potuisse. Ita est: quia nihil creatum, maiorem, quoad perfectiones, similitudinem cum Deo habet, quàm sacra illa Humanitas à Virgine Verbo induendo fabricata. Dubitaui aliquando, cur perquirenti Mariæ modum Incarnationis peragendæ, Angelus respondeat: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. n. 35. Cur enim, si tota lux deuehitur, vmbra dicitur? Cur, si tota accenditur, & illuminatur Maria, dicitur inumbranda? Nimirum, non aliunde, aut pulchriùs ad mysterium, aut elegantiùs ad sermonem, gratia Mariæ formando Christi Corpori concessa potuit explicari, quàm per vmbram: ab effectu, scilicet, quo in ipsa humanitate, viuam Diuinitatis vmbram efformauit. D. Thomas Villan. Conc. 1. de Annunc. post alia: *Nisi fortè adumbrationem istam, Dominici Corporis formationem mauis intelligere: competenti nanque similitudine, Christi sanctissima Caro Deitatis vmbra nuncupatur: quia, sicut vmbra, corporis motus, formámque insequitur: ita à Deitatis nutibus, sacerrima Humanitas illa neque ad modicum deuiauit.* Expressam alicuius rei similitudinem, *vmbram* appellamus: pulchrè ergo Humanitas, Diuinitatis vmbra intelligitur, quæ huius motus, & formam, id est, purissimam conditionem sic expressit.

Maria Deo simillima.

Luc. 1.

In Annunt. Mariæ.

Thom. Vill.

631. Nisi dicas optimè, Humanitatem, vmbram vocari: quia Caro illa purissima aliàs, in veritate Carnis sanctissimæ, vmbram, & similitudinem carnis peccati referebat. Hoc ergo aduenìens Spiritus Sanctus effecit in Maria adhuc pleniùs in Incarnatione, quod in eius Conceptione iam peregerat: vt Carnem purissimam, sed sub vmbra, & imagine carnis peccatricis Verbo exhiberet. Est hoc illud Pauli: *Deus Filium suũ mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Rom. 8. num. 3. Rom. 8.

Eucharistia refert Incarnationem. num. 3. Quod graphicè ab Eucharistiâ desumpto exemplo explicat Cellensis lib. de Pan. cap. 1. *Gratia naturæ vsum, & cursum transiliens, sicut Carnem Virginis, in Carnem Christi sanctificando* Cellens. *creauit, & creando sanctificauit: similitudinem quidem carnis peccati conformans Verbo Dei; sed ad purum excoquens naturam humanitatis, ne esset caro peccati. Sic de pane, mirabili conuersione, efficit Corpus Christi, contegens specie panis id, quod veritate, non similitudine est verus panis, qui de cælo descendit: similitudine autem, non veritate, panis, qui de clibano venit.* Non vult Cellensis aliquando in Maria carnem fuisse peccati, quæ postea deinde in Christo sanctificaretur: satis enim vt Caro illa Virginis in eius parentibus esset caro peccati; in Virgine verò iam immunis: at in Christo ad purum decocta, & magis sanctificata: quò Christus similitudinem carnis peccati gestasse dicetur. Patet mens Cellensis ex variis eius locis, maxime ex cap. 21. vbi ita: *Filius altare est de terra sancta: quia Corpus habet de Matre sine macula.* Quasi non ita vocari posset terra sancta, Caro Christi, si in Matre aliquid maculæ præcessisset. Benè ergo inumbrari dicitur Maria, quæ vmbram, siue imaginem carnis peccati, non peccatricem aliquando carnem, Verbo dare potuit.

632. *Mariæ Caro in theriacam culpæ.* Fouetur hac vltimâ explicatione mirificè id, quod suprà dixi de theriaca Carnis Marianæ. Vt enim theriaca è carne venenatę bestię fit, ad eiusdem venenũ expugnandũ; & sub similitudine venenatæ carnis vera latet medicina, vt de veneno venenũ expũgatur: sic ex Adami carne peccaminosâ, remediũ fit peccato expungẽdo; & sub similitudine carnis peccati, verissimũ iam delitet medicamẽ. Sic impletur, quod nuper dicebat Apostolus, de peccato damnatum fuisse peccatum in carne. Cape illustre huius rei argumentum. Percussis Israelitis in deserto à serpentibus: *Fecit Moyses,* inquit Textus, *serpentem æneum: & posuit* Numer. 21. *eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Num. 21. n. 9. Expressã Christi medicãtis figurã nosti eiusdem Christi verbis ex Euangelio. At, quis non miretur, mitissimũ Agnum, sub serpentis figura delituisse? Scilicet, medicina vulneratis veniebat: nec aliter, aut salubriùs significari, Theophan. aut apparari poterat decentiùs. Theophanes Ceram. Orat. 1. de Cruce apud Grets. post alias huius figurę causas. *Alia insuper ratione serpentis similitudine gessit Saluator: nam serpens non modò habet lethale venenũ; sed etiam pharmacũ, lethalia venena propulsare cõsuetũ ministrat. Medici quippe ex carne serpentina contrariũ veneno conficiunt medicamẽtum: sic ex mortali natura Adami, propriũ Corpus Dei Verbum formauit, interficientia morti cõmodissimũ.* Caro culpę morte infecta videbatur illa, quã ministrauit Deipara; purissima tamen erat, & viuifica, faustissimúmque nobis theriacæ medica- Thom. Vill. men, quo mortis culpæ venenum superauimus. Vnde meritò D. Thomas de Villan. Serm. 1. de Natiu. velleri Virginem comparans, sic concludit: *Vellus de carne ortum, non habet vitia carnis.*

633. Psal. 71. *Originalis culpæ damna.* Vnde obiter capies, quid sit illud Dauid de Verbo incarnando: *Descendet, sicut pluuia, in vellus, &c. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Ps. 71. à num. 6. Hæc erant præcipua originalis ruinæ damna, & morbi, quibus premebamur: iniustitia, qua honores diuinos vsurpabamus: bellum intestinum, quo rebellantes potentiæ tumultuabant: nascitur Christus, & simul nobis suauissimum iustitiæ, & pacis oritur medicamen. Benè igitur Maria medicaminis administra, *vellus* appellatur: quia Caro *erat*; sed sine carnis vitiis. D. Thomas ci- Thom. Vill. tatus ad hunc locum: *Vellus de carne ortum, non habet vitia carnis: & sic Virgo, licèt carnea sit, sic tamen carnea, quasi argentea, sine omni maculâ, & concupiscentiâ.* Sic fit innoxia & purissima theriaca Caro Mariana, de carne peccatrice, vt inde pax, & iustitia oriatur, vnde iniustitia, & bellum pullulabant.

Nimirum, talem præcipuè se gessit Christus 634. in carnis veneno, per innocentis Carnis theriacam expellendo; qualem se posteà gessit ex innu- *Iterũ de theriaca Marianæ Carnis.* meris malis, bona nobis eruens innumera. Prætereo, quòd crucifixus est: in hoc venerat, vt Tertulliani verbis vtar: sed quorsum flagella, alapæ, sputa, fel, spinæ? Quorsum totius antecedentis vitæ incommoda grauissima? Aptè D. D. Chrysost. Chrysost. hom. in mag. die Parasc. apud Gretser. *Vt Medici serpentum ictibus ita medentur, vt ex ijs ipsis eliciant salutaria medicamenta, eáque componant, occasione, & instrumento ægritudinis ægritudinem oppugnantes: ita Saluator omnibus malorum occasionibus, ad bonum vsus est. Amarum fit dulce: fel in medicinam conuertit: mortis stimulum in ipsam retorsit, ligni noxam in salutem commutauit.* Quæ omnia Marianæ theriacæ debentur: neque enim Deus, nisi sub carne, incommoda illa pati posset, quæ nobis deinde in medicamentum efformauit.

Dicebam etiam è ventris Mariani horto pu- 635. rissimo, floridã Nazareno nostro Carnem communicatam. Id etiam aliunde confirmo. Promit- *Caro Mariæ florida.* titur Dauidi Christus Filius: sed miris verbis: *Iurauit Dominus, Dauid veritatem, & non frustrabitur eum. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Psal. 131. num. 11. Venter enim Psal. 131. matrem sonat, non patrem. Nec recurras ad ventrem vxoris Dauidicæ: nam, præterquàm quòd iuramentum tantum de hærede temporali non instituitur, facilè poterat venter vxori expressè assignari. Venter ergo reuerà Matris Mariæ denotatur. Tota ergo dubitatio in eo sita, cur venter Filiæ, Patri tot ante sæcula deputetur; respondendúmque, meritò Patri per originem Marianum ventrem attribui, ne posteà marito per congressum videatur attribuendum: tot ante sæcula venter ille purissimus Patri, vnde producendus erat, consignatur, ne vnquam marito tacturo resignandus intelligeretur. Vno verbo, vterus est virgineus non subiectus viro per copulam; sed adiectus Dauidi tot ante sæcula per naturam. At, quorsum tanta circunspectio in phrasi? Vt de virgineo, & florido propterea illo vtero, florida nascituro Filio Caro parata agnoscatur? Nunc capies Tertul. lib. 3. contra Tertull. Marc. cap. 20. ad hunc locum: *Quis iste venter est? Ipsius Dauid? Vtique non: neque enim pariturus erat Dauid. Sed nec vxoris eius: non enim dixisset: Ex fructu ventris tui, sed potius: Ex fructu ventris vxoris tuæ. Ipsius ergo dicendo ventrem, superest, vt aliquam de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus, Caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit. Idéoque & fructum tantùm ventris nominauit, vt propriè ventris, non* etiam

etiam viri : & ipsum ventrem ad David redegit, ad principem generis, & familiæ patrem : nam, quia viro deputare non poterat virgineum ventrem, Patri deputauit. At probaui latissimè suprà minùs decentem, minúsque proinde floridam Carnem Christo dandam à Matre originali peccato aliquando infectâ, quàm ab inculpabiliter non virgine. Eò redi : perge deinde, & simili argumento rem conuinces, ex Honorio.

636. Cant. 2. *Iterum de Carne Mariæ florida.* Honor. Ad illud Cantic. 2. num. 15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas : nam vinea nostra floruit.* sic scribit Honorius in Catena : *Vulpeculæ sunt Hæretici, qui demoliuntur vineas, id est, inficiunt simplicium Ecclesias, dicentes : Si Virgo peperit, phantasma fuit : hi quasi rete cum tali syllogismo concluduntur : Deus omnia, quæ vult, potest : sed voluit homo ex Virgine nasci : igitur, quod Virgo genuit, Deus, & homo fuit : nam vinea nostra floruit ; quia Maria Christum protulit.* Simili argumento in re Conceptionis, aduersarij Mariæ conuincuntur : neque enim minùs seuera lex Geneseos de partus corruptione, quàm illa Pauli de animæ inquinamento. Solùm responderi poterat, noluisse Deum. Sed durissima viscera, quæ sic durè de Deo erga Matrem excogitassent. Sed contra hos infrà latissimè, & suprà iam satis. Ad rem. Optimum nobis fructum edidit vinea nostra ; & tamen solùm dicitur floruisse, vt nihil à Maria, etiam dum fructificat, non floridum venire intelligatur. Ideò Alanus de horto concluso Mariæ, Cantic. 4. num. 12. sic scribit : *Hortus, in quo rosa Dominici Corporis, & Sanguinis ; in quo lilium castitatis.* Alan.

637. *Maria Antiqua.* Sed pende, quàm benè, vt rosam istam produceret, *hortus conclusus* appelletur : de quo idem Alanus : *Hortus conclusus : quia vallo charitatis signatus, ne irrumpere possit malignus : conclusus, quia Angelorum custodiâ circumseptus.* Alan. Quasi si irrupisset malignus, tam pulchra rosa ibidem non vernaret. Et quidem si maledicta terra spinas, & tribulos potuit germinare, quî non benedicta terra ista virginea intelligatur, vnde nobis emicuit flos diuinus ? Cur ægram aliquando fuisse, imò & mortuam existimabimus, per quam nobis vitæ medicamentum communicatum ? Eusèb. Gallic. in die S. Ioan. Euang. *Hodie natus est Christus : sed in natiuitate eius, nostra omnium habet vita natalem : quia, qui priuilegia primæ natiuitatis amisimus, visitante nos Christo sanctiori partu redimus ad vitam.* Per Euam mortuam, morti nascimur. Si ergo per Mariam edito vitali medicamine, vitæ regeneramur partu feliciori ; nunquam mortuam putemus Mariam, sed à summo Medico præseruatam, plusquàm congruum appareat. Eusèb. Gal.

* * *

§. IV.

Anacephalæosis eorum, quæ de redemptione præseruante dixi.

EN tibi, mi Lector, exhibita ab initio huius Art. quatuor saluandi genera, quæ vtplurimùm in vtraque Paginâ, de præseruatione veniunt illustriora : eáque, vt vides, sic apertè confirmata (maximè Anthol. 6.) vt iam proteruiæ tribuendum videatur, si quis neget, veram redemptionem cum præseruatione subsistere posse in Deipara. Deinde de facto, his omnibus modis à Filio Duce præmuniente, Altore prouido, præcauente Gubernatore, Medico præseruante, Mariam præseruatiuè redemptam ostendere sum conatus. An euentus votis responderit, tibi relinquo iudicandum. Et, ni fallor, ideò ad illud Luc. 1. vbi Gabriel ad Mariam : *Vocabis nomen eius, Iesum.* sic scripsisse Chrysologus videri potest : *Quod Hebraicè Iesus, Græcè σωτὴρ, hoc dicitur Latinè Saluator. Merito ergo Virgini salua sunt omnia, quæ omnium genuit Saluatorem.* Nullum præseruatiuæ salutis percurres genus, vbi salua Maria non præcurrat : omnia illi cum virginitate, per Christum salua fuerunt. vt, sicut virginitas non tam restituta, quàm ob omni corruptione præseruata, verè salua dicitur : sic cætera eiusdem pulchiori hoc redemptionis genere florida, verè salua, & redempta dicerentur : puderet enim absque dubio Christum, si Matrem dilectissimam viliori alio genere redemptam viuere permisisset. 638. *Iesus qualis Mariæ Saluator.* Chrysolog.

639. *Redemptio ordinaria minus nobilis.* Liuius. Euersâ vrbe, obsidentibus Capitolium Gallis, aurum iam pro redemptione Romani appendebant, quò hostes abirent. Interim dum numeraretur pecunia, aduenit Dux Romanus, fugat hostes, suósque à soluendo infami tributo liberat præseruator. Tunc sic eleganter Liuius lib. 5. *Rei fœdissimæ, per se adiecta indignitas est : pondera allata à Gallis iniqua, & Tribuno recusante, additus ab insolenti Gallo ponderi gladius : auditáque intoleranda vox, væ victis esse. Sed Diique, & homines prohibuère, redemptos viuere Romanos : nam forte quadam, priusquàm infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso, Dictator interuenit ; auferrique aurum de medio, Gallósque summoueri iussit.* Et quantò meliùs vnus Deus, & homo Christus Matrem, quasi soluto ob captiuitatem pretio, redemptam viuere prohiberet ? Liberatorem suum, quòd infame tributum euitaret, Roma coluit Dictatorem : & Maria meliorem, dum præripitur, & nobiliorem Filium veneratur. Huc enim verba legis *Decem.* de verb. signif. leg. *non vtique.* ff. de excep. quæ passim in hâc materiam afferuntur : *Miles ab alio milite liberatus, ne in hostium potestatem veniret, etiamsi nunquam eorum seruus extitisset, liberatus censetur.* At benè talis seruator ciuicâ coronâ donabatur.

Et

640. Et quidem nulla vrget ratio, (imò in contrarium cogit decentia,) vt Mariam soluisse Dæmoni tributum, & deinde redemptam viuere existimemus, quæ nos ab infami tributo liberauit. Descripturus Isaïas ingressum Christi in Ægyptum in vlnis Beatissimæ Matris baiulantis, sic habet: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum: & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius*. cap. 19. n. 1. Benè, *nubes*, quæ cum Christo gratiarum nobis imbres instillauit. Sed, cur *leuis*, quæ Creatoris pondere non grauiter pressa, sed tamen feliciter grauis incedebat? Cur *leuis*, vnde grauissimè Ægyptiæ tenebræ, Infernus Princeps grauatur? Cur *leuis*, quæ non tam in thronum, quàm in quadrigam bellicam aptari visa? Aut vnde tandem *leuis* per quam grauissimâ plagâ hostis oneratur? Ab effectu talis dicitur: ideò enim opprimit Ægyptũ, vt nos leuet grauiter obæratos. Opprimebamur grauissimo soluendo tributo: quidni ergo nobis nubes leuis, per quam à tanto onere releuamur? D. Ambros. de instit. virg. cap. 13. *O diuitias Marianæ virginitatis! quasi olla ferbuit, & quasi nubes pluit in terras gratiam Christi: scriptum est enim de ea: Ecce Dominus venit, sedens super nubem leuem. Verè leuem, quæ coniugij onera nesciuit: verè leuem, quæ leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum.* O verè Romanam, imò cælestem nobis Dictatricem! Non solùm ipsa tributum non soluit, sed nos etiam à tributo liberauit. O frustrà *leuis nubis* titulo radiantem, si tamen graui fœnore premebatur!

Maria nunquam tributum pendit.

Isaiæ 19.

641. Sed, quidni leuet Maria Christianos milites ab hoc onere, quæ etiam honore torquium, iam redemptos, & victores coronauit? Nemo nescit ex sacris per femur generationem denotari: res cuiuis nota. Audi nunc, quid de generante Maria, deque virgineo eius partu canat Spiritus Sanctus: *iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis*. Cantic. 7. n. 1. Quàm dissona primo aspectu comparatio! Quid enim virgineo partui cum monilibus? Virgo de integritate, flori; horto, de fœcunditate, sed clauso, vt vidisti, venit comparanda. Si diuitias nobis immissas à parthenico partu cõtempleris; gazas, & thesauros adductos sperarem. Cur ad torques, cur ad monilia totum deducetur? Memineris, si sapis, victis militibus olim impositum iugum, sicut victoribus torques imponebantur: illorum colla onere fœdo, horum conspicuo honore cernebantur. Quid ergo victrix Maria afferret, nisi monilia, quibus, excusso iugo, adornati, victoriam Duci tantæ in acceptis referremus? Idem Ambrof. ibid. cap. 14. *Quàm pulchra etiam illa, quæ in figura Ecclesiæ, de Maria prophetata sunt: si tamen non membra corporis, sed mysteria generationis eius intendas: moduli femorum tuorum, similes torquibus. Sicut victores solent sæcularium præliorum, strenuiorum virorum, donatis torquibus, onerare ceruices: ita iugum nostrum leuauit, vt fidelium colla virtutis insignibus coronaret. Quis prudenter affirmet iugo oppressam, quæ nobis non solùm iugum tulit; sed etiam decoris torques intulit felicissimos?*

Maria pios milites coronat.

Cant. 7.

Ambrof.

642. Quid? nisi prædictis modis, Maria præseruata intelligatur: si aliquando peccato fœda intelligitur, quamuis plenissimam communis gratiæ redemptionem posteà acciperet, semper immunda, & indigna tam alto maternitatis diuino ministerio: imò in se nescio quomodo polluta crederetur. Non quòd (quidquid ganniant Heretici) per inhærentem gratiam omnis peccati macula penitùs non aboleatur: aboletur enim reuerà: sed quoniam, vt suprà dixi, etiam condonatâ iam culpâ, videtur remanere indignitas quædam, qua quodammodo minùs decens anima conspicitur à Deo, quàm si purâ innocentiâ nituisset. Quærunt Theologi, cur peccata, quæ iam per confessionem creduntur acceptâ gratia condonata, semper denuò possint clauibus subiici, nouisque confessionibus exponi: respondet præ aliis clariùs Konink tom. 2. disp. 4. dub. 3. semper, etiam condonatis peccatis, aliquid non culpæ, sed quasi indignitatis in anima de præterito peccato superesse, quod deinde in dies per nouas confessiones tollitur. Doctrina, saltem ad tollendam iteratæ confessionis difficultatem, perspicua: hanc ergo ad rem meam, Scripturâ (per Theologorum Principem Augustinum explicatâ, ni fallor) iam confirmari posse videtur.

Indignitas relicta à peccato.

Konink.

De illo, qui ob immunditiã purificandus lauabat vestimenta sua, Num. 19. n. 10. & 19. additur semper in Textu: *Lauabit se, & vestimenta sua: & erit immundus vsque ad vesperam*. Erat quidem ablutio ista Baptismi typus, vt nemo ignorat. Et insurgit statim dubium non leue: cur iam lotus adhuc vsque ad vesperã immundus sit; id est, vsque ad mortem, qua, tanquàm vespere, clauditur vitæ dies. Nónne per Baptismum sic tolluntur peccata, sic per gratiæ infusionem remissio plenissima conceditur: vt nihil præteritæ immunditiæ relinquatur? Verissimè, quidquid immundæ culpæ est, purgatur: remanet tamen semper in hac vita indignitatis cuiusdã indecentia; qua semper de præterita culpa minùs dignus appares erga Deũ, quàm si sub eadem gratia innocens perpetuò fuisses. Sic capiendus videtur August. ad hunc locũ tom. 4. lib. 4. quæst. 33. *Quem autem non faciat intentum, quòd post ablutionem de singulis quibusque dicitur: Et erit immundus vsque ad vesperam? Neque hîc tantùm; sed in omnibus, aut penè in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Vbi nescio, vtrùm aliquid aliud possit intelligi, nisi quòd omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum permanendo in hac vita contrahit aliquid, vnde sit immundus vsque ad eiusdem vitæ finem: vbi ei dies iste quodãmodo clauditur, quod significat vespera*. In sacro Textu, quod nemo negauerit, semper ad eandemmet immunditiã, de qua ablutus fuerat, recurritur, (non ad aliam nouam contrahendam,) eo modo, quo diximus, permanentẽ: vnde Augustinus *contrahere*, pro *retinere*, visus posuisse. Sed, quidquid sit de mente S. Doctoris, quoad hanc partem; posito tamen eius explicandi modo, iam Scripturæ verba mihi fauent. An ergo non indecenter hanc indignitatem dignissimæ Deiparæ attribuimus? An non decentissimè propterea præseruatam veneramur?

643. Num. 19. *Maria minùs decens de præterita culpa.*

August.

Dices: Per diuinam potentiam, tantam gratiæ plenitudinem peccatrici animæ posse communicari, vt in hac vita indignitas omninò absorbeatur; sicque specialiter factum cum Maria. Fateor quidem, indignitatem illam, quæ relinquitur, quoad omnia munia, quibus indecentior cernitur, posse gratiâ absorberi: at quoad illud, vt 644.

Amouetur obiectio.

personæ talibus ministeriis adaptatæ, non sit pulchrius, & decentius, nunquam peccasse, quàm peccasse aliquando; id nullo modo tolli posse non inficiaberis. Hinc est, vt minùs decens putetur fieri hypostaticam vnionem in homine peccatore: non quòd ille homo statim non sic deponeret culpam, sicque gratus redderetur, vt verissimè Deus esset; sed, quòd moralis indecentiâ agnoscitur, vt Deus appelletur, qui aliquando culpa fuerit præfœdatus.

645. Deinde, si deglutis tandem, omnibus aliis à culpa indecentiæ aliquid retinentibus, Mariæ per plenitudinem gratiæ specialiter id ablatum: iuxta est, ne obdures, vt omnibus aliis originis fœdatæ lege comprehensis, Mariam præseruatam fatearis: re enim vera semper in Maria pulchrius, & decentius, Filióque honorabilius appareret, nunquam peccasse, quàm peccasse aliquando. Et quidem, si Matrem Dei necessariò colis, cur trepides præseruatiuè redemptam venerari, cùm quidquid gloriæ Virgini attribuas, longè minùs, quàm Maternitas tanta habeatur? Pulchrè Cellensis lib. de Pan. cap. 21. post multa de Deipara: *Et quid ampliùs ei assignare possumus diuini muneris, & honoris, quàm vt, quod verum est, fateamur, Genitricem eam Dei esse, & hominis? Infra hoc dicitur, quidquid in eius commendatione affertur. Si Cæli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore excogitatum protuleris, non assurges ad hunc superindicibilem honorem, quo creditur, & prædicatur Dei Genitrix.* Iam, qui maiora ista nec credit, neque prædicat; minora illa de redemptione præseruatiua non prædicet de Maria.

In Maria nihil Maternitate maius.

Cellens.

646. At, inquis, non capitur mente, quomodo redemptio vera detur, absque prævia captiuitate: quomodo Maria absque morbo curata intelligatur. Age, mi homo, tu, (ego enim cum aliis Sole clariorem, redemptionem, & medicinam agnosco præseruatiuam,) percipisne, quomodo mortalis fœmina, immortalis Dei sit Mater? Certè non capis. Cur ergo, vt sit idonea Mater, præseruatam, quamuis non capias, non fateberis? Quid mireris, si illa non capias, quibus Maria, vt sit idonea Mater, adornatur; quando nec supremi Angeli, imò nec ipsa quodammodo Virgo Angelis longè illuminatior, gratiæ suæ plenitudinem potuit agnoscere? Salutat Elisabeth Mariam, de felicissimo conceptu per summam Virgini congratulans admirationem: ad quam tunc ista: *Fecit*, inquit, *mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. num. 49. quia non potuit condigna esse Mater, idonea tanti mysterij administra, nisi magnis sic donis cumulata, vt (quod suprà notaui) à Potente absolute, id est, ab Omnipotente meritò in summam ostentationem procedere viderentur. At, cur non magna ista refers, ô Maria? cur missum Gabrielem, cur Spiritum obumbrantem non commemoras? Illa, quæ dici poterant, minima erant: quæ Virgo ab ipsa sui Conceptione acceperat, ineffabilia: imò nec ab eâdem poterant comprehendi. Fusus, sed grauissimus in hac re D. Thomas Valent. Conc. 3. de Natiuit. Virg. vbi post multa de Deo idoneitatem ministris conferente: *Ex istis colligitur, quòd, sicut Deus eligendo aliquem ad Apostolatum, vel Prophetiam, facit dignum Apostolum, & idoneum Prophetam: sic eligendo Virginem, fecit illam idoneam Matrem suam: hæc enim est dignitas, ad quam electa est, sicut Ioannes electus est, vt sit præcursor. Vnde & antequàm conciperet Filium Dei, iam idonea erat, vt esset Mater Dei. Sed, qualis est hæc dignitas? Vtique habet quandam infinitatem, esse Matrem Infiniti, & Omnipotentis. Quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, vt esset idonea Mater Dei? Hic iam sileat lingua carnis: excedit enim intellectum, & loquelam Virginis magnitudo, non modò nostram, imò fortè & suam. Fecit, inquit, mihi magna, qui potens est. Sed, quàm magna? Nescio, an ipsamet valuit comprehendere suam magnitudinem.*

In Maria Visitatione.

Luc. 1.

Thom. Val.

647. Vrges adhuc: Minuitur Redemptoris Christi gloria, nisi Matrem redimat: dum ergo præseruatiua redemptio adhuc dubia, dum studemus certæ Matris gloriæ, in dubio Filij gloriam collocamus. Hoc quàm sit falsum, per plures paginas suprà demonstraui: demonstraui, inquam, ex optimis Authoribus luce clarius. Et quàm nollem diceretur de his, qui putant, Redemptori Filio derogari, nisi Matri captiuitas irrogetur: quod in re grauiori, sed planè simili, de Arrio dixit Chrysologus Serm. 109. *Arrius Patri se putat obsequi, Filium blasphemando: & dum Filio dat initium, Patri finem miserandus imponit.* Si enim Filius creatura est, & incepit in tempore; iam Pater è sua natura illi creatum etiam aliquid communicauit. Si ergo Pater in se aliquid creatum habet: iam in se æternitatem non sortitur: & proinde etiam finem sortiturus. Patet: quia non habet Pater aliud principium, à quo (sicut reuerà Angelus, & anima à Deo) æternitatem, saltem à parte pòst consequi posset. Dum ergo putat Hæreticus, obsequium Patri præstare, notato Filio: Patrem ipsum notâ infamiæ respergit. Quid putamus obsequium præstari Filio, dum Matrem infamamus? Clamant Patres, honorem Matris, honorem esse Filij; illam si notamus; & hunc non leui maculâ conspergimus, cui melioris redemptionis gloriam inuidemus. Simili argumento, (de quo latè in seq. disputabo) contenderim pro Maria, quo contra Arrium, pro Christo contendunt Patres: Vel Christus potuit, & noluit: vel voluit, sed non potuit Matrem præseruare. Si primum, inuidus, & impius in Matrem videretur: si secundum, impotens, neque decreti sui prouidus constitutor.

Honor Filij, Matris est, & inuicem.

Chrysol.

648. Maneat ergo, & Filium potuisse, & voluisse Matrem præseruare: nec litem parthenicæ Conceptioni intendamus de immunditia, quæ tot ante sæcula, præniтuit mundissima. Quàm grauiter D. Petrus Chrysologus in epistola ad Eutychem in Concil. Chalced. *Tristis legi tristes litteras tuas, & scripta mœsta debito mœrore percurri: quia, sicut nos pax Ecclesiarum, & Sacerdotum concordia, & tranquillitas gaudere facit gaudio cælesti: ita nos affligit, & deiicit fraterna dissensio, maximè cùm talibus oritur ex causis. Triginta anni humanæ leges, humanas adimunt quæstiones: & Christi generatio, quæ diuina lege scribitur inenarrabilis; post tot sæcula, disputatione temerariâ ventilatur. Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit: quomodo Nestorius lapsus sit disputãs de naturis; non latet prudentiã tuã.* Quàm apta ista nostro sæculo, vbi tot dissidia, tot scandalosæ dissensiones similibus de

Mariana Conceptioni cur lis non intendenda.

Chrysol.

de causis fuêre exortæ? Quot annis iam Conceptio propugnatur? Quid adhuc molesti sumus huic Mulieri, quam tamen amictam Sole veneramur? Quid adhuc quæstio penè dirempta ventilatur? Vicit Virginitas Eluidium, Maternitas Eutychem. O Conceptio!


649. Sed pergat epistola Chrysol. *Magi Iesum in cunabulis Deum, mysticis muneribus confitentur: & Sacerdotes, quis sit, qui virginali partu, de Spiritu Sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt? Cùm vagitus daret Iesus in cunis, gloria in excelsis Deo clamat cælestis exercitus: & modò, quando in Nomine Iesu omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum; originis eius quæstio commouetur? Nos, Frater charissime, vnà cum Apostolo dicimus: Etsi nouimus Iesum secundùm carnem: sed nunc iam non nouimus. Nec possumus curiosè perscrutari, qui iubemur honorem dare, & timorem reddere; expectare, non discurrere, quem Iudicem confitemur.* Sic in re nostra Dionysius Martyr Mariam adhuc in terris commorantem, sic Deiformem coluit, vt fateatur, & testetur Deum, qui aderat in Virgine, (nosti eius verba in epist. ad Paulum,) quòd ni fides aliud vetaret, illam, Deum esse verum credidisset. Sacerdotes verò, an illa vnquam Dæmonis fuisset ancilla, dolenda interrogatione disquirant adhuc? Cùm in funebri lecto mortua iaceret Maria, Andreas Apostolus Mariam ipsam *terram nunquam maledictam* appellauit: Iacobus nunquam ad illam peruenisse *primum peccatum* affirmauit: vide cætera apud Perlin. dist. 10. cap. 1. Et modò, quando iam resurgens, assumpta & gloriosa cælestibus imperat, terrestribus fauorem, terrorem iniicit infernis; originis eius pollutæ quæstio commouetur? quid perscrutamur curiosè, cui iubemur honorem dare, reddere timorem? Quid Matri Iudicis litem intendimus? Quid pro salute litigantes discurrimus inquieti, quam vnicam in iudicio Patronam expectamus?

In idem plura. *Dionysi.* *Perlin.*

Concludit Chrysologus: *In omnibus autem hortamur te, Frater Venerabilis, vt his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi, causas audire non possumus.* Sic in re nostra: ad Pontificis mentem attendamus. Videamus, quid de Conceptione præseruatâ sentiat D. Petrus, qui in propriâ Sede viuens adhuc præsidet: Conceptionis Festum amplectamur: quod si cerneret D. Thomas, quàm nobis consensurus, apertè in hoc articulo explicauit. 650.

Conceptionis Festum.






EX QVÆST. XXVII. TERTIÆ PARTIS D. THOMÆ,

ARTICVLVS III.

Vtrùm per sanctificationem fuerit B. Virgini fomes totaliter ablatus.



AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd B. Virgo non fuerit emundata ab infectione fomitis. Sicut enim pœna originalis peccati est fomes, qui consistit in inferiorum virium rebellione ad rationem: ita etiam pœna originalis peccati est mors, & cæteræ pœnalitates temporales. Sed B. Virgo fuit subiecta huiusmodi pœnalitatibus: ergo etiam fomes ab ea totaliter remotus non fuit. Præterea 2. ad Cor. 12. dicitur: *Virtus in infirmitate perficitur.* & loquitur ibi de infirmitate fomitis, secundùm quam patiebatur stimulum carnis: sed nihil, quod pertinet ad perfectionem virtutis, fuit B. Virgini subtrahendum: ergo non fuit B. Virgini totaliter subtrahendus fomes. Præterea Damascenus dicit, quòd in B. Virginem superuenit Spiritus Sanctus purgans eam ante Conceptionem Filij Dei: quod non potest intelligi, nisi de purgatione à fomite: nam peccatum non fecit, vt August. dicit in lib. de nat. & grat. ergo per sanctificationem in vtero non fuit liberè mundata a fomite.

Sed contra est, quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea: & macula non est in te.* Fomes autem ad maculam pertinet; saltem carnis; ergo in B. Virgine fomes non fuit.

Respondeo, dicendum, quòd circa hoc sunt diuersæ opiniones: quidam enim dixerunt, quòd in ipsa sanctificatione B. Virginis, qua fuit sanctificata in vtero, totaliter fuit ei fomes subtractus: quidam verò dicunt, quòd remansit fomes, quantùm ad hoc, quod facit difficultatem in bono: sublatus tamen fuit, quantùm ad hoc, quod facit pronitatem ad malum. Alij verò dixerunt, quòd sublatus fuit fomes, in quantum pertinet ad corruptionem personæ, provt impellit ad malum, & difficultatem facit ad bonum: remansit tamen, in quantum pertinet ad corruptionem naturæ, provt, scilicet, est causa traducendi peccatum originale in prolem. Alij verò dicunt, quòd in prima sanctificatione remansit fomes secundùm essentiam; sed ligatus: in ipsa autem Conceptione Filij Dei fuit totaliter sublatus.

Ad horum autem intellectum oportet considerare, quòd fomes nihil est aliud, quàm inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, habitualis tamen: quia actualis concupiscentia est motus peccati. Dicitur autem concupiscentia sensualitatis esse inordinata, in quantum repugnat rationi: quod fit, in quantum inclinat ad malum, vel difficultatem facit in bono: & ideò ad ipsam rationem fomitis pertinet, quòd inclinet ad malum, vel difficultatem faciat in bono.

Vnde

Vnde ponere, quòd remanserit fomes in B. Virgine non inclinans ad malum, est ponere duo opposita simul. Similiter etiam videtur, oppositionem implicare, quòd remanserit fomes, in quantum pertinet ad corruptionem naturæ; non autem in quantum pertinet ad corruptionem personæ: nam secundùm Aug. in lib. de nupt. & concup. libido est, quæ peccatum originale transmittit in prolem: libido autem importat inordinatam concupiscentiam, quæ non totaliter subditur rationi: & ideò si totaliter fomes subtraheretur, in quantum pertinet ad corruptionem personæ, non posset remanere, in quantum pertinet ad corruptionem naturæ.

Restat ergo, vt dicamus, quòd vel totaliter fomes fuerit ab ea sublatus per primam sanctificationem; vel, quòd, si remanserit, fuerit ligatus. Posset enim intelligi, quòd totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo: quòd præstitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiæ descendentis in ipsam, vt talis esset dispositio virium animæ in ipsa, quòd inferiores vires nunquam mouerentur sine arbitrio rationis; sicut dictum est fuisse in Christo, quem constat peccati fomitem non habuisse: & sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem iustitiam: ita quòd quantùm ad hoc, gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiæ. Et quanuis hæc positio ad dignitatem Virginis Matris pertinere videatur; derogat tamen in aliquo dignitati Christi, absque cuius virtute nullus à prima damnatione liberatur. Et quanuis per fidem Christi, aliqui ante Christi Incarnationem, sint secundùm spiritum ab illa damnatione liberati: tamen quòd secundùm carnem aliquis ab illa damnatione liberetur, non videtur fieri debuisse, nisi post Incarnationem eius, in qua primò debuit immunitas damnationis apparere. Et ideò sicut ante immortalitatem Carnis Christi resurgentis, nullus adeptus fuit carnis immortalitatem: ita inconueniens esse videtur dicere, quòd ante Christi Carnem, in qua nullum fuit peccatum, Caro Virginis Matris eius, vel cuiuscunque alterius, fuerit absque fomite, qui dicitur lex carnis, siue membrorum.

Et ideò videtur meliùs dicendum, quòd per sanctificationem in vtero non fuerit B. Virgini sublatus fomes secundùm essentiam; sed remanserit ligatus; non quidem per actum rationis suæ, sicut in viris Sanctis, quia non statim habuit vsum liberi arbitrij, adhuc in ventre matris existens; hoc enim est speciale priuilegium: sed per abundantiam gratiæ, quam in sanctificatione recepit; & etiam perfectiùs per diuinam prouidentiam, sensualitatem eius, ab omni inordinato motu prohibentem. Postmodum verò in ipsa Conceptione Carnis Christi, in qua primùm debuit refulgere carnis immunitas; credendum est, quòd ex Prole redundauerit in Matrem, totaliter fomite subtracto. Et hoc figuratur Ezech. 43. vbi dicitur: *Ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam orientalem*, id est, per B. Virginem: *& terra*, id est, Caro ipsius, *splendebat à maiestate eius*, scilicet, Christi.

Ad primum ergo dicendum, quòd mors, & eiusmodi pœnalitates de se non inclinant ad peccatum: vnde etiam Christus, licèt assumpserit huiusmodi pœnalitates; fomitem tamen non assumpsit. Vnde etiam in B. Virgine, vt Filio conformaretur, (de cuius plenitudine gratiam accipiebat,) primò quidem fuit ligatus fomes, & posteà sublatus: non autem liberata fuit à morte, & aliis huiusmodi pœnalitatibus.

Ad secundum dicendum, quòd infirmitas carnis ad fomitem pertinens, est quidem sanctis viris virtutis occasio, non tamen causa, sine qua perfectio haberi non possit. Sufficit autem, in B. Virgine ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiæ: nec oportet in ea ponere omnem occasionem perfectionis.

Ad tertium dicendum, quòd Spiritus Sanctus in B. Virgine duplicem purgationem fecit: vnam quidem quasi præparatoriam ad Virginis Conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ, vel fomitis: sed mentem eius magis in vnum colligens, & à multitudine sustollens: nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas inuenitur, vt Dionys. dicit 6. cap. eccles. Hierar. aliam verò purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante Conceptione Christi, quæ est Spiritus Sancti opus: & secundùm hoc potest dici, quòd purgauit eam totaliter à fomite.

EXAMEN TEXTVS D. THOMÆ.



651. *Maria fomite caruit.* *Vasquez.*

HVIVS Art. palæstram inierunt iam multi: &, vt Virginem ab originali culpa immunem, sic etiam à fomite omninò liberam statuerunt. Quid acta agam? Solùm ergo, quod Vasquez in 3. p. disp. 118. cap. 4. ex aliis principiis confecit, implicare, scilicet, contradictionem, vt fomes dicatur ligatus, quin pariter extinctus asseueretur; id aliunde in honorem Deiparæ sic deduco. Per Verbi Incarnationem, vel accepit Maria gratiam sanctificantem, & prouidentiæ curam, eiusdem speciei, licèt intensiores, cum illis, quas accepit in prima sanctificatione, vel diuersæ speciei. Si eiusdem: ergo non poterunt effectus specie diuersos producere, quales in vinculis, & morte fomitis imaginamur. Probatur: quia gradus eiusdem qualitatis intensiores (etsi demus hos gradus specie differre) intendunt, sed non mutant effectum totalem: ergo effusior gratia, & profusior prouidentiæ cura, ligatum appetitum arctiùs constringerent, non occiderent. Ergo aut vtrobique occisus, aut vtrobique ligatus dicendus fuit. Suppono enim cum Suar. hic, vtrobique prouidentiam requiri.

652. *Et confirmatur.*

Confirmatur; quia ex doctrina D.Thomæ, fomes nihil est aliud, quàm appetitus effrænis, & quodammodo expeditus ad prauum, de priuatione originalis iustitiæ hos motus olim cohibentis: sed hic appetitus, quouis minimo gradu gratiæ in id designatæ, adstante: sola minima, vt sic dicam, diuinæ prouidentiæ curâ, non rebellaret in prima sanctificatione Mariæ, eodémque modo se haberet quoad hoc, atque post Incarnationem Christi: & è contra, si per impossibile Deipara, totâ illa gratiâ, & prouidentiâ, quas accepit ex incarnato Verbo spoliaretur postea; statim appetitus ebulliret: perinde se habens, ac se haberet, si ipsa Virgo in primo sanctificationis statu consistens, gratiâ illa, & prouidentiâ minore nudaretur: ergo aut vtrobique mortuus erat, aut vtrobique ligatus existimandus. Patet: quia vtrauis gratiâ, & prouidentiâ amotâ, vel admotâ; idem effectus aut tollitur, aut ponitur. De prouidentia requisitâ, quam addo, vide Suar. disp. 4. sect. 5. §. *Cùm ergo.*

653. *Fomes quidè aliter alligatus, aliter mortuus, non capitur.*

Secundum illud membrum principis antecedentis, has gratias, & prouidentiæ curas esse diuersæ speciei; nullus facilè concedet: tum, quia plenitudo gratiæ, quę superuenit in Mariam tempore Incarnationis, tanquàm eiusdem naturæ, physicè præhabitam intendit: tum, quia de prouidentiâ metaphoricè eodem modo loquendum est. Habuit ergo Maria quoad hoc iustitiam originalem, longè quàm in protoparentibus excellentiorem: inque Virgine fuit Natura nostra priscis illis natalibus restituta. Neque dicas cum Caietano hic, (contendente, vincula, ab appetitus morte condistinguere,) non omnia ad Mathematicos calculos redigenda: sed rationes pro hac materia de congruitate ponderandas. Ego enim totam Mathematicam euoluerem, ne in Matre Deiparâ ligatum aliquando fomitem asseuerarem. Benè est: Caietanus nullum non mouet lapidem, vt Sancti Magistri honorem, quem putat, tueatur: nos vt Sanctissimæ Reginæ verissimum honorem tueamur, iustos commouere calculos prohibemur? maximè in re clara, cuius contrariū de vinculis, vel morte fomitis, nō percipitur.

Fauet nostro philosophandi modo, ni cæcutio, Vrbanus Pontifex IV. in metapr. Ps. 50. tomo 1. Biblioth. *In hoc autem considero, & suspiro iustissimam condemnationis sententiam tuam, Deus, quam in Adam, & in eius posteros, ratione illius inobedientiæ protulisti: quòd, videlicet, non est aliquis, si post Baptismum vixerit in hac carne, qui non ab huius hostili concupiscentia affligatur: nisi fortè ineffabili miraculo, ab omnipotentia tua, Deus, lex peccati, quæ est in membris, in eo penitùs extinguatur: quod valdè magnum priuilegium est paucorum.* Quasi fomes, quantumuis esset ligatus, semper affligeret, ni penitùs extinctus reputaretur. An ergo in Maria, licèt non mordentem, attamen latrantem fomitem relinquemus? Et benè additur, in aliquibus ineffabili miraculo priuilegij *extinctum* fomitem: ita enim loquendum est propriè, in aliis. At in Maria, non solùm non ligatus; sed nec propriè extinctus dici potest. Neque enim extinguitur, & moritur, qui nunquam vixit: in Deiparâ autem, originalis iustitiæ priuilegio præuentâ, fomes nunquam vixit, vnde nec propriè in illa extinctus dicendus est. Ideò cautè D.Thom.Villan.Conc. 3. de Natiu. de hac re scribēs sic habet: *Sine omni fomite peccati formata est.* 654. *Vrban.IV.* *Thom Vill.*

Restat examinandum, an probabilia sint, quæ Neoterici, de ardentissimâ in Virgine charitate, in hac quæstione denuò excogitarunt. Igitur non solùm culpæ fomitem à Virgine penitùs amandant; sed etiam virtutis fomitem excogitant, quo Caro Mariæ contra Spiritum (si per impossibile iste deprauaretur) rebellaret, & sanctè belligerans pro virtutum iure decertaret, castis stimulis in vitiorum odium, Spiritum allectans: ac denique, quo difficilia laboriosæ legis diuinæ opera, non solùm sine tędio, sed etiam cum voluptate amplecteretur. Non potest negari piisimè ista excogitata, & probabiliter: quid tamen mihi in hoc placito difficile occurrat, obiter aperio: vt ab alio feliciter, obstaculis his amotis, honor (quod vnicè opto) Deiparæ clarior eluceat. 655. *Fomes virtutis an dari queat.*

In primis, quod aiunt, potuisse appetitum Virginis ex proprio genio, & ingenio propendere ad bona virtutis; cùm nihilominùs eiusdem sit speciei cum nostro; idque exemplo *gustus* cōfirmari, qui 656. *Prima difficultas contra virtutis fo-*

tem. contrario argumento impugnato. qui cùm in omnibus sit eiusdem speciei, in Petro amara, dulcia verò appetit in Antonio; in his allicitur legumine, in illis carne; quin tamen illi, aliquid superadditũ videatur: hoc, inquam, nõ ita videtur planũ: simile enim argumentũ, in oculis, & odoratu poterat efformari, (nam quidam viridanti, alij purpureo, phœniceo nonnulli magis delectantur: illi simplici florũ, illi condito magis vnguentorum odore alliciuntur: sed nihilominùs nullum dabis sensum, qui omnia sua obiecta nõ respiciat, & applicata percipiat. Possunt oculi mei candido obiecto magis delectari: sed tamen & nigrũ, & cæruleum, & cæteros, quosuis percipiunt colores. Idem de aliis sensibus philosophãdũ. Ratio est: quia hic visus A, v.g. si sic candori determinaretur, vt nulla ratione possit tendere ad nigredinẽ; non esset eiusdem speciei cum visu B, quo singuli ferimur in diuersos colores: coloratũ enim vt sic vagè, aut præcisè sumptum; & album determinatè; plusquàm specie differunt, & potẽtias specie diuersas necessariò determinabunt: quia non solùm materialitas, sed formalitas tendendi, cum negatione alterius, hic omninò diuersa est. Sic appetitus Marię ad sola obiecta virtuti deseruientia, naturâ ipsâ determinatus, specificè cum nostris conuenturus non videtur. Sed quid, inquis, si eiusdem speciei indiuiduis, proprietates specie diuersas tribuamus? Liberũ id, & à primo huius placiti inuentore etiã improbabile iudicatum. Nec tamen, quanuis daretur, vrgeret satis.

657. *Secunda.* *D. Basil.* Deinde D. Basilius pro hac re adductus, quòd Carnẽ Virginis sanctitate diceret conglutinatã, non videtur fauere: aut enim omnes alij Patres (& sunt innumeri, qui Mariæ Carnẽ sanctam, & benedictã dixerunt) hanc debent trahi ad mentẽ; quod tamen præsumptuosius videtur: aut reuerà Basilius eandem cum illis admittit explicationẽ, de fomite per originalẽ munditiem sublato. Ratio esse videtur: quia fomes iste virtutis denuò excogitatus, si possibilis est, nobilior intelligitur, quam quoduis aliud moderamen appetitus sensitiui: ergo etiã in Christo ponendus à fortiori. Sed nullus Patrum, neque Doctorum, ni fallor, Christo virtutis fomitem attribuit: ergo coniecturaliter possumus suspicari, hunc fomitem sub naturali carnis temperamento esse fictitium.

658. *Tertia.* Subdunt deinde, hunc modum temperamenti non esse impossibilẽ: imò ęquè Deo facile, vt, qua ratione permisit fermentari appetitum aliorum hominum ad prauam concupiscentiam; sic vellet imbutum esse, & propensum ad virtutem, reluctantémque iniquitati eum appetitum, qui Deiparæ adhæsit. Sed in hoc loco, & sæpè alibi, videntur loqui hi Authores cum gustu ad falsissimam, & antiquatam opinionẽ asserentem, à culpa Adami dimanasse aliquid in corpus illius, instar morbidæ qualitatis, indéque in posteros, vnde appetitus fermentaretur ad malum: quod placitum nullus Theologorum hodie non abhorret. Sed transeat modus loquendi. In re, dicitur post culpam fermentatus ad malum appetitus noster: quia, dum anima originali iustitiã spoliatur, ille sibi relictus, bona carnis licèt virtuti contraria, tãquam obiecta propria affectat: vnde ergo eiusdem naturæ sit cum nostro, is appetitus, qui hæc obiecta praua naturaliter abhorreret?

659. *Quarta.* Neque neruosius, quod additur, moris esse apud Scholasticos, vt habitus, & facultates actiuas tueantur, pro his actibus, qui sæpè, & benè patrandi sunt: sicque factũ in Mariæ appetitu, ne sæpius ad miracula recurratur, præseruando Deiparam à leuioribus. At ego miraculũ miraculorum vnum constituo in plenitudine illa gratiarũ Mariæ concessa, cui deinde attentissima Dei prouidentia suo iure assistebat. Scholastici non cõcedunt habitus contra ipsam potentiæ naturã; sed vincendis operationis difficultatibus: habitus verò ad virtutem inclinans, isque solius appetitûs, atque eidem naturalis, naturam non iuuaret, sed mutaret radicitùs.

Tertium argumentũ adhuc inefficacius videtur: nam, quòd varia sint hominũ ingenia, quòdque Cato fuerit naturâ ipsâ ludicris auersus, Augustus pacificus, Lucretia casta, &c. nõ rectè infertur, potuisse Virginẽ Beatam, horum, & similium omniũ morum naturaliter esse compendiũ, cum negatione cuiusuis sensualitatis, vt suprà dixi. Deinde, vnde poterũt probare, has omnes bonas in priuatis materiis indoles priscorum, nunquã in contrarios actus erupisse, aut saltẽ motus contrarios non sensisse: Imò ego vtplurimùm de Ethnicis iurarẽ, vehementiori vanæ gloriolæ appetitu, affectus centies prauos nõ tam repressisse, quàm dissimulasse. Negari tamen non potest, ad aliquas virtutes naturales, pro varietate subiectorũ appetitus nostros esse quandoque inclinatos; sed ad aliquas, vt dixi, nõ ad omnes: carnalisque necessariò aliquid appetet carnale, si sibi relinquatur: imò illa ipsa inclinatio ad aliquã determinatã virtutem naturalẽ, sępè contrario affectu temeratur, vt quotidiana discimus experientiã. 660. *Quinta.*

Quod quartò ponitur, appetitum corporeum subiectum esse posse habituum bonorũ, vel malorum, quibus benè, vel malè circa proprias passiones afficiatur, licèt perfectam moralis virtutis rationem non habeant: hoc, inquam, (esto esset verum,) non tam videtur ad rem: ponuntur enim habitus ad bonum iuxtà, & malum, non ad solum bonum, quod de Maria dicitur: hæc enim est præcipua difficultas: quomodo sit eiusdem speciei cum nostris, ille appetitus carneus, nunquam carnalis, sed totus vndique quodammodo spiritualis: cuique omnimodæ sanctæ inclinationis habitus sint necessarij. 661. *Sexta.*

Addunt, dari habitus in appetitu sensitiuo, iuuantes vsum earum virtutum moralium, quæ soli voluntati hærent. Certum hoc; non tamen tale, quod inferunt: Ergo Maria primo instanti habere potuit per naturam, quod alij consuetudine acquirere potuerunt. Quanuis enim daremus, ita euenisse circa aliquos habitus; non tamen circa omnes concedi potest, vt dixi. Præterea non hinc probatur infallibilis virtutis fomes: ipsi enim contendunt, fomitem hunc bonum in Maria, & malum in nobis, in solo appetitu esse, & residere; vel ipsum esse appetitum, nihilque à voluntate participare: ergo nullum est, nec assumi debet argumentum ab illis habitibus, qui vim, & deriuationẽ sumunt à volũtate; & vtplurimùm contra ipsius appetitus geniũ, eidẽ de imperatis actibus ingeruntur. Adde, donũ tantum incongruè videri Virgini concessũ, quin illo ad rationẽ merendi vti posset: quòd si nihil in voluntate haberet, nihil ab illo meriti sortiretur: quanuis enim falsissimum sit, vt optimè docet hic Doctor Angelicus, necessarias dicere 662. *Septima.*

Mariæ

Mariæ tentationes fomitis, vt de victoria esset gloriosior: tamen certissimum puto, has tentationes non tam vincere, quàm si per impossibile venturas, auertere: sic præcognitas, intra meriti terminos circuncludi. Si ergo, vt debellandæ ab appetitu nihil à voluntate pendere prænoscerentur, quà tales nihil meriti cumularent. Dixi, *quà tales*: quia actus necessarius aliunde, de liberà complacentià fit meritorius.

663. *Octaua.* Tandem, id, quod volunt, (vt probent, hunc Virginis fomitem de naturali sympathiâ cum rationali voluntate, ad difficilia, & aspera, non solùm pronè, sed cum voluptate anhelasse,) appetitum sensitiuũ posse extendi ad Dei beneplacitũ, si illi non spirituali, sed corporeo modo obiiciatur: difficile est, & dictis minùs consequens videtur. Difficile: quia vix capitur, (quidquid cũ aliis velit Suarius ad 3. p. q. 18. a. 5.) vnde phantasia possit apprehendere bonum spirituale, quantunuis modo corporali. *Suar.* Nunquid mens nuncios suos illi mittet? Ast linguam spiritualis mentis phantasia non capiet: quoniam enim ista, barbara sua phantasmata, & menti imperceptibilia solet immittere, indigemus intellectu agente, (non est opus à passibili distinguamus,) qui ab illis interpretes alios formet spirituales, mẽti percipiẽdos. Nunquid ergo datur phantasia agens, quæ spirituales nuncios interpretibus commutet sensibilibus? Nouum, sed à prædicta sententia, non ita absonum. Sed de hoc animastico cõmercio non est hic locus. Solùm aduerte, Suariũ, & sequaces tenere expressè, non posse hoc verum esse de ipso appetitu se mouente, sed moto per voluntatem. Tunc sic: Ergo, qui nihil huius boni fomitis prædicti ponunt in volũtate, non poterunt explicare, vnde appetitus iste ad Dei beneplacitũ, & aspera moueatur. Respondebunt fortasse, etiam in Virgine appetitum à voluntate moueri: (& certè ita necessariò videtur dicendũ: aliàs frustrà vtrinque ponerent sympathiam:) ergo iam ex parte voluntatis aliquid ponitis, quod rationem sancti fomitis ingrediatur: quod hucvsque negabatur. Hæc dicta sunto pro mente totius Art. D. Thomæ. Veniamus ad singula.

664. ET QVANVIS HÆC POSITIO.] Concedit S. Doctor, digniorem futuram Deiparam, si in prima sanctificatione extinctũ penitùs fomitem sortiretur, quàm si ligatũ. *Probatur Maria absque culpa fomite.* Meliùs tamen dicendũ, de facto non ita euenisse: quia derogat Christi dignitati, si aliqua caro, priusquàm illa Christi, sine fomite appareret. Possem dicere cũ mille Patribus, Carnem Christi, & Mariæ, vnam, eandémque fuisse: & sic in Matre non aliã, quàm ipsius Filij Carnem fuisse à fomite præseruatam. Sed hoc magis mysticè pium, quàm solidè verũ putabit aliquis. Premo ergo arctiùs. Dignior persistit anima sanctificante gratiâ mundata; quàm caro peccati fomite purgata: nimirũ, quia longè dignior pars hominis, & nobilissimâ affecta qualitate; sed, quin Christi animæ derogaretur, imò de eiusdem meritis, & ad illius gloriam, mille ac mille animæ ante illã fuerunt sanctificatæ: ergo non derogabit Christi Carni, imò ad eiusdem dignitatẽ conducet, quòd eiusdẽ meritis Mariana Caro (quam assumpturus erat) ablato fomite priùs eniteret. Confirmatur: quia per D. Thomam infrà, honor Matris in Filiũ redundat: ergo non derogatur Christi personæ, quòd in persona Matris præhonoretur. Liberè igitur conceditur, potuisse, & decuisse aliquos per fidem ante Christum, spiritu sanctificari: non tamen decuisse, vt carne sanctificarentur.

Videtur dicta infringere ibi Caietanus, qui D. Doctoris discrimen probat, & laudat hoc modo: 665. *Refellitur Caietanus.* *Ex dissimili affectu salutis carnalis, & spiritualis à Christo, dum causam tangit, scilicet, secundùm spiritum, & secundum carnem, consequentiã probat: consentaneum quippe rationi est, vt, sicut salus spiritus per spiritualem modum fit, (per fidem, scilicet, quæ est etiam futurorum;) ita salus carnis carnaliter quoque fiat; ac per hoc à Carne sanctâ suâ ipsâ naturâ, qualis est absque dubio secundum omnes sola Christi Caro.* *Caietan.* Hæc tamen doctrina plùs apparentiæ habet, quàm soliditatis. Quæro enim, cur Anima Christi futura inde glorificatur, quòd spirituale fidei principium, in spiritus salutem, sc prioribus mereretur: at Caro Christi infamaretur, si futura congruum salutis principiũ carni cõmunicaret? Nam certè nollet Caietanus, carnem nostram Carne Christi formaliter sanctificari; (sicut nec anima nostra formaliter per Christi Animam sanctificatur;) cuius proinde præsentiam requirat necessariò. Tunc sic: Ab Anima Christi futura decorè communicatur salus spiritualis per spirituale principium, fidẽ, scilicet, charitate formatã: ergo absque indecoro à Carne Christi futura, sua illa, vt sic dicam, carnali salute caro gaudebit.

Oppones: De facto ante Christum, sed eiusdem meritis dabatur principium salutis spiritua- 666. le, fides, scilicet, & gratia: & tamen non dabatur principium aliquod carnale, quod in Carne Christi erat constituendum: ergo bona explicatio Caietani, ad populum phaleras. *Et adhuc pressius.* Dicas, amabo. Illa Caro Christi præsens per Incarnationem (de Eucharistia aliter res venit ponderanda) communicatne aliquid carni iustorum, quod prioris sæculi iustis non communicarit? Nihil assignare audebis. Vt ergo modò per principia spiritualia animæ inhærentia, caro denominatur sanctificata: sic & olim: ergo eius præsentia non requirebatur: ergo verũ est dicere, vtranque nostrã partem, decorè vtraque parte Christi futuri eius meritis sanari. Tunc sic ad rem: Caro nostra congruè sanctificabatur per Carnẽ Christi futuram: ergo, quamuis excellentiùs, & ablato fomite, Caro Mariana eiusdem meritis potuit sanctificari: si enim absolutè non repugnat sanctificari carnem à Christo futuro; cur repugnabit excellentiùs sanctificari?

ET IDEÒ SICVT ANT.] Probat S. Doctor conclusionem suam: quia, sicut nullus an- 667. te Christi resurgentis gloriam, immortali carne donatus fuit: ita nec ante Carnẽ Christi purissimè conceptam, debuit Carne purâ ab omni fomite potiri. *Iterum refellitur Caietanus.* Quod ibi sic illustrat Caietanus: *Videre etiam potes, quàm consona ratio allata sit: tũ, vt primum in vnoquoque genere sit causa aliorum: tum, vt principiũ, & consummatio rei correspondeãt sibi. Salus carnis consummatur per immortalitatem, inchoatur per sanctitatem eiusdem carnis: & quia constat, primam carnẽ immortalem fuisse Carnem Christi, (quia ipse est primogenitus mortuorum;) consonum est, vt eius Caro fuerit etiam prima Caro sancta.* Etiam ista, pulchra magis, quàm vera: ideò statim hinc mathematicas rationes cupit relegatas: & quidem, si ad decentiã tantùm vult confugiendum,

confugiendum,& consonam congruitatem;nihil decentius, nihil congruentius dici potest,quàm id honoris Deiparæ exhibendum, & totum, vbi repugnantia, aut contraria fides non appareat. Iam ad rem: si primū in vnoquoque genere est causa aliorum, id est, ab illo primo cætera dependent: cur Caro Christi primitùs sancta fit, vt sit causa cæterarum sanctarum carnium: & non idem de Anima Christi dicitur respectu animarum? An magis Caro Christi carnalis sanctitatis causa est, quàm spiritualis sanctitatis Anima Christi? Nugæ. Ergo prima fuit Caro Christi ordine intentionis, & dignitatis; sicut & eius Anima: & Christus vtrinque causa sanctificationis nostræ: non tamen ad id opus erat, vt in carne omnibus præexisteret. Quod additur, principium, & consummationem rei debere sibi correspondere; si per omnia id velit, caducum est, & ridiculum. An principia publicani Matthæi, Apostoli fini; aut finis latronis Iudæ, principiis Apostoli responderunt? Et in re nostra: cur Christi Anima, quæ omnibus priùs animabus habitualiter beata, non etiam omnibus priùs sanctificata? At sanè multò arctiùs animæ per gratiam sanctificantem debetur gloria, quàm carni absque fomite, incorruptio: gratia enim semen est gloriæ; non ita caro pura incorruptionis: quoniam homines in statu innocentiæ gloriam per gratiam: at incorruptionem, non per carnem puram, sed per arborem vitæ sortiebantur. Vt ergo reapse principium, & consummatio in Anima Christi nō correspondent; sic in Carne Christi non correspondebunt.

668. Iam verò cur non deceret, vt vlli ante Christum Caro immortalis daretur, quamuis alicui ante illum concessa foret caro mūda? Causa est: quia, vt benè notauit hîc Suarez disp. 4. sect. 5. incorruptio ad terminum pertinet, non ad viam: in termino autem, nullus, priusquàm primogenitus, debuit collocari. Id probabili coniecturâ confirmabis: quia in re Iuris, licèt multa præuia ad possessionem per seruos, & ministros debeant, & soleant patrari; tamen ipsa possessio (ni obstat aliqua priuata ratio, & impedimentum) à domino, cuius est ius, potissimùm initur. Sicut ergo primus hominum Christus habitualiter fuit beatus mente: sic etiam fuit primus carne incorruptus: nisi quòd ab ipsa Conceptione beatus, licèt viator: incorruptus verò post resurrectionem; quia in primo instanti beatitudo hominem Deum decebat; incorruptio verò passuro non conueniebat. Vt verò non derogat gloriæ Christi, vt Angeli priùs tempore ante illum beatificarentur: sic non derogat, vt Regina Angelorum ante illum Carne mundâ collucceret; hæc enim munditics non terminum importat, sed viam.

Cur Christi Caro prima immortalis.

Suarez.

669. QVIA NON STATIM HABVIT, &c.] Hanc doctrinam abundè iam Virginis assertores impugnarunt. Et quidem, quamuis forent vera cætera de peccato originali Deiparæ contracto, quæ in hac quæst. scribit D. Doctor: adhuc mihi in hoc loco veniret necessariò deserendus. Ratio est: quia omnes ferè Patres Ecclesiæ, vsum rationis Baptistæ adhuc in vtero concedunt: non ergo soli Christo hoc priuilegium conceditur. Vidit difficultatem Caietanus: nec ausus est negare, Ioanni, saltem pro breuissimo illo exultationis tempore, vsum rationis concessum. Quòd autem tacitè conatur interpretari S. Thomam de priuilegio absoluto, & perpetuo, ex ipso Conceptionis instanti; tantùm est conamen: quid enim noui adderet S. Doctor negans Deiparæ in ipso Conceptionis puncto rationis vsum, qui illam iam ibidem culpâ præfœdarat? Aduerte etiam, Caietanum in cap. 1. Lucæ, vbi se à Magistro liberiorem existimabat, non ausum fuisse hoc donum in Baptista asserere transitorium: sed rem sub dubio relinquendam tutius iudicasse. Ex his omnibus sic argumentor pro Deipara. Ex doctrina D. Thomæ hîc art. 1. maiora Mariæ priuilegia debentur, quàm seruis: sed Baptistæ in vtero ex communi Patrum sensu, vsus rationis adscribitur, idque secundùm multos permanenter: ergo Mariæ maius aliquid est concedendum, vt à Conceptionis initio hunc vsum sortiretur.

Baptista vsū rationis in vtero accepit.

Caiet.

Ergo à fortiori Maria.

Ecquem vsum, inquis, rationis accepit Maria? Eum planè, quo potuit esse Beata in ipso Conceptionis instanti: sic ratio illuminata, vt agnoscendo Deo per modum transeuntis, primas visionis lineas deduceret. Probarunt hoc iam alij. Vide præ omnibus Salazar cap. 32. §. 4. à num. 47. Sic etiam num. 68. vbi eruditè satis agit de concordantia meriti parthenici in illo primo instanti, cum hac clara Dei visione. Ego iam breuiter hanc materiam suprà attigi. Vnum verbum addo, quod ex doctrina D. Thomæ, ni fallor, faciam probabile. Doctor Angelicus ad Epist. 2. Cor. cap. 12. scribens, Paulum in corpore, sed sensibus alienatum, raptum fuisse ad cælum, sic subdit: *Paulus vero dicitur raptus ad tertium cælum: quia sic fuit alienatus à sensibus, & sublimatus ab omnibus corporalibus, vt videret intelligibilia nuda, & pura, eo modo, quo vident Angeli, & anima separata; &, quod plus est, etiam ipsum Deum per essentiam, vt August. expressè dicit 12. super Genes.* &c. *Nec est etiam probabile, vt Moyses, minister veteris Testamenti ad Iudæos, viderit Deum: & minister noui Testamenti ad Gentes, & Doctor Gentium hoc dono fuerit priuatus: vnde dicit ipse suprà 3. Si ministratio damnationis fuit in gloria*, &c. *De Moyse autem, quòd viderit Deum per essentiam, patet*, &c. Multi de Paulo, & à fortiori de Moyse adhuc dubitant, qui tamen de Maria non dubitabunt. Admissâ tamen hâc doctrinâ D. Thomæ, & ex eiusdem præmissis superiori num. fundamentis, sic ad rem meam arguo, nec imbelli, vt videtur, ratione: quia hic modus aptissimus præseruationi Virginis intelligendæ: cùm à vidente Deū, Dæmon, & culpa omninò sit remota. 670.

Maria in Conceptione vidit Deum.

Salazar.

D. Thom.

Paulus de excellentiori ministratione, quàm fuit illa Moysis, (qui Deum vidit,) efficaciter vidisse Deum comprobatur: sed longè excellentior præcelluit Paulinæ Mariana ministratio, quàm Paulina Mosaicæ: ergo efficaciùs hinc comprobatur Maria vidisse Deum. Dices, esse ministrationem illam alterius ordinis, scilicet, ad doctrinam, & Orbis institutionem. Fateor: at non negabis ministrationem B. Virginis ad maternitatem, esse ordinis superioris, & longè excellentioris: ni fortasse dixeris, maiorem esse Apostoli, quàm Matris dignitatem: ergo deridiculum est, hoc priuilegium digniori negare, quod minùs dignæ conceditur ministrationi. 671.

Id probatur.

Hoc

Hoc sanè nemini non planissimum videatur. Tunc sic ad præsens institutum: Ex D. Thoma art. 1. citato, maiora in quouis genere gratiæ priuilegia debentur Matri Dei, quàm seruis: ergo in hoc genere non solùm illustrior, & extensior, atque diuturnior visio Mariæ datur; sed etiam acceleratior. Probo sequelam: Priuilegium fuit accelerare, etsi obiter, Moysi, & Paulo in via, nec dum in patria, beatitudinem: ergo maius priuilegium fuit Mariæ, quòd acceleratior ipsi hæc beatitudo festinaret. Inde sic infero: Ex doctrina D. Thomæ, Mariæ Matris dignitas, sicut & visio beata, est quodammodo infinita: ergo debetur illi infinita quodammodo excellentia huius accelerati priuilegij præ cæteris: ergo & à Conceptione illud accepit. Probo sequelam: Quia, cùm celeritas infinita Virgini debeatur quodammodo, statim vt Virginem potuit consequi, certe consecuta: ideò cùm ab æterno, & tempore antecedente non expediret, decuit, vt tempori Conceptionis non tardaret.

672. Hæc satis pro Maria vidente Deum. Nunc iterum ad quæstionem articuli, de vsu rationis illi non denegato, sic argumentor: Angeli, & Adam, quoad bonum, in primo productionis instanti vsum rationis obtinuêre, vt cum Doctore Angelico sentiunt Theologi: ergo à fortiori meliùs hoc priuilegium Mariæ concedetur. Dices, ibi naturaliter rem euenisse: hic autem in corpore infantili, & vterino miraculum requiri. Ecquid inde? Cur miraculum erga Deiparam factum denegabimus? Certè non est impossibile hoc miraculum, vt nemo negat, & ipse fatetur D. Thomas hic art. 6. in corp. vbi ait, si fortè Ieremias, & Ioannes habuerunt in vtero vsum rationis, *hoc in miraculis habendum diuinæ potentiæ.* Benè ergo miraculo miraculorum Mariæ, miraculum hoc concessum existimatur. Nota verò, concessum illud Moysi, & Paulo, ab Angelico Doctore priuilegium, à pluribus Thomistis negatum, inter quos videtur esse ibidem Caietanus, dum dicit, Paulum non vidisse, sed audiuisse per modum doctrinæ: & tamen Discipulorum nomen non amittunt: ergo, quanuis ego è contra concedam Deiparæ, quòd illi, in hoc articulo, & aliis D. Thomam denegauisse dicitur; adhuc ingenui Discipuli gloriam retinebo.

De vterino vsu rationis in Maria.

D.Thom.

673. Speciale privilegivm Christi.] Gemma notandus hic locus contra Doctores, qui nos perperam, & repugnantia locutos volunt, dum Mariam immunem ab omni debito ponimus; idque speciali priuilegio factum dicimus: arguunt enim, priuilegium propriè esse, quo aliquis à lege communi comprehensus, à lege excipitur: si ergo Maria priuilegium habuit, lege fuerat comprehensa. Sed hæc accipiendi priuilegij restricta notio, quàm sine fundamento sit, optimè præ aliis probauit Perlinus dist. 12. cap. 1. tu lege: & adde hunc locum S. Doctoris, vnde sic mihi deduco argumentum: Anima Christi in infantili Corpore, propter supereminentem hypostaticæ vnionis gratiam, nulla lege tenebatur, quominùs vsu rationis priuaretur: & tamen hic vsus rationis in vtero speciale priuilegium Christi dicitur à Doctore Angelico, idque optimè: ergo, quanuis Maria nulla lege teneretur; propriè tamen immunitatis priuilegium adepta prædicabitur. Sed ad rem.

Priuilegium quid propriè.

Perlin.

Postmodvm verò, &c.] Quærto, an dignior proles esset, & potentiorem se ostenderet, si priusquàm veniret, præpararet sibi mansionem; an si à sordibus, & vinculis fomitis, ipso suo aduentu liberaret? Et quidem ingenium Dei, vt latissimè suprà ostendi, multò ante disponit illa, quibus est vsurus: ergo absque id dignius est, & congruentius ingenio diuino, quod illi in more positum intelligimus. Deinde sic argumentor: Maria à Patribus charta purissima scribendo diuino Verbo; vestiendo Agno cælesti lana mundissima appellatur, vt infrà plenis Anthologiis declarabo: sed purior esset charta, si nullâ culpæ liturâ, nullâ fomitis decoloratione vnquam spargeretur; lana mundior, si nullo vtriusque veneno decolori inficeretur: ergo nunquam ligatum, sed semper omninò ablatum habuit fomitem culpæ, cúmque ipsa culpa amandatum: maximè, quia antecedens munditiês, in Filij honorem, & decentiam redundat incarnandi: at verò munditiês Incarnationem subsequens, magis Matris declarat ornamentum: minùs enim congruè parares tibi hospitium, postquàm domum ingrederis conspurcatam: cùm posses ante ingressum, mundissimam inuenire. 674.

Maria puritas.

Ad primvm.] Mors, vt communiter volunt Theologi, ita est homini e limo formato naturalis, vt etiam in statu innocentiæ grassatura; nisi natura nostra arboris vitæ fructibus præmuniretur. Hinc est, vt ideò mors ab Scriptura dicatur peccati pœna: quia per peccatum, arboris vitæ vsus hominibus interdictus. Hæc est communis doctrina, etiam Doctoris Angelici calculo confirmata. Videndus Salazar cap. 41. à n. 8. qui benè infert, Mariam mortuam fuisse, non iure naturæ vitiatæ, cui arbor adempta ob culpam; sed iure ipsius naturę fragilis, ipso suo genio obnoxio corruptioni. Cur autem noluerit Deus Mariam fructu vitali, aut quouis alio modo illæsam à morte conseruare, satis vbiuis inuenies declaratum: nec enim decebat, vt Mater Filio Deo mortuo non assimilaretur. Quia tamen in hac responsione (prout procedebat propositum initio argumentum) videtur supponere quidam, Virginem vtpote infectam culpâ indidem morti fuisse obnoxiam: & ex Mariæ morte plures alij inferunt peccatum; de gloria Marianæ mortis amœniùs in Anthologiis disputabo. 675.

Mors quàm naturalis.

Salazar.

Hæc satis de Examine huius art. vbi ex principiis D. Thomæ, qui fomitem vult ligatum abundantiâ gratiæ, & curæ prouidentiâ, contendi probare, hæc vincula ab extinctione non distingui. An verò aliis modis ita ligatus possit dici fomes, vt non intelligatur extinctus; non est è re mea disputare. Vide Suarium ibi.


Periocha Examinis.

Deipara competentem originalem iustitiam inuenit. Congruè in Conceptione dicitur vidisse Deum, vt inde omnis culpa remotissima intelligatur. Scribendo diuino Verbo chartam exhibuit purissimam: sicut mundissimam lanam Agno cælesti vestiendo. Eius mors vndequaque gloriosissima.



ANTHOLOGIA XI.

Maria competentem iuſtitiam originalem acquiſiuit.



§. I.

In Deipara (non per phantaſticam legis fictionem, ſed per ſolidam gratiæ veritatem) natura humana integrè eſt natalibus reſtituta in integrum.

676. QVID non moueat pietas magnæ Matris! Non ſolùm illius honori deſudat Theologia, ſed etiam Iuriſprudentia allaborat. Edidit nuper in lucem Iuriſconſultus piiſſimus pariter, & doctiſſimus D. Franciſcus de la Cueua pro immaculata Conceptione vernaculam à Iure petitam propugnationem: vbi adductis aliis affert etiam l. *Interdum*. l. *Patrono*. ff. de natal. reſt. contenditque, hæc in remedium inuenta, nec poſſe, nec debere Mariæ accommodari, quæ longè nobilior intelligitur, ſi natalium reſtitutione non vtatur; hæc enim reſtitutio, maculę ſupponit abolitionem: at Deipara nunquam habuiſſe maculam reputanda. Deinde fideliter tranſuerſus ſic concludit: *Semper leges his terminis vſæ ſunt, ſupponentes fictionem, & impropriètatem: adeò vt aliquando, contradictoriam ingenuitati haberent reſtitutionem.* Hucvſque ille, & veriſſimè. Ego tamen aliunde, non Mariam; ſed in Maria naturam noſtram, natalibus puto optimè reſtitutam, cùm hic nulla fictio Iuris, ſed tota gratiæ veritas intercedat. Non reſtituitur Maria; quia nunquam puriſſimâ natalium caruit libertate: at in Maria, natura ab Adamo fœdata, dum pura vernat, ſuo modo natalibus reſtituitur. Vnde clarè Deiparam originali iuſtitia gauiſam deducemus.

Nataliū reſtitutio, quid ſit.

De la Cueua.

677. Rem totam vt percipias, aduerte. Multis olim modis libertas à ſeruis comparabatur: aut, ſcilicet, per Conſulis, & Prætoris vindictam: per dominorum manumiſsionem, & alapę inflictionem. Hi licèt poſteà quouis honore fungerentur, quouis decorarentur ornatu: quinimò licèt iure annulorum aureorum gauderent: nunquam tamen ſeruilem maculam deponebant, niſi Principis beneficio ad natales, in quibus olim omnes homines liberi naſcebantur, reſtituerentur: beneuola enim quadam legis fictione, reducebatur ſeruus, aut libertinus ad eum ſtatum, in quo omninò ingenuus naſceretur. Tenet id apertè Scæuola l. 3. ff. de nat. reſt. *Quæris, an ingenuitatis iure vtatur is, quem ſanctiſſimus, & nobiliſſimus Imperator natalibus ſuis reſtituit? Sed ea res nec dubitationem habet, nec vnquam habuit quin exploratum ſit, ad omnem ingenuitatis ſtatum reſtitui eum, qui iſto beneficio Principis vtatur.* Lege Fabrum Semeſt. 2. cap. 1 1. vbi etiam ex Marciano Imperatore affert, vocari hæc ſeruitutis natiuæ maculam, *decolorem*: credo, quia niſi per nouos natales meliori colore affici non poterat, quin ſemper infami næuo obſcuraretur. De hac macula capiendus ibidem textus l. 5. non tam de ſeruo, quàm de libertino: *Libertinus, qui natalibus reſtitutus eſt, perinde habetur, atque ſi ingenuus natus medio tempore maculam ſeruitutis non ſuſtinuiſſet.* Nullo ergo modo decentiùs natura noſtra ab Adamo ſeruiens, in integrum ingenuitatis reduci poſſe videbatur, quàm ſi natalibus, per originalem iuſtitiam integris, reſtitueretur.

Libertas olim ſeruis quomodo irrogata.

Scæuola.

Faber.

Hoc eſt beneficium illud, quod Christi merito conceſſum iuſtificatis prædicatur. Accedentibus ad Iordanem Iſraelitis, *ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcētes, &c. quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt.* Ioſ. 3. n. 16. Ad primum Sacerdotum tactum ſciſſę sūt aquæ: nec dubium admittēdo integro populo, inferioribus vndis defluentibus, ſuperiores non ſolùm ſtetiſſe; ſed etiam retrorſum fuiſſe cōuerſas, idque intelligendum ſuppoſuit ſacer ſcriptor. Admiratur miraculum Dauid, & exclamat: *Quid eſt tibi, mare, quòd fugiſti: & tu, Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Pſ. 113. n. 5. Sed, quid hoc eſt, ſapientiſsime Propheta? Vides aquas obſequio præſtito properantes ad mortem, nec timētes: parum id. Vides alias tumentes in montem, in aëre ſuſpenſas, perceptæ obedientiæ repagulo obfirmatas, nec miraris: & ſolummodo quòd refluant, quòd conuertantur retrorſum, obſtupeſcis? In his aquis melioris aquę myſterium recognouit, in qua, ſummum miraculi beneficium, hic recurſus. D. Ambroſ. Serm. 23. comparans Baptiſmum Iordani, ad hunc locum: *Illic introeunte Iſraëlitâ in aquam, fluminis vnda ſuperfugit: hîc deſcendente in fontem Chriſtiano, criminum peccata diffugiunt. Et mirum in modum, illic retrorſum conuerſus fluuius in originem ſuam reuertitur: hîc in poſterū reuocatus homo in originis ſuæ infantiam reparatur. Ibi fontem ſuum, de quo egreſſa fuerat, vnda perquirit: hîc hominem ſuum, à quo exierat, innocentia recognoſcit. Ibi exinanitur alueus fluctibus: hîc euacuantur corda criminibus. Ibi, vt ſeruos Dei, illic aqua cœnoſa non madidet: hîc vt famulos Dei cōſciētia terra nō polluat: Iordanis enim quidē eſt fons lauacri, per quē qui trāſierit relictis ſordibus Paradiſū repromiſſionis ingreditur.* Quaſi hoc ſit sūmū in Baptiſmo acceptū beneficiū, quòd origini noſtræ (in qua liberi naſceremur) reſtituamur, ne vltrà decolori macula cōſciētiæ terræ fœdaremur: in illud innocentiæ redacti, vt medio tēpore maculā ſeruitutis non ſuſtinuiſſe videamur. 678.

Ioſue 3.

Iuſtorum libertas natalibus reſtituta.

Pſal. 113.

Ambroſ.

Nimirum, euenit olim miraculum prædictum, fœderis arcam Iordane reuerente. Agedum, ô Iordanis iam felicior: Arca viua, Chriſtus Dominus, ecce nunc ad te properat baptizādus: *Venit Ieſus à Galilea in Iordanē ad Ioannē, vt baptizaretur ab eo.* 679.

Idem confirmatur.

Matth. 3.

Matth. 3. n. 13. Non præcipio, fugias, vt olim: (cur enim ingenti fauore tangẽdi Saluatoris defraudetis?) attamẽ signo aliquo maiestatem præsentem venerare, iam murmura in laudes, tremorem vndarum solitum verte in exultationem. Et tamen cessas? Ni fallor, stupidus, si fas est dicere, erat fluuius: & illorum, quæ præsagiebat, admiratione suspensus. Viderat, se olim ante Arcam retrorsũ conuersum: modò ante Christi conspectũ, ibi nobis Baptisma præparantis, & lauacrum sanctificantis, retrogressura crimina cognoscit. Ad Eliæ imperiũ, in fontes suos se meminit refluentem: at in integros, puræ originis natales, ad imperium Christi homines reuersuros obstupescit. Ergo sui oblitus non denegat Creatori obsequium, dum eius operi pendit stuporẽ. Dedit ansam Ambrosius Serm. 21. qui saltem præcipuum intentum apertè declarauit: *In Iordane igitur baptizatus est Dominus: multa mirabilia in hoc flumine sæpius facta esse Scriptura commemorat, inter cætera dicens: Et Iordanis conuersus est retrorsum. Puto autẽ esse mirabilius, quod Domino Iesu Christo ibi posito factũ est: antè enim retrorsum aqua conuersa fuerãt: modo retrorsũ peccata cõuersa sunt. Et sicut tunc impetus fluminis alueũ sui cursum perdidit: ita & nunc impetus peccatorum dominum sui erroris amisit. Quod quidem in Propheta Elia iam illo in tempore factum puto: sicut enim Elias in Iordane diuisionẽ fecit vndarũ: ita & Spiritus Domini in eodem Iordane separationem operatus est peccatorum: ille stare fluenta præcepit, hic crimina. Et, sicut sub Elia fluctus primordia fontiũ, de quibus exierant, petiuerunt: ita & sub Christo Domino, homines ad originis suæ infantiã, de qua fuerant exorti, sunt reuersi.* Annon hæc vera, absque vlla fictione, natalium restitutio?

Ambros.

680. Venit Christus virginitatis vexillũ erecturus, & inter cæteras hanc præcipuè virtutem corruptissimo aliàs Orbi illaturus. Hinc est, vt Apostolos suos, aut virgines elegerit, aut saltẽ purissima castitate donaret prædicaturos. Ergo quis non miraretur, Apostolã, vt sic dicam, & aduentus sui prædicatricem Samaritanam fœminam turpitudinis nota expediisse? *Venite*, ait illa ad conciues, *& videte hominẽ, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid ipse est Christus?* Ioan. 4. n. 29. At, dices, sic mundauit illã, vt aduentus virginei, virgo quodãmodo veniret nunciatrix. Virgo? Et vnde tam inaudita, & subita mutatio? Quia eam aquã viuam, id est, talem cælestis gratiæ accepit plenitudinẽ, vt rediuiuã natiuitate priscâ, id est, integris natalibus restitutis, ad innocentiam, nedũ ad virginitatem iterũ deueniret. D. Ambros. Serm. 30. post multa alibi data, ad hunc locum, sic concludit: *Hæc virtus Christi est Domini, vt, quamuis peccator, qui eius vnda se lauerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit antè, quod fecerit; & rediuiua natiuitate, infantia innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat; sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.*

Pœnitentia quodammodo restituit innocentiam.

Ioan. 4.

Et virginitatem.

Ambros.

681. Viro illi, qui ab adolescentia sua omnia legis præcepta adimpleuerat, dixit Christus: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. n. 21. Sed, quot alij fuère olim viri perfectissimi, vt Abraham, qui spiritu pauperes; reapse tamen bonorum suorum dominio se non abdicarunt? Cur ergo viro isti realis diuitiarum omnium denudatio præcipitur ad perfectionem? Credo, quia illa perfectio homini parabatur, qua integris natalibus restitutus, integri Adami cõditionem sortiretur: nudus degebat innocens Adamus in Paradiso: omnibus ergo iste denudandus, vt iterum accola Paradisi habeatur. Iterum Ambros. ibi Serm. 10. *Usque adeò enim nuda virtus apta est cælo, vt, quamuis iustus, quamuis sanctus, aurum, vel diuitias possidens, nõ possit esse perfectus: talem enim voluit adolescentem illum Dominus ad Paradisum redire, qualis Adam fuerat de Paradisi sublimitate deiectus: nudus enim Adam incola Paradisi fuit.* Ad originem iterum deduceretur, si nudus ab his caducis bonis abduceretur.

Matth. 19.

Paupertas spiritus innocentiam restituit.

Ambros.

Sed hi omnes, imò potiùs in his omnibus natura nostra ita integris natalibus restituitur; vt tamen nunquam in integrum restituatur. Vna est Maria, per quã natura in integrum felicitatibus priscis reducta fuit: quamuis enim aliqua, quæ in Adamo fuerant, non haberet, vt immortalitatem, laborũ immunitatem, similiáque alia eiusdem, id est parui ponderis, vtpote quæ Orbi redimendo, passiui Redemptoris Matri non expediebant: at culpæ immunitatẽ, & originalis gratiæ plenitudinem eam accepit, vt non solùm cum protoplasto decertaret, sed illũ mille, ac mille numeris superaret, excellentiùs longè hinc cõpensans ab anima, quæ naturalis felicitatis corpori ad mysteriũ defuère. Ratio in promptu est: quia, licèt non phantasticâ legis fictione, (quod in humanis euenit, vt vidisti;) sed solida gratiæ veritate natura imperfectis intermedij tẽporis seruilem maculã aboleat: tamen illud nescio quid, posse, nimirum, de illa dici, *seruiuit per culpam saltem originalem:* id quidem inextinguibile est, nullis donis, nullis honoribus, aut muneribus resecabile. At, quomodo in integrũ restituatur, cui licèt innocentiæ bona redeant; at innocentiæ integritas perfectissima, & ab omni culpa immunitas, post culpam, redire non potest? quomodo in restitutionis statu, qualis fuit, talis esse dicatur natura: cùm tamẽ ibi illud minùs puritatis habeat, necesse sit? 682.

Iustitia originalis Mariæ, qualis.

Vna ergo, vna est Deipara, per quã plenissimè natura restituitur: vt, sicut in prima protoparentũ origine absque vlla præterita macula se gratiæ vidit insertã; sic in Maria originis purissimę, abũdantiùs gratiæ sine vlla præcedente macula inseratur. Est hoc illud Cant. 1. n. 15. vbi Christus ad Matrẽ: *Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra es.* Quorsum enim iste repetitionis recursus, nisi vt aliter Maria pulchra, quàm iusti, non solùm de intensiori gratia, sed etiam de modo participandi intelligatur? Isti pulchri tantummodo de gratia: Maria pulchra de gratia, imò cæteris longe pulchrior: & iterum pulchra, quia nunquam, vt illi, aliquid maculatũ sortita est. Honorius ibi: *Pulchra virginitate, pulchra fœcũditate: pulchra in virtutibus, pulchra in operibus, pulchra hic laude hominũ, pulchra in cælis laude Angelorum. Pulchra bis prædicatur: quia sine interiori maculã dealbatur.* Hunc Authorem apertũ pro Concept. dedi alibi. 683.

Vna Maria originalem gratiam inuenit.

Cant. 1.

Honor.

Ex his iam inferes, quàm meritò cõpetens originalis iustitia Mariæ, quoad digniores effectus, tribuatur: cùm enim status integer (in quẽ Deus, prout decuit, voluit naturã in Matre restitutam) maximè originali iustitiã gauderet, nõ potuit hęc deesse illi, per quã felicissima restitutio obtinetur. Quo dato iam euidens fit, nullum in Maria peccati vnquã fomitem fuisse: cùm frænum illud aureũ, quo inferiores potentiæ in officio subditæ 684.

Maria Christo similis, natura nostra restituenda.

omninò

omninò tenebantur, præcipuus originalis iustitiæ effectus habeatur. Tunc pio, nec indecoro circulo quodammodo de origine pura ablatum fomitem comprobamus: & de ablato fomite originem purissimam amplius confirmamus: vt in integrum restituta natura agnoscatur. At, qua, inquis, proprietate natura quodammodo genitrix, & protoparens in filia Maria dicitur restituta? Eo modo, quo ex omnibus patribus natura nostra in Christo dicitur sanata, de quo suprà latè, & paulò pòst nonnulla dicam: licet in Filio Deo, & homine longè excellentiùs, quàm in Matre purâ creaturâ. Et quidem meritò: vt, quemadmodum statim ipsis mundi incunabulis, in viro, & fœmina seruitutis hanc maculam decolorem subiuit natura: sic per virum, & fœminam libertas ingrederetur. *Libertas*, inquam, nobis: at integritas in his duobus, in quibus protoparentes reformantur.

685. *Antiqua Maria.* Cape in hanc rem locum tritum Bernardi, sed nondum de mysterij plenitudine excussum adhuc ab aliquo, quem viderim. Producto Adamo, addit Deus: ***Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.*** Genes. 2. n. 18. *Genes. 2.* Sperares alium hominem producendum Adamo similem: & tamen fœmina, sexu saltem, dissimilis formatur, per quam miser homo inducitur ad peccatum. An ergo non foret melius Adamo, fuisse solum? An illi hæc societas bona iudicanda? Pende mihi non dici ***bonum*** Adamo; sed ***bonum*** absolutè: quia, licèt occasionaliter Eua incentiuum Adamo peccati fuerit: at ex hoc peccato occasionaliter, &, vt clamat Ecclesia, ex hac felici culpâ quodammodo, Christum tantum, ac talem habemus Redemptorem. Bona ergo, quadam ratione, Eua saltem naturæ humanæ: quia nunquam Deo in vnitate personæ iungeretur, si non foret peccatum. Bona Eua naturæ humanæ: quia propterea in Mariâ ipsa natura purior radiatura, quàm in statu integro radiasset. Cur ita? Quia non solùm in vtroque sexu corrupta, per vtrunque sexum reparatur: sed ita reparatur, vt Adamo reformato in Christo, Eua in Maria, longè meliùs splendescat. Nunc iam Bernard. *Bernard.* Serm. de B. Mar. & verbis Apoc. ***Prudentissimus, & clementissimus artifex, quod cassatum fuerat, non cõfregit: sed vtiliùs omninò refecit: vt, videlicet, nobis formaret nouum Adam ex veteri; Euam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidẽ & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, hominem esse solum: congruum magis, vt adesset nostra reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset.*** Audis vtiliùs Adamum patrẽ in Filio Christo reformatum: vtiliùs Euam matrẽ in Mariam Filiam transfusam. Nihil hoc est aliud, quàm in illis naturam non solùm in integrum, sed etiam in melius restitutam. Aptissimo exemplorum confirmo.

686. Iam terra è nihilo eruperat, iam obediendo dominico præcepto aures arrigebat, cùm audit: *Genes. 1.* ***Germinet terra herbam virentẽ, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, iuxta genus suum.*** *Peccati corruptio qualis.* Genes. 1. n. 11. Vbi meritò addubitat Ambros. Hexam. 3. cap. 10. quomodo secundũ genus suum terra proferre semina dicatur: cùm plerunque semina iacta degenerent: &, cùm bonum triticum fuerit seminatum, decolor eius species, & inferior forma reddatur? Et respondet aptissimè: *Ambros.* ***Hoc si quando accidit, non ad translatiorẽ generis, sed ad ægritudinem quandam, & inæqualitatem videtur esse referendum: non enim desinat esse triticum, si aut, austrigine aduratur, aut imbre madidetur: sed à specie magis, quàm genere, colore, quàm corruptione mutatur.*** Heus tu, caue hìc genera, & species Logicas intelligas. Vult ergo Ambrosius, contractã a pestilenti Austro, aut imbre noxio ægritudinem semini, qua non tam naturæ genus mutant semina, quàm speciem, id est, formam: neque quoad essentiam corrũpantur; sed solùm quoad coloris, & pulchrioris qualitatis conditionem. Sic natura nostra è semine Adami proueniens, non essentiam corrupit; sed pestilenti afflata austrigine, inditæ gratiæ perdidit venustatem. Nunc iam optimè ad rem præsentem, sic addubites.

687. Sempérne macula ista fœdati semel seminis duratura? Nunquámne inflicta ista plaga persanabitur? Minimè, nisi per gratiam. Audi iterum *In Christo, & Maria natura restituitur.* Ambrosium ibi: ***Denique frequenter madidata frumenta in sui generis speciem reuertuntur, si aut Sole, aut ignibus torreantur; aut diligentibus cõmissa culturis, aeris temperie, terrarúmque feracium vbertate foueantur.*** *Ambrof.* Hic modus felicioris cuiusdam plantationis, longè excellentior: Sole enim, aut ignibus tosta frumenta sanantur quidẽ; sed sempe aliquid necessariò perdidisse congenitæ sibi qualitatis præsumuntur: at vbertate nouæ glebæ dum denuò renascuntur, natiuam omninò resumunt qualitatem. Et quid inde, inquis, magnum, pro præsenti nostro instituto? Id optime vidit Ambrof. sic concludens: ***Itaque reparatur in sobole, quod degenerauerat in parente.*** *Ambrof.* Sanamur nos quidẽ diuinæ gratiæ radiis, cælestis amoris ignibus conceptis: at in Christo, & Maria (quamuis aliter) quodãmodo è meliori terra renascens pullulat natura, toto, imò & meliori ornatu natiuo compta, è gratiæ gremio non post culpam, sed ab ipsa origine reproducta: sic reparatur feliciùs in sobole, quod miserè in parentibus degenerarat: sic natura non solùm integris natalibus; sed etiam in integrum, sine vllo ingeniti honoris dispendio, imò summo cum fœnore restituitur.

§. II.

Bono nostro naturam olim captiuam Christus manumittit: sic & Maria, idque in Christi decorem: huius aluus, cur singulari modo alueus appelletur.



688. EQVIDEM non decebat, res aliter eueniret, nisi vt natura in Virgine in integrum natalibus integris restitueretur: id est, vt Maria nunquam, vel minimam pateretur labem: quandoquidem per Virginẽ, sic natalibus post seruitutẽ restituimur, vt quò id nobiliùs fiat, nobísque splendidiùs, natura in nostri gratiam manumittatur. Hoc vt capias, iter aduertendũ, restitutionem nataliũ, vtpote summũ in hac materia beneficiũ, difficiliùs olim cõcedi illi, qui ex ancilla natus erat, quàm libertino: nullique decentiùs cõmunicari, quàm illi, qui ingenuus natus, posteà incidit in seruitutẽ. Colligo apertè ex l. 1. ff. sup. cit. vbi Vlp. ait, à ***Principe natalibus suis restitutum eum, qui se ingenuum*** *Vlpian.*

Natalium restitutio vnde cõdignior.

genuum natū Principi affirmauit, si ex ancilla natus est, nihil videri impetrasse. Hinc erat, ni fallor, vt Romani ancillas quandoque grauidas manumitterent, vt fœtus iam liberiores, & penè ingenui nascerentur, quibus postea beneficio Principis plenam natalium restitutionem facilè impetrarent. Sic olim explicabam Stat. lib. 2. Syl. 1.

Seruorum libertas vnde filiis vtilior.

Stat.

Charus vterque parens, atque in tua gaudia liber,
Ne quererere genus.

Hoc ergo Christus Dominus, hoc Mariā ministrans in nostri gratiam peregerunt, vt priusquàm ederemur, naturā parentem manumisisse videantur, quò defæcatiores nati, ingenuis natalibus restituti agnoscamur. Et quorsum, inquis, hæc? Vt natura, eo modo, quo dixi, omninò immaculata intelligatur in Virgine, per quam in nobis saltem abolitā maculā iam libera, & pridem quàm nos gigneret, honestè manumissa decoratur. Nunquam natura in Deiparā, absque iustitia fuit originali, per quam, quoad fieri potest, naturæ nostræ origo sic mundatur.

689. Ab inani Ethnicorum multiloquio auersurus Christus Apostolos suos, inque eis orandi modū fidelibus exhibiturus, sic præcipit dicendū: *Pater noster, qui es in cælis*, &c. Matth. 6. n. 10. Verba quidē, quæ illis tandem dicenda videbantur tantūmodo, qui per Baptismū renati, formata fide per gratiā à Deo in filios adoptabantur. At ecce tibi Apostoli, & ab illis Ecclesia, Catechumenis suis nihil inter priora suggerit suauius, quàm vt dominicæ orationi assuescant, (licèt alij aliter putent,) & Patrem Deum identidē repetere discant baptizandi. O quid agis, Ecclesia? adhuc hos in vtero foues? (sic loquūtur Patres:) adhuc instituēs formas, donec felici partu illos Deo exhibeas per Baptismum? Cur ergo iā Deum vocabunt Patrē, qui nec dum filij? Vt summa Dei pietas intelligatur, quæ nondū renatos per gratiam baptismalem; sed adhuc in vtero existentes, iam suauiter in filios adoptabat, ingenuos asserebat. At vnde ingenui, qui à natura ancilla oriebantur? Falleris: ex quo Verbum seruilis naturæ nostræ indiuiduam suscepit portionem, & illam ipsis Angelis puriorem; tota natura nostra sic visa defæcari, vt quodammodo manumissa, iam in statu libero penè ingenuos nos edat; sic integris natalibus restitutos, vt nihil à pristinæ seruitutis ortu maculatum retinere existimemur. Pulchrè Chrysol. ad hunc locum Serm. 72. *Et quidem Deitatis erga nos dignatio tanta est, vt scire nequeat, quid potissimùm mirari debeat creatura: vtrùm, quòd se Deus ad nostram deposuit seruitutem, an quòd nos ad sua diuinitatis rapuit dignitatem. Hinc est, homo, quòd te diuinitùs adhortatur, qui tanto nunc tuo amore flāmatur, quòd, adhuc in vtero, voce tua te Deus adoptat in filium: quòd te non fieri filium liberum vult ille; sed nasci: quòd ipsam propter te manumittit naturam, ne quem næuum, ne quam maculam imponat ortus pristina seruitutis. O vos beatos, quibus dominari datum est, antequàm nasci: antè regnare, quàm viuere: antè ad Dei Patris gloriam peruenire, quàm prosapiam propria vilitatis agnoscere.*

Matth. 6.

Natura ipsa propter iustos manumissa.

Chrysol.

690. Destinatur ab æterno Baptista in Christi præcursorem: & dum natura auida remedij, tota ad formandum Præconem Redemptoris sui fœcundanda videbatur; in eiusdem parētibus sterilescit. Patrem longæuitas, matrem ingenita infœcunditas, & ista senectute depressior suscipiendæ proli impediebāt: *Non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Luc. 1. n. 7. At, cur, inquis, cùm ad Christū sic fœcundaretur natura, vt etiam in Virgine germinaret in partum: ad Ioannem præuium, sic tota sterilescit? Vt in Ioanne ostenderet, quid erga alios illa sibi relicta exercere vellet ab initio: dū enim ad tantum in vtero sanctificandum se exhibet sterilem; omninò erga priores omnes sterilem se cupiisse protestatur. Ait, vnde sterilitatis tam cupida natura? Quia pia, nolebat edere seruituti, & morti, quos, ni in Adamo delinqueret, vitæ generaret. Nunc capies Chrysol. Serm. 87. ponderans, qualis hæc per Christi exortū redderetur: *Felix, quæ, vt in Deum cresceret, in senibus sic defecit natura: felix, quæ sterilitatis damna virgineā fœcunditate mutauit: felix, quæ vno concepit in partu, quidquid in toto Orbe confundere deplorabat: felix, quæ facta est vitalium germinans Mater, quæ erat antè origo miseranda mortaliū: ad dolores pariens, cum dolore: ad gemitus edens, cum gemitu: ad pericula producens hominem, cum periculo generantis: & in ipso ortu occasum nuncians per lamenta, & lacrymas: semper deuorans* (lego, demorans) *partus suos, sciens se tātis mœroribus generare morituros. Pascebatur ergo sterilitate magis natura, ne ipsā fœcunditate grauiùs desæuiret, fletus potiùs editura, quàm pignora. Quæ vtique lacrymis, mœrore, gemitu, tanto tempore suū quærebat, & interpellabat authorem: intelligens hoc sibi accidisse per culpam, non esse ab authore piissimo institutum, cùm crearetur.* Vnde visa in naturæ solamen, sanctificatio Pueri accelerari.

Baptistæ priuilegium, in sanctificatione, quasi timida natura consolanda.

Luc. 1.

Chrysol.

Sed quid, inquis, acquisiuit natura, orto Christo, quod eiusdem futuri meritis olim non obtineret? Nónne priùs anteà sanctificabantur pueri, peccata condonabantur, licèt vberiùs, & excellentiùs id modò per Sacramenta nostra fiat? At longè aliam natura nostra per Incarnationis mysterium peractū, obtinens dignitatem: longe aliter erga edendos filios visa se habere: quia enim in Christo, iam homo quidam, Deus est: tota natura visa in libertatem asserta manumitti: vt à fonte purgato, vndæ fluant puriores: vt à Matre libera ingenui omninò per gratiam enascamur, ne quem næuum, ne quam maculam ortus imponat pristinæ seruitutis. Chrysol. proximè citatus: *Hinc est, quòd Dominus, Conditor ipse naturæ, viam virginei cōceptus, virginei partus inuisibili vestigio, & ignoto calle pertransit, & iter humani ortus diuino gressu ambulat, non humano: vt nascendo, ipsam naturā à seruitute mortis primitùs liberaret: & fonte purgato, supernam riuulis redderet puritatem.* 691.

Incarnatio actualis Christi quantum proficiat.

Chrysol.

Hæc fontis comparatio refricauit memoriam fontis Ierichuntini, quem suprà haustum, huc iterum reseruaui hauriendum. Erant igitur aquæ fontis pessimæ, vnde & terra ieiunans sterilescebat. Accipiens itaque sal Eliseus, *egressus ad fontē aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ vsque in hanc diem.* 4. Reg. 2. n. 21. Et cur vsque in hanc diem? Sanentur aquæ, quæ tunc in fonte erant, cur aliæ influxuræ posteà absque noua benedictione persanētur? Nimirū, benedictus vterus est, curata mater: quidquid inde veniret posteà, iam sanum, atque gratum existimandum. Neque vanū, quod ibi legunt Septuag. *Exiens Eliseus ad transitum aquarum.* vel, vt alij vertunt, *ad exitus aquarum.* 692.

Exemplo reprobatur.

4. Reg. 2.

Septuag.

Vt

Vt non solùm in fonte, sed etiam in scaturigine, vnde posteà ad fontem influxuræ benedicerētur: priúsque benedictio in illas, quàm illæ in fontem suum peruenirent. D.Ambr.Serm. mihi 88. *Non enim sola tum fluenta benedixit Eliseus, quæ fontium iam gremio tenebantur: sed & illa, quæ humido terræ solo adhuc indiscreta, paulatim erant in posterum defluxura. Vnde ait Scriptura, ad exitus aquarum benedixisse Eliseum: vt stillantem aquam priùs sanctificatio susciperet, quàm sinus fontis includeret.* Vt dum indiscreta adhuc aqua, id est, limosa, terræque commixta, iam sana, & mortis, sterilitatísque libera intelligitur, in causis suis præcellentiùs curata recognoscatur. D.Ambros.

693. De eodem plura. Simile quid, & fortè huc alludēs, voluit Chrysologus humano naturæ fonti euenisse: vt, dum illa curatur in Christo, siue per Christum, iam inde supernâ gratiâ comite puriores flueremus: vt dum naturæ vita cōmunicatur, mors abigitur: in matre iam tunc filij viuificarentur. Idē Chrysol.Serm.143.fin. *Per peccatum primi hominis natura graue vulnus accepit: & cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc est ergo negotiū natiuitatis, quæ nasci compulit Christum: vt naturæ curam natiuitas daret authoris: & naturæ curatio, esset viuificatio filiorum.* Hinc coniectabis, quàm pura, quàm innocens, quàm diuinioris cuiusdam iustitiæ originalis particeps sit natura nostra in Christo, per quē in nobis, & ad nos iā accedit manumissa: quam in integrū, imò in melius integris in illo natalibus restituatur: per quē in nobis ingenuitatis particeps accedit. Idem ergo argumentū suo modo, & debita proportione formandum pro Maria, cui patres similes hos effectus, sanandi, & manumittendi nobis naturam solent attribuere. Huc faciunt, quæ suprà multa dixi de Maria Corredemptrice, gratiarum fonte, fausta regenerante. Sed in rem præsentē alia coniungamus. Chrysol.

694. In Visitat. Mariæ. Explicatura Maria id, quo maximè in sui amorem Deum pellexerat, vt ab illa carnem sumere dignaretur, sic dicebat admirabundæ cognatæ: *Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc.1.n.48. Respexit? Imò aspexit Dominus; &, si fas dicere, ipse virtutem ingentem, quam dederat, suspexit. Eáne Maria, quæ non semper ob oculos diuinos posita, quæ quasi post tergum dimissa, respicientem potiùs, quàm aspicientem Dominum admitteret? Maria quidem semper inspecta est: at in Maria totum genus humanum fuit respectum; nempe, per Deiparam, vniuersa natura nostra olim spreta, & quasi deiecta post tergum, diuinam propitiationem, id est, filialem, quam amiserat, libertatem recuperauit; & per huius restaurat humilitatem, quod per priscam superbiam decoxerat. Benè ergo respici Maria, atque eius humilitas dicitur: quia per ipsam spreta conditio nostra feliciter manumittenda respiciebatur. Non aliter capiendus Venerabilis Hugo Victorin.lib.4.in Luc.ad hunc locum: *Quia de respectu gratiæ in hoc loco agitur, diligentiùs adhuc, qualiter per gratiam Deus hominem respiciat, consideremus: nam ipsum vocabulum respectus, quandam expressionem notat, vt plus aliquid esse videatur respicere, quàm videre. Quasi enim respicere, est, priùs abiectos, & derelictos visitare: nam, quasi auerti ab homine tunc Deus dicitur, cùm per districtionem iudicij, gratiæ suæ dona subtrahit: cùm verò placatus per misericordiam subtracta restituit, rursum per respectum gratiæ ad eum se conuertit. Benè ergo Maria sola in se humilitatem Dominum respexisse testatur: quia Diuinitatis propitiationem, quā humana natura in primis parentibus per superbiā perdidit, in Maria per humilitatē recuperauit.* Luc.1. Hug.Vict.

Neque fortasse sine pulchra allusione, hæc propitiatio, per quam natura nostra per gratiam, libertatem recuperat filiorum Dei, *respectus* appellatur: nosti enim in verbo *respiciendi* fauorem Deorum apud Ethnicos importari. Dat multa Cerda ad Virgil. loco statim citando: cui adde Quintil.Decl.5. *Tandem miseros fortuna respexit.* At signatè Deam libertatem colebāt cognomento *Respicientē.* Huc allusit Virgil.eclog.1. 695. Libertas respiciens, quæ. Cerda. Quintil.

Libertas, quæ sera, tamen respexit inertem, Virgil.

Respexit nos vera libertas per Mariam: sanè, quia nihil in illa fuerat captiuitatis: recuperat natura in Maria, quod in protoparentibus perdiderat. Ac si, quemadmodum ab istis, nos omnes edidit captiuos, captiua: sic à Mariâ iam libera nos omnes deinde ederet ingenuos. An ergo originali iustitia spoliaretur, quæ spoliatam naturam, quantùm fieri decuit, origini restituit?

Et vt id obiter notem, gratis dicitur derogari Christo, dum Mariæ originalis iustitia irrogatur: imò puto, turpissimum foret Christo, si à matre quouis captiuitatis næuo maculatā ederetur. Fusissimus de hac re suprà dixi: cape in præsentem materiam pauca, quæ supersunt. Diuinum fuit, mysticum, & mirum, somnium illud Ioseph: *Vidi per sōmum, quasi Solē, & Lunā, & stellas vndecim adorare me.* Genes.37.n.10. Quod tamen, primo aspectu, insomniū quidem poterat iudicari: quomodo enim illud impleri poterat, si iam tunc multò antè quàm Ioseph esset ad thronum euectus, & pridē quàm somniaret; mater eius (cuius, vt fert Scriptura, typum Luna gerebat) somno mortis oppressa in Ephratæum tumulum deuecta fuerat? Respondet tamen acutè ibi Lyranus: *Dicendum est, quòd ipsa in se non adorauerit; sed in prole sua, scilicet, in ipso Benjamin.* Quia sic pro eodem mater illa cum filio reputabatur, vt pro eodem habeatur seruilis illa Benjamin adoratio, quàm si in illo Rachel ipsamet seruiens adoraret. Cohærentior adhuc Christus Mariæ, quàm Racheli Benjamin. Sic pro eodem reputantur, vt vice versa Matris seruitus Filium videretur obligare. At, cur, si ex filio seruiente, seruientis Rachelis cōditio deprehēditur; ex Christo libertatis Imperatore, maxima Matris libertas non coniectetur? 696. Christus à Matre ancilla, seruus diceretur. Genes.37. Lyran.

Certè, vt captiuitatis pathemata in Maria dedecus ferrent Christo: sic eius libertas, & fomitis immunitas, attulit illi decus, & ornamentum: adeò vt videatur nostro concipiendi modo, crescere in Christo dignitatem peragendo negotio redemptionis, ex eo, quòd dignissimam Matrem sortiretur: præbit huic cogitationi Bernardus, exinde declarandus. Timebat sibi Iacob à matris consilio, ne fortè pro benedictione optata ferret maledictionem: ad quem tunc illa: *In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam.* Genes.27.n.13. Tunc hœdorum pelliculis manus, collíque nuda protectum benedictioni accipiendæ dimisit securissima. Sed vnde securitas tanta in re plena aleæ, grauidâ periculo? Nouerat Rebecca, Iacobum suum à Deo electum, séque in parando ministerio, my- 697. Matris honor Filium decorat. Genes.27.

sterio seruientem, à culpa immunē, & propterea maledictionis incapacem: vnde filium aliàs dignum secura emittebat, noua adhuc dignitate de pia Matris diligentia cumulatum. Erat Iacobus (quod nemo ignorat) in hac re Christi typus, mortali carne induti, & tota similitudine peccatorem exprimentis: tunc sic Bernardus Serm. 28. in Cantic. *Noui, quòd sis lenis natura, mitis, & humilis corde, blandus aspectu, suauis spiritu, & quidem vnctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vnde ergo nunc instar Esaū pilosus, & hispidus? Cuiusnam rugosa, & tetra imago hæc, & vnde hi pili? Mei sunt: nam pilosa manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris: meos agnosco hos pilos, & in pelle mea videbo Deum Saluatorem meum. Non tamen Rebecca sic illum induit: sed Maria, tantò digniorem, qui benedictionem acciperet, quantò sanctior, quæ peperit.* Quasi sicut Iacob dignus etiam à matre sancta: sic à sanctissima Parente dignior Christus: non quòd reuerà Dei Filius aliquid dignitatis peragendo negotio à Maria mutuaretur: sed, quia, si à quauis creatura aliquid dignitatis Christo posset accrescere, id solùm à Mariâ (talis erat, tam omni à maledicto immunis) prouenire potuisse intelligeremus. Et quidem si *digniorem* explices pro *decentiori*; longè decentior Dei Filius ab hac Matre purissima, & immaculatæ Carnis pelliculas exhibente; quàm si ab aliquando maculata nasceretur.

Christi dignitas si crescere posset, cresceret à Mariâ.

D. Bernard.

698. Posses fortasse putare, non fieri a Bernardo comparationem digni Christi, cū se ipso digniori (eo modo, quo diximus) à Mariâ: sed dici Christum tantò digniorem Iacob, quantò Maria sanctior est Rebecca. Id tamen si voluit S. Abbas (quod non plenè ad eius mentem) satis Mariæ explicuit excellentiam. Laus tamen etiam suo sale explicanda: in infinitum enim magis præstat Iacobo Christus, quàm Maria Rebeccæ: pulchrè tamen infertur, eam distantiam inter sanctitatem Mariæ, & reliquarum fœminarum esse, quæ, quantùm res patitur, accedat ad distantiam, quæ inter Iesum, & reliquos viros omnes intercedit: ita vt infinita propemodum videatur: ita vt à Filij gratia, veniat etiam Matris gratia mensuranda: ideò Cellens. de Pan. cap. 9. *A quo est mutuanda gratia, vel accipienda, nisi ab eo, qui plenus veritate, & gratia, natus est de Matre gratiâ plenâ.* Quæ verba suprà fusiùs expendi. Maneat igitur, non minui Christo, quod Matri additur: imò potiùs maternâ gloriâ Christum condecorari. Nunc iam redeamus ad intentum, quo probamus, per Virginem naturam nostram manumissam, & liberari, prisco statui fuisse restitutam.

Maria gratia Christi gratia mensurāda.

Cellens.

699. Sunt mira in hanc rem verba illa Christi: *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina sata tria, donec fermentaretur totum.* Luc. 13. n. 20. Attentionem captauit primis verbis: & dum visus dubitare, inter multa, quæ suggerebantur, cui maximè cæli regnum compararet, maximam in adducta similitudine quæsitam expressionem declarauit. Regnum Dei in Euangelio vocauit Christus, aduentum suum: cùm enim se in Spiritu Sancto eiicere Dæmonia comprobaret, & inde se legitimum Messiam concluderet aduenisse; sic subiunxit: *Igitur peruenit in vos regnum Dei.* Matth. 12. num. 29. Sed, quid, inquis, venienti Verbo, cum fermento? aut vbi massa, tanto digna fermento? Nota responsio Chrysologi: *Maria huius fermenti implet typum, similitudinem prafert, consignat figuram: dum de supernis suscipit fermentum Verbi, & humanam carnem in aluo Virginis, imò in alueo Virginis cælestem totam conspersit in massam.* Relinquo, quæ alij iam ad hæc verba: tu mihi pende, non vtcunque, *carnem humanam*, sed expresse *totam* carnem humanam in aluo Virginis, *cælestem in massam* conspersam appellari: quia per Mariam, relictis terrenis sordibus, cælestes propemodum euasimus, vt à cælesti Adamo simus & cælestes. Hæc S. Doctor Serm. 99.

Luc. 13.

A Maria cælestes sumus.

Matth. 12.

Chrysol.

Hanc esse Chrysologi mentem mihi persuadent, tum verba statim citanda, tum scopus Christi, qui vtplurimùm de aduentu suo ita disserebat, vt illum, per ordinem, ad vtilitatem nostram, explicaret. At in hac similitudine eò etiam summoperè respexit: vt quantùm magnæ Matri deberemus, ex illa Sole clariùs agnoscamus: cur enim cùm posset fermenti, & massæ conspersæ meminisse, expressam voluit mulierem ministrantem: nisi vt nosceretur sic nobis ab hac muliere vitam condiri, & salutem; sicut à prima mors, & morbida concupiscentia condita fuit? Chrysol. idem: *Vt mulier, quæ confecerat panem gemitus, & sudoris; panem vitæ coqueret, & salutis: & esset omnium viuentium mater vera per Christum; quæ erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob id nanque Christus nasci voluit, vt, sicut per Euam venit ad omnes mors: ita per Mariam rediret omnibus vita.* An ergo decens, vt aut peccato mortua, aut morbida fomite veniret Maria, per quam ab his omnibus liberatur natura, vt iam viui, & salui gratiæ restituamur? 700.

Maria Antiena.

Chrysol.

Sed priùs quàm ad alia deueniam, in Deiparæ honorem, aperiendus Chrysologus. Quid, quæso, discriminis inuenit S. Doctor inter *aluum* Virginis, & *alueum*: cùm inter Authores classicos, has voces indifferenter pro eodem vsurpantes, vix appareat? Posses dicere, *alueum* de naui dici frequenter, de qua, quanuis dici possit, rariùs tamen *aluus* dicitur: vnde, cùm Maria, vt supra latè dixi, sit nauis institoris de longè portans panem suum: meritò cùm de pane Christo sermo est; non solùm *aluus*, sed etiam *alueus* Virginis celebratur. Aliquid, licèt magis paralogicum, fortasse non contemnendum hic addiderim. Vna est *aluei* significatio, quæ nusquam (si rectè memini) *aluo* attribuitur: qua denotat tabulā lusoriam latrunculorum; id est, *Tablero de axedres.* Quid ergo si hac significatione Marianum vterum *alueum* vocarit acutissimus Pater? In alueo quidem cādidis, nigrisque diuersicoloribus calculis colludimus, & grato artificio calculi festiuè commiscentur: at Angelorum candida innocentia, & hominum denigrata conscientia, in vtero Mariano commixta quodammodo, dum communem ibi habuêre Redemptorem, illi, vt dixi, præseruantem, isti medicantem, pulchram hanc varietatem contexere videtur. Videamus nonnulla, ad Chrysologi acumen, & institutum nostrum pariter confirmandum. 701.

Alueus quid.

Maria vterus cur alueus appellitur.

Vnitatem gentilis populi, & Iudaici in Christo celebratam describens Paulus, sic subiungit: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum; & medium* 702.

Ephes. 2.

medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua. Ephes. 2.n.14. At quorsum tam necessaria hæc vnitas nostra in Christo, nisi vt mediâ charitate vniatur Ecclesia nostra militans, & inde triũphali Ecclesiæ reuniatur: sicque ex hominibus, & Angelis felix quædã mixtura, grex Deo iucundissimus resultet? Id tantùm mihi considera, in *Carne* Christi fieri pacem istam: quia, ex quo Angelorum Dominus, hominum Carnem sumpsit, necessariò gratũ inter Angelos, & homines commercium intercessit. Ast vbi Caro ista, nisi in Mariano vtero assumitur? Ibi, ibi in Christo Angeli, atque homines copulantur: ibi nigredo nostra angelico candori commiscetur: vt inde humanæ naturæ massa, in cælestem, id est, angelicam innocentiam, vt volebat Chrysologus, inspergeretur. Didici ex D. Epiphanio Orat. sæpè citatâ ad Mariam: *Per te, ô sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissoluit: per te pax cælestis data est mundo: per te homines facti sunt Angeli: per te homines facti sunt amici, serui, & Filij Dei: per te homines meruerunt esse conserui Angelorum, & cum eis familiariter conuersari.* An vterum tam festiui ludi, tam diuersicolorum calculorum alueum non appelles?

Per Mariam Angelos habemus amicos.

D.Epiph.

703. Ecquæ igitur homines faustè sic euexit, aliquid humanæ sordis participaret? quæ piè sic è cælo, ad terram vsque Angelos deuexit, nónne ipsis Angelis superior, id est, purior fabricatur? Pulchrè idem Epiphanius: *Lætabantur Angeli; tanquam ipsi duntaxat Deum haberent: quibus sanctissima Virgo superior nata, Deum habitantem in cælis concepit in terra; vt hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & versaretur cum hominibus: ipsa enim est terræ, & cæli mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit.* Nihil maius dici potuit. Virgo illa superior Angelis nata, vnionem istam peragit *naturaliter.* At, vnde opus gratiæ connaturale Mariæ dici potest? Frustrà te torqueas in explicando Epiphanio, nisi pariter mecum sic mediteris. Gratia quidem Mariæ fuit supernaturalis: veruntamen sic illi ab ipsâ origine coniuncta, sic originalis iustitiæ decore refulgens; vt iam omnia gratiæ opera Mariæ quodammodo naturalia videantur: nec enim aliter decenter sic posset naturam nostram manumittere, & illi Angelicam puritatem adhibere: nisi, quia Angelis superior, agnatam prædicto modo gratiam sortiretur.

Maria purior Angelis.

D.Epiph.

704. Aliter etiam prædictum alueum nostrum poteris explicare. Dicuntur in Maria iusti præmium, & peccatores misericordiam obtinere à Deo. En ergo alij calculi diuersicolores: culpæ atredo, & sanctitatis candor in Mariæ visceribus locum habent: vt eisdem coloribus pietas Deiparæ, sicut Dei patientia splendescat. Aduerte sis. Creat Deus hominem, de innocentia candidum: & subitò videt culpa denigratum Genes. 3. n. 6. Vocat in concilium filios, Angelos splendentes: & ecce immiscetur Satan, quasi lucis vmbra, quasi fulgoris nebula, nęuus pulchritudinis, Iob 2. num. 1. Lauat Apostolos suos, qui iam loti, iam candidi, sed non omnes: aderat Iudas iam conceptæ proditionis labe fœdus, iam immanitate sceleris conspurcatus, Ioan. 13. num. 10. O quid moliris, Pictor sacrosancte? Cur perpulchram, & candidam picturam, admixta nigredine pateris conspurcari? Non miremur: mittamus stuporem: non minùs Dei bonitas fulget, dum erga iustos amanter, quàm dum erga impios se gerit patienter. Grauiter Cellensis de Pan. cap. 16. *Pictor ille, cuius sedes, cælum est; cuius scabellum, terra; cuius albi, & optimi colores, bonum natiuum; cuius nigri & tetriores, voluntas rationalis deficiens à bono principio, in finem teterrimum; cuius palatium, cæli cælorum; cuius secretarium est, quod præ omni intellectu, & cogitatione est excellentissimum: tam mirabiliter, quàm sapienter ordinationem suam disponens, prius in Ecclesia instituit Patriarchas, & Prophetas; deinde Apostolos, & Euangelistas; posteà Doctores, & Pastores bonos: ad vltimum etiam seruos ad vtilitatem familiæ non recusauit. Vt autem nullâ in picturâ abusio videtur, si post album etiam subniger color supponitur: similiter si cum bonis Apostolis pessimus proditor Iudas inuenitur, vel Satan cum filiis adsit, consideratâ patientiâ, sine stupore suscipiuntur.* Sic considerata Mariæ pietate commendandum, quòd purissima, & natiuo colore splendens, in visceribus patientis misericordiæ suæ alueum paret, & subnigros, vt sic dicam, escacos, fouendis peccatoribus sortiatur.

Dei bonitas in peccatoribus, & iustis splendescit.

Genes. 3.

Iob 2.

Ioan. 13.

Cellens.

Maria peccatores fouit ad remedium.

705. Hominem Deorum pilam vocarunt Ethnici, sic huc, ac illuc facilè rotatur: at Dei nostri patientiæ, escacorum ludus (sic ferendâ vtcunque Latinitate vocatur noster *Axedres*) homines videntur. Quàm durus auarus ille diues: quàm miser mendicus ille Lazarus: in spectaculum mundo, & Angelis, & hominibus antithesis illa gratiæ, & naturæ exhibetur. Ille vestitur purpurâ; iste sanguine purpuratur: ille bysso purâ splendet; iste purè fœdo scatet: ille crapulam ructat; iste fame distorquetur: surdescebat ille vocibus, quas tot oribus, quot vulneribus iste effundebat; & dum ille molli decumbit in pluma, iste ad ianuam sternitur durissimam: diuiti gemmantes lances; lancinantes canes Lazaro admouentur. Et pateris, Numen? Quidni, si habet hũc escacorum ludum diuina patientia. Attende ad finem: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: mortuus est autem diues, & sepultus est in Inferno.* Luc. 16. n. 22. Vbi Ludolphus par. 2. cap. 16. *Videtur esse de statu hominum, sicut de ludo escacorum: in illo enim ludo sunt Reges, & milites; senes, & iuuenes; magni, & parui, & cætera huiusmodi, quorum in ipso ludo continua fit de loco in locum mutatio, & quasi quædam mutua ad inuicem oppugnatio: sed completo cursu ludi, & temporis, omnia coniiciuntur in saccum: & maiora quæque, & magis grauia cadunt in profundum. Sic diuersarum conditionum homines, in diuersis locis ponuntur, & frequenter de loco in locum mutantur; ac sæpè mutuò se impugnant, & sibi inuicem aduersantur: sed completo cursu eorum mittuntur in terræ saccum: & maiores, ac de onere peccatorum magis graues, descendunt cum diuite in Inferni abyssum.* Propterea ergo piissima Mariæ viscera, alueus appellantur, quæ etiam graues hos calculos suscipere, & fouere non dedignatur, vt deposito onere peccatorum aptentur cælo, feliciter conregnent.

Mundus erga Deum, escacorum ludus.

Luc. 16.

Ludolph.

706. Psalmum octogesimumsextum de Maria, & illa concepta, iam plures explicarunt: & meritò; ideò enim, ni fallor, dicitur num. 2. *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Quia porta ipsa, & ingressus sacræ nostræ Sionis, omnibus altissimis sanctitatis tabernaculis præponitur,

Psal. 86.

Maria peccatores gestat in visceribus ad remedium.

præponitur. Plùs sibi Dominus complacuit in ingressu, id est, conceptione Mariæ, quàm in apice, & perfectissimo fine omnium Sanctorum. Vide nunc, quid addatur à num. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Memor ero Rahab, & Babylonis, scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerũt illic. Nunquid Sion, dicet homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?* Vbi nosti omnes ferè Patres legere: *Mater Sion, dicet homo*, &c. Hinc mihi alia adhuc explicandi aluei nostri ratio occurrit: in vtero enim Mariæ, candor lucis æternæ, id est, Christus, & atredo culpæ, id est, peccator quodammodo gestatur; ille, vt sanctificet; iste, vt sanctificetur. Quis enim homo ille, qui in ea natus est, quique pariter, quatenus Deus Altissimus, illam fundauit, nisi Christus? Quis verò ille alter homo, qui dicit, *Mater Sion*; nisi ille, qui priùs Æthiops appellatur, & in illa etiam fuisse perhibetur? O quid agis, Maria? Candorem gestas lucis æternæ, speculum sine macula paternæ bonitatis: & simul Æthiopem maculatum gerere non abhorres? Quid faciat? alueus est: sic pulchrè variegaretur, necesse fuit. Non potuit Dei Mater esse ad gloriam, quin pariter rei Mater esset ad misericordiam. D. Thomas Villan. Conc. de Natiu. Virg. *De hac Virgine pulchrè Psalmus personat dicens: Mater Sion, dicet homo: & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus. Mater (inquit) Sion, dicit homo. Quis homo? Vtique homo, propter quem factus est in ea homo, qui fundauit eam Altissimus. Mater ergo Sion, dicit reus homo: dicet etiam Altissimus homo: quia vtriusque hominis, Dei, videlicet, & rei Mater est. Denique attende, quis, Mater Sion, dicet homo. Ecce, inquit, alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illuc. Mater ergo Sion, dicet Æthiops homo: Æthiopes non abiicit Virgo decora; sed amplectitur, vt paruulos; diligit, vt filios, si tamen faciant, quod subiungitur: Memor ero Rahab, & Babylonis, scientium me. Sciant ergo ipsam Matrem. Mater Sion, dicet homo: homo, inquam, Æthiops, per quem Altissimus factus est homo: etenim, quia Altissimi Mater est, Æthiopis Matrem nominari non dedignatur.* Sed iam satis calculos moui ludens. (Thom Vill.)

707. In hanc igitur vrbem, vbi tota salus nostra constituitur, quam Altissimus ipse fundat: corrupti fomitis pathemata aliquando ingressa; ab hac, iustitiam originalem aliquando expulsam audebis affirmare? Ah nefas! Non foret, nec fundaretur nobis Sion ista sacra in vrbem fortitudinis, nisi sic muniretur, vt ipsum pro munimine habeat Saluatorem. Quàm clarè, & quàm sine ambagibus Isaïas cap. 26. n. 1. *Vrbs fortitudinis nostra, Sion: Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Omnibus Saluator aduenit; sed Mariæ signatissimus: quam vt nobis in vrbem præsidij collocaret, (vt rebellantes à fomite affectus vinceremus;) ipse sic tutatur, vt illi murus sit contra culpam, & contra præcursores culpæ, id est, contra fomitis motus, antemurale. Non poteramus in vrbe nostra liberari, nisi illa expugnabiliter ita defenderetur. Fauet Canisius lib. 2. cap. 6. de Deipara: *An non sancta ciuitas, Sion, quam inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quique fundauit eam Altissimus: cui, videlicet, ipse est murus, & antemurale?* Non poterat certè aliquid bellantis, & rebellantis fomitis huic adesse, vbi perpetua pax internitebat: ideò Dauid de Christo: *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Ps. 75. num. 3. Id est, in Maria. De quo D. Thomas citatus Conc. 3. *Neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est: Factus est in pace locus eius, id est, domus diuina Sapientiæ, sine omni fomite peccati formata est.* Quem locum suprà fusiùs explicaui. Vide, quæ multa suprà dixi, de Mariano vtero naturam reformante, déque eius plenitudine gratiæ ad nos deriuata; quæque de illius propugnaculo cumulaui: quæ omnia præsentis tituli materiam confirmant.

(Iesus Matris murus, & antemurale. — Isa. 26. — Canis.)

§. III.

Mariæ gloriosa structura: Nomen decorum.



NON possum tamen hinc abire, quin in prædicto proximè Psalmo duo maneant exactiùs trutinata. Primum illud: *Et ipse fundauit eam Altissimus.* Quasi opus istud, & sanctæ ciuitatis structura, Deum singularissimè respiciat authorem. Ipse, ipse Altissimus, & Potentissimus Mariam fundat, & fabricat: non opus istud tam Ioachim, & Annæ tribuendum, quàm Deo: quia parentes Virgini carnem, sed intactam, sed absque fomite dum concedunt, non sibi carnem illam, quam Deus sic mundam edidit, arrogabunt. Et quamuis suprà fusè de Deo authore Mariæ disputaui, huc selectiora alia congerenda. Secundum trutinandum esto illud: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* In Hebræo additur, *Selà*, vel, vt scribit Lyra, *Celà*: vúltque Aiguanus esse nomen vrbis proprium. Non premo nunc, quàm id verè dictum: satis mihi ad rem præsentem, si piè excogitatum. Ergo particulam Hebræam, *Selà* סלה æternitatis decus denotare nemo nescit: quasi ex mente Aiguani, vrbis nomen æternitatis gloriâ præfulgeret. Decenter ad rem nostram: fas enim, vt tantum opus excellentissimo titulo condecoraretur: & Virgo Deipara sacratissimo Mariæ nomine vocaretur. Sed, si quis scrupulosus contendat, tractas huc, non adductas ad rem meam Mariani Nominis laudes, quòd Aiguani explicatio litteralis vtplurimùm reiiciatur ad hunc locum: mitto Aiguanum: ex Hebræo Textu rem deduco, vbi sic legitur: נכבדות מדבר בך quod sic vertit Lorinus: *Gloriosarum rerum verbum dictum est in te.* Nullum verbum in vrbe nostra gloriosius, nec profundiori grauius mysterio, quàm Mariæ nomen. Sed iam suo ordine de primo disseramus. 708.

(Psal. 86. — Maria singularis Dei structura, quàm perfecta. — Aiguan. — Maria nomen gloriosum. — Lorin.)

Promittebat Deus Israelitis, id est, fidelibus omnibus suauissima Angelorum ministeria, quibus deinde sic subiungit: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui.* Exod. 23. n. 20. Angeli ducatum præbent, Angeli excubias exercent: nec tamen locus, quò ducunt, ab eisdem disponitur, 709.

(Cælestis gloria iussu apparato, quanta.)

disponitur, sed ab ipsomet Deo dicitur præparatus. Et cur ita? Vt excellentia loci intelligatur, in quo nihil summum non poterat esse, nihil vel leuissimè fœdum poterat reperiri: quando spretâ etiam angelicâ industria, illi diuinæ manus impenduntur. Oleaster (huc sæpiùs vocandus) ibi: *Expende, quòd non dicit, ad locum, quem parauit Angelus ductor; sed, quem ipse parauit tibi: tantæ enim nobilitatis est locus, qui tibi à Domino promissus est, vt ab alio, quàm ab eo parari nequeat. Oculus, ait Isaias, non vidit, quæ præparauit Deus diligentibus se: est enim ciuitas illa, cuius, vt ait Paulus, artifex, & conditor Deus.* Neget peculiariùs à Deo Mariam fabricatam, qui illam negauerit cælo nobiliorem. Quid fœdi in ciuitate nostra deprehendes: cuius Deus non vtcunque *artifex, & conditor*, sicut Hebr. 11. appellatur: sed, cùm fundat, *Altissimus* dicitur: vt altissima operis excellentia expressiùs agnoscatur?

Hebr. 11.

710. Vt Orbis floribus amœnus, & frondosus arboribus vernaret, præcepit Deus terræ, vt parturiret: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum.* Genes. 1. num. 12. Sic terra suo iam comptu induebatur, ipsa sibi vestem floridam apparuit. Et cælum interim nudum perseueret? At tarditatem, inquis, nobiliore opere compensabit: producet statim sibi stellas, Lunam, Solem, quibus longè excellentiùs fulgurabit. Vide quàm aliter: *Fecitque Deus duo luminaria magna*, &c. *& stellas: & posuit eas in firmamento cæli.* n. 16. Itáne? Terra sibi herbas floridas, arbores gratas producere iubetur: & cælum, ornatus sui fiat artifex, prohibetur? Si terra stellas odoratas, & vernantes sibi parit; cur cælum flores lucidos, & micantes sibi non germinet? Corruptibiles arbores, caduci flores à causis secundis decenter producuntur: at stellarum incorruptus splendor, Solis, & Lunæ immortalis, & nobilissima conditio, tantummodo diuinas manus decenter admittebant: vt inde maximam inter merè corporeas creaturas probent excellentiam, quia diuinum artificem sortiuntur. Oleaster morali not. ad cap. 8. Genes. *Nobiliora per se ipsum produxit: cætera vero à suis naturalibus causis gigni permittit: licèt enim astra cæli perfectiones esse dignoscantur; quia tamen nobilia valdè sunt, non permisit à firmamento produci: quemadmodum herbas, & arbores à terra; aues, & cuncta aquatica ab aquis.* At Virgo nostra tantò astris nobilior, stellis coronanda, Sole induenda, Lunam calceatura, quantam inter creaturas omnes probabit excellentiam, quæ sic priuato modo Altissimum sui habet Fundatorem? Cur ergo astro tanto tenebras misceamus? Quid à causis secundis fœdati fomitis influeret in illam, quæ sic attentè à causa primâ producta prædicatur?

Genes. 1.

Excellentia opera, artifici excellenti committẽda.

Oleast.

711. Sed quid mirum attentè producatur, si à Deo in Deiparam formatur: quando minoribus vsibus res deputatæ, attentissimâ curâ à Deo producuntur. Editis creaturis, additur in sacro Textu: *Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Maius est, in lucis productione, eandem etiam sententiam vsurpari: *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Genes. 1. n. 4. Nunquid diuinum opus alicũde defectum potuit habere, vt examine indigere videatur? Sed esto, alia opera examinentur: cur lux etiam, ad cuius purissimè factæ splendores cætera omnia examinanda videbantur? Respondet ibi latè Oleaster miratus diuinam maiestatem sollicitè expendentem, & examinantem, quod nostris vsibus operatur, sic concludens: *Expende cælum, terram aduerte, lucem considera, astra cerne; herbas, & fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur: vide, si quid illis desit, si quis defectus in eis contingat: nihil non omnibus numeris absolutum, nihil est deficiens, ita vt opus materiam superet. Quibus nos docere voluit, vt quoniam ipse, quæ nobis munera erat traditurus, tanta sollicitudine expendit; nos etiam, quæ eo iubente, aut volente facimus, talia fabricemus, vt nullus in eis defectus inueniatur.* Vide nunc, an lucis examinator, quæ ex se satis probata videbatur: an fœni expensor, quod ex se vilipendendum apparebat: Mariæ examen debitum præteriret: cùm illa nobis, hanc sibi destinaret? Nunquid tãto operi originalis iustitiæ carentia, fœdati fomitis bellum adhæreret? O non in montibus sanctis; sed in inferniis vallibus fundatã ab Altissimo ciuitatem! exclamares.

In Dei obsequium, perfectissima nobis opera apparanda.

Genes. 1.

Oleast.

Nimirum, non talem decuit fundari ab Altissimo ciuitatem, in qua ipse nasceretur, non talem Sionem, in qua pacificus habitaret, vt suprà vidisti, quin ad tam intimum ministerium, singularissimam structuræ ideam admouisset. Instituebat Deus Moysem, deinde de Sanctuario construendo sic subdebat: *Faciéntque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum: iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius.* Exod. 25. num. 8. At, quot iam viderat tabernacula Moyses: quot vasa in domo regiâ, ad quorum formam, licèt longè perfectiora, hæc diuino ministerio poterant fabricari? Cur ergo necessariò nouum erat exemplar exhibendum, cùm veterum forma sublatis imperfectionibus satis videretur? Ne quid è terrâ, in operis tanti archetypon veniret: vt tabernaculum hoc, eiúsque vasa, nihil cum terrenis aliis commune, quoad structuram, haberet: vt è cælo tantùm eius forma pendisse crederetur. Iterum Oleaster ad hunc locum: *Quàm eleuata sunt à nostris opera tua, Domine, vt nihil in terris inueniatur, ad cuius imitationem fiant, quæ pertinent ad cultum tuum; sed opus sit exemplari cælesti, cui, quæ ad tuum ministerium pertinent, assimilentur.* Et quàm aliud, quàm pretiosius Mariani Tabernaculi ministerium? Certè non corruptarum conceptionum forma, non corporum fomite fœdatorum exemplar Mariæ construendæ deseruiuit: purioris, & cælestis alicuius exemplaris euasit similitudo. 712.

Vt omninò è cælestibus exemplaribus desumpta videantur.

Exod. 25.

Oleast.

Hinc est (initio vt dicebam) quòd licèt à Ioachimo, & Anna sanctissimis Maria produceretur; interueniente tamen tantâ Dei gratiâ, tum in corpore, vt creditur, miraculosè formãdo; tum in Anima sanctificanda, & fomite penitùs remouendo: artifici potiùs Deo tam pulcher, & faustus fœtus, quàm propriis parentibus tribuendus videatur: vt iam eueniat parentibus Mariæ erga ipsam, quod ipsi erga Iesum suum debitâ sic euenit proportione. Attende. Sæculorum mysterium, turbatæ de nouitate Virgini, Angelus nunciaturus iam, sic subdidit: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium: & vocabis nomen eius, Iesum.* Luc. 1. num. 31. Virgini virum non agnoscenti Filius nunciatur, qui proinde totus illius vnius futurus, videbatur dicendus. 713.

Maria in suâ Conceptione, Christo similis.

Luc. 1.

Ecquid

Ecquid hoc inter faustissima nuncia taces, Paranymphe? Cur non exprimis: *Paries tibi Filium?* Cur non subdis: *Filium tuum totum futurum*, edes, Virgo? Cur sic absoluto pronunciato sententiam suspendis? Quia, licet nullus magis propriè Matris suæ Filius, quàm Mariæ Christus: at, cùm in Christo longe minus esset, quod natura illi indidit à Maria, quàm quod gratia ab Spiritu Sancto illi contulit; gratiæ potiùs quàm naturæ Filius videtur appellandus. Cæteræ matres pretio virginitatis amissæ, & doloris admissi in partu, maternitatis titulum compararunt: Maria Virgo concipiens, enixa gaudio, Matris nomen magis dono acceptum, quàm stipendio redemptum visa sortiri: fœtus ergo magis gratiæ, quàm naturæ deputandus. Caue aliter accipias piissimam, & acutissimam licentiam

Chrysol.

Chrysologi Serm. 142. vbi ita: *Paries Filium. Non dixit, tibi: non dixit, tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur Filius Dei. Virgo, te Matrem gratia præstitit, non natura: Genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas: in tuo conceptu, in tuo partu, creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseuerauere virtutes. Virgo, si tibi salua sunt omnia, quid dedisti? Si Virgo, quomodo Mater? Si Sponsa, Genitrix quomodo? Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nihil minuit, Virgo. Virgo, concipitur in te author tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est Genitor tuus, in tua carne est Deus tuus; & ipse lucem mundi per te cepit, qui lucem mundo dedit. Monita ergo per Angelum, Virgo, ne præsumas hunc vocare Filium tuum: sed mox vt genueris, inuoca Saluatorem: quia virginitas non sibi parit Filium, sed paru pignus authoris: & integritas suum gestat Dominum, non alumnum, dicente Angelo: Et vocabis nomen eius, Iesum.* Pende quidem (si nosti, quid sit licentia apud Rhetores) an apud Ciceronem, vel Demosthenem amœnioris schematis videris elocutionem.

714. Hoc ergo est, quod suo modo euenit Mariæ parentibus: dedêre quidem naturam Mariæ; sed

Id probatur.

longè plùs in Maria gratia fuit operata: tam impense Virgo nostra à Deo elaboratur, vt non tam hominum, quàm Dei ipsius opus veniat appellanda. Si aliquando Damasceni verba ignota nemini, ex Orat. 1. de Natiu. Virg. penitùs intel-

Damasc.

ligenda veniunt, id nunc est: *Natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens: quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur; natura, gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est: verùm tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Maria gratiæ fœtus est: non Annæ vteri, sed gratiæ fructus venit appellanda: quid singularissimam suam structuram, gratia fomitis sordibus præfœdaret? aut quid parentes filiam dicant, quam naturalis sui morbi hæredem non instituunt? Quomodo autem explicandus Damascenus, dum ait, priùs Mariæ gratiam aduenisse, quàm naturam, iam in Examine primi Articuli explicaui. Sed quod ibi de Baptistà attuli, hic altiùs, in rei præsentis exemplum, euiscerandum.

715. De Baptistæ ergo parentibus locuturus Lucas, sic subdidit: *Et non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.*

Luc. 1.
Baptistæ encomium.

Cap. 1. num. 7. De quo Chrysol. Serm. 91. *Elisabeth sancta partus, non ablatus est; sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum, quod humanam confundit, grauat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctitatis hospitium, meatus metatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus Sancti, Dei templum.* Verissimè cogitata, expressa politissimè. Sed, quis non addubitet, cur si plenior gratia longe perfectiùs, virenti adhuc ætate, poterat abolere defectus, quos postea senectus aboleuit: illa id temporis non fuerit Præcursoris parentibus concessa? Quid facit sterilitas senectute grauata, quò ad Ioannis excellentiam affectetur? Nimirum, vt dum natura sterilis, & omninò inhabilis videbatur: iam partus ille, non parentibus, sed gratiæ deputaretur: dúmque deputatur gratiæ, iam non solùm inter natos mulierum Ioannes maior; sed etiam penè Angelus intelligatur, cuius structuræ Deus sic incubuit. Viderat D. Chrysol. Serm. 89. *Ergo in Zacharia, & Elisabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit: abolescit totum, quidquid est, & humani ordinis, & negotij coniugalis: vt diuino munere, non partu ex hominibus Angelus nasceretur.* Et quantò ergo puriùs fundatur ciuitas nostra, Virgo Deipara, quæ non in penè Angelum, sed plenè in Angelorum Reginam parabatur? Quantò gloriosior Mariæ structura, quæ non in seruile ministerium; sed in Matris, quoad fieri decebat, imperium prodibat? Ioanni in vtero fomes saltem mitigatus: à Reginæ Conceptione penitùs effugatus.

Chrysol.

Vtrobique verò Chrysologus, dum Ioannem Angelum vocat, alludit ad verba Christi dicentis 716.
de eodem: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Matth. 11. n. 10. Vbi alluditur ad cap. 3. Malach. num. 1. vbi mihi semper dubium, cur Ioannes non solùm mortalium perfectissimus formetur; sed etiam Angelus veniat nominandus: neque enim solùm Angelus dicitur, quia de officio nuncius intelligitur: sed etiam vt eius puritas, quantùm carnis conditio fert, puritatis angelicæ conditionem participare intelligatur. At, cur ita, cùm inde errandi occasionem Hæretici desumerent, vt Ioannem verè Angelum possent blasphemare? Quia non obuelanda tanti mysterij decentia; quanuis suâ culpâ Hæretici impingerent. Decebat autem maximè, vt quoniam Deus incarnatus reuerà in terra apparebat, in terra incarnatos quodammodo Angelos efformaret: vt humano iam Deo, humanus penè Angelus ministraret: vt, quemadmodum in suo cælo Spiritus est Dominus, & ab Spiritibus seruitur angelicis: sic in terra nostra, dum carnem assumit, quodammodo à carne angelica sentiatur. Acumen est Chrysologi citati proximè: *Cùm Christus Deus nasceretur in carne, Ioannes Angelus est generatus in terris, vt ita officia terrena, officiis se cælestibus miscerent, sicut humanis se diuina miscebant: & in terra Deo Angelus; Domino, ordo cælestis obsequi non deesset.* Si tanta proportio inter ministros Dei meri, & eiusdem incarnati Dei requiritur ministros: quanta inter meri Dei Patrem, & eiusdem incarnati Matrem requiratur? Abhorreret Deus homo Ioannem ministrum peculiarem, nisi Angelis, à quibus in cælo colitur, responderet, quoad posset: multò ergo

Matth. 11.
Malach 3.

Ministrorum splendor debet Regis splendori respondere.

Baptistæ laus.

Chrysol.

magis

magis Mariam incarnandus abhorreret, nisi talis strueretur, vt, quoad posset, Patri responderet. At, vnde Deo Maria responderet, si sub origine fœda, effræni fomite, & absque originali iustitia ederetur?

717. At, dicet aduersarius, fundatorem Mariæ dici Altissimum, & eiusdem perfectissimum structorem: non quòd sub his perfectionibus in ipso Conceptionis initio illam fundaret: sed, quòd mundaus illam ab originali peccato, deinde pulcherrimâ structurâ nobile fundamentum optimo ædificio collocarit: sicut authore Paulo, abolitâ nobis culpâ, deinde fit nobis Christus spiritualis ædificij fundamentum. Fateor in nobis rem sic euenire: at in Maria, cuius Dominus, vt fatentur Patres hic, & Anthol. 2. citati, singularissimus dicitur structor, id indecens omninò existimandum, cùm longè maius aliquid de Matre, quàm de seruis cogitaret. Ratio est: quia post culpam opprimentem, ruinæ Marianæ relictæ, etiam post reconciliationem, minùs habiles, & minùs decentes (vt sæpè dixi) diuino ædificio è se manebant: neque vult Deus in opere aliquo singularissimo, quod tamen ruinam passum est; author singularissimus haberi, cùm reparatur: idque, (quod maius est,) quanuis aliunde materia petatur, nedum quando eadem materia ruinosa desumenda. Habeo rei huiusce illustre testimonium in Scriptura.

Maria cur dicatur con-structa, id est, à natura integra.

718. Visa populi idololatria, immanissimo se piaculo obstringentis, fregit Moyses tabulas, Exod. 32. n. 19. *tabulas, inquam, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini: scriptura quoque Dei erat in tabulis.* Ibidem, num. 15. Punit seuerè populum Dux sanctissimus; illiminatur culpa; Deus reconciliatur, qui deinde sic ad Moysem: *Pracide tibi duas tabulas lapideas*, (Hebr. *dola tibi*) *instar priorum, & scribam super eas*, &c. Ibid. cap. 34. n. 1. Præterea, non fuisse difficile Deo, tabulas illas priscas, & confractas resarcire: verùm noluisse: quia in tantum ministerium tabulæ semel confractæ minùs idoneæ. Illud miror: cur, si priores tabulæ diuino opere fuerant dolatæ; secundæ istæ humano artificio dolandæ præcipiantur? Et respondet optimè ibi Oleaster ad litteram. *Exquirendum hic meritò esset, cur Dominus noluerit alias tabulas dolare; sed Moysi præcipit, vt fabricet ipse eas: ad quod dicitur, Dominum Deum hac voluisse damnatione punire Iudæos, ne gloriarentur amplius, se habere tabulas Dei opere fabricatas.* Clariùs in mor. not. ad rem meam: *Pessima res peccatum, ob quod, etiam post reconciliationem, aliquid mali in nobis relinquitur. Erant priores tabulæ non solùm scriptæ à Domino, sed etiam ab eo dolatæ, & paratæ: nunc verò, licèt Dominus voluerit eas scribere; munus tamen dolandi Moysi iniunxit.* Sic quodammodo in re nostra: si Maria quandoque peccauit, etiam post reconciliationem aliquid indigni retineret, ne illud gratiæ ædificium sortiri diceretur, cuius Deus specialissimus fabricator haberi vellet: gratiam magnam haberet; sed ex vulgari genere, originis priuilegio spoliatam: quæ gratia, licèt à creaturis non veniret; tamen singularissima Domini structura non diceretur. Negatur populo, etiam reconciliato, priuata Dei in tabulis structura: negaretur Mariæ etiam iustificatæ, illa perfectionis ratio, quæ antonomasticè Dei structura, eiusque singularissima fundatio appellaretur? Et quid, si aliunde, vt vides, ruinosa illa Mariæ materia, caro fœdata, non tam scribendis legis verbis, quàm Verbo diuino dicitur assumpta? Sed de hoc alibi. Nunc seorsim de Mariano nomine disseramus.

Exod. 32.

Id exemplo confirmatur.

Exod. 34.

Oleast.

§. IV.

Expendo, quod de Mariano nomine proposui, & eius analogiam ad Iesum.



719. NON solùm sic gloriosè fundatur ciuitas nostra; sed gloriosum de illa Verbum dicitur: quia sic glorioso nomine appellatur, vt in ipso titulo iustitiæ originalis titulos erigat, trophæa gratiæ erigat immortalia. Mariæ nomen aliis olim concessum fateor: nouum tamen, & illibatum Mariæ vni Deiparæ seruabatur. Huc facit, quod suprà ad rem aliam ex Plinio delibaui, Traianum suum in pulcherrimo illo Panegyrico commendante. Vocarunt Romani post longæ meditationis impensam curam Traianum Imperat. *Optimum*, quibus si opponas, hoc titulo alios quosuis Principes priùs appellatos, respondet: *Iustisne de causis Senatus, Populusque Romanus Optimi tibi cognomen addicit? Parum id quidem, & in medio positum: nouum tamen. Sciat, neminem antè meruisse, quod non erat excogitandum, si quis meruisset.* Non huius nominis splendorem detriuerunt, qui priùs olim sine merito attrectarunt: nouum, & illibatum benè & vnicè merenti Principi seruabatur: quia mensuram nominis adimplebat. Vnde Ouidius ad Maximum, verum Dynastam, sic scribit:

Mariæ nomē, nouū Mariæ Deiparæ seruabatur

Plinius.

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.

Quasi cæteri, licèt Maximi vocarentur, nominis nouitatem non detererent, quia mensuram nominis defraudabant.

720. Multæ olim Mariæ: sed nominis magnitudinem non implebant. Vna est Deipara, cui meritò carmen refingas dicens:

Huius nominis dignitas.

Maria, qua tanti mensuram nominis imples.

Illibatum ergo hoc illi vnicæ nomen destinatur. Pulchrè Ludolphus par. 2. cap. 86. de Mariæ nomine: *O nomen admirabile! ô nomen delectabile! ô nomen grauidum Sacramentis, & diuinis plenum mysteriis! ô nomen gloriosum! ô nomen celeberrimum! ô nomen sublime ante tempora vniuersa in Dei prædestinatione compositum, & in tempore digne personæ, secundùm rem conuenienter impositum. O nomen, quod nominatur sæpiùs, & frequenter dulciùs in congregatione iustorum: & quod versatur clementiùs in ore peccatorum.* Non dignæ vsque tunc personæ, sed tantùm in ænigma, Deiparam figurantibus fœminis imponebatur. Studuit, vt ita dicam, Deus, sedulò antè tempora meditatus, vt huius nominis elucubrationem gloriosissimam ederet in tempore. Vno verbo: ex mente Ludolphi, talem suo modo erga Mariæ nomen, qualem erga nomen Iesu, se gessit Deus: simili curâ vtriusque nomen voluit compositum.

Ludolph.

Circunciso

721. Circunciso iam puero, & stigma peccati suscipiente Deo, addit Lucas: *Vocatum est nomen eius, Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Luc. 2. num. 21. alludens ad illud, quo Angelus Mariæ dixerat cap. 1. n. 31. *Et vocabis nomen eius, Iesum.* Sed, quorsum hæc prisci præcepti rememoratio? An ea erat Maria, de qua dubitare possemus, an impleslet præceptum, nisi Lucas impletum asseueraret? Absit: sed, vt, dum toties vocatum dicitur nomen, non inditum; neque à Maria, neque ab Angelo compositum intelligatur, sed ab æternitate a Patre excogitatum, & Christo, quasi à natura ipsa congenitum. Bern. Serm. 2. Circuncis. *A natura propria habet, vt sit Saluator: innatum est ei hoc nomen, non inditum ab humana, vel angelica creatura.* Et quid inde? Certè in aliis, vt in Iesu Naue, & Iesu Sidrach, ac similibus, vacuum, & sine re fuisse titulum inferemus. Viderat idem Bern. Serm. 1. *Neque enim ad instar priorum, meus iste Iesus nomen vacuum, aut inane portat: non est in eo magni nominis vmbra; sed veritas: cælitus siquidem inditum nomen Euangelista testatur.* Tale aliquid de Mariæ nomine voluit Ludolphus, à Deo ab æternitate compositum, & aut expressa reuelatione, (quod puto probabile,) aut saltem intima inspiratione facta parentibus, Virgini tandem in tempore impositum. Videamus, quàm iure id voluerit.

Luc. 2. *Iesu nomē in solo Christo plenum.*

Bernard.

Mariæ nomē, Iesu nominis respondet.

722. Manifestissimum, & ab ipso Deo missum venturi Christi signum editurus Isaïas, sic habet: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: & vocabitur nomen eius, Emmanuel.* cap. 7. num. 14. Vbi quærendum meritò, cur, si tam apertum, & rarum signum à virginitate Matris edebatur, Filij proprium nomen, Iesus, scilicet, subticetur: quanuis enim vocabula obuelando mysterio quærerentur; Iesu nomen, cùm significantiam salutis inuolueret, ænigmaticum etiam putari posset. Quid ergo in Emmanuelis nomine latet, vt hoc maximè, nasciturus à Virgine, prædicetur? Credo ita factum, vt ex Filij agnomine, nomen Virginis Matris, quod interim subticebatur, auguraremur: *Emmanuel*, sonat, *nobiscum Deus:* quo clarè incarnandus Deus significatur. Quis ergo non suspicaretur, Matrem Virginem, quæ primata huius Incarnationis administra, vocandam fore Mariam, quod nomen sonat, *Deus ex genere meo?* Sed, quid tunc, inquis, si Maria, ipsa nominis notione Christum è se indicet nasciturum? Quid? Fatearis vt necessariò, in prioribus nomen hoc vacuum, & inane fuisse, magníque tituli vmbram, non veritatem. Mentior, aut totum hoc voluit Ambros. ignotis nemini verbis ex cap. 5. de instit. virg. *Maria, quæ nobis non solum virginitatis incentiuum attulit; sed etiam Deum intulit: vnde lætus, & exultans tanto munere dicit Isaias: Ecce Virgo,* &c. *Nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Vnde hoc munus? Non de terra vtique, sed de cælo; vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit, & sacrauit templum pudoris: per vnam descendit; sed multas vocauit. Vnde & speciale Mariæ Domini hoc nomen inuenis, quod significat Deus ex genere meo. Dictæ sunt & antè Mariæ multæ: nam & Maria soror Aaron dicta fuit; sed illa Maria amaritudo maris vocabatur.* Amarescebat nomen in aliis, solummodo in Maria nostra dulcescebat. Et immiscebis aliquid, aut amaricantis culpæ, aut sordidantis fomitis in ea, quæ nihil amari maris, nihil terræ fœdæ, (quia è cælo quodammodo elapsa, teste Ambrosio,) sibi contractum, ipso nomine Deiparæ à sæculis excogitato præferebat? Aliter hunc locum suprà dedi num. 575.

Isaïæ 7.

Mariæ nomē illi nouum seruabatur.

Ambros.

723. Turbatur Maria, quòd se gratiâ plenam audiat salutari: ad quam tūc Angelus: *Ne timeas, Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies,* &c. Luc. 1. num. 30. Turbatur virguncula, auditâ gratiæ suæ plenitudine: & serenabitur, si audit denuò, gratiam illam esse non quancunque, sed illam, quæ, vt suprà dixi, erat apud Deum seruata, quamque Eua cum originali iustitia amiserat? Parum id: turbatur de gratiæ salutatione, & de conceptu Principis gratiarum serenabitur? Planè: exprimitur enim ideò illi nomen, vt recolens, quā curâ à Deo illi foret impositus titulus dominationis, meritò quidquid esset timoris, sciret abiiciendum. Trita verba Chrysol. ad hunc locum Serm. 142. *Ante causam, dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo sermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Domina otis Genitricem trepidatio deserat seruitutis.* Sed esto, inquis, sit Maria Domina, ne vltrà turbetur: vnde tamen, audito Dominæ nomine, non solùm timorem abiiciat; sed etiam concipiendi Verbi spem concipiat? Quia sic per Mariam exprimitur dominatio, vt etiam *spes* exprimatur. D. Epiphan. Orat. sæpè citata: *Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem: peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe, Christum.* Benè ergo è nomine suo electionem suam augurabatur: nec aliunde aptiùs Saluator spes Orbis nasceretur, quàm ab illa, quæ ipso nomine non casso, cum eodem sic mirè symbolizabat.

Luc. 1 *Mariæ nomē dominam signat, & spē.*

Chrysol.

Epiph.

724. Euenit ergo, ni fallor, Mariæ in hac Angeli legatione, quod in ligatione sua euenit posteà Christo: licèt discrimen tantum esset, inter legatum Gabrielem, & ligantem Pharisæum. Permiserat Christus potētiis suis inferioribus, vt rebellarent, & vt mœstissimi affectus iaculis, vsque ad mortem, eundem lancinarent: inde horror, inde mortis deprecatio, vnde summa constantia, sudato sanguine, timoris sui chirographum rubricauit. Pergit inde obuiis inimicis: *Sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum.* Ioan. 18. à n. 4. Norat omnia, & certè, quem quærerent, haud poterat ignorare: & tamen interrogat. Paulò antè liberè timidus, mortem deprecatur: nunc iam totus intrepidus morti se offert dicens: *Ego sum.* An non grande mysterium? Grande. Qui horrorem inferiori portioni permiserat de mortis memoria; eidem, credò, fortitudinem destinārat, de audito Iesu nomine. Interrogat ergo non ignorans; sed captans responsionem, vt portio deiecta, audito glorioso Saluatoris titulo, animaretur: sic animata, iam mortem amplexatur, quam horruerat. Sic Virgini Mariæ nomen exprimitur, vt amisso timore, tota iam in fiduciam releuetur. Quidni nos confortet Iesu nomen, quo ipse reficitur? Quidni oppressos releuet Mariæ nomen, quo ipsa releuatur? Ideò Ludolphus citatus: *O Maria, tui recordatio nominis, melle dulcior, nectare suauior, fessos recreat, mœstos lætificat, oppressos releuat, errantes ad viam salutis reuocat, & peccatores, ne desperent, sua suauitatis*

Analogia nominum Iesu, & Mariæ.

Ioan. 18.

Iesu nomine ipse Christus animatur.

Ludolph.

uitatis odore confortat. Modum, quo theologi- de portione inferiori Christi timida, & con- ...ata, vide in re simili à me firmatum ad cap. 8. ...nt. lib. 2.

...line est, vt, quemadmodum Christus viro, ...m summopere in hac vita dilexit, pro summo ...eficio aliquam nominis sui indulsit partici- ...ionem: sic fœminam, quam arctioribus diuinę ...ritatis stimulis fuit prosecutus, materni no... ...iis participatione decoraret: quasi post Chri- ...omina, nihil maius Mariano nomine posset ...ogitari. Enarraturus Lucas Magdalenæ ge- ...,sic incepit: *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate ...atrix*, &c. c. 7. n. 37. Sed, si notissima erat hæc ...nina, cur proprio Mariæ nomine non voca- ...? Putarem, non adhuc Magdalenam, *Mariam* ...ellari: interque signatissima priuilegia, qui- ...s post conuersionem à piissimo Domino fuit ...nulata, illud maximum accepisse, vt de Matris ... nomine diceretur: vt, quemadmodum Simon ...etra nostra angulari, Petrus dicitur; sic à Vir- ...e nostra, peccatrix illa pœnitens, vocaretur ...ria. Præiuit mihi in hanc mentem Modestus ...chiep. Ierosol. apud Phot. cod. 91. *Quemadmo- ...Princeps Apostolorum ab immobili fide, quam ...uit in petram Christum, Petrus appellatus est: sic ...lla Princeps Discipularum, ob puritatem, & ...rem, quo Christum complexa est, ab ipso nomina- ...st, cui idem fit nomen, quod Dei Matri.*

...x hoc pio inuento, iam nouo comptu prodi- ...locus alias notus à Chrysologo, imò & om- ...ò denuò Ioannes explicabitur. Reliquerat ...tha Christum, domum rediens, (nosti Laza- ...storiam,) & addit Ioannes: *Abiit, & vocauit ...am sororem suam silentio, dicens: Magister ... & vocat te.* c. 11. n. 28. Hem, Martha! ecquæ ...rum fides? Quando, quæso, Christus Ma- ...m vocauit, cùm id penitùs in hoc Euange- lij loco taceatur? Nimirum, promiserat Christus Marthæ, se fratrem suscitaturum: Martha verò, vt audiuit mortis victoriam, fratris salutem; necessariam omninò præsentiam Mariæ recognouit: & optimè interpretata est vocari à Christo sororem; qui suscitaturus fratrem erat, nec id absque Maria exequeretur. Ecquid in Magdalena tam mirum, vt illam quasi salutis administram requirat Christus? Certè non quòd agnomis esset Virgini Deiparæ vtcunque; sed, quòd per priuilegium agnomis esset: & quæ aliter olim, posteà ob eximiam sanctitatem Maria appellaretur. Pende Chrysologi verba Serm. 64. in Martha fœmineum sexũ corruptum per Euam; in Magdalena eundẽ per Virginem reparatum intelligentis: *Mittitur ad Mariam: quia sine Maria, nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula: vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum: quatenus prodeant ab Inferis mortui, mortui prodeant de sepulcris.* Ni perpendas ly *baiula*, lepore debito Chrysologum defraudas. Non propriè dicitur baiulari, nisi illud, quod denuò imponitur. Non à natalibus agnatum Magdalenæ sacrum hoc nomen: à Matre Dei illud suscepit sic feliciter baiulandum. I ergo: da Deiparæ culpæ mortem, vitam initio fomite infectam: cuius vel nomen mortem fugat, & vitam nobis reparat purissimam.

Maria Antitura. Chrysol.

727. At, si Magdalena ab ipsis natalibus Maria

vocabatur, ideò crederem, à Luca expresso nomine non vocari, quia pariter *peccatrix* erat dicenda: quasi dedeceret, hanc sacram vocem peccato immisceri: (quid tot Magdalenæ flagitiis?) nec etiam leuissimo illius næuo decenter admixtum hoc nomen pronunciaretur. Cernitur Magdalenæ ploranti ad sepulcrum diuinus Hortulanus dicens: *Mulier, quid ploras? quem quæris?* Ioan. 20. n. 15. Prætereo, quòd ardẽtibus suspiriis, anxiis pietatis votis, dissimulatus Dominus occurrat, cũ quæuis minima in se detegendo mora, mori erat amanti. Prætereo, quòd dũ doloris causam quærit, augendas curat doloris rationes. At, cur *mulierem*, extraneo quasi titulo compellat? Obliuiscerisne Mariam tuam, piissime Iesu? & dum stellis omnibus nomina vocas, dilectæ Discipulę nomen vnũ ignoras? Absit. Inter tot sanctas amoris lacrymas, Magdalenæ tantisper fides naufragabat: inter pię mœstitiæ nubes, fidei splẽdor ex parte obnubilabatur. Non ergo interim *Maria* appelletur: quia nescit ex se hoc nomen vel leuibus imperfectionibus immisceri. Ideò statim, cùm iam iam fides suscitanda, detegente se Domino, Maria vocatur: *Dicit Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni.* n. 16. Vt cum virtutis splendore, simul diuinum hoc nomen splendescat; quidni, si nomen Deiparæ illud erat? Fusè ad hunc locum Ambros. lib. 3. de Virg. sic concludens: *Quando non credit, mulier est: quando conuerti incipit, Maria vocatur; hoc est, nomen eius accipit, quæ parturit Christum.* Apage: Mariæ nostræ Numen culpæ immisceamus, cuius nec nomen culpæ consuescit.

Maria nomẽ culpa non immiscetur. Ioan. 20. Ambros.

Prætereamus Magdalenæ nomen; sed tamen Magdalenæ gestum adhuc retineamus. Vnxerat hæc Christum; & ecce adstantium de prodiga, vt putabant, effusione, murmur insusurrans: ideò ille: *Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Mar. 14. n. 8. Parum id. Moritur Christus: & perfusus aromatibus patitur sepeliri à Nicodemo. Quòd mortem ferat, non mirum: in hoc venerat. Sed vnde, aut cur Mariæ emissa in sepulturam aromata defendit, Nicodemi oblata suscipit, cùm hęc præseruandis à corruptione corporibus deseruirent; ipse corruptionis incapax extitisset? Quid, si homines posteà effutirent in illo triduo, non de natura, sed de odorum efficacia incorruptum perstitisse? Nullum erat apud prudentes (impios, & stultos non curauit) periculum dubitandi: qui, vbi noscerent illud Cant. 1. n. 3. *Oleum effusum, nomen tuum*, de Christo dici; necessariò inferrent, ad mysteriũ, & non ad indigentiam odores alienos comparasse, qui vel ipso nomine odores spargebat. Fauet menti Ambros. loco proximè citato de Nicodemo locutus: *Perfectum vtique odorem fidei attulit. Hunc odorem fragrat anima, quæ Christo aperire incipit, vt accipiat primum odorem Dominicæ sepulturæ; & credat, quia caro eius non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit; sed æterni illius floris, & semper virentis odore condita surrexit: quomodo enim poterat vel in carne marcescere, cuius nomen vnguentum exinanitum est?* Nosti hæc Cant. verba ab Alano apud Delr. tanquã dicta Mariæ explicari: imò Ecclesia in Resp. Festi Assumpt. ad illam canit exultans: *Vnguentum effusum, nomen tuum.* Caue ergo in anima eius ponas culpæ corruptionẽ, aut corruptionem

728. *Maria nomẽ cur oleum effusum.* Mar. 14. Cant. 1. Ambros.

fomitis in carne eius, cùm semper virentis floris odore, vel etiam sacrum eius nomen amœnetur.

729. Meritò igitur Chrysol. Serm. 146. de Mariæ nomine: *Nomen hoc prophetia germanum est: hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitia decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis.* Et quidni *collegium sanctitatis*, quandoquidem in Maria omnis sanctitas, siue illa protoparentum ab originali iustitia, siue illa Angelorum ab innocentia perpetua, vernat amœnior? Non tam hoc simpliciter dicendum, quàm seriò iurandum putat antiquus, & grauissimus Author Petrus Cellensis lib. 9. epist. 10. cuius testimonio claudit cap. 183. Aduers. Cerda noster, vt & ego hoc nostrum. Ergo Cellens. ita: *Credo, dico, assero, & iuro, Beatissimam Virginem nostram in æternâ prædestinatione singulari priuilegio munitam, nec à sua Conceptione in aliquo violatam: sed semper mansisse, & permansisse illibatam: & sicut Beata vltra humanam, & cæterorum hominum naturam; sic secreta, & incognita manet vltra omnium notionem.*

Maria, collegium sanctitatis.

Chrysol.

Pet. Cell. Cerda.

§. V.

Nu. 5.

Maria, aut terrenum quoddam cælum; aut terra quædam cælestis, & benedicta.

730. VIDISTI ciuitatem nostram pulchrè fundatam, & vocatam decorè. At, vbi (vt tandem assumpta Psalmi verba dimittamus) tanti ædificij iacitur fundamentum? *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et benè primum fundamentum, siue Conceptio Mariæ *in montibus* iactum dicitur: vt sub hac metaphora, è cælo nobis delapsa videatur, & inde cælestis cuiusdam particeps veritatis. Cur, cùm cingebat Syrius exercitus vrbem, vbi sanctus immorabatur Eliseus, trepidat Giezi sibi, dominóque timens; qui tamen ad Prophetæ orationem resumit animos, dum agnoscit auxilium: *Et ecce mons*, inquit Textus, *plenus equorũ, & curruum igneorum*. 4. Reg. 6. n. 17. Si hostes in circuitu erant ciuitatis, vt constat ex n. 15. cur auxilium in monte priùs cernitur? aut quomodo equi, & currus dicuntur *in circuitu Elisei*, qui in vrbe erat: nisi vrbs ipsa in monte collocaretur? Certè vrbs, sancti Prophetæ domicilium, in monte collocanda, cælo vicinior: quàmque licèt inuaderent hostes, tangere nequirent. Nunc ad rem. Cur, dum describitur auxiliũ, mons exprimitur? Credo, quia ipsam montis summitatem occuparat statim, indéque muniendo Eliseo confluxisse: idcóque securitatem asportasse: quia ea ipsa montis occupatione è cælo deuenisse testabatur. D. Ambros. Serm. 86. ad hunc locum: *In montibus ergo cernuntur armati: apparet eos verè descendisse de cælo, quorum aduentus primùm in montibus reperitur: ipsa enim locorum proximitas hoc demonstrat, quòd descendentes de cælo, non nisi iuga collium sibi vicina calcauerint.* E cælo quodam perfectionis longè puriori venit Maria, cuius primum fundamentum cernitur in montibus: colles tenet; quia quodammodo è collibus æternalibus defluebat.

Maria quasi è cælo delapsa reputanda. Psal. 86.

4. Reg. 6.

D. Ambr.

Quid ergo cælestem Virginem, imò cælum virgineum terrenis fomitis sordibus maculamus? Certè cælum peregrinas non patitur impressiones: ideò Ioannes Geometra hym. 3. ad Mariam: 731.

Χαῖρε, δέμας πάγεν ὑψόθεν ἀγλήεντος Ὀλύμπου,
Ἡμετέρης κακίης οὐδὲν ἀφελκομένη.
Salue, corpus formatum suprà in sublimi cælo,
Nostræ iniquitatis nihil contrahens.

Non solùm è cælo delapsa; sed terrenum quoddã cælum est. Geomet.

Sic enim pura Mariana caro, à quouis iniquitatis communis contagio, vt in cælo formata, & inde nobis delapsa videatur. Parum id. Non solùm è cælo delapsa, sed terrenum quoddam cælum nobis effluxit: *terrenum*, quia è carne nostrâ Mariæ; *cælum*, quia carnis affectu morbido expers omninò. Idem Geometra hym. 3. de eodem:

Χαῖρε, πόλος τρισδάτινος, αἰθέρα πάντοσε τείνων
Ἄσπετον, εὐφαέα, οὐδὲ δρόφους φορέων.
Χαῖρε, πόλος γαίων, καὶ οὐκ ἀνέμοισι τινάσσων
Ἐκτόθεν ἡμερίων ἡμετέρων παθέων.
Salue, ter radians cælum, aërem vndique pandens
Immensum, & nitidum, nec tenebras capiens,
Salue, cælum exultans, & sine flatibus vllis
Expers assuetarum nostrarum passionum.

Vndique ætherem, siue aërem ambientem lucidum reddit cælum nostrum: vndique etiam ab ipsa Conceptione, tenebras effugauit: omnia in cælo nostro serena, & absque venenatis flatibus serpentis, consuetis inde passionibus nostris, tanquàm peregrinis passionibus longissimè semotis.

Benè deinde *in montibus*, & illis *sanctis* fundatur ciuitas nostra: vt si fortè in modo loquendi scrupulosus, cælum, aut è cælo delapsam cum patribus dicere non audeas; saltem terram sanctam, purissimam, & ab ipso fundamento puram dicere tenearis. Dixerat de se Christus per Prophetam: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis*, Ps. 21. n. 7. Sed, quot, quæso, erant alia insensibilia, longè viuenti vermiculo abiectiora, quibus Christus famam suam apud impios abiectam esse voluit declarare? Certè multa. Cur ergo in tã studiosâ comparatione, se vnicè vermem voluit appellatum? Credo, vt obiter Matris honorem tueretur: ne quis dum Deum de assumpto homine audiebat abiectum, ex maculato principio, & culpâ abiecto productum intelligeret. Audi D. Ambros. Serm. 3. ad hunc locum, post alia; *Sed illud magis accipiendum puto, quoniam vermis nullâ extrinsecùs admixtione alieni corporis; sed de sola, & pura terra procreatur; ideò illum comparatum Domino: quoniam & ipse Saluator de sola, & pura Maria generatur.* Non *sola* dicitur Maria tantùm, quia virgo absque viro: sed & *pura*, quia absque vlla labe. Sic vermis ille, quia è puriori terra ortus, *vmbilicus terræ* solet appellari: quasi nihil videatur extranei elementi participare. 732.

Maria, terra benedicta.

Psal. 21.

Ambros.

Rarius aliquid imaginatur Ambrosius ad hunc locum, quod, quia etiam ad titulum nostrum facit, expendendum. Manna sibi præstitum, contra præceptum Domini, seruarunt in diem crastinum Israelitæ: *Et scatere cœpit vermibus*, addit Textus, *atque computruit.* Exod. 16. n. 20. Et meritò: quia, qui assignatum diei cibũ manducare spreuerunt, 733.

Exod. 16. Eucharistia mors est malis, vita bonis.

loco manna cælestis, vltores vermes sentiant, necesse; & pro vitali esca, (nota Eucharistiæ typum) mortis putredinem miseri susceperunt. Hinc ergo à Dauide allusum, voluit ibidem Ambrosius. Sed vbi, inquis, Maria, vbi terra illa pura, vnde vermiculus noster procreatus dicebatur? Maria quidem terra est; sed cælestis: Maria, manna quoddam è cælo proueniens: vnde & quà terra pura, & qua manna purissimum edidit nobis Christum Saluatorem. Idem Ambr. ibidem, loca cōcilians: Ambros. *De manna vermiculus gignitur; & Dominus Christus de Virgine procreatur: quin potiùs ipsam Mariam, manna dixerim: quia est subtilis, & splendida; suauis, & virgo: quæ, velut cælitùs veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit; quem qui edere & manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait Ioan. 6.* &c. *Filiis Israël subtiliter prophetatum est in veteri Testamento: manna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt, id est, contumaciæ vltores, & Iudices. Quæ similitudo Christum indicat Dominum: quem qui suauem cibum, & dulcem potum haurire neglexerit, Iudicem patietur.* Itaque ex mente Sancti Doctoris Maria cæleste etiam est manna, quæ dulcem cælestis manna cibum Christum, (quia eiusdem, quoad fieri poterat, cum illo, erat supernæ conditionis,) nobis intulit. Sed pende obiter.

734. Notaui alibi ex antiquis Philosophis, innatum nobis à culpa originali fomitem, per bestias quasdam ingenitas explicari. Vnde & fomitis libidines, vermes vocauit D. Zeno Veron. Serm. de B. Iobo, qui in sterquilinio sedens Christum referebat conuersantem: *Inter diuersis* (inquit D. Doctor) *ebullientes sceleribus, & libidinibus homines, qui veri sunt vermes.* Nollem igitur, dum malè tractantes Marianum nostrum manna, illud fomitis vermibus immiscemus, contumacia aliqua nobis imputaretur. Certè manna nostrum Christum si negligimus, iam vltores pro illo vermes experiemur. Cauendum ergo, ne Mariam manna non solùm debito hospitio non venerantes; sed, quod peius est, vermibus in Conceptione tradentes; pro materna illa solita misericordia, vermes læsi honoris, habeamus in vltores. Redeo.

Maria honoris sui vindex. Zeno Ver.

735. Et quidem non poterat, nisi pura ab omni culpæ fomite, nisi ab initio benedicta terra esse, quę nobis tantum fructum, dulcissimum Saluatorem germinauit. Vix Deus verbum illud protulit: *Germinet terra herbam virentem*, &c. Genes. 1. num. 11. cùm, vt ait Ambros. citandus, subitò vndique germina pullularunt, diuersâ rerum specie refulgente: hinc pratorum virens gratia abundantiam pabuli ministrabat: inde camporum planities, dum flauescentibus fluctuat spicis, vndosa segete imaginem æstuantis pelagi referebat: sponte omnes fructus producuntur; nec tamen arantur agri, quando & aratores ipsi non fuerant dum producti. Nil mirum: iusserat Deus: dictum factum. Sed mihi semper dubium, cur non solùm ista breuissimè producta; sed etiam producta *subitò* dicantur ab Ambrosio: iam enim multi Doctores contra Caietan. ibi, hæc à terra non fuisse edita asseuerarunt: quia, cùm à naturali terræ virtute hæc produci non possent, virtute supernaturali acceptâ terram id produxisse dicendum est. At non videtur necessarium, id miraculum concedere, vt terra tantam

Genes. 1. Ambros. *Maria quorsum terra benedicta.*

virtutem conciperet, vt in instanti omnia generaret: vnde dicunt, Deum per se produxisse: & quia terra materialiter, & passiuè se habuit materiam ministrans, dici omnia produxisse. Nihilominùs habemus ex Ambrosio causam satis congruam, vt credamus, terram virtutem etiam actiuam concepisse, vt in instanti omnia produceret, déque tanta actione nobilitaretur: ergo ille Hexam. 3. cap. 10. sic concludit: *Tunc autem prouentu spontaneo terra fructus locis omnibus inuehebat: verbum enim Dei fructificabat in terra, nec vllo adhuc erat terra damnata maledicto.* Quasi post maledictionem quodammodo incapax maneret tantæ concipiendæ virtutis, vt in instanti omnia produceret. In instanti, quod nullus Catholicorum negabit, produxit Maria Christum, tantò excellentior artifex, quàm terra, quantò opus est excellentius: puto, quia nullo fuerat vnquam damnata maledicto. Ambros.

Incarnatio Christi in instanti.

Ad tempus Incarnationis deducunt plures verba illa Sponsi Dei: *Veni, Auster; perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. 4. num. 16. Obumbrauit Spiritus Sanctus Mariam, & fœcundauit, vt inde cæleste illud nobis aroma flueret, Christus Dominus. At sic aroma est Christus, vt verè fructus sit virginei horti. Vnde ergo deducta metaphora in hunc locum, vt Spiritus Sanctus tunc ventus vocetur, quando Marianum fœcundat hortum purissimum; cùm horti fructus culturæ potiùs, imbri, & Solibus soleat attribui? At horti cæteri, quia profani, quia maledicti indigeant culturâ: hortus diuinus leui Spiritus Sancti flatu fœcundabitur. Exemplo res clarescet. Hortum quendam in terris, sed penè cælestem, & diuinum Amoribus, & amatorio Numini dicatum apud Cyprios celebrauit antiquitas, vnde nimbi, vnde pruinæ, turbines, & cęterę hyemis iniuriæ, & æstatis exulabant, mitissimo tantùm verè imperante: tunc summum horti sacri priuilegium sic describit Claud. de Nupt. Hon. 736.

Cant. 4. *In Annunc. Mariæ.*

Hunc aurea sepes
Cingit, quæ fuluo defendit prata metallo, &c.
Intus rura micant, manibus quæ subdita nullis,
Perpetuùm florent, Zephyro contenta colono.

Claudian.

Hortum fictum, factus noster superat: ideò Guillelmus ibi ad Mariam: *Ne timeas virginitati tuæ; quia non deflorab*eris *à viro, vt fœcunderis: sed sicut Dei hortum decet, Austro perflaberis vt fluant aromata tua.* Quidni? Diuina enim gleba horti Mariani, ordinariâ culturâ non indiguit, feliciter germinauit, cælesti tantùm Austro contenta colono.

Ex communi totius Ecclesiæ consensu cantantur de Deiparâ illa Eccles. 24. num. 17. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho: quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Sed tu mihi pōdera, dum dicitur absolutè cedrus Libani, cypressus Sion, palma Cades, oliua campi, ripæ platanus, non tam Iericho rosam, quàm *rosæ plantationem* appellari: cui enim sic obæsæ nari aliquid hîc mysterij non respiret? Non est Maria rosa, qualis nunc vernat; sed, qualis rosarum *plantatio* ab initio. Ignorat nemo illud Ambrosij Hexam. 3. cap. 11. quod didicit ex Basilio: *Surrexerat antè floribus immixta teneris, sine spinis rosa, & pulcherrimus* 737.

Eccli. 24. *Maria rosa absque spinis.* Ambros.

flos sine vlla fraude vernabat: posteà spina sepsit gratiam floris, tanquàm humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpè compungat. Terra post maledictionem spinas, & tribulos germinans, rosam priùs plantatam sentibus asperauit. Non terra maledicta Maria, nullas fomitis spinas, nullos peccati tribulos germinauit, quæ rosam suam non vtcunque; sed in plantatione, id est, in prima plantatione, quando sine vlla fraude vernabat, conseruauit.

738. *Et rosa impollutu.* Cape & aliam explicationem, non tam de solido, quàm de quæsito lepido gratiosam. Narro fabellam: affectus mens nescit, vndecunque possit, non aucupari laudes magnæ Matris. Deperibat Mars Venerem; hæc Adonidem, nescio quem puerum, quem deperditè sibi Numen destinarat: hunc, pertæsa cælum, per nemora, per syluas, venandi cupidissimum, venari satagit. Corripit ergo zelotypum ira Martem, mentitur aprum: captat simulatam prædam Adonis, & verè capitur, fulmineo dissimulatæ inuidiæ dente dilaceratus. Prostrato Amori properat in auxilium amasia; dúmque currit, incurrit vernantes rosas, quæ forte aderant, (albæ tunc illæ erant, despectus niuium:) læduntur plantæ sentibus, & manat cruor: hinc rosæ priùs candicantes, impudicæ Deæ sanguine rubuêre: pudorem, credo, de lasciui humoris contactu contrahentes. Absit ergo, vt Mariam rosæ credas comparatam, qualis rubet decolor candore vitiato: ad ipsam rosæ recurrit plantationem, adhuc niuea, adhuc pura, intacta adhuc. Sic quondam in Epigrammate ludebam:

Auth. Epig.

Æmula candori niueo (dum mitteret infans
Vagitus Orbis) pullulat ecce rosa:
Posteà sanguineo Veneris maculata rubore,
Heu manat: turpi nec sine labe manet.
Christiparens radians Virgo, quā Natus ab omni
Labe immunem optat, consimiléque sibi:
Exultans Iericho rosa felix, candida pelli
Sanguine lasciua signa relicta Deæ.
Non igitur rosa, qualis nunc fœdata cruore
Dicitur: ast qualis, cùm noua planta fuit.

739. At, si paululùm liceat adblandiri otio, posses huc adducere illud Isaïæ: *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* cap. 31. num. 22. Mariam nostram in vtero habentem Christum, vniuersa Ecclesia in his verbis recognoscit. Et benè, *nouum*: quid enim rarius, quàm virum Deum à virguncula cinctum audire, & coronatum? Coronatum quidem intelligit Gillibertus Serm. 21. *Fœmina circundabit virum, quomodo corona caput: caput enim Ecclesiæ Christus.* Audi nunc Septuaginta ibi: *Quoniam creauit Dominus salutem in plantatione noua: in salute circuibunt homines.* Virgo coronans Christum, salutem nostram, ideò nouum mirum inducit: quia noua plantatio. Puto, quia non aliter carne sua Christum posset coronare, nisi noua plantatio formaretur. Suo infectas rosas sanguine sic dilexit Venus, vt inde passim rosis coronata coleretur: imò & Claudianus de eadem seipsam coronaturâ 2. de rapt. & flores colligente, addit: *Illa cruoris carpit signa sui.* Nimirum, lasciua fœmina, lasciui cursus memorias non exhorret. Christus noster longè aliter coronatur rosâ purissimâ: & qui spineam coronam non exhorruit,

Isaïæ 31.
Maria Christi corona.
Gillibert.
Septuag.
Claudian.

horreret absque dubio carnem coronaturam, si aliquando spinâ culpæ, fomitis tribulo hispidam vidisset: ideò illam primæ plantationi reducere festinauit. Benè ergo Alanus ad illud de Maria: *Hortus conclusus soror mea.* Cant. 4. num. 12. sic scribit: *Hortus, in quo rosa Dominici Corporis, & Sanguinis: in quo lilium castitatis: conclusus, quia vtrobique clausus.* Caro illa verè rosea, sed ab horto clauso, in quem nihil labis vnquam penetrauit. Quid plura? *Maria,* vt habet Haïlgrinus ad Cant. 3. num. 6. *Agilis cursu,* &c. *omnes vitiorum spinas, & foueas transiliuit.* Sed iterum ad seria.

Maria nulla tulit spinas.
Alan.
Haïlgrin.

Dubitabis, cur nihil spinosum in Maria celebrent Doctores pij: cùm aliunde ferè omnes rubum illum Moysis accensum, & illæsum, typum Mariæ clarissimum contendant: & meritò, cùm ita etiam Patres existimarent. Dices ergo illæsam Mariæ virginitatem in partu Christi optimè designari: tamen propterea meritò *rubum*, id est, spinosam arbusculam à Deo huc adductam, vt Maria etiam quoad originem, spinam culpæ, & fomitis tribulum attulisse intelligatur, quamuis posteà perfectissimè mundaretur. Sed tu pende, quid ad locum istum Exodi: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. n. 2. scribat D. Greg. lib. Moral. 28. cap. 5. humanitatem Christi sacrosanctam in rubo explicans: *Deus per succensum rubum alloquens, quid aliud ostendis, nisi quòd ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis, carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas, susciperet: & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa Diuinitatis flamma seruaret.* Tantùm quòd ab humano genere spinoso veniret illa natura, quamuis omninò purissima, & sanctissima, *rubus* vocatur: & caro expers peccati, tantùm de peccati similitudine, eodem titulo venit insignienda. Idem ergo suo modo de Maria, dum sub eodem typo latet, dicendum est. 740.

Amouetur obiectio.
D. Gregor.

741. Sed minus est, hunc obicem auertisse: etiam in fauorem Mariæ conuertemus. Arripio auidè hunc rubum, in Mariæ figuram. Videamus visionem hanc magnam, *quòd rubus arderet, & non combureretur.* Cur in medio ignis, imò sub forma ignis apparet Deus; si tamen ignis munere functurus non erat? Si sacrosanctæ veritatis est illud: *Deus noster ignis consumens est,* vnde hîc inscius consumptionis, & flammantis oblitus voracitatis? Respondet Ambr. Hexam. 3. cap. 4. *Alterum munus ignis vacabat, alterum operabatur: vacabat exustionis vis, operabatur illuminationis: ideò stupebat Moyses; quia contra naturam suam, ignis non exurebat rubum, qui etiam vehementiorem materiem consueuit exurere. Sed Domini ignis illuminare solet, exurere non solet. At fortè dicas: Quomodo scriptum est: Ego sum ignis consumens? Benè admonuisti, non solet consumere, nisi sola peccata. In retributionibus quoque meritorum colligimus diuidi ignis naturam, vt alios illuminet, alios exurat.* O felicem typum Mariæ! quid mirum non exuratur rubus, si Maria non potuit exuri? Ignis ille sola peccata consumit. Perseueret ergo illæsus rubus, qui innocentissimam naturam referebat: nihil patiatur vmbra ab igne mystico, quando veritas ab eodem intacta perennauit: Mariæ quidem terra benedicta, exurendas spinas non potuit germinare.

Et retorquetur.
Exod. 3.
Deut. 4.
Ambros.

Habes

742. Habes ex dictis in Maria cælum quoddam animatum, terram cælestem, & sanctam, &, vt alibi sæpe dixi, ipsissimum Paradisum: quidni excellentiori quadam iustitia originali, quàm protoparentes, credas condecoratam? Adamus quidem externos occultæ originalis iustitiæ titulos præferebat, quòd Paradisi incola, cælo aduena properabat, inde felix domicilio, sed temporaneo: hinc hospitio felicior, sed æterno. Iustioris originis Maria, quæ Paradiso sacratior, cælo purior, Paradisus vernabat, lucebat cælum: Adamo bona illa indita, Mariæ agnata. Benè Cellens. de Adamo peccante, lib. de Pan. cap. 3. *Causa impedimentum attulit, ne viueret immortaliter, & angelica gloria sociaretur æternaliter, mandati præuaricatio, & pomi comestio: locus quidem causæ satis contiguus, vt homo de Paradiso transferretur ad cælum*, &c. Quia decebat vnicè innocentiam, vt Paradisum, cæli gradum poneret: & è terra benedicta, ad cæli benedictiones perueniret. Quantò origine iustior Maria, quæ benedicta terra, cælum benedictum?

Maria longè Adamo integro felicior.

Cellens.

§. VI.

Vnde dicatur ablui Deipara, cùm tamen culpæ, siue fomitis sordes non contraheret.

743. VT illa, quæ huc vsque diximus, meliùs capiantur; proponenda est obiectio non facilis, & dissoluenda: incedamus morosiùs. Recusarat humiliter Petrus à Domino lauari; dum tamen correptus audit, imminere sibi pœnam, ni lauetur, non solùm pedes; sed & caput, & manus exhibet abluendas: ad quem tunc Christus: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus.* Ioan. 13. num. 10. At cur, si est mundus totus, adhuc pedes lauabit? Vt ampliùs pedes mundet, id est, affectus, quibus rapitur, emaculet. Esto: veruntamen, quid præcipuè in pedibus latet, siue affectibus, vt etiam post Baptismum, quodámodo alia, atque alia indigeant lotione? Respondet Ambros. lib. 3. de Sacr. cap. 1. ad finem: *Quare hoc? Quia in Baptismate omnis culpa diluitur: recedit ergo culpa. Sed, quia Adam supplantatus à Diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideò lauas pedes, vt in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo posteà te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis.* Itaque non solùm in protoparente, calcaneis nostris insidiatus est serpens; sed etiam momordit; & vulneratis pedibus ingessit sordes, inspuit venenum. Ideò ergo meritò pedes, siue affectus, pio, vt sic dicam, anabaptismo, in dies magis, ac magis abluimus, vt partem magis læsam magis corroboremus. Adde, abluto iam culpæ veneno, adhuc veneni reliquias ab hoc originali morsu superesse, nimirum, affectuum rebellionem, fomitis tumultum, quibus sedandis, & veneni reliquiis magis abstergendis sanctificationis lauacra repetenda.

Humana sanitati semper imperfectio admixta.

Ioan. 13.

Ambros.

Descripta Ierusalem captiuitate, & misera de peccato commisso confusione, addit Ieremias: *Sordes eius in pedibus eius.* De quo benè D. Hier. ibi: *Sordes gestat in pedibus: quia gressum conuersationis suæ malis polluit operibus.* Venenati semel pedes, infecti affectus, semper fragiliores, vt nouas sordes iterum, atque iterum contraherent. Adhuc tamen aliud innuere potest Ieremias: dum enim pedes obiicit sordidatos, nudos supponit: nuditas autem pedum, seruilem & abiectam apertissimè indicat conditionem. Gypso olim venalium seruorum pedes fœdabantur, ideò Tibul. lib. 5. 744.

Thren. 1. 9. Hieron. *Culpa seruitutem inducit.*

Nota loquor, tenet ipse regnum, quem sæpè coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Tibull.

Licèt autem hæc inlutatio designandis certæ cuiusdam regionis mancipiolis deseruiret; ast non sine infamis vilitatis nota, nudi pedes, plusquàm membra alia, fœdandi eligebantur. Fortasse ergo ad litteram dantur captiuæ vrbi de seruitute nudi pedes, iique de nuditate sordidati: quia reuerà per culpam affectibus seruilis fuerat, & illis sordidis.

Motus erga prodigum suum misericordiâ Pater piissimus, exclamat illicò: *Date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius.* Luc. 15. n. 22. Et vnde tanta miseria infausti iuuenis, vt nec etiam vilibus calceis vteretur? Seruus fuerat vitiorum: ideò de illo Chrysol. Serm. 1. ait, à Patre recessisse, *vt dato, non accepto pretio, miseram se venderet seruituti.* Ergo seruili conditione præfœdatus, discalceatus veniat, necesse est, deformi pedum abiectus nuditate. Quid hoc vilius? Chrysol. iterum Serm. 3. *Date calceamenta: ne vilis in pede remaneret deformitas nuditatis: certè vt calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum.* Anterior, nimirum, vita erat, libera illa sub paternis amoribus conditio. Hinc enim absque dubio cum pedum ornatu, manus comptus iungitur: est enim hic annulus index libertatis. Idem Chrys. Serm. 5. *Posuit annulum in manu eius, annulum, honoris titulum, libertatis insigne.* Quasi & annuli, & calceamenti decore ad integram libertatē restitueretur. 745.

Luc. 15. *Libertas vera per gratiā comparatur.*

Chrysol.

Hinc meritò Abbas Cellens. de Pan. cap. 3. exponens hominis miserias, *quando exactori se vendidit*, id est, miseram in origine fœdata subiuit seruitutem; post multa tandem concludit scribens, quàm feliciter in statu innocentiæ integro permaneret: & ita subdit: *Sine dispendio namque itineris, & laboris peruenisset, quò repertari in Crucis nauigio, Christi manibus, & brachiis in remigando valdè fatigatis, vix quandoque poterit: in portu si expectasset, in aulæ penetralibus; absque angustiarum circuitu, de famulo in filium, Deus, & Pater eum sustulisset: pes eius neque sanguine tingeretur, neque puluere fœdaretur.* Cruentantur, nimirum, pedes spinis, fœdantur puluere: quia, dum seruus, pro conditione pergit discalceatus. Maneat ergo ratum ex Scripturæ, ex Patrum doctrina, culpæ seruos incedere discalceatos, indéque necessariò sordes quotidie contrahere, præter innatas illas, quas de superfusi veneni reliquiis fomite præfœdato patiuntur. Hæc breuiter ex multis, quæ huc quilibet posset cumulare, si opus foret. 746.

Naturalapsa miseria, etiā post condenationem. Cellens.

Ex dictis ingens suboritur difficultas contra intentum, cui in tota hac Anthologia, imò & in toto Opere desudamus. Pulsarat Christus ostium parthenicum: 747.

Cant. 5. parthenicum: cuius Maria, dum (magis de amoris

Maria cur dicatur lauare pedes. mysterio, quam de socordiæ affectu) innectit moras voto, sic protulisse scribitur: *Laui pedes meos: quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. num. 3. Adeste ergo, omnes, qui totum Canticum, & meritò, de Deipara vultis explicandum. Ipsa fatetur, se lauisse pedes: certè, quia sordes contraxerat, & reliquias despumati veneni, fomitem, scilicet, quantumuis ligatum, aliquandiu passa est: at nec sordidarentur pedes, nisi nudi incederent: neque nudi, absque seruitutis nota, veniunt intelligendi. Vidit difficultatem Delrius, vnde (Delr.) hic sensum mysticum pro Maria voluit deserendum. Nonnulla affert ex Haïlgrino, quæ illi meritò displicent; quamuis reuerâ ex multorum Patrum calculis possent illa confirmari. Quid alij sentiant, tu videris apud eosdem: ego prætermissâ nunc plena loci, & concatenationis explicatione, quia non è re mea, de mera pedum lotione, quæ obiicitur, quid sentiam, non aperio.

748. Suppono in primis, quod nemo negauerit, eodem modo dici *lauari pedes*, siue affectus; quàm

Purgatio in sacris, non supponit sordes. *purgari eosdem:* nihil enim abluitur, nisi vt purgetur. Quæro ergo, an affectuum, siue notitiarum purgatio, necessariò admissas sordes prærequirat? Id quidem, neque etiam aduersarij concedent, nisi forte Magistrum velint desertum: nihil enim verius scripsit D. Thomas in hoc art. 3. ad 3. quàm, dum loquens de Spiritu Sancto Incarnationis tempore Mariam purgante, sic subiungit: (D.Thom.) *Dicendum, quòd Spiritus Sanctus in Beata Virgine duplicem purgationem fecit. Vnam quidem quasi præparatoriam ad Christi Conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ, vel fomitis: sed mentem eius magis in vnum colligens, & à multitudine sustollens: nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas inuenitur, vt Dionysius dicit 6. cap. eccles. Hier.* Sic præsens pedum, siue affectuum ablutio, siue purgatio, venit explicanda. Didicit ex eodem Dionysio huius loci explicationem alter Dionys. Chartusianus, scilicet, art. 18. vbi facilè, & feliciter nodum dissoluit: (Dion.Chart.) *Quemadmodum, iuxta diuini Dionysij documenta, Angeli sancti dicuntur purgari, nequaquam ab immunditiâ culpæ; sed à minoratione perfectionis, cognitionisque suæ: sic excellentissima Domina lauit, id est, purgauit pedes suos; putà, affectus inuiolabiliter mundos, à minoratione perfectionis: quia in feruore affectuum sanctorum profecit assiduè.* Inuiolabiliter itaque mundus erat pes, siue affectus Marianus: & contra inuiolabilem munditiem, serpentis violentia non potuit præualere. Lauatur, non vt sordes emaculet; sed, vt cumulet fortes: non quòd egeat de culpa; sed, vt augeat merita.

749. Frustrà ergo de sordibus contractis, cùm nullæ sint, nudati pedes, tanquàm ancillæ, in Vir-

Maria semper libera. gine præsumuntur: cuius affectus virtutibus, vt ita dicam, sic calceantur, vt ipsos Angelos rapiant in admirationem. Præuidebatur Maria iam luce sua mundum irradiatura, cuius dum totum mysticum ornatum obstupescentes Cælites concelebrant totò cap. 7. ipso num. 1. sic inci-

Cant.7. piunt: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Quantum mirum! Singula Mariæ membra laudantur in hoc capite exquisitissimè, vt nosti: & tamen à pedibus calceatis, qui postremò videbantur commendandi, incipit ex abrupto panegyricus. Ecquis præposterum ordinem non præsumat? Certè non aliunde meliùs poterat, neque aptiùs inchoari. Fundat Maria laudes omnes in eo suas, quòd *filia Principis*, id est, omninò libera, absque vel minima incedat nota seruitutis. Benè ergo initio, Principis libera filia prædicatur: at non aliunde meliùs hæc libertas, quàm de adiunctis calceamentis celebraretur. Cur ita? Disce ex Ruperto ibi: *Annon ancilla, siue ancillæ filia discalceatis pedibus incedit?* Rupert.

Planè discalceatis: & propter hoc ipsum seruilis arguitur conditionis: quia nuditas pedum, seruilitatis est argumentum; excepto, si fiat propter Deum, &c. Verùm de calceamentis hîc agitur, non corporis; sed spiritus, in quo discalceatum esse, vel discalceatam, summa est ignobilitas, & plusquàm seruilis egestas: idcircò ancillæ calcaneum serpens momordit: tu autem, ò filia Principis, benè calceata caput serpentis contriuisti.

Amouimus obicem absolutè: sed adhuc ex 750.

locis Patrum contra nos adductis, Mariana encomia pressiùs depromenda. Calceata Maria, vt *Iusti serpentem calcant.*

vides ex Ruperto, serpentis caput conterit; quasi soleæ ipsæ de auro ad pulchritudinem renidentes, ferratæ ad hostis contritionem viderentur: decebat, nimirum, vt planta semper pura, impuritatem penitùs percalcaret. Lauat Christus Discipulorum pedes, vt veneni suffusi reliquias abstergat, neque vltra Discipuli supplantentur à serpente, qui calcaneo nostro insidiatur, Genes. 3. Sic Ambros. suprà n. 743. Sed quæro adhuc: nonne parum heroïcæ sanctitati Apostolorum, morsus euitare? Semper de non accepto, nunquam de illato damno gloriosi? Aliquid est, fateor, non vinci: sed, quantò foret, vincere, excellentius? Quantò maius, vt non solùm non supplantarentur, sed supplantarent? Nec id Discipulis suis negauit Christus: *Ecce,* inquit, *dedi vobis potestatem* Luc. 10.

calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici. Luc. 10. n. 19. Ideò ergo iam iturus ad Patrem, pedes nouâ puritatis corroborat armaturâ, quasi concessum iam priuilegium additis denuò viribus confirmaret. Sic capiendus D. Eucher. quæst. 168. apud Cerd. Aduers. cap. 115. *Quid mysterij continet locus, vbi* D.Eucher.

Dominus Discipulorum pedes lauit? In loco illo maledictum calcanei diluitur, quod Diabolo incentore anima nostra gressus incurrebant. Primò enim morsibus eius nostrum patebat calcaneum: porrò, cùm dictum est: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, maledictum illud abolitum est. Calcânt isti; sed post morsum acceptum: Maria nunquam morsa percalcauit. Lauarant illi reapse contractas sordes, purgarant infusum venenum: Maria Angelorum more purgari dicitur; sed longè puriùs.

Iam ad prodigum illum Chrysologianum ex 751.

num. 745. Venerat ille nudatis pedibus. Accepit *Idem aliunde probatur.*

calceos, vt calceatus anteactæ vitæ rediret ad cursum. Sed, quid faceret iuuenis, si iterum à teterrimo hoste, à callido serpente inuaderetur? In anteriori illa vita currebat ille; & tamen interim morsus non euitat. Heu! benè currens miserè fascinatur: quamuis ad cursum redeat, redibit periculum. O lætitiam de metu obnubilatâ! Sed sumat animos: eos accepit calceos, quibus non

non solùm priscam ineat viam, sed etiam serpentem aggredientem possit percalcare. D. Asterius apud Phot. cod. 271. post multa de prodigo: *Adducuntur & calcei, vt possit caput serpentis conculcare*, &c. *Ad vtrunque enim calceamenta vtilia sunt, cùm ad conculcandum serpentis caput, tum vt pes læsionis iniuriã effugiat.* Sed quàm longum discrimen! Prodigo discalceato olim, nunc calcei conceduntur: Virgini, quia nunquam peccato subdita, non tam denuò concessa dicuntur calceamenta, quàm absolutè, quasi accepta primitùs, commendantur, quibus semper in altius progrediens in incomparabilem gratiæ deuenit excessum. Prodigus itaque in regressu, Maria in gressu, imò ingressu calceatur.

D. Aster.

752. Sed, ecce instauratur obiectio, quam omninò amotam putabamus. E Mariæ calceamentis Cant. 7. celebratis illam probamus liberam, & proinde nunquam de pedũ nuditate sordes contrahentem: maiúsque robur inde petebamus, quòd his calceamentis viam virtutis festinantior ineat Deipara, quibus serpentis caput detruncauerat: quæ tamen omnia apparenter magis, quàm solidè dicta videantur. Oppones enim verba ista: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Mariæ in cælum assumptæ etiam accommodari: imò eam videri mentem Ecclesiæ, quæ in huius Festiuitatis Octaua, hinc lectiones desumit. Si ergo verum esset, quod diximus, serpenti proterendo, viæque peragendæ Mariam calceamentis se præmuniisse; in cælo, vbi nihil est periculi, calceamenta deponeret necessariò: cùm ergo ista in cælo conseruentur, absque dubio nunquam prædicto ministerio seruierunt. Legendus Ghislerius, qui encomium istud Virgini in cælum assumptæ ab Angelis voluit decantatum.

Cant. 7.

Maria assũptio.

753. Obiectio tamen facilis, quæque festiuam magis, quàm accuratam sollicitet rationem: cui tamen adhuc vtcunque aliquid roboris ex libro Exodi videtur conciliari. Obstupet Moyses accensum rubum, & dum properat visionem hanc miram agniturus, audit à Deo: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* cap. 3. num. 5. Perge inde, & vide paulò pòst Hebræis ad Pascha mysticum accedentibus diligenter præceptum: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus.* Ibidem, cap. 12. n. 1. Expressior quidem adhuc Christi figura erat paschalis agnus, quàm rubus ardens: insignior typus ille, & totius redemptionis mysterium repræsentans. Vnde igitur ad agnum calceati accedunt Hebræi; & non nisi discalceatus ad rubum accedit Moyses? Pende locorum discrimen, vbi vtrunque mysterium repræsentabatur. Moyses in terra sancta erat, æternæ patriæ symbolo apertissimo, vbi neque pungentes spinæ, neque serpens insidians inuenitur: quid ergo, aut munientibus pedes calceis, aut proterentibus hostem indigeret? At Hebræi adhuc in Ægypto erant; & posteà in terrena, licèt meliori prouincia futuri: ideò semper calceorum munimine egeant, necesse est. Pulchrè D. Gaudentius tract. 5. vtrunque concilians: *Ibi soluitur quæstio, vbi calceamenta soluuntur, dum statim causa adiicitur: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Ostenditur ergo terra Ægypti, vbi datur præceptio illa superior, sancta non esse; & ideò ibi habenda mandantur calceamenta: in terra autem sancta, decernuntur esse soluenda*, &c. *Beati enim mites, ait Dominus: quoniam ipsi possidebunt terram. non vtique istam terram, quam possident peccatores; sed illam, in qua non sunt spinæ, & tribuli; in qua non sunt serpentes, & scorpij: quippe, vbi Diabolus cum cæteris immundis Spiritibus, non accedit.* Cùm ergo in cælo, terrâ, inquam, sanctâ, calceamenta Mariæ commendentur; non erant data, vt in hac Ægypto nostra serpentis caput, & tribulos, & spinas conculcaret; aliàs, iam in cælo soluerentur.

Exod. 3.

Exod. 12.

In mundo semper pericula: plena quies in solo cælo.

D. Gaudent.

Respondeo, data fuisse, vt serpentem, & spinas conculcarent: & tamen adhuc in cælo, vtpote necessaria, non dissolui. Viderat Isaias Christum (in figura) sedentem super solium excelsum, & eleuatum, cap. 6. quem tamen verè videns Stephanus exclamat: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Act. 7. n. 56. Venturus in pugnam sedet: & quando quieturus, & sedens post victoriam videndus videbatur, stat adhuc? Nonne stare apud Iudicis Dei tribunal, habitus litigantis est? Omninò. Litigabátne adhuc Christus? Sic credit August. lib. 4. cap. 88. de cons. euang. vbi post alia de Christo sedente apud Isaiam, sic de eodem stante concludit: *Vt stans appareret, fecit calumnia Iudæorum: in Stephano autem Saluatoris causa vim patiebatur: ideò sedente Iudice Deo, stans apparuit, quasi qui causam diceret.* Nónne de honoris sui splendore, hodie adhuc in cælo litigat Maria? Ita est: cur non ergo conseruet calceamenta etiam in cælo, si minùs culpæ tribulis, & serpẽtino capiti conterendo; at spinosis argumentis, & callidis rationibus superandis, quæ ab Hæreticis contra Mariæ cultum afferuntur? O cesset aliquando apud Catholicos pios lis Mariæ: quando illa de Deitate Christi, etiam apud impios Hæreticos iam cessauit. De hac benè Chrysologus (cuius similia verba ex eiusdem epistolâ, suprà dedi) Serm. 145. *Humanæ leges intra triginta annos, litigiosas omnes interimunt quæstiones: & Christus circa quingentos annos, natiuitatis suæ causas præstat? Ortus sui lites patitur? Status sui sustinet quæstiones? Hæretice, desine iudicare Iudicem tuum; & adora in cælis Deum, quem Deum Magus adorauit in terris.* Desine, Schola Lutherana, iudicare Dominam tuam: depone impium Magistri dogma, serpentis sibilum, qui scripsit: *Nullum Festum magis odit anima, quàm Festum Corporis Christi, & Conceptionis B. Virginis.* Sin minùs, caue. Seruat adhuc Maria calceamenta, trisulcas & senticosas linguas, serpentinúmque caput contritura. Sedit Christus, lite diremptâ: deponet & Maria calceamenta, vbi lis omnis in illam dirimatur. Hæc de lotis, & calceatis Mariæ pedibus, nunc satis: quia de contrito serpentis capite, suo loco fusiùs differemus.

754.

Isaiæ 6.

Act. 7.

Maria, & Christus adhuc terrenos patiuntur aduersarios.

August.

Maria adhuc litem patitur.

Chrysol.

Honoris sui est vindex.

sterio seruientem, à culpa immunē,& propterea maledictionis incapacem : vnde filium aliàs dignum secura emittebat, noua adhuc dignitate de pia Matris diligentia cumulatum. Erat Iacobus (quod nemo ignorat) in hac re Christi typus, mortali carne induti, & tota similitudine peccatorem exprimentis : tunc sic Bernardus Serm. 28. in Cantic. *Noui, quòd sis lenis natura, mitis, & humilis corde, blandus aspectu, suauis spiritu,& quidem vnctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vnde ergo nunc instar Esaū pilosus, & hispidus? Cuiusnam rugosa, & tetra imago hæc, & vnde hi pili? Mei sunt: nam pilosa manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris: meos agnosco hos pilos, & in pelle mea videbo Deum Saluatorem meum. Non tamen Rebecca sic illum induit: sed Maria, tantò digniorem, qui benedictionem acciperet, quantò sanctior, quæ peperit.* Quasi sicut Iacob dignus etiam à matre sancta: sic à sanctissima Parente dignior Christus: non quòd reuerà Dei Filius aliquid dignitatis peragendo negotio à Maria mutuaretur: sed, quia, si à quauis creatura aliquid dignitatis Christo posset accrescere, id solùm à Maria (talis erat, tam omni à maledicto immunis) prouenire potuisse intelligeremus. Et quidem si *digniorem* explices pro *decentiori*; longè decentior Dei Filius ab hac Matre purissima, & immaculatæ Carnis pelliculas exhibente; quàm si ab aliquando maculata nasceretur.

Christi dignitas si crescere posset, cresceret à Mariâ.

D. Bernard.

698. Posses fortasse putare, non fieri à Bernardo comparationem digni Christi, cū se ipso digniori (eo modo, quo diximus) à Mariâ: sed dici Christum tantò digniorem Iacob, quantò Maria sanctior est Rebecca. Id tamen si voluit S. Abbas (quod non plenè ad eius mentem) satis Mariæ explicuit excellentiam. Laus tamen etiam suo sale explicanda : in infinitum enim magis præstat Iacobo Christus, quàm Maria Rebeccæ: pulchrè tamen infertur, eam distantiam inter sanctitatem Mariæ, & reliquarum fœminarum esse, quæ, quantùm res patitur, accedat ad distantiam, quæ inter Iesum, & reliquos viros omnes intercedit : ita vt infinita propemodum videatur: ita vt à Filij gratia, veniat etiam Matris gratia mensuranda : ideò Cellens. de Pan. cap. 9. *A quo est mutuanda gratia, vel accipienda, nisi ab eo, qui plenus veritate, & gratia, natus est de Matre gratiâ plenâ.* Quæ verba suprà fusiùs expendi. Maneat igitur, non minui Christo, quod Matri additur: imò potiùs maternâ gloriâ Christum condecorari. Nunc iam redeamus ad intentum, quo probamus, per Virginem naturam nostram manumissam, & liberatā, prisco statui fuisse restitutam.

Maria gratia Christi gratia mensurāda.

Cellens.

699. Sunt mira in hanc rem verba illa Christi: *Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* Luc. 13. n. 20. Attentionem captauit primis verbis:& dum visus dubitare, inter multa, quæ suggerebantur, cui maximè cæli regnum compararet, maximam in adducta similitudine quæsitam expressionem declarauit. Regnum Dei in Euangelio vocauit Christus, aduentum suum : cùm enim se in Spiritu Sancto eiicere Dæmonia comprobaret, & inde se legitimum Messiam concluderet aduenisse; sic subiunxit : *Igitur peruenit in vos regnum Dei.* Matth. 12. num. 29. Sed, quid, inquis, venienti Verbo, cum fermento? aut vbi massa, tanto digna fermento? Nota responsio Chrysologi : *Maria huius fermenti implet typum, similitudinem præfert, consignat figuram: dum de supernis suscipit fermentum Verbi, & humanam carnem in aluo Virginis, imò in alueo Virginis cælestem totam consperſit in massam.* Relinquo, quæ alij iam ad hæc verba: tu mihi pende, non vtcunque, *carnem humanam*, sed expressè *totam* carnem humanam in aluo Virginis, *cælestem in massam* conspersam appellari: quia per Mariam, relictis terrenis sordibus, cælestes propemodum euasimus, vt à cælesti Adamo simus & cælestes. Hæc S. Doctor Serm. 99.

Luc. 13.

A Maria cælestes sumus.

Matth. 12.

Chrysol.

Hanc esse Chrysologi mentem mihi persuadent, tum verba statim citanda, tum scopus Christi, qui vtplurimùm de aduentu suo ita dissere- bat, vt illum, per ordinem, ad vtilitatem nostram, explicaret. At in hac similitudine eò etiam summoperè respexit: vt quantùm magnæ Matri deberemus, ex illa Sole clariùs agnoscamus : cur enim cùm posset fermenti, & massæ conspersæ meminisse, expressam voluit mulierem ministrantem: nisi vt nosceretur sic nobis ab hac muliere vitam condiri, & salutem; sicut à prima mors, & morbida concupiscentia condita fuit? Chrysol. idem: *Vt mulier, quæ confecerat panem gemitus, & sudoris; panem vitæ coqueret, & salutis: & esset omnium viuentium mater vera per Christum; quæ erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob id nanque Christus nasci voluit, vt, sicut per Euam venit ad omnes mors: ita per Mariam rediret omnibus vita.* An ergo decens, vt aut peccato mortua, aut morbida fomite veniret Maria, per quam ab his omnibus liberatur natura, vt iam viui, & salui gratiæ restituamur? 700

Maria Antiena.

Chrysol.

Sed priùs quàm ad alia deueniam, in Deiparæ honorem, aperiendus Chrysologus. Quid, quæso, discriminis inuenit S. Doctor inter *aluum* Virginis, & *alueum*: cùm inter Authores classicos, has voces indifferenter pro eodem vsurpantes, vix appareat? Posses dicere, *alueum* de naui dici frequenter, de qua, quanuis dici possit, rariùs tamen *aluus* dicitur: vnde, cùm Maria, vt suprà latè dixi, sit nauis institoris de longè portans panem suum : meritò cùm de pane Christo sermo est; non solùm *aluus*, sed etiam *alueus* Virginis celebratur. Aliquid, licèt magis paralogicùm, fortasse non contemnendum hic addiderim. Vna est *aluei* significatio, quæ nusquam (si rectè memini) *aluo* attribuitur: qua denotat tabulā lusoriam latrunculorum; id est, *Tablero de axedres.* Quid ergo si hac significatione Marianum vterum *alueum* vocarit acutissimus Pater? In alueo quidem cādidis, nigrisque diuersicoloribus calculis colludimus, & grato artificio calculi festiuè commiscentur: at Angelorum candida innocentia, & hominum denigrata conscientia, in vtero Mariano commixta quodammodo, dum communem ibi habuêre Redemptorem, illi, vt dixi, præseruantem, isti medicantem, pulchram hanc varietatem contexere videtur. Videamus nonnulla, ad Chrysologi acumen, & institutum nostrum pariter confirmandum. 701

Alueus quid.

Maria vterus cur alueus appellatur.

Vnitatem gentilis populi, & Iudaïci in Christo celebratam describens Paulus, sic subiungit: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum; & medium* 702

Ephes. 2.

Per Mariam Angelos habemus amicos. medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua. Ephes 2.n.14. At, quorsum tam necessaria hæc vnitas nostra in Christo, nisi vt mediâ charitate vniatur Ecclesia nostra militans, & inde triūphali Ecclesiæ reuniatur: sicque ex hominibus,& Angelis felix quædā mixtura, grex Deo iucundissimus resultet: Id tantùm mihi considera, in Carne Christi fieri pacem istam: quia, ex quo Angelorum Dominus, hominum Carnem sumpsit, necessariò gratū inter Angelos, & homines commercium intercessit. Ast vbi Caro ista, nisi in Mariano vtero assumitur: Ibi, ibi in Christo Angeli, atque homines copulantur: ibi nigredo nostra angelico candori commiscetur: vt inde humanæ naturæ massa, in cælestem, id est, angelicam innocentiam, vt volebat Chrysologus, inspergeretur. Didici ex D. Epiphanio Orat. sæpè citatâ ad Mariam: *Per te, ô sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissoluit: per te pax cælestis data est mundo: per te homines facti sunt Angeli: per te homines facti sunt amici, serui, & Filij Dei: per te homines meruerunt esse conserui Angelorum, & cum eis familiariter conuersari.* An vterum tam festiui ludi, tam diuersicolorum calculorum alueum non appelles? D.Epiph.

703. Ecquæ igitur homines fauste sic euexit, aliquid humanæ sordis participaret? quæ piè sic è cælo, ad terram vsque Angelos deuexit, nónne ipsis Angelis superior, id est, purior fabricatur? Pulchrè idem Epiphanius: *Lætabantur Angeli, tanquam ipsi dumtaxat Deum haberent: quibus sanctissima Virgo superior nata, Deum habitantem in cælis concepit in terra; vt hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & versaretur cum hominibus: ipsa enim est terræ, & cæli mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit.* Nihil maius dici potuit. Virgo illa superior Angelis nata, vnionem istam peragit *naturaliter*. At, vnde opus gratiæ connaturale Mariæ dici potest? Frustrà te torqueas in explicando Epiphanio, nisi pariter mecum sic mediteris. Gratia quidem Mariæ fuit supernaturalis: veruntamen sic illi ab ipsâ origine coniuncta, sic originalis iustitiæ decore refulgens; vt iam omnia gratiæ opera Mariæ quodammodo naturalia videantur: nec enim aliter decenter sic posset naturam nostram manumittere, & illi Angelicam puritatem adhibere: nisi, quia Angelis superior, agnatam prædicto modo gratiam sortiretur. Maria purior Angelis. D.Epiph.

704. Aliter etiam prædictum alueum nostrum poteris explicare. Dicuntur in Maria iusti præmium, & peccatores misericordiam obtinere à Deo. En ergo alij calculi diuersicolores: culpæ atredo, & sanctitatis candor in Mariæ visceribus locum habent: vt eisdem coloribus pietas Deiparæ, sicut Dei patientia splendescat. Aduerte sis. Creat Deus hominem, de innocentia candidum: & subitò videt culpa denigratum Genes. 3. n.6. Vocat in concilium filios, Angelos splendentes: & ecce immiscetur Satan, quasi lucis vmbra, quasi fulgoris nebula, næuus pulchritudinis, Iob 2.num.1. Lauat Apostolos suos, qui iam loti, iam candidi, sed non omnes: aderat Iudas iam conceptæ proditionis labe fœdus, iam immanitate sceleris conspurcatus, Ioan. 13.num.10. O quid moliris, Pictor sacrosancte? Cur perpulchram, & candidam pictutam, admixta nigredine pateris conspurcari? Non miremur: mittamus stuporem: non minùs Dei bonitas fulget, dum erga iustos amanter, quàm dum erga impios se gerit patienter. Grauiter Cellensis de Pan.cap.16. *Pictor ille, cuius sedes, cælum est; cuius scabellum, terra; cuius albi, & optimi colores, bonum natiuum; cuius nigri & tetriores, voluntas rationalis deficient à bono principio, in finem teterrimum; cuius palatium, cæli cælorum; cuius secretarium est, quod præ omni intellectu, & cogitatione est excellentissimum: tam mirabiliter, quàm sapienter ordinationem suam disponens, priùs in Ecclesia instituit Patriarchas, & Prophetas; deinde Apostolos, & Euangelistas; posteà Doctores, & Pastores bonos: ad vltimum etiam seruos ad vtilitatem familiæ non recusauit. Vt autem nullâ in picturâ abusio videtur, si post album etiam subniger color supponitur: similiter si cum bonis Apostolis pessimus proditor Iudas inuenitur, vel Satan cum filiis adsit, consideratâ patientiâ, sine stupore suscipitur.* Sic considerata Mariæ pietate commendandum, quòd purissima, & natiuo colore splendens, in visceribus patientis misericordiæ suæ alueum paret, & subnigros, vt sic dicam, escacos, fouendis peccatoribus sortiatur. Dei bonitas in peccatoribus, & iustis splendescit. Genes. 3. Iob 2. Ioan. 13. Cellens. Maria peccatores fouet ad remedium.

705. Hominem Deorum pilam vocarunt Ethnici, sic huc, ac illuc facilè rotatur: at Dei nostri patientiæ, escacorum ludus (sic ferendâ vtcunque Latinitate vocatur noster *Axedres*) homines videntur. Quàm durus auarus ille diues: quàm miser mendicus ille Lazarus: in spectaculum mundo, & Angelis, & hominibus antithesis illa gratiæ, & naturæ exhibetur. Ille vestitur purpurâ; iste sanguine purpuratur: ille bysso purâ splendet; iste purè fœdo scatet: ille crapulam ructat; iste fame distorquetur: surdescebat ille vocibus, quas tot oribus, quot vulneribus iste effundebat; & dum ille molli decumbit in pluma, iste ad ianuam sternitur durissimam: diuiti gemmantes lances; lancinantes canes Lazaro admouentur. Et pateris, Numen: Quidni, si habet hūc escacorum ludum diuina patientia. Attende ad finem: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: mortuus est autem diues, & sepultus est in Inferno.* Luc. 16. n.22. Vbi Ludolphus par.2.cap.16. *Videtur esse de statu hominum, sicut de ludo escacorum: in illo enim ludo sunt Reges, & milites; senes, & iuuenes; magni, & parui, & cætera huiusmodi, quorum in ipso ludo continua fit de loco in locum mutatio, & quasi quædam mutua ad inuicem oppugnatio: sed completo cursu ludi, & temporis, omnia coniciuntur in saccum: & maiora quæque, & magis grauia cadunt in profundum. Sic diuersarum conditionum homines, in diuersis locis ponuntur, & frequenter de loco in locum mutantur; ac sæpè mutuò se impugnant, & sibi inuicem aduersantur: sed completo cursu eorum mittuntur in terræ saccum: & maiores, ac de onere peccatorum magis graues, descendunt cum diuite in Inferni abyssum.* Propterea ergo piissima Mariæ viscera, alueus appellantur, quæ etiam graues hos calculos suscipere, & fouere non dedignatur, vt deposito onere peccatorum aptentur cælo, feliciter conregnent. Mundus erga Deum, escacorum ludus. Luc. 16. Ludolph.

706. Psalmum octogesimumsextum de Maria, & illa concepta, iam plures explicarunt: & meritò; ideò enim, ni fallor, dicitur num.2. *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Quia porta ipsa, & ingressus sacræ nostræ Sionis, omnibus altissimis sanctitatis tabernaculis Psal. 86. Maria peccatores gestat in visceribus ad remedium.

præponitur. Plùs sibi Dominus complacuit in ingressu, id est, conceptione Mariæ, quam in apice, & perfectissimo fine omnium Sanctorum. Vide nunc, quid addatur à num. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Memor ero Rahab, & Babylonis, scientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerūt illic. Nunquid Sion, dicet homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus?* Vbi nosti omnes ferè Patres legere: *Mater Sion, dicet homo*, &c. Hinc mihi alia adhuc explicandi aluei nostri ratio occurrit: in vtero enim Mariæ, candor lucis æternæ, id est, Christus, & atredo culpæ, id est, peccator quodammodo gestatur; ille, vt sanctificet; iste, vt sanctificetur. Quis enim homo ille, qui in ea natus est, quique pariter, quatenus Deus Altissimus, illam fundauit, nisi Christus? Quis verò ille alter homo, qui dicit, *Mater Sion*; nisi ille, qui priùs Æthiops appellatur, & in illa etiam fuisse perhibetur? O quid agis, Maria? Candorem gestas lucis æternæ, speculum sine macula paternæ bonitatis: & simul Æthiopem maculatum gerere non abhorres? Quid faciat? alueus est: sic pulchrè variegaretur, necesse fuit. Non potuit Dei Mater esse ad gloriam, quin pariter rei Mater esset ad misericordiam. D. Thomas Villan. Conc. de Natiu. Virg. *De hac Virgine pulchrè Psalmus personat dicens: Mater Sion, dicet homo: & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam Altissimus. Mater (inquit) Sion, dicit homo. Quis homo? Vtique homo, propter quem factus est in ea homo, qui fundauit eam Altissimus. Mater ergo Sion, dicit reus homo: dicet etiam Altissimus homo: quia vtriusque hominis, Dei, videlicet, & rei Mater est. Denique attende, quis, Mater Sion, dicet homo. Ecce, inquit, alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illuc. Mater ergo Sion, dicet Æthiops homo: Æthiopes non abiicit Virgo decora; sed amplectitur, vt paruulos; diligit, vt filios, si tamen faciant, quod subiungitur: Memor ero Rahab, & Babylonis, scientium me. Sciant ergo ipsam Matrem. Mater Sion, dicet homo: homo, inquam, Æthiops, per quem Altissimus factus est homo: etenim, quia Altissimi Mater est, Æthiopis Matrem nominari non dedignatur.* Sed iam satis calculos moui ludens.

Thom. Vill.

707. In hanc igitur vrbem, vbi tota salus nostra constituitur, quam Altissimus ipse fundat: corrupti fomitis pathemata aliquando ingressa; ab hac, iustitiam originalem aliquando expulsam audebis affirmare? Ah nefas! Non foret, nec fundaretur nobis Sion ista sacra in vrbem fortitudinis, nisi sic muniretur, vt ipsum pro munimine habeat Saluatorem. Quàm clarè, & quàm sine ambagibus Isaias cap. 26. n. 1. *Vrbs fortitudinis nostræ, Sion: Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Omnibus Saluator aduenit; sed Mariæ signatissimus: quam vt nobis in vrbem præsidij collocaret, (vt rebellantes à fomite affectus vinceremus;) ipse sic tutatur, vt illi murus sit contra culpam, & contra præcursores culpæ, id est, contra fomitis motus, antemurale. Non poteramus in vrbe nostra liberari, nisi illa expugnabiliter ita defenderetur. Fauet Canisius lib. 2. cap. 6. de Deipara: *An non sancta ciuitas, Sion, quam inexpugnabilibus munimentis tutatus est is, qui natus est in ea, quique fundauit eam Altissimus: cui, videlicet, ipse est murus, & antemurale?* Non poterat certè aliquid bellantis, & rebellantis fomitis huic adesse, vbi perpetua pax internitebat: ideò Dauid de Christo: *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Ps. 75. num. 3. Id est, in Maria. De quo D. Thomas citatus Conc. 3. *Neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est: Factus est in pace locus eius, id est, domus diuinæ Sapientiæ, sine omni fomite peccati formata est.* Quem locum suprà fusiùs explicaui. Vide, quæ multa suprà dixi, de Mariano vtero naturam reformante, déque eius plenitudine gratiæ ad nos deriuata; quæque de illius propugnaculo cumulaui: quæ omnia præsentis tituli materiam confirmant.

Iesus Matris murus, & antemurale.

Isa. 26.

Canis.

§. III.

Mariæ gloriosa structura: Nomen decorum.



708. NON possum tamen hinc abire, quin in prædicto proximè Psalmo duo maneant exactiùs trutinata. Primum illud: *Et ipse fundauit eam Altissimus.* Quasi opus istud, & sanctæ ciuitatis structura, Deum singularissimè respiciat authorem. Ipse, ipse Altissimus, & Potentissimus Mariam fundat, & fabricat: non opus istud tam Ioachim, & Annæ tribuendum, quàm Deo: quia parentes Virgini carnem, sed intactam, sed absque fomite dum concedunt, non sibi carnem illam, quam Deus sic mundam edidit, arrogabunt. Et quamuis suprà fusè de Deo authore Mariæ disputaui, huc selectiora alia congerenda. Secundum trutinandum esto illud: *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* In Hebræo additur, *Selà*, vel, vt scribit Lyra, *Celà*: vúltque Aiguanus esse nomen vrbis proprium. Non premo nunc, quàm id verè dictum: satis mihi ad rem præsentem, si piè excogitatum. Ergo particulam Hebræam, *Selà* סלה æternitatis decus denotare nemo nescit: quasi ex mente Aiguani, vrbis nomen æternitatis gloriâ præfulgeret. Decenter ad rem nostram: fas enim, vt tantum opus excellentissimo titulo condecoraretur: & Virgo Deipara sacratissimo Mariæ nomine vocaretur. Sed, si quis scrupulosus contendat, tractas huc, non adductas ad rem meam Mariani Nominis laudes, quòd Aiguani explicatio litteralis vtplurimùm reiiciatur ad hunc locum: mitto Aiguanum: ex Hebræo Textu rem deduco, vbi sic legitur: נִכְבָּרוֹל מְדֻבָּר בָּךְ quod sic vertit Lorinus: *Gloriosarum rerum verbum dictum est in te.* Nullum verbum in vrbe nostra gloriosius, nec profundiori grauius mysterio, quàm Mariæ nomen. Sed iam suo ordine de primo disseramus.

Psal. 86.

Maria singularis Dei structura, quàm perfecta.

Aiguan.

Maria nomen gloriosum.

Lorin.

709. Promittebat Deus Israëlitis, id est, fidelibus omnibus suauissima Angelorum ministeria, quibus deinde sic subiungit: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui.* Exod. 23. n. 20. Angeli ducatum præbent, Angeli excubias exercent: nec tamen locus, quò ducunt, ab eisdem disponitur,

Celestis gloria iustis aparata, quanta.

disponitur, sed ab ipsomet Deo dicitur præparatus. Et cur ita? Vt excellentia loci intelligatur, in quo nihil summum non poterat esse, nihil vel leuissimè fœdum poterat reperiri: quando spretâ etiam angelicâ industria, illi diuinæ manus impenduntur. Oleaster (huc sæpiùs vocandus) ibi: *Expende, quòd non dicit, ad locum, quem parauit Angelus ductor; sed, quem ipse paraui tibi: tantæ enim nobilitatis est locus, qui tibi à Domino promissus est, vt ab alio, quàm ab eo parari nequeat. Oculus, ait Isaias, non vidit, quæ præparauit Deus diligentibus se: est enim ciuitas illa, cuius, vt ait Paulus, artifex, & conditor Deus.* Neget peculiariùs à Deo Mariam fabricatam, qui illam negauerit cælo nobiliorem. Quid fœdi in ciuitate nostra deprehendes: cuius Deus non vtcunque *artifex, & conditor*, sicut Hebr. 11. appellatur: sed, cùm fundat, *Altissimus* dicitur: vt altissima operis excellentia expressiùs agnoscatur? Hebr. 11.

710. Vt Orbis floribus amœnus, & frondosus arboribus vernaret, præcepit Deus terræ, vt parturiret: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum.* Genes. 1. num. 12. Sic terra suo iam comptu indoebatur, ipsa sibi vestem floridam apparuit. Et cælum interim nudum perseueret? At tarditatem, inquis, nobiliore opere compensabit: producet statim sibi stellas, Lunam, Solem, quibus longè excellentiùs fulgurabit. Vide quàm aliter: *Fecitque Deus duo luminaria magna*, &c. *& stellas: & posuit eas in firmamento cæli.* n. 16. Itáne? Terra sibi herbas floridas, arbores gratas producere iubetur: & cælum, ornatus sui fiat artifex, prohibetur? Si terra stellas odoratas, & vernantes sibi parit; cur cælum flores lucidos, & micantes sibi non germinet? Corruptibiles arbores, caduci flores à causis secundis decenter producuntur: at stellarum incorruptus splendor, Solis, & Lunæ immortalis, & nobilissima conditio, tantummodo diuinas manus decenter admittebant: vt inde maximam inter merè corporeas creaturas probent excellentiam, quia diuinum artificem sortiuntur. Oleaster morali not. ad cap. 8. Genes. *Nobiliora per se ipsum produxit: cætera vero à suis naturalibus causis gigni permittit: licèt enim astra cæli perfectiones esse dignoscantur; quia tamen nobilia valdè sunt, non permisit à firmamento produci: quemadmodum herbas, & arbores à terra; aues, & cuncta aquatica ab aquis.* At Virgo nostra tantò astris nobilior, stellis coronanda, Sole induenda, Lunam calceatura, quantam inter creaturas omnes probabit excellentiam, quæ sic priuato modo Altissimum sui habet Fundatorem? Cur ergo astro tanto tenebras misceamus? Quid à causis secundis fœdati fomitis influeret in illam, quæ sic attentè à causa primâ producta prædicatur?

Genes. 1.

Excellentia opera, artifici excellenti committitda.

Oleast.

711. Sed quid mirum attentè producatur, si à Deo in Deiparam formatur: quando minoribus vsibus res deputatæ, attentissimâ curâ à Deo producuntur. Editis creaturis, additur in sacro Textu: *Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Maius est, in lucis productione, eandem etiam sententiam vsurpari: *Et vidit Deus lucem, quod esset bona.* Genes. 1. n. 4. Nunquid diuinum opus alicúde defectum potuit habere, vt examine indigere videatur? Sed esto, alia opera examinentur: cur lux etiam, ad cuius purissimè factæ splendores cætera omnia examinanda videbantur? Respondet ibi latè Oleaster miratus diuinam maiestatem sollicitè expendentem, & examinantem, quod nostris vsibus operatur, sic concludens: *Expende cælum, terram aduerte, lucem considera, astra cerne; herbas, & fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur: vide, si quid illis desit, si quis defectus in eis contingat: nihil non omnibus numeris absolutum, nihil est deficiens, ita vt opus materiam superet. Quibus nos docere voluit, vt quoniam ipse, quæ nobis munera erat traditurus, tanta sollicitudine expendit; nos etiam, quæ eo iubente, aut volente facimus, talia fabricemus, vt nullus in eis defectus inueniatur.* Vide nunc, an lucis examinator, quæ ex se satis probata videbatur: an fœni expensor, quod ex se vilipendendum apparebat: Mariæ examen debitum prætetiret: cùm illa nobis, hanc sibi destinaret? Nunquid tãto operi originalis iustitiæ carentia, fœdati fomitis bellum adhæreret? O non in montibus sanctis; sed in inferniis vallibus fundatã ab Altissimo ciuitatem! exclamares. Oleast.

In Dei obsequium, perfectissima nobis opera apparanda.

Genes. 1.

Nimirum, non talem decuit fundari ab Altissimo ciuitatem, in qua ipse nasceretur, non talem Sionem, in qua pacificus habitaret, vt suprà vidisti, quin ad tam intimum ministerium, singularissimam structuræ ideam admouisset. Instituebat Deus Moysem, deinde de Sanctuario construendo sic subdebat: *Faciéntque mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum: iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius.* Exod. 25. num. 8. At, quot iam viderat tabernacula Moyses: quot vasa in domo regiâ, ad quorum formam, licèt longè perfectiora, hæc diuino ministerio poterant fabricari? Cur ergo necessariò nouum erat exemplar exhibendum, cùm veterum forma sublatis imperfectionibus satis videretur? Ne quid è terrâ, in operis tanti archetypon veniret: vt tabernaculum hoc, eiúsque vasa, nihil cùm terrenis aliis commune, quoad structuram, haberet: vt è cælo tantùm eius forma pendisse crederetur. Iterum Oleaster ad hunc locum: *Quàm eleuata sunt à nostris opera tua, Domine, vt nihil in terris inueniatur, ad cuius imitationem fiant, quæ pertinent ad cultum tuum; sed opus sit exemplari cælesti, cui, quæ ad tuum ministerium pertinent, assimilentur.* Et quàm aliud, quàm pretiosius Mariani Tabernaculi ministerium? Certè non corruptarum conceptionum forma, non corporum fomite fœdatorum exemplar Mariæ construendæ deseruiuit: purioris, & cælestis alicuius exemplaris euasit similitudo. 712.

Vt omninò è cælestibus exemplaribus desumpta videantur.

Exod. 25.

Oleast.

Hinc est (initio vt dicebam) quòd licèt à Ioachimo, & Anna sanctissimis Maria produceretur; interueniente tamen tantâ Dei gratiâ, tum in corpore, vt creditur, miraculosè formãdo; tum in Anima sanctificanda, & fomite penitùs remouendo: artifici potiùs Deo tam pulcher, & faustus fœtus, quàm propriis parentibus tribuendus videatur: vt iam eueniat parentibus Mariæ erga ipsam, quod ipsi erga Iesum suum debitâ sic euenit proportione. Attende. Sæculorum mysterium, turbatæ de nouitate Virgini, Angelus nunciaturus iam, sic subdidit: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium: & vocabis nomen eius, Iesum.* Luc. 1. num. 31. Virgini virum non agnoscenti Filius nunciatur, qui proinde totus illius vnius futurus, videbatur dicendus. 713.

Maria in suâ Conceptione, Christo similis.

Luc. 1.

Ecquid

Ecquid hoc inter faustissima nuncia taces, Paranymphe? Cur non exprimis: *Paries tibi Filium?* Cur non subdis: *Filium tuum totum futurum*, edes, Virgo? Cur sic absoluto pronunciato sententiam suspendis? Quia, licet nullus magis propriè Matris suæ Filius, quàm Mariæ Christus: at, cùm in Christo longe minus esset, quod natura illi indidit à Maria, quàm quod gratia ab Spiritu Sancto illi contulit; gratiæ potiùs quàm naturæ Filius videtur appellandus. Cæteræ matres pretio virginitatis amissæ, & doloris admissi in partu, maternitatis titulum compararunt: Maria Virgo concipiens, enixa gaudio, Matris nomen magis dono acceptum, quàm stipendio redemptum visa sortiri: fœtus ergo magis gratiæ, quam naturæ deputandus. Caue aliter accipias piissimam, & acutissimam licentiam
Chrysol. Chrysologi Serm. 142. vbi ita: *Paries Filium. Non dixit, tibi: non dixit, tuum. Quare? Quia sanctum vocabitur Filius Dei. Virgo, te Matrem gratia præstitit, non natura: Genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas: in tuo conceptu, in tuo partu, creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseuerauere virtutes. Virgo, si tibi salua sunt omnia, quid dedisti? Si Virgo, quomodo Mater? Si Sponsa, Genitrix quomodo? Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nihil minuit, Virgo. Virgo, concipitur in te author tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est Genitor tuus, in tua carne est Deus tuus; & ipse lucem mundi per te cepit, qui lucem mundo dedit. Monita ergo per Angelum, Virgo, ne præsumas hunc vocare Filium tuum: sed mox vt genueris, inuoca Saluatorem: quia virginitas non sibi paru Filium, sed paru pignus authoris: & integritas suum gestat Dominum, non alumnum, dicente Angelo: Et vocabis nomen eius, Iesum.* Pende quidem (si nosti, quid sit licentia apud Rhetores) an apud Ciceronem, vel Demosthenem amœnioris schematis videris elocutionem.

714. Hoc ergo est, quod suo modo euenit Mariæ pa-
Id probatur. rentibus: dedêre quidem naturam Mariæ; sed longè plùs in Maria gratia fuit operata: tam impense Virgo nostra à Deo elaboratur, vt non tam hominum, quàm Dei ipsius opus veniat appellanda. Si aliquando Damasceni verba ignota nemini, ex Orat. 1. de Natiu. Virg. penitùs intel-
Damasc. ligenda veniunt, id nunc est: *Natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens: quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur; natura, gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est: verùm tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Maria gratiæ fœtus est: non Annæ vteri, sed gratiæ fructus venit appellanda: quid singularissimam suam structuram, gratia fomitis sordibus præseruaret: aut quid parentes filiam dicant, quam naturalis sui morbi hæredem non instituunt? Quomodo autem explicandus Damascenus, dum ait, priùs Mariæ gratiam aduenisse, quàm naturam, iam in Examine primi Articuli explicaui. Sed quod ibi de Baptistâ attuli, hic altiùs, in rei præsentis exemplum, euiscerandum.

715. De Baptistæ ergo parentibus locuturus Lucas, sic subdidit: *Et non erat illis filius, eo quod esset Eli-*
Luc. 1. *sabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.*
Baptista encomium. Cap. 1. num. 7. De quo Chrysol. Serm. 91. *Elisabeth sanctæ partus, non ablatus est; sed dilatus, donec transiret tempus carnis, passio corporis, coniugij necessitas, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum, quod humanam confundit, grauat, onerat conscientiam. Mundabatur enim longo tempore sacrificij domus, sanctitatis hospitium, meatus metatoris Christi, Angeli domicilium, aula Spiritus Sancti, Dei templum.* Verissimè cogitata, expressa politissimè. Sed, quis non addubitet, cur si plenior gratia longè perfectiùs, virenti adhuc ætate, poterat abolere defectus, quos posteà senectus aboleuit: illa id temporis non fuerit Præcursoris parentibus concessa? Quid facit sterilitas senectute grauata, quò ad Ioannis excellentiam affectetur? Nimirum, vt dum natura sterilis, & omninò inhabilis videbatur: iam partus ille, non parentibus, sed gratiæ deputaretur: dúmque deputatur gratiæ, iam non solùm inter natos mulierum Ioannes maior; sed etiam penè Angelus intelligatur, cuius structuræ Deus sic incubuit. Viderat D. Chrysol. Serm. 89. *Ergo in Zacharia, & Elisabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit: abolescit totum, quidquid est, & humani ordinis, & negotij coniugalis: vt diuino munere, non partu ex hominibus Angelus nasceretur.* Chrysol. Et quantò ergo puriùs fundatur ciuitas nostra, Virgo Deipara, quæ non in penè Angelum, sed plenè in Angelorum Reginam parabatur: Quantò gloriosior Mariæ structura, quæ non in seruile ministerium; sed in Matris, quoad fieri decebat, imperium prodibat? Ioanni in vtero fomes saltem mitigatus: à Reginæ Conceptione penitùs effugatus.

Vtrobique verò Chrysologus, dum Ioannem, 716.
Angelum vocat, alludit ad verba Christi dicentis de eodem: *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce* Matth. 11.
ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui Malach 3.
præparabit viam tuam ante te. Matth. 11. n. 10. Vbi alluditur ad cap. 3. Malach. num. 1. vbi mihi semper dubium, cur Ioannes non solùm mortalium perfectissimus formetur; sed etiam Angelus veniat nominandus: neque enim solùm Angelus dicitur, quia de officio nuncius intelligitur: sed etiam vt eius puritas, quantùm carnis conditio fert, puritatis angelicæ conditionem participare intelligatur. At, cur ita, cùm inde errandi occasionem Hæretici desumerent, vt Ioannem verè Angelum possent blasphemare? Quia non obuelanda tanti mysterij decentia: quamuis suâ culpâ Hæretici impingerent. Decebat autem maximè, vt quoniam Deus incarnatus reuerà in terra apparebat, in terra incarnatos quodammodo Angelos efformaret: vt humano iam Deo, humanus penè Angelus ministraret: vt, quemadmodum in suo cælo Spiritus est Dominus, & ab Spiritibus seruitur angelicis: sic in terra nostra, dum carnem assumit, quodammodo à carne angelica sentiatur. Acumen est Chrysologi citati proximè: *Cùm Christus Deus nasceretur in carne, Ioannes Angelus est generatus in terris, vt ita officia terrena, officiis se cælestibus miscerent, sicut humanis se diuina miscebant: & in terra Deo Angelus; Domino, ordo cælestis obsequi non deesset.* Si tanta proportio inter ministros Dei meri, & eiusdem incarnati Dei requiritur ministros: quanta inter meri Dei Patrem, & eiusdem incarnati Matrem requiratur? Abhorreret Deus homo Ioannem ministrum peculiarem, nisi Angelis, à quibus in cælo colitur, responderet, quoad posset: multò ergo magis

Ministrorum splendor debet Regis splendori respondere.

Baptistæ laus.

Chrysol.

magis Mariam incarnandus abhorreret, nisi talis strueretur, vt, quoad posset, Patri responderet. At, vnde Deo Maria responderet, si sub origine fœda, effræni fomite, & absque originali iustitia ederetur?

717. At, dicet aduersarius, fundatorem Mariæ dici Altissimum, & eiusdem perfectissimum structorem: non quòd sub his perfectionibus in ipso Conceptionis initio illam fundaret: sed, quòd mundans illam ab originali peccato, deinde pulcherrimâ structurâ nobile fundamentum optimo ædificio collocarit: sicut authore Paulo, abolitâ nobis culpâ, deinde fit nobis Christus spiritualis ædificij fundamentum. Fateor in nobis rem sic euenire: at in Maria, cuius Dominus, vt fatentur Patres hic, & Anthol. 2. citati, singularissimus dicitur structor, id indecens omninò existimandum, cùm longè maius aliquid de Matre, quàm de seruis cogitaret. Ratio est: quia post culpam opprimentem, ruinæ Marianæ relictæ, etiam post reconciliationem, minùs habiles, & minùs decentes (vt sæpè dixi) diuino ædificio è se manebant: neque vult Deus in opere aliquo singularissimo, quod tamen ruinam passum est; author singularissimus haberi, cùm reparatur: idque, (quod maius est,) quamuis aliunde materia petatur, nedum quando eadem materia ruinosa desumenda. Habeo rei huiusce illustre testimonium in Scriptura.

Maria cur dicatur fundata et structa, id est, à natura integra.

718. Visa populi idololatria, immanissimo se piaculo obstringentis, fregit Moyses tabulas, Exod. 32. n. 19. *tabulas*, inquam, *scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini: scriptura quoque Dei erat in tabulis.* Ibidem, num. 15. Punit seuerè populum Dux sanctissimus; illiminatur culpa; Deus reconciliatur, qui deinde sic ad Moysem: *Præcide tibi duas tabulas lapideas*, (Hebr. *dola tibi*) *instar priorum, & scribam super eas*, &c. Ibid. cap. 34. n. 1. Præterea, non fuisse difficile Deo, tabulas illas priscas, & confractas resarcire: verùm noluisse: quia in tantum ministerium tabulæ semel confractæ minùs idoneæ. Illud miror: cur, si priores tabulæ diuino opere fuerant dolatæ; secundæ istæ humano artificio dolandæ præcipiantur? Et respondet optimè ibi Oleaster ad litteram. *Exquirendum hic meritò esset, cur Dominus noluerit alias tabulas dolare; sed Moysi præcipit, vt fabricet ipse eas: ad quod dicitur, Dominum Deum hac voluisse damnatione punire Iudæos, ne gloriarentur amplius, se habere tabulas Dei opere fabricatas.* Clariùs in mor. not. ad rem meam: *Pessima res peccatum, ob quod, etiam post reconciliationem, aliquid mali in nobis relinquitur. Erant priores tabulæ non solùm scriptæ à Domino, sed etiam ab eo dolatæ, & paratæ: nunc verò, licèt Dominus voluerit eas scribere; munus tamen dolandi Moysi iniunxit.* Sic quodammodo in re nostra: si Maria quandoque peccauit, etiam post reconciliationem aliquid indigni retineret, ne illud gratiæ ædificium sortiri diceretur, cuius Deus specialissimus fabricator haberi vellet: gratiam magnam haberet; sed ex vulgari genere, originis priuilegio spoliatam: quæ gratia, licèt à creaturis non veniret; tamen singularissima Domini structura non diceretur. Negatur populo, etiam reconciliato, priuata Dei in tabulis structura: negaretur Mariæ etiam iustificatæ, illa perfectionis ratio, quæ antonomasticè Dei structura, eiúsque singularissima fundatio appellaretur? Et quid, si aliunde, vt vides, ruinosa illa Mariæ materia, caro fœdata, non tam scribendis legis verbis, quàm Verbo diuino dicitur assumpta? Sed de hoc alibi. Nunc seorsim de Mariano nomine disseramus.

Exod. 32.

Id exemplo confirmatur.

Exod. 34.

Oleast.

§. IV.

Expendo, quod de Mariano nomine proposui, & eius analogiam ad Iesum.



Non solùm sic gloriosè fundatur ciuitas nostra; sed gloriosum de illa Verbum dicitur: quia sic glorioso nomine appellatur, vt in ipso titulo iustitiæ originalis titulos erigat, trophæa gratiæ erigat immortalia. Mariæ nomen aliis olim concessum fateor: nouum tamen, & illibatum Mariæ vni Deiparæ seruabatur. Huc facit, quod suprà ad rem aliam ex Plinio delibaui, Traianum suum in pulcherrimo illo Panegyrico commendante. Vocarunt Romani post longæ meditationis impensam curam Traianum Imperat. *Optimum*, quibus si opponas, hoc titulo alios quosuis Principes priùs appellatos, respondet: *Iustisne de causis Senatus, Populusque Romanus Optimi tibi cognomen addidit? Parum id quidem, & in medio positum: nouum tamen. Sciat, neminem antè meruisse, quod non erat excogitandum, si quis meruisset.* Non huius nominis splendorem detriuerunt, qui priùs olim sine merito attrectarunt: nouum, & illibatum benè & vnicè merenti Principi seruabatur: quia mensuram nominis adimplebat. Vnde Ouidius ad Maximum, verum Dynastam, sic scribit: 719.

Maria nomē nouū Mariæ Deiparæ seruabatur.

Plin. iun.

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.

Quasi cæteri, licèt Maximi vocarentur, nominis nouitatem non detererent, quia mensuram nominis defraudabant.

Multæ olim Mariæ: sed nominis magnitudinem non implebant. Vna est Deipara, cui meritò carmen refingas dicens: 720.

Huius nominis dignitas.

Maria, quæ tanti mensuram nominis imples.

Illibatum ergo hoc illi vnicæ nomen destinatur. Pulchrè Ludolphus par. 2. cap. 86. de Mariæ nomine: *O nomen admirabile! ô nomen delectabile! ô nomen grauidum Sacramentis, & diuinis plenum mysteriis! ô nomen gloriosum! ô nomen celeberrimum! ô nomen sublime ante tempora vniuersa in Dei prædestinatione compositum, & in tempore dignæ personæ, secundùm rem conuenienter impositum. O nomen, quod nominatur sæpiùs, & frequenter dulciùs in congregatione iustorum: & quod versatur clementiùs in ore peccatorum.* Non dignæ vsque tunc personæ, sed tantùm in ænigma, Deiparam figurantibus fœminis imponebatur. Studuit, vt ita dicam, Deus, sedulò antè tempora meditatus, vt huius nominis elucubrationem gloriosissimam ederet in tempore. Vno verbo: ex mente Ludolphi, talem suo modo erga Mariæ nomen, qualem erga nomen Iesu, se gessit Deus: simili curâ vtriusque nomen voluit compositum.

Ludolph.

Circunciso

721. Circunciso iam puero, & stigma peccati suscipiente Deo, addit Lucas: *Vocatum est nomen eius, Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in vtero conciperetur.* Luc. 2. num. 21. alludens ad illud, quo Angelus Mariæ dixerat cap. 1. n. 31. *Et vocabis nomen eius, Iesum.* Sed, quorsum hæc prisci præcepti rememoratio? An ea erat Maria, de qua dubitare possemus, an impleslet præceptum, nisi Lucas impletum asseueraret? Absit: sed, vt, dum toties vocatum dicitur nomen, non inditum; neque à Maria, neque ab Angelo compositum intelligatur, sed ab æternitate a Patre excogitatum, & Christo, quasi à natura ipsa congenitum. Bern. Serm. 2. Circuncis. *A natura propria habet, vt sit Saluator: innatum est ei hoc nomen, non inditum ab humana, vel angelica creatura.* Et quid inde? Certè in aliis, vt in Iesu Naue, & Iesu Sidrach, ac similibus, vacuum, & sine re fuisse titulum inferemus. Viderat idem Bern. Serm. 1. *Neque enim ad instar priorum, meus iste Iesus nomen vacuum, aut inane portat: non est in eo magni nominis vmbra; sed veritas: cælitus siquidem inditum nomen Euangelista testatur.* Tale aliquid de Mariæ nomine voluit Ludolphus, à Deo ab æternitate compositum, & aut expressa reuelatione, (quod puto probabile,) aut saltem intima inspiratione facta parentibus, Virgini tandem in tempore impositum. Videamus, quàm iure id voluerit.

Luc. 2. *Iesu nomē in solo Christo plenum.* Bernard. *Mariæ nomē, Iesu nomini respondet.*

722. Manifestissimum, & ab ipso Deo missum venturi Christi signum editurus Isaïas, sic habet: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: & vocabitur nomen eius, Emmanuel.* cap. 7. num. 14. Vbi quærendum meritò, cur, si tam apertum, & rarum signum à virginitate Matris edebatur, Filij proprium nomen, Iesus, scilicet, subticetur: quamuis enim vocabula obuelando mysterio quærerentur; Iesu nomen, cùm significantiam salutis inuolueret, ænigmaticum etiam putari posset. Quid ergo in Emmanuelis nomine latet, vt hoc maximè, nasciturus à Virgine, prædicetur? Credo ita factum, vt ex Filij agnomine, nomen Virginis Matris, quod interim subticebatur, augurarentur: *Emmanuel*, sonat, *nobiscum Deus*: quo clarè incarnandus Deus significatur. Quis ergo non suspicaretur, Matrem Virginem, quæ priuata huius Incarnationis administra, vocandam fore Mariam, quod nomen sonat, *Deus ex genere meo?* Sed, quid tunc, inquis, si Maria, ipsâ nominis notione Christum è se indicet nasciturum? Quid? Fatearis vt necessariò, in prioribus nomen hoc vacuum, & inane fuisse, magnique tituli vmbram, non veritatem. Mentior, aut totum hoc voluit Ambros. ignotis nemini verbis ex cap. 5. de instit. virg: *Maria, quæ nobis non solum virginitatis incentiuum attulit; sed etiam Deum intulit: vnde lætus, & exultans tanto munere dicit Isaias: Ecce Virgo, &c. Nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Vnde hoc munus? Non de terra vtique, sed de cælo; vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit, & sacrauit templum pudoris: per vnam descendit; sed multas vocauit. Vnde & speciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo. Dicta sunt & antè Mariæ multa: nam & Maria soror Aaron dicta fuit; sed illa Maria amaritudo maris vocabatur.* Amarescebat nomen in aliis, solummodo in Maria nostra dulcescebat. Et immiscebis aliquid, aut amaricantis culpæ, aut sordidantis fomitis in ea, quæ nihil amari maris, nihil terræ fœdæ, (quia è cælo quodammodo elapsa, teste Ambrosio,) sibi contractum, ipso nomine Deiparæ à sæculis excogitato præferebat? Aliter hunc locum suprà dedi num. 575.

Isaïæ 7. *Maria nomē illi nouum seruabatur.* Ambros.

723. Turbatur Maria, quòd se gratiâ plenam audiat salutari: ad quam tūc Angelus: *Ne timeas, Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies,* &c. Luc. 1. num. 30. Turbatur virguncula, auditâ gratiæ suæ plenitudine: & serenabitur, si audit denuò, gratiam illam esse non quancunque, sed illam, quæ, vt suprà dixi, erat apud Deum seruata, quamque Eua cum originali iustitia amiserat? Parum id: turbatur de gratiæ salutatione, & de conceptu Principis gratiarum serenabitur? Planè: exprimitur enim ideò illi nomen, vt recolens, quâ curâ à Deo illi foret impositus titulus dominationis, meritò quidquid esset timoris, sciret abiiciendum. Trita verba Chrysol. ad hunc locum Serm. 142. *Ante causam, dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo sermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deserat seruitutis.* Sed esto, inquis, sit Maria Domina, ne vltrà turbetur: vnde tamen, audito Dominæ nomine, non solùm timorem abiiciat; sed etiam concipiendi Verbi spem concipiat? Quia sic per Mariam exprimitur dominatio, vt etiam *spes* exprimatur. D. Epiphan. Orat. sæpè citata: *Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem: peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe, Christum.* Benè ergo è nomine suo electionem suam augurarettur: nec aliunde aptiùs Saluator spes Orbis nasceretur, quàm ab illa, quæ ipso nomine non casso, cum eodem sic mirè symbolizabat.

Luc. 1 *Maria nomē dominam signat, & spē.* Chrysol. Epiph.

724. Euenit ergo, ni fallor, Mariæ in hac Angeli legatione, quod in ligatione sua euenit posteà Christo: licèt discrimen tantum esset, inter legatum Gabrielem, & ligantem Pharisæum. Permiserat Christus potētiis suis inferioribus, vt rebellarent, & vt mœstissimi affectus iaculis, vsque ad mortem, eundem lancinarent: inde horror, inde mortis deprecatio, vnde summa constantia, sudato sanguine, timoris sui chirographum rubricauit. Pergit inde obuiis inimicis: *Sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum.* Ioan. 18. à n. 4. Norat omnia, & certè, quem quærerent, haud poterat ignorare: & tamen interrogat. Paulò antè liberè timidus, mortem deprecatur: nunc iam totus intrepidus morti se offert dicens: *Ego sum.* An non grande mysterium? Grande. Qui horrorem inferiori portioni permiserat de mortis memoria; eidem, credo, fortitudinem destinarat, de audito Iesu nomine. Interrogat ergo non ignorans; sed captans responsionem, vt portio deiecta, audito glorioso Saluatoris titulo, animaretur: sic animata, iam mortem amplexatur, quam horruerat. Sic Virgini Mariæ nomen exprimitur, vt amisso timore, tota iam in fiduciam releuetur. Quidni nos confortet Iesu nomen, quo ipse reficitur? Quidni oppressos releuet Mariæ nomen, quo ipsa releuatur? Ideò Ludolphus citatus: *O Maria, tui recordatio nominis, melle dulcior, nectare suauior, fessos recreat, mœstos lætificat, oppressos releuat, errantes ad viam salutis reuocat, & peccatores, ne desperent, sua suauitatis*

Analogia nominum Iesu, & Mariæ. Ioan. 18. *Iesu nomine ipse Christus animatur.* Ludolph.

suauitatis odore confortat. Modum, quo theologizo, de portione inferiori Christi timida, & confortata, vide in re simili à me firmatum ad cap. 8. Cant. lib. 2.

725. Luc. 7. *Magdalena laus à Mariano nomine.* Hinc est, vt, quemadmodum Christus viro, quem summopere in hac vita dilexit, pro summo beneficio aliquam nominis sui indulsit participationem: sic fœminam, quam arctioribus diuinę charitatis stimulis fuit prosecutus, materni nominis participatione decoraret: quasi post Christi nomina, nihil maius Mariano nomine posset excogitari. Enarraturus Lucas Magdalenæ gestum, sic incepit: *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*, &c. c. 7. n. 37. Sed, si notissima erat hæc fœmina, cur proprio Mariæ nomine non vocatur? Putarem, non adhuc Magdalenam, *Mariam* appellari: intérque signatissima priuilegia, quibus post conuersionem à piissimo Domino fuit cumulata, illud maximum accepisse, vt de Matris suæ nomine diceretur: vt, quemadmodum Simon à petra nostra angulari, Petrus dicitur; sic à Virgine nostra, peccatrix illa pœnitens, vocaretur Maria. *Maria Virgo nomen suum indidit Magdalenæ.* Modest. Præiuit mihi in hanc mentem Modestus Archiep. Ierosol. apud Phot. cod. 91. *Quemadmodum Princeps Apostolorum ab immobili fide, quam habuit in petram Christum, Petrus appellatus est: sic & illa Princeps Discipularum, ob puritatem, & amorem, quo Christum complexa est, ab ipso nominata est, cui idem fit nomen, quod Ipsi Matri.*

726. Ioan. 11. *Magdalenæ sanctitas.* Ex hoc pio inuento, iam nouo comptu prodibit locus alias notus à Chrysologo, imò & omninò denuò Ioannes explicabitur. Reliquerat Martha Christum, domum rediens, (nosti Lazari historiam,) & addit Ioannes: *Abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.* c. 11. n. 28. Hem, Marthæ, ecquæ verborum fides? Quando, quæso, Christus Mariam vocauit, cùm id penitùs in hoc Euangelij loco taceatur? Nimirum, promiserat Christus Marthæ, se fratrem suscitaturum: Martha verò, vt audiuit mortis victoriam, fratris salutem; necessariam omninò præsentiam Mariæ recognouit: & optimè interpretata est vocari à Christo sororem; qui suscitaturus fratrem erat, nec id absque Maria exequeretur. Ecquid in Magdalena tam mirum, vt illam quasi salutis administram requirat Christus? Certè non quòd agnomis esset Virgini Deiparæ vtcunque; sed, quòd per priuilegium agnomis esset: & quæ aliter olim, posteà ob eximiam sanctitatem Maria appellaretur. Pende Chrysologi verba Serm. 64. in Martha fœmineum sexũ corruptum per Euam; in Magdalena eundẽ per Virginem reparatum intelligentis: *Mittitur ad Mariam: quia sine Maria, nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula: vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum: quatenus prodeant ab Inferis mortui, mortui prodeant de sepulcris.* *Maria Antitura.* Chrysol. Ni perpendas ly *baiula*, lepore debito Chrysologum defraudas. Non propriè dicitur baiulari, nisi illud, quod denuò imponitur. Non à natalibus agnatum Magdalenæ sacrum hoc nomen: à Matre Dei illud suscepit sic feliciter baiulandum. I ergo: da Deiparæ culpæ mortem, vitam initio fomite infectam: cuius vel nomen, mortem fugat, & vitam nobis reparat purissimam.

727. At, si Magdalena ab ipsis natalibus Maria vocabatur, ideò crederem, à Luca expresso nomine non vocari, quia pariter *peccatrix* erat dicenda: quasi dedeceret, hanc sacram vocem peccato immisceri: (quid tot Magdalenæ flagitiis) nec etiam leuissimo illius næuo decenter admixtum hoc nomen pronunciaretur. *Mariæ nomẽ culpæ non immiscetur.* Cernitur Magdalenæ ploranti ad sepulcrum diuinus Hortulanus dicens: *Mulier, quid ploras? quem quæris?* Ioan. 20. n. 15. Ioan. 20. Prætereo, quòd ardẽtibus suspiriis, anxiis pietatis votis, dissimulatus Dominus occurrat, cũ quæuis minima in se detegendo mora, mori erat amanti. Prætereo, quòd dũ doloris causam quærit, augendas curat doloris rationes. At, cur *mulierem*, extraneo quasi titulo compellat? Obliuiscerisne Mariam tuam, piissime Iesu? & dum stellis omnibus nomina vocas, dilectæ Discipulę nomen vnũ ignoras? Absit. Inter tot sanctas amoris lacrymas, Magdalenæ tantisper fides naufragabat: inter pię mœstitiæ nubes, fidei splẽdor ex parte obnubilabatur. Non ergo interim *Maria* appelletur: quia nescit ex se hoc nomen vel leuibus imperfectionibus immisceri. Ideò statim, cùm iam iam fides suscitanda, detegente se Domino, Maria vocatur: *Dicit Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni.* n. 16. Vt cum virtutis splendore, simul diuinum hoc nomen splendescat; quidni, si nomen Deiparæ illud erat? Fusè ad hunc locum Ambros. lib. 3. de Virg. sic concludens: Ambros. *Quando non credit, mulier est: quando conuerti incipit, Maria vocatur; hoc est, nomen eius accipit, quæ parturit Christum.* Apage: Mariæ nostræ Numen culpæ immisceamus, cuius nec nomen culpæ consueseit.

Prætereamus Magdalenæ nomen; sed tamen Magdalenæ gestum adhuc retineamus. 728. Vnxerat hæc Christum; & ecce adstantium de prodiga, vt putabant, effusione, murmur insusurrans: ideò ille: *Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* *Mariæ nomẽ cur oleum effusum.* Mar. 14. n. 8. Mar. 14. Parum id. Moritur Christus: & perfusus aromatibus patitur sepeliri à Nicodemo. Quòd mortem ferat, non mirum: in hoc venerat. Sed vnde, aut cur Mariæ emissa in sepulturam aromata defendit, Nicodemi oblata suscipit, cùm hęc præseruandis à corruptione corporibus deseruirent; ipse corruptionis incapax extitisset? Quid, si homines posteà effutirent in illo triduo, non de natura, sed de odorum efficacia incorruptum perstitisse? Nullum erat apud prudentes (impios, & stultos non curauit) periculum dubitandi: qui, vbi noscerent illud Cant. 1. n. 3. *Oleum effusum, nomen tuum,* Cant. 1. de Christo dici; necessariò inferrent, ad mysteriũ, & non ad indigentiam odores alienos comparasse, qui vel ipso nomine odores spargebat. Fauet menti Ambros. loco proximè citato de Nicodemo locutus: *Perfectum vtique odorem fidei attulit. Hunc odorem fragrat anima, quæ Christo aperire incipit, vt accipiat primum odorem Dominicæ sepulturæ; & credat, quia caro eius non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit; sed æterni illius floris, & semper virentis odore condita surrexit: quomodo enim poterat vel in carne marcescere, cuius nomen vnguentum exinanitum est?* Ambros. Nosti hæc Cant. verba ab Alano apud Delr. tanquã dicta Mariæ explicari: imò Ecclesia in Resp. Festi Assumpt. ad illam canit exultans: *Vnguentum effusum, nomen tuum.* Caue ergo in anima eius ponas culpæ corruptionẽ, aut corruptionem fomitis

Pintus de Concept. B. M. V.

fomitis in carne eius, cùm semper virentis floris odore, vel etiam sacrum eius nomen amœnetur.

729. Meritò igitur Chrysol. Serm. 146. de Mariæ nomine: *Nomen hoc prophetia germanum est: hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitia decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis.* Et quidni *collegium sanctitatis*, quandoquidem in Maria omnis sanctitas, siue illa protoparentum ab originali iustitia, siue illa Angelorum ab innocentia perpetua, vernat amœnior? Non tam hoc simpliciter dicendum, quàm seriò iurandum putat antiquus, & grauissimus Author Petrus Cellensis lib. 9. epist. 10. cuius testimonio claudit cap. 183. Aduers. Cerda noster, vt & ego hoc nostrum. Ergo Cellens. ita: *Credo, dico, affero, & iuro, Beatissimam Virginem nostram in æternâ prædestinatione singulari priuilegio munitam, nec à sua Conceptione in aliquo violatam: sed semper mansisse, & permansisse illibatam: & sicut Beata vltra humanam, & cæterorum hominum naturam; sic secreta, & incognita manet vltra omnium notionem.*

Maria, collegium sanctitatis.

Chrysol.

Pet. Cell. Cerda.

§. V.

Maria, aut terrenum quoddam cælum; aut terra quadam cælestis, & benedicta.

730. VIDISTI ciuitatem nostram pulchrè fundatam, & vocatam decorè. At, vbi (vt tandem assumpta Psalmi verba dimittamus) tanti ædificij iacitur fundamentum? *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et benè primum fundamentum, siue Conceptio Mariæ *in montibus* iactum dicitur: vt sub hac metaphora, è cælo nobis delapsa videatur, & inde cælestis cuiusdam particeps veritatis. Cur, cùm cingebat Syrius exercitus vrbem, vbi sanctus immorabatur Eliseus, trepidat Giezi sibi, dominóque timens; qui tamen ad Prophetæ orationem resumit animos, dum agnoscit auxilium: *Et ecce mons*, inquit Textus, *plenus equorũ, & curruum igneorum* 4. Reg. 6. n. 17. Si hostes in circuitu erant ciuitatis, vt constat ex n. 15. cur auxilium in monte priùs cernitur? aut quomodo equi, & currus dicuntur *in circuitu Elisei*, qui in vrbe erat: nisi vrbs ipsa in monte collocaretur? Certè vrbs, sancti Prophetæ domicilium, in monte collocanda, cælo vicinior: quámque licèt inuaderent hostes, tangere nequirent. Nunc ad rem. Cur, dum describitur auxiliũ, mons exprimitur? Credo, quia ipsam montis summitatem occuparat statim, indéque muniendo Eliseo confluxisse; idéoque securitatem asportasse: quia ea ipsa montis occupatione è cælo deuenisse testabatur. D. Ambros. Serm. 86. ad hunc locum: *In montibus ergo cernuntur armati: apparet eos verè descendisse de cælo, quorum aduentus primùm in montibus reperitur: ipsa enim locorum proximitas hoc demonstrat, quòd descendentes de cælo, non nisi iuga collium sibi vicina calcauerint.* E cælo quodam perfectionis longè puriori venit Maria, cuius primum fundamentum cernitur in montibus: colles tenet; quia quodammodo è collibus æternalibus defluebat.

Maria quasi è cælo delapsa reputanda.

Psal. 86.

4. Reg. 6.

D. Ambr.

731. Quid ergo cælestem Virginem, imò cælum virgineum terrenis fomitis sordibus maculamus? Certè cælum peregrinas non patitur impressiones: ideò Ioannes Geometra hym. 3. ad Mariam:

Καῖρε, δέμας παγὲν ὑψόθεν ἀγκλήεντος Ὀλύμπου,
Ἡμερίης κακίης οὐδὲν ἀφελκομένη.

Salue, corpus formatum suprà in sublimi cælo,
Nostræ iniquitatis nihil contrahens.

Sic enim pura Mariana caro, à quouis iniquitatis communis contagio, vt in cælo formata, & inde nobis delapsa videatur. Parum id. Non solùm è cælo delapsa, sed terrenum quoddam cælum nobis effluxit: *terrenum*, quia è carne nostrâ Maria; *cælum*, quia carnis affectu morbido expers omninò. Idem Geometra hym. 3. de eodem:

Καῖρε, πόλος τρισδάπτινος, αἰθέρα πάντοσε τείνων
Ἄπειρον, εὐφαρία, οὐδὲ δρόφους φορέων.
Καῖρε, πόλος γαίων, καὶ οὐκ ἀνέμοισι τινάσσων
Ἐκτόθεν ἡμερίων ἡμετέρων παθέων.

Salue, ter radians cælum, aërem vndique pandens
Immensum, & nitidum, nec tenebras capiens,
Salue, cælum exultans, & sine flatibus vllis
Expers assuetarum nostrarum passionum.

Vndique ætherem, siue aërem ambientem lucidum reddit cælum nostrum: vndique etiam ab ipsa Conceptione, tenebras effugauit: omnia in cælo nostro serena, & absque venenatis flatibus serpentis, consuetis inde passionibus nostris, tanquàm peregrinis passionibus longissimè semotis.

Non solùm è cælo delapsa; sed terrenum quoddã cælum est.

Geomet.

732. Benè deinde *in montibus*, & illis *sanctis* fundatur ciuitas nostra: vt si fortè in modo loquendi scrupulosus, cælum, aut è cælo delapsam cum patribus dicere non audeas; saltem terram sanctam, purissimam, & ab ipso fundamento puram dicere tenearis. Dixerat de se Christus per Prophetam: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis*, Ps. 21. n. 7. Sed, quot, quæso, erant alia insensibilia, longè viuenti verniculo abiectiora, quibus Christus summam suam apud impios abiectionem potuit declarare? Certè multa. Cur ergo in sic studiosa comparatione, se vnicè vermem voluit appellatum? Credo, vt obiter Matris honorem tueretur: ne quis dum Deum de assumpto homine audiebat abiectum, ex maculato principio, & culpâ abiecto productum intelligeret. Audi D. Ambros. Serm. 3. ad hunc locum, post alia; *Sed illud magis accipiendum puto, quoniam vermis nullâ extrinsecus admixtione alieni corporis; sed de sola, & pura terra procreatur; ideò illum comparatum Domino: quoniam & ipse Saluator de sola, & pura Maria generatur.* Non *sola* dicitur Maria tantùm, quia virgo absque viro: sed & *pura*, quia absque vlla labe. Sic vermis ille, quia è puriori terra ortus, *vmbilicus terræ* solet appellari: quasi nihil videatur extranei elementi participare.

Maria, terra benedicta.

Psal. 21.

Ambros.

733. Rarius aliquid imaginatur Ambrosius ad hunc locum, quod, quia etiam ad titulum nostrum facit, expendendum. Manna sibi præstitum, contra præceptum Domini, seruarunt in diem crastinum Israelitæ: *Et scatere cœpit vermibus*, addit Textus, *atque computruit.* Exod. 16. n. 20. Et meritò: quia, qui assignatum diei cibũ manducare spreuerunt;

Exod. 16.

Eucharistia mors est malis, vita bonis.

loco

loco manna cælestis, vltores vermes sentiant, necesse; & pro vitali esca, (nota Eucharistiæ typum) mortis putredinem miseri susceperunt. Huc ergo à Dauide allusum, voluit ibidem Ambrosius. Sed vbi, inquis, Maria, vbi terra illa pura, vnde vermiculus noster procreatus dicebatur? Maria quidem terra est; sed cælestis: Maria, manna quoddam è cælo proueniens: vnde & quà terra pura, & qua manna purissimum edidit nobis Christum Saluatorem. Idem Ambr. ibidem, loca cōcilians: *De manna vermiculus gignitur; & Dominus Christus de Virgine procreatur: quin potius ipsam Mariam, manna dixerim: quia est subtilis, & splendida; suauis, & virgo: quæ, velut cælitus veniens, tunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit; quem qui edere & manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait Ioan. 6.* &c. *Filiis Israël subtiliter prophetatum est in veteri Testamento: manna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt, id est, contumaciæ vltores, & Iudices. Quæ similitudo Christum indicat Dominum: quem qui suauem cibum, & dulcem potum haurire neglexerit, Iudicem patietur.* Itaque ex mente Sancti Doctoris Maria cæleste etiam est manna, quæ dulcem cælestis manna cibum Christum, (quia eiusdem, quoad fieri poterat, cum illo, erat supernæ conditionis,) nobis intulit. Sed pende obiter.

Ambros.

734. Notaui alibi ex antiquis Philosophis, innatum nobis à culpa originali fomitem, per bestias quasdam ingenitas explicari. Vnde & fomitis libidines, vermes vocauit D. Zeno Veron. Serm. de B. Iobo, qui in sterquilinio sedens Christum referebat conuersantem: *Inter diuersis* (inquit D. Doctor) *ebullientes sceleribus, & libidinibus homines, qui veri sunt vermes.* Nollem igitur, dum malè tractantes Marianum nostrum manna, illud fomitis vermibus immiscemus, contumacia aliqua nobis imputaretur. Certè manna nostrum Christum si negligimus, iam vltores pro illo vermes experiemur. Cauendum ergo, ne Mariam manna non solùm debito hospitio non venerantes; sed, quod peius est, vermibus in Conceptione tradentes; pro materna illa solita misericordia, vermes læsi honoris, habeamus in vltores. Redeo.

Maria honoris sui vindex.

Zeno Ver.

735. Et quidem non poterat, nisi pura ab omni culpæ fomite, nisi ab initio benedicta terra esse, quę nobis tantum fructum, dulcissimum Saluatorem germinauit. Vix Deus verbum illud protulit: *Germinet terra herbam virentem*, &c. Genes. 1. num. 11. cùm, vt ait Ambros. citandus, subitò vndique germina pullularunt, diuersâ rerum specie refulgente: hinc pratorum virens gratia abundantiam pabuli ministrabat: inde camporum planities, dum flauescentibus fluctuat spicis, vndosa segete imaginem æstuantis pelagi referebat: sponte omnes fructus producuntur; nec tamen arantur agri, quando & aratores ipsi non fuerant dum producti. Nil mirum: iusserat Deus: dictum factum. Sed mihi semper dubium, cur non solùm ista breuissimè producta; sed etiam producta *subitò* dicantur ab Ambrosio: iam enim multi Doctores contra Caietan. ibi, hæc à terra non fuisse edita asseuerarunt: quia, cùm à naturali terræ virtute hæc produci non possent, virtute supernaturali acceptâ terram id produxisse dicendum est. At non videtur necessarium, id miraculum concedere, vt terra tantam

Genes. 1.
Ambros.
Maria quorsum terra benedicta.

virtutem conciperet, vt in instanti omnia generaret: vnde dicunt, Deum per se produxisse: & quia terra materialiter, & passiuè se habuit materiam ministrans, dici omnia produxisse. Nihilominùs habemus ex Ambrosio causam satis congruam, vt credamus, terram virtutem etiam actiuam concepisse, vt in instanti omnia produceret, déque tanta actione nobilitaretur: ergo ille Hexam. 3. cap. 10. sic concludit: *Tunc autem prouentu spontaneo terra fructus locis omnibus inuehebat: verbum enim Dei fructificabat in terra, nec vllo adhuc erat terra damnata maledicto.* Quasi post maledictionem quodammodo incapax maneret tantæ concipiendæ virtutis, vt in instanti omnia produceret. In instanti, quod nullus Catholicorum negabit, produxit Maria Christum, tantò excellentior artifex, quàm terra, quantò opus est excellentius: puto, quia nullo fuerat vnquam damnata maledicto.

Ambros.

Incarnatio Christi in instanti.

Ad tempus Incarnationis deducunt plures verba illa Sponsi Dei: *Veni, Auster; perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. 4. num. 16. 736.
Obumbrauit Spiritus Sanctus Mariam, & fœcundauit, vt inde cæleste illud nobis aroma flueret, Christus Dominus. At sic aroma est Christus, vt verè fructus sit virginei horti. Vnde ergo deducta metaphora in hunc locum, vt Spiritus Sanctus tunc ventus vocetur, quando Marianum fœcundat hortum purissimum, cùm horti fructus culturæ potiùs, imbri, & Solibus soleat attribui? At horti cæteri, quia profani, quia maledicti indigeant culturâ: hortus diuinus leui Spiritus Sancti flatu fœcundabitur. Exemplo res clarescet. Hortum quendam in terris, sed penè cælestem, & diuinum Amoribus, & amatorio Numini dicatum apud Cyprios celebrauit antiquitas, vnde nimbi, vnde pruinæ, turbines, & cętera hyemis iniuriæ, & æstatis exulabant, mitissimo tantùm verè imperante: tunc summum horti sacri priuilegium sic describit Claud. de Nupt. Hon.

Cant. 4.

In Annunc. Mariæ.

Hunc aurea sepes
Cingit, qua fuluo defendit prata metallo, &c.
Intus rura micant, manibus quæ subdita nullis,
Perpetuùm florent, Zephyro contenta colono.

Claudian.

Hortum fictum, factus noster superat: ideò Guillelmus ibi ad Mariam: *Ne timeas virginitati tuæ; quia non deflorab eris à viro, vt fœcunderis: sed sicut Dei hortum decet, Austro perflaberis vt fluant aromata tua.* Quidni? Diuina e at gleba horti Mariani, ordinariâ culturâ non indiguit, feliciter germinauit, cælesti tantùm Austro contenta colono.

Ex communi totius Ecclesiæ consensu cantantur de Deiparâ illa Eccles. 24. num. 17. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho: quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.* Sed tu mihi pōdera, dum dicitur absolutè cedrus Libani, cypressus Sion, palma Cades, oliua campi, ripæ platanus, non tam Iericho rosam, quàm *rosæ plantationem* appellari: cui enim sic obæsæ nari aliquid hìc mysterij non respiret? Non est Maria rosa, qualis nunc vernat; sed, qualis rosarum *plantatio* ab initio. Ignorat nemo illud Ambrosij Hexam. 3. cap. 11. quod didicit ex Basilio: *Surrexerat antè floribus immixta teneris, sine spinis rosa, & pulcherrimus* 737.

Eccli. 24.
Maria rosa absque spinis.

Ambros.

flos sine vlla fraude vernabat: posteà spina sepsit gratiam floris, tanquàm humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpè compungat. Terra post maledictionem spinas, & tribulos germinans, rosam priùs plantatam sentibus asperauit. Non terra maledicta Maria, nullas fomitis spinas, nullos peccati tribulos germinauit, quæ rosam suam non vtcunque; sed in plantatione, id est, in prima plantatione, quando sine vlla fraude vernabat, conseruauit.

738. *Et rosa impolluta.* Cape & aliam explicationem, non tam de solido, quàm de quæsito lepido gratiosam. Narro fabellam: affectus mens nescit, vndecunque possit, non aucupari laudes magnæ Matris. Deperibat Mars Venerem; hæc Adonidem, nescio quem puerum, quem deperditè sibi Numen destinarat: hunc, pertæsa cælum, per nemora, per syluas, venandi cupidissimum, venari satagit. Corripit ergo zelotypum ira Martem, mentitur aprum: captat simulatam prædam Adonis, & verè capitur, fulmineo dissimulatæ inuidiæ dente dilaceratus. Prostrato Amori properat in auxilium amasia; dúmque currit, incurrit vernantes rosas, quæ forte aderant, (albæ tunc illæ erant, despectus niuium:) læduntur plantæ sentibus, & manat cruor: hinc rosæ priùs candicantes, impudicæ Deæ sanguine rubuère: pudorem, credo, de lasciui humoris contactu contrahentes. Absit ergo, vt Mariam rosæ credas comparatam, qualis rubet decolor candore vitiato: ad ipsam rosæ recurrit plantationem, adhuc niuea, adhuc pura, intacta adhuc. Sic quondam in Epigrammate ludebam:

Auth. Epig.

Æmula candori niueo (dum mitteret infans
Vagitus Orbis) pullulat ecce rosa:
Posteà sanguineo Veneris maculata rubore,
Heu manat: turpi nec sine labe manet.
Christiparens radians Virgo, quã Natus ab omni
Labe immunem optat, consimilémque sibi:
Exultans Iericho rosa felix, candida pellis
Sanguine lasciua signa relicta Deæ.
Non igitur rosa, qualis nunc fœdata cruore
Dicitur: ast qualis, cùm noua planta fuit.

739. At, si paululùm liceat adblandiri otio, posses huc adducere illud Isaïæ: *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* cap. 31. num. 22. Mariam nostram in vtero habentem Christum, vniuersa Ecclesia in his verbis recognoscit. Et benè, *nouum*: quid enim rarius, quàm virum Deum à virguncula cinctum audire, & coronatum? Coronatum quidem intelligit Gillibertus Serm. 21. *Fœmina circundabit virum, quomodo corona caput: caput enim Ecclesiæ Christus.* Audi nunc Septuaginta ibi: *Quoniam creauit Dominus salutem in plantatione noua: in salute circuibunt homines.* Virgo coronans Christum, salutem nostram, ideò nouum mirum inducit: quia noua plantatio. Puto, quia non aliter carne sua Christum posset coronare, nisi noua plantatio formaretur. Suo infectas rosas sanguine sic dilexit Venus, vt inde passim rosis coronata coleretur: imò & Claudianus de eadem seipsam coronaturâ 2. de rapt. & flores colligente, addit: *Illa cruoris carpit signa sui.* Nimirum, lasciua fœmina, lasciui cursus memorias non exhorret. Christus noster longè aliter coronatur rosâ purissimâ: & qui spineam coronam non exhorruit, horreret absque dubio carnem coronaturam, si aliquando spinâ culpæ, fomitis tribulo hispidam vidisset: ideò illam primæ plantationi reducere festinauit. Benè ergo Alanus ad illud de Maria: *Hortus conclusus, soror mea.* Cant. 4. num. 12. sic scribit: *Hortus, in quo rosa Dominici Corporis, & Sanguinis: in quo lilium castitatis: conclusus, quia vtrobique clausus.* Caro illa verè rosea, sed ab horto clauso, in quem nihil labis vnquam penetrauit. Quid plura? *Maria*, vt habet Hailgrinus ad Cant. 3. num. 6. *Agilis cursu*, &c. *omnes vitiorum spinas, & foueas transiliuit.* Sed iterum ad seria.

Isaïæ 31. Maria Christi corona. Gillibert. Septuag. Claudian. Maria nullâ tulit spinas. Alan. Hailgrin.

740. *Amouetur obiectio.* Dubitabis, cur nihil spinosum in Maria celebrent Doctores pij: cùm aliunde ferè omnes rubum illum Moysis accensum, & illæsum, typum Mariæ clarissimum contendant: & meritò, cùm ita etiam Patres existimarent. Dices ergo illæsam Mariæ virginitatem in partu Christi optimè designari: tamen propterea meritò *rubum*, id est, spinosam arbusculam à Deo huc adductam, vt Maria etiam quoad originem, spinam culpæ, & fomitis tribulum attulisse intelligatur, quanuis posteà perfectissimè mundaretur. Sed tu pende, quid ad locum istum Exodi: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. n. 2. scribat D. Greg. lib. Moral. 28. cap. 5. humanitatem Christi sacrosanctam in rubo explicans: *Deus per succensum rubum alloquens, quid aliud ostendit, nisi quòd ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis, carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas, susciperet: & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa Diuinitatis flamma seruaret.* Tantùm quòd ab humano genere spinoso veniret illa natura, quanuis omninò purissima, & sanctissima, *rubus* vocatur: & caro expers peccati, tantùm de peccati similitudine, eodem titulo venit insignienda. Idem ergo suo modo de Maria, dum sub eodem typo latet, dicendum est.

D. Gregor.

741. *Et retorquetur.* Sed minus est, hunc obicem auertisse: etiam in fauorem Mariæ conuertemus. Arripio auidè hunc rubum, in Mariæ figuram. Videamus visionem hanc magnam, *quòd rubus arderet, & non combureretur.* Cur in medio ignis, imò sub forma ignis apparet Deus; si tamen ignis munere functurus non erat? Si sacrosanctæ veritatis est illud: *Deus noster ignis consumens est.* vnde hic inscius consumptionis, & flammantis oblitus voracitatis? Respondet Ambr. Hexam. 3. cap. 4. *Alterum munus ignis vacabat, alterum operabatur: vacabat exustionis vis, operabatur illuminationis: ideò stupebat Moyses; quia contra naturam suam, ignis non exurebat rubum, qui etiam vehementiorem materiem consueuit exurere. Sed Domini ignis illuminare solet, exurere non solet. At fortè dicas: Quomodo scriptum est: Ego sum ignis consumens? Benè admonuisti, non solet consumere, nisi sola peccata. In retributionibus quoque meritorum colligimus diuidi ignis naturam, vt alios illuminet, alios exurat.* O felicem typum Mariæ! quid mirum non exuratur rubus, si Maria non potuit exuri? Ignis ille sola peccata consumit. Perseueret ergo illæsus rubus, qui innocentissimam naturam referebat: nihil patiatur vmbra ab igne mystico, quando veritas ab eodem intacta perennauit: Mariæ quidem terra benedicta, exurendas spinas non potuit germinare.

Exod. 3. Deut. 4. Ambros.

Habes

742. Habes ex dictis in Maria cælum quoddam animatum, terram cælestem, & sanctam, &, vt alibi sæpe dixi, ipsissimum Paradisum: quidni excellentiori quadam iustitia originali, quàm protoparentes, credas condecoratam? Adamus quidem externos occultæ originalis iustitiæ titulos præferebat, quòd Paradisi incola, cælo aduena properabat, inde felix domicilio, sed temporaneo: hinc hospitio felicior, sed æterno. Iustioris originis Maria, quæ Paradiso sacratior, cælo purior, Paradisus vernabat, lucebat cælum: Adamo bona illa indita, Mariæ agnata. Benè Cellens. de Adamo peccante, lib. de Pan. cap. 3. *Causa impedimentum attulit, ne viueret immortaliter, & angelicæ gloriæ sociaretur æternaliter, mandati præuaricatio, & pomi comestio: locus quidem causæ satis contiguus, vt homo de Paradiso transferretur ad cælum*, &c. Quia decebat vnicè innocentiam, vt Paradisum, cæli gradum poneret: & è terra benedicta, ad cæli benedictiones perueniret. Quantò origine iustior Maria, quæ benedicta terra, cælum benedictum?

Maria longè Adamo integro felicior.

Cellens.

§. VI.

Vnde dicatur ablui Deipara, cùm tamen culpæ, siue fomitis sordes non contraheret.

743. T illa, quæ hucvsque diximus, meliùs capiantur; proponenda est obiectio non facilis, & dissoluenda: incedamus morosiùs. Recusarat humiliter Petrus à Domino lauari; dum tamen correptus audit, imminere sibi pœnam, ni lauetur, non solùm pedes; sed & caput, & manus exhibet abluendas: ad quem tunc Christus: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus*. Ioan. 13. num. 10. At cur, si est mundus totus, adhuc pedes lauabit? Vt ampliùs pedes mundet, id est, affectus, quibus rapitur, emaculet. Esto: veruntamen, quid præcipuè in pedibus latet, siue affectibus, vt etiam post Baptismum, quodămodo alia, atque alia indigeant lotione? Respondet Ambros. lib. 3. de Sacr. cap. 1. ad finem: *Quare hoc? Quia in Baptismate omnis culpa diluitur: recedit ergo culpa. Sed, quia Adam supplantatus à Diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideò lauas pedes, vt in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo posteà te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis*. Itaque non solùm in protoparente, calcaneis nostris insidiatus est serpens; sed etiam momordit; & vulneratis pedibus ingessit sordes, inspuit venenum. Ideò ergo meritò pedes, siue affectus, pio, vt sic dicam, anabaptismo, in dies magis, ac magis abluimus, vt partem magis læsam magis corroboremus. Adde, abluto iam culpæ veneno, adhuc veneni reliquias ab hoc originali morsu superesse, nimirum, affectuum rebellionem, fomitis tumultum, quibus sedandis, & veneni reliquiis magis abstergendis sanctificationis lauacra repetenda.

Humana sanctitati semper imperfectio admixta.

Ioan. 13.

Ambros.

744. Descripta Ierusalem captiuitate, & misera de peccato commisso confusione, addit Ieremias: *Sordes eius in pedibus eius*. De quo benè D. Hier. ibi: *Sordes gestat in pedibus: quia gressum conuersationis suæ malis polluit operibus*. Venenati semel pedes, infecti affectus, semper fragiliores, vt nouas sordes iterum, atque iterum contraherent. Adhuc tamen aliud innuere potest Ieremias: dum enim pedes obiicit sordidatos, nudos supponit: nuditas autem pedum, seruilem & abiectam apertissimè indicat conditionem. Gypso olim venalium seruorum pedes fœdabantur, ideò Tibul. lib. 5.

Thren. 1. 9. Hieron.

Culpa seruitutem inducit.

Nota loquor, tenet ipse regnum, quem sæpè coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Tibull.

Licèt autem hæc inlutatio designandis certæ cuiusdam regionis mancipiolis deseruiret; ast non sine infamis vilitatis nota, nudi pedes, plusquàm membra alia, fœdandi eligebantur. Fortasse ergo ad litteram dantur captiuæ vrbi de seruitute nudi pedes, iique de nuditate sordidati: quia reuerà per culpam affectibus seruilis fuerat, & illis sordidis.

745. Motus erga prodigum suum misericordiâ Pater piissimus, exclamat illicò: *Date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius*. Luc. 15. n. 22. Et vnde tanta miseria infausti iuuenis, vt nec etiam vilibus calceis vteretur? Seruus fuerat vitiorum: ideò de illo Chrysol. Serm. 1. ait, à Patre recessisse, *vt dato, non accepto pretio, misera se venderet seruituti*. Ergo seruili conditione præfœdatus, discalceatus veniat, necesse est, deformi pedum abiectus nuditate. Quid hoc vilius? Chrysol. iterum Serm. 3. *Date calceamenta: ne vili in pede remaneret deformitas nuditatis: certè vt calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum*. Anterior, nimirum, vita erat, libera illa sub paternis amoribus conditio. Hinc enim absque dubio cum pedum ornatu, manus comptus iungitur: est enim hic annulus index libertatis. Idem Chrys. Serm. 5. *Posuit annulum in manu eius, annulum, honoris titulum, libertatis insigne*. Quasi & annuli, & calceamenti decore ad integram libertatē restitueretur.

Luc. 15.

Libertas vera per gratiā comparatur.

Chrysol.

746. Hinc meritò Abbas Cellens. de Pan. cap. 3. exponens hominis miserias, *quando exactori se vendidit*, id est, miseram in origine fœdata subiuit seruitutem; post multa tandem concludit scribens, quàm feliciter in statu innocentiæ integro permaneret: & ita subdit: *Sine dispendio namque itineris, & laboris peruenisset, quò reportari in Crucis nauigio, Christi manibus, & brachiis in remigando valdè fatigatus, vix quandoque poterit: in portu si expectasset, in aulæ penetralibus; absque angustiarum circuitu, de famulo in filium, Deus, & Pater eum sustulisset: pes eius neque sanguine tingeretur, neque puluere fœdaretur*. Cruentantur, nimirum, pedes spinis, fœdantur puluere: quia, dum seruus, pro conditione pergit discalceatus. Maneat ergo ratum ex Scripturæ, ex Patrum doctrina, culpæ seruos incedere discalceatos, indéque necessariò sordes quotidie contrahere, præter innatas illas, quas de superfusi veneni reliquiis fomite præfœdato patiuntur. Hæc breuiter ex multis, quæ huc quilibet posset cumulare, si opus foret.

Natura lapsa miseria, etiā post condonationem.

Cellens.

747. Ex dictis ingens suboritur difficultas contra intentum, cui in tota hac Anthologia, imò & in toto Opere desudamus. Pulsarat Christus ostium parthenicum:

Cant. 5. *Maria cur dicatur lauare pedes.* parthenicum: cuius Maria, dum (magis de amoris mysterio, quam de socordiæ affectu) innectit moras voto, sic protulisse scribitur: *Laui pedes meos: quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. num. 3. Adeste ergo, omnes, qui totum Canticum, & meritò, de Deipara vultis explicandum. Ipsa fatetur, se lauisse pedes: certe, quia sordes contraxerat, & reliquias despumati veneni, fomitem, scilicet, quantumuis ligatum, aliquandiu passa est: at nec sordidarentur pedes, nisi nudi incederent: neque nudi, absque seruitutis nota, veniunt intelligendi. Vidit difficultatem Delrius, vnde hic sensum mysticum pro Maria voluit deserendum. Nonnulla affert ex Hailgrino, quæ illi meritò displicent; quamuis reuera ex multorum Patrum calculis possent illa confirmari. Quid alij sentiant, tu videris apud eosdem: ego prætermissa nunc plena loci, & concatenationis explicatione, quia non è re mea, de mera pedum lotione, quæ obiicitur, quid sentiam, non aperio. Delr.

748. Suppono in primis, quod nemo negauerit, eodem modo dici *lauari pedes*, siue affectus; quàm *purgari eosdem*: nihil enim abluitur, nisi vt purgetur. Quæro ergo, an affectuum, siue notitiarum purgatio, necessariò admissas sordes prærequirat? Id quidem, neque etiam aduersarij concedent, nisi forte Magistrum velint desertum: nihil enim verius scripsit D. Thomas in hoc art. 3. ad 3. quàm, dum loquens de Spiritu Sancto Incarnationis tempore Mariam purgante, sic subiungit: *Dicendum, quòd Spiritus Sanctus in Beata Virgine duplicem purgationem fecit. Vnam quidem quasi preparatoriam ad Christi Conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ, vel fomitis: sed mentem eius magis in vnum colligens, & à multitudine sustollens: nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas inuenitur, vt Dionysius dicit 6. cap. eccles. Hier.* Sic præsens pedum, siue affectuum ablutio, siue purgatio, venit explicanda. Didicit ex eodem Dionysio huius loci explicationem alter Dionys. Chartusianus, scilicet, art. 18. vbi facilè, & feliciter nodum dissoluit: *Quemadmodum, iuxta diuini Dionysij documenta, Angeli sancti dicuntur purgari, nequaquam ab immunditia culpæ; sed à minoratione perfectionis, cognitionisque suæ: sic excellentissima Domina lauit, id est, purgauit pedes suos; puta, affectus inuiolabiliter mundos, à minoratione perfectionis: quia in feruore affectuum sanctorum profecit assiduè.* Inuiolabiliter itaque mundus erat pes, siue affectus Marianus: & contra inuiolabilem munditiem, serpentis violentia non potuit præualere. Lauatur, non vt sordes emaculet; sed, vt cumulet fortes: non quòd egeat de culpa; sed, vt augeat merita.

Purgatio in sacris, non supponit sordes.

D. Thom.

Dion. Chart.

749. Frustrà ergo de sordibus contractis, cùm nullæ sint, nudati pedes, tanquam ancillæ, in Virgine præsumuntur: cuius affectus virtutibus, vt ita dicam, sic calceantur, vt ipsos Angelos rapiant in admirationem. Præuidebatur Maria iam luce sua mundum irradiatura, cuius dum totum mysticum ornatum obstupescentes Cælites concelebrant totó cap. 7. ipso num. 1. sic incipiunt: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Quantum mirum! Singula Mariæ membra laudantur in hoc capite exquisitissimè, vt nosti: & tamen à pedibus calceatis, qui postremò videbantur commendandi, incipit ex abrupto panegyricus. Ecquis præposterum ordinem non præsumat? Certè non aliunde melius poterat, neque aptiùs inchoari. Fundat Maria laudes omnes in eo suas, quòd *filia Principis*, id est, omninò libera, absque vel minima incedat nota seruitutis. Benè ergo initio, Principis libera filia prædicatur: at non aliunde meliùs hæc libertas, quàm de adiunctis calceamentis celebraretur. Cur ita? Disce ex Ruperto ibi: *Annon ancilla, siue ancillæ filia discalceatis pedibus incedit? Planè discalceatis: & propter hoc ipsum seruilis arguitur conditionis: quia nuditas pedum, seruilitatis est argumentum; excepto, si fiat propter Deum,* &c. *Verùm de calceamentis hic agitur, non corporis, sed spiritus, in quo discalceatum esse, vel discalceatam, summa est ignobilitas, & plusquam seruilis egestas: ideirco ancillæ calcaneum serpens momordit: tu autem, ò filia Principis, benè calceata caput serpentis contriuisti.* Rupert.

Maria semper libera.

Cant. 7.

Amouimus obicem absolutè: sed adhuc ex locis Patrum contra nos adductis, Mariana encomia pressiùs depromenda. Calceata Maria, vt vides ex Ruperto, serpentis caput conterit; quasi soleæ ipsæ de auro ad pulchritudinem renidentes, ferratæ ad hostis contritionem viderentur: decebat, nimirum, vt planta semper pura, impuritatem penitùs percalcaret. Lauat Christus Discipulorum pedes, vt veneni suffusi reliquias abstergat, neque vltrà Discipuli supplantentur à serpente, qui calcaneo nostro insidiatur, Genes. 3. Sic Ambros. suprà n. 743. Sed quæro adhuc: nonne parum heroïcæ sanctitati Apostolorum, morsus euitare? Semper de non accepto, nunquam de illato damno gloriosi? Aliquid est, fateor, non vinci: sed, quantò foret, vincere, excellentius? Quantò maius, vt non solùm non supplantarentur, sed supplantarent? Nec id Discipulis suis negauit Christus: *Ecce, inquit, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici.* Luc. 10. n. 19. Ideò ergo iam iturus ad Patrem, pedes nouâ puritatis corroborat armaturâ, quasi concessum iam priuilegium additis denuò viribus confirmaret. Sic capiendus D. Eucher. quæst. 168. apud Cerd. Aduers. cap. 115. *Quid mysterij continet locus, vbi Dominus Discipulorum pedes lauit? In loco illo maledictum calcanei diluitur, quod Diabolo incentore animæ nostræ gressus incurrebant. Primò enim morsibus eius nostrum patebat calcaneum: porrò, cùm dictum est: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, maledictum illud abolitum est.* Calcant isti; sed post morsum acceptum: Maria nunquam morsa percalcauit. Lauarant illi reapse contractas sordes, purgarant infusum venenum: Maria Angelorum more purgari dicitur; sed longè puriùs. 750.

Iusti serpentem calcant.

Luc. 10.

D. Eucher.

Iam ad prodigum illum Chrysologianum ex num. 745. Venerat ille nudatis pedibus. Accepit calceos, vt calceatus anteactæ vitæ rediret ad cursum. Sed, quid faceret iuuenis, si iterum à teterrimo hoste, à callido serpente inuaderetur? In anteriori illa vita currebat ille; & tamen interim morsus non euitat. Heu! benè currens miserè fascinatur: quamuis ad cursum redeat, redibit periculum. O lætitiam de metu obnubilatâ! Sed sumat animos: eos accepit calceos, quibus non 751.

Idem aliunde probatur.

non solùm priscam ineat viam, sed etiam serpentem aggredientem possit percalcare. D. Asterius apud Phot. cod. 271. post multa de prodigo: *Adducuntur & calcei, vt possit caput serpentis conculcare*, &c. ***Ad vtrunque enim calceamenta vtilia sunt, cùm ad conculcandum serpentis caput, tum vt pes læsionis iniuriã effugiat.*** Sed quàm longum discrimen! Prodigo discalceato olim, nunc calcei conceduntur: Virgini, quia nunquam peccato subdita, non tam denuò concessa dicuntur calceamenta, quàm absolutè, quasi accepta primitùs, commendantur, quibus semper in altius progrediens in incomparabilem gratiæ deuenit excessum. Prodigus itaque in regressu, Maria in gressu, imò ingressu calceatur.

D. Aster.

752. Sed, ecce instauratur obiectio, quam omninò amotam putabamus. E Mariæ calceamentis Cant. 7. celebratis illam probamus liberam, & proinde nunquam de pedũ nuditate sordes contrahentem: maiúsque robur inde petebamus, quòd his calceamentis viam virtutis festinantior ineat Deipara, quibus serpentis caput detruncauerat: quæ tamen omnia apparenter magis, quàm solidè dicta videantur. Oppones enim verba ista: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Mariæ in cælum assumptæ etiam accommodari: imò eam videri mentem Ecclesiæ, quæ in huius Festiuitatis Octaua, hinc lectiones desumit. Si ergo verum esset, quod diximus, serpenti proterendo, viæque peragendæ Mariam calceamentis se præmuniisse; in cælo, vbi nihil est periculi, calceamenta deponeret necessariò: cùm ergo ista in cælo conseruentur, absque dubio nunquam prædicto ministerio seruierunt. Legendus Ghislerius, qui encomium istud Virgini in cælum assumptæ ab Angelis voluit decantatum.

Cant. 7.

Maria assũptio.

753. Obiectio tamen facilis, quæque festinam magis, quàm accuratam sollicitet rationem: cui tamen adhuc vtcunque aliquid roboris ex libro Exodi videtur conciliari. Obstupet Moyses accensum rubum, & dum properat visionem hanc miram agniturus, audit à Deo: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* cap. 3. num. 5. Perge inde, & vide paulò pòst Hebræis ad Pascha mysticum accedentibus diligenter præceptum: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus.* Ibidem, cap. 12. n. 1. Expressior quidem adhuc Christi figura erat paschalis agnus, quàm rubus ardens: insignior typus ille, & totius redemptionis mysterium repræsentans. Vnde igitur ad agnum calceati accedunt Hebræi; & non nisi discalceatus ad rubum accedit Moyses? Pende locorum discrimen, vbi vtrunque mysterium repræsentabatur. Moyses in terra sancta erat, æternæ patriæ symbolo apertissimo, vbi neque pungentes spinæ, neque serpens insidians inuenitur: quid ergo, aut munientibus pedes calceis, aut proterentibus hostem indigeret? At Hebræi adhuc in Ægypto erant; & posteà in terrena, licèt meliori prouincia futuri: ideò semper calceorum munimine egeant, necesse est. Pulchrè D. Gaudentius tract. 5. vtrunque concilians: *Ibi soluitur quæstio, vbi calceamenta soluuntur, dum statim causa adiicitur: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Ostenditur ergo terra Ægypti, vbi datur præceptio illa superior, sancta non esse; & ideò ibi habenda mandantur calceamenta: in terra autem sancta, decernuntur esse soluenda*, &c. *Beati enim mites, ait Dominus: quoniam ipsi possidebunt terram. non vtique istam terram, quam possident peccatores; sed illam, in qua non sunt spinæ, & tribuli; in qua non sunt serpentes, & scorpij: quippe, vbi Diabolus cum cæteris immundis Spiritibus non accedit.* Cùm ergo in cælo, terrâ, inquam, sanctâ, calceamenta Mariæ commendentur; non erant data, vt in hac Ægypto nostra serpentis caput, & tribulos, & spinas conculcaret; aliàs, iam in cælo soluerentur.

Exod. 3.

Exod. 12.

In mundo semper pericula: plena quies in solo cælo.

D. Gaudent.

Respondeo, data fuisse, vt serpentem, & spinas conculcarent: & tamen adhuc in cælo, vtpote necessaria, non dissolui. Viderat Isaïas Christum (in figura) sedentem super solium excelsum, & eleuatum, cap. 6. quem tamen verè videns Stephanus exclamat: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Act. 7. n. 56. Venturus in pugnam sedet: & quando quieturus, & sedens post victoriam videndus videbatur, stat adhuc? Nonne stare apud Iudicis Dei tribunal, habitus litigantis est? Omninò. Litigabàtne adhuc Christus? Sic credit August. lib. 4. cap. 88. de cons. euang. vbi post alia de Christo sedente apud Isaïam, sic de eodem stante concludit: *Vt stans appareret, fecit calumnia Iudæorum: in Stephano autem Saluatoris causa vim patiebatur: ideò sedente Iudice Deo, stans apparuit, quasi qui causam diceret.* Nónne de honoris sui splendore, hodie adhuc in cælo litigat Maria? Ita est: cur non ergo conseruet calceamenta etiam in cælo, si minùs culpæ tribulis, & serpẽtino capiti conterendo; at spinosis argumentis, & callidis rationibus superandis, quæ ab Hæreticis contra Mariæ cultum afferuntur? O cesset aliquando apud Catholicos pios lis Mariæ: quando illa de Deitate Christi, etiam apud impios Hæreticos iam cessauit. De hac benè Chrysologus (cuius similia verba ex eiusdem epistolâ, suprà dedi) Serm. 145. *Humanæ leges intra triginta annos, litigiosas omnes intermunt quæstiones: & Christus circa quingentos annos, natiuitatis suæ causas præstat? Ortus sui lites patitur? Status sui sustinet quæstiones? Hæretice, desine iudicare Iudicem tuum; & adora in cælis Deum, quem Deum Magus adorauit in terris.* Desine, Schola Lutherana, iudicare Dominam tuam: depone impium Magistri dogma, serpentis sibilum, qui scripsit: *Nullum Festum magis odit anima, quàm Festum Corporis Christi, & Conceptionis B. Virginis.* Sin minùs, caue. Seruat adhuc Maria calceamenta, trisulcas & senticosas linguas, serpentinúmque caput contritura. Sedit Christus, lite diremptâ: deponet & Maria calceamenta, vbi lis omnis in illam dirimatur. Hæc de lotis, & calceatis Mariæ pedibus, nunc satis: quia de contrito serpentis capite, suo loco fusiùs disseremus.

754.

Isaïæ 6.

Act. 7.

Maria, & Christus adhuc terrenos patiuntur aduersarios.

August.

Maria adhuc litem patitur.

Chrysol.

Honoris sui est vindex.



ANTHOLOGIA XII.

Visio beatifica præseruandæ Mariæ congruè assignata.

§. I.

Oculi ab origine cæci, per Deiparam nobis restituti: quæ non solùm nunquam cæca; sed etiam videndo Deo à Conceptione sua perspicacior.

755. *Maria in Conceptione Deum vidit.* ON solùm rationis vsum in Conceptionis instanti habuisse Mariam in Articuli Examine probaui: sed etiam fuisse Beatam, clarissimóque rationis obtutu Deum obiter vidisse. Idem suprà à numero 483. Anth. 7. §. 6. ostendere conabar. Id ergo in hoc, tanquam in loco proprio exactiùs confirmandum: quia, si id probabiliter teneatur semel, facillimo negotio à Deipara, quidquid est culpæ, quidquid est non solùm imperij, sed etiam vmbræ dæmoniacæ præoccupatum feliciter intelligimus. Iis igitur, quæ eruditissime huc congessit Magnus Salazar cap. 32. à n. 47. prætermissis; pauca, sed tamen nostra suggeremus: indéque latiùs probabimus, quam suo iure ab illa Conceptione culpa, & eius fomes, leuissimaque Dæmonis vmbra exularit. Neque enim solùm (quod alij voluere,) ex hac visione beata Marianæ gratiæ stabilitatem volo confirmatam: sed etiam eius generis adhibitam gratiam contendo, vt quoad innocentiam corpus illud ab omni vili pathemate semotum beatis omnibus Sanctorum corporibus purius redderet: sicque Marianæ carnis decantata hucvsque priuilegia, hinc maximè pependisse quisque inferat. Desumo ergo huiusce rei primum argumentum ex cæcitate, quam nobis origo fœdata intulit: vt, dum hæc per Mariam sanata comprobatur, non illa cæcitatis originalis particeps præsumatur: imò, vt decebat Reginam, visionis tunc particeps beatæ, quam dum vixit, raptim etiam quandoque degustasset. *Salaz.*

756. *Cæcitas per culpam ab origine. Ioan. 9.* Impias Iudæorum manus, lapidibus, quos sustulerant, duriores euitans Christus, blandus adhuc in homines, exercendæ pietatis captat occasiones: ideò addit Ioannes: *Et præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum Discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Ioan. 9. cap. 1. Non adeò hebetes, licèt aliunde tardi, erant Discipuli; non adeò cæcæ mentis, vt non viderent, ante natiuitatem non potuisse actu peccare cæcum illum, vt proinde in pœnam captus oculis nasceretur. Id ergo quærunt, authore Ludolpho par. 1. cap. 85. *Vtrum peccatum originale huius, an peccatum actuale parentum fuerit causa cæcitatis istius?* Sed quare, peccatum originale putent externæ cæcitatis causam, cùm tot alios nouerint, seque ipsos fœdatos ab origine; qui tamen vsurâ lucis fruerentur? Quia, cùm fide scirent, omnes homines ab origine fœdata, donec mundentur, diuinę visionis iure priuatos nasci; credebant, aliquibus fortè, indidem externam etiam claritatem denegatam. Ideò ibidem Ludolphus: *Cæcus ideò nascitur omnis habens peccatum originale, quia priuatus est Dei visione.* Quamuis ergo in isto cæco, vt statim docet Christus Dominus, non opus esset externam cæcitatem origini tribuere, (hoc enim significat illud: *Neque hic peccauit.*) illi tamen iure optimo addubitarunt: imò, neque in hoc cæcitas daretur, nisi humanum genus in Adamo corrumperetur; ideóque communiter ex Patribus, humanum genus cæcum, in misero isto cæco intelligimus. Sed id adhuc vlteriùs declarandum. *Ludolph.* *Ludolph.*

Suasurus Dæmon protoparentibus infelicem vetiti pomi gustum, sic subiungit: *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, &c.* Genes. 3. n. 5. Ergóne, inquis, cæci fuerant protoparentes, cuius oculi cibo vetito aperiendi erant, & illuminandi? Nequaquam: sed fallax serpens cæcitatem illis obductam pridem mentiebatur, vt sic dissimularet obducendam: timens quippe, fore, vt homo nihil priùs timeret, quàm per inobedientiam obcæcari, vnde cæcitatis horrore à culpa abstineret; nihil priùs laborat serpens, quàm contractam iam tunc albuginem persuadere, quo contrahendæ metus deponeretur. Sic venit explicandus Eusebius Gallicanus in homil. de cæco prædicto Ioannis: *Cæcus iste à natiuitate genus humanum esse videtur: sed, quare à natiuitate, nisi quia à primo homine? cùm enim primo homini lignum vetitum comedere Diabolus suaderet dicens: Comedite, & aperientur oculi vestri. nónne eum cæcum esse monstrabat? cæcus tamen adhuc non erat: sed comedendo cæcus factus est.* Nihil aliud constantiùs horruisse debebat homo; nihil pestilentius inducere Dæmon conabatur; vt inde omnes ab ipsa natiuitate obcæcaremur. 757. *Idem probatur.* *Genes. 3.* *Eusеb. Gal.*

Hinc aspera illa Domini ironia, amara subsannatio, postquàm miseros pellicea tunica obinduit: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos: & ait:* 758. *Genes. 3. Plura de eodem.*

Ecce

Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum. Ibidem, n.21. Cur enim tunc maximè irridetur quasi cæcus, & affectatæ scientiæ omninò expers, quando tunicâ pelliceâ induitur homo: nisi quia crassa pellis obducta corpori, crassiorem iam aliam denotabat, qua mentis oculi obducti, tanquàm obscura nube, tanquàm excæcante membrana obuoluebantur? Benè ergo tunc cæcus subsannatur, quia sub crasso corporis velamento, crassius animæ velamen hæreditario iure nobis relinquendum referebat. Theophylactus de natiuâ cæci nostri miseriâ locutus, & ad primam alludens culpam protoplasti: *Ex tunc crassa quadam nebula, & pellicea fortassis tunica (vt dicunt sacra Eloquia) effusa est super mentis nostra oculos.* Multa dixi de peccatoris cæcitate in Cantico tropol. not. 3. §. 3. quæ huc transferas.

Theophyl.

759. Vidisti originis morbum, cape medicinam: quam sic Ioannes exprimit: *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.* prædicto cap.n.6. Sed hem? vnde lutum in remedium cæcitatis? Si forte iste videret, obducto luto penitùs excæcandus videtur: oculorum delicatissima conditio, mollissima natura, non solùm immisso puluere læditur; sed fumo tenui, flatu asperiori. Quid ergo è lutulenta terra grauedinis non conciperet? Nosti ex Patribus, sputum illud, diuini Verbi fuisse figuram: benè est. curetur saliuâ sacrâ, sacro repræsentationis grauidâ mysterio. Sed, quorsum terra? Quia Verbum salutem nostram decreuit apparare, quod in terram benedictam, quod in terrenæ conditionis virginem deueniret. Theophyl. citatus: *In terram, id est Sanctam Virginem ni Virgo fores, cæcitas perseueraret.* Clariùs adducto loco Eusebius: *Sputum, quod naturaliter ex capite descendit, Christi Diuinitas est, cuius caput Deus est: hæc autem in terram recidit, quando in Virginem venit.* O quàm à cæcitate libera, quæ cæcitati adhibuit medicinam! O quàm ab originis morbo sana, quæ originis ægritudinem amouit! O quàm semper videns, quæ non videntibus lumen importauit!

Ioan. 9.

Cæcitatis huius remedium per Mariam.

Theophyl.

760. Sed pende adhuc litteram, & prædictæ medicinæ excellentiam. Dubitantibus Discipulis, vt vidisti, vnde cæcitas illa oriretur; respondet Christus: *Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed, vt manifestentur opera Dei in illo.* dicto cap. n. 3. id est, vt ego hoc eximio curationis opere, me Deum esse comprobem manifestè. Non solùm Diuinitatem suam probat Christus tanto miraculo; sed probat manifestè. Et cur ita? Quia nobilissima pars humani corporis ab illo tantùm denuò formari poterat, qui totum initio hominem formauerat: & manifestè cæterarum productor credi potuit, qui restitutor excellentioris membri videbatur. Audi amœnissimam huius rei descriptionem ex D. Asterio, prout in sæpè citata Bibliotheca Photiana circumfertur. Loquitur S. Doctor de hoc miraculo: *Partem hominis, & partem pulcherrimam non fecit alius, nisi qui primi initij generis creationem demonstrauit: in oculo, exigui membri, & partis circumscriptione, omnipotentem, variámque Dei sapientiam licet videre, in qua tantùm artis ostenditur. Primùm quidem, venustas quædam illi indita, & mollissimus est, & sine carne: &, vt ita dicam, in delicato membro soliditas est; & in molli, ordo variis coloribus distinguitur: media enim pars nigra est, & illa non tota vnius speciei, sed variis circulis colligata est: medium ipsum, & centrum profundum est: ambitus extrinsecus desinit in colorem flauum ex parte: hinc extrà albedo splendida, & lucida ambit: non solùm habens albedinem; sed in vitrea quadam, radiantique forma factam: rubedo ad pupillam iacet, vt nigredini adderet venustatem.* Deinde post multa de speculari oculorum conditione sic concludit: *Propter hoc igitur admirandum oculorum opificium, etiam nunc pro re nata visus est restitutus: vt cogitationes parum decentes de Christo vnigenito Patris, quas nobis caro ingenerauit, repellamus: & magnitudine eorum, quæ facta sunt, animi abiectam omnem, ac vilem opinionem deponentes, cognoscamus fictile, ac luteum vas, beatum lumen, ac Diuinitatis splendorem suscepisse: vt inde lux nobis, tanquàm è lucernis administraretur.* Manifestatur Christus, æternus Patris splendor, sub corpore virgineæ terræ delitescens: quia egregiam hominis partem de omnipotentia sua reformauit.

Ioan. 9.

Oculorum excellentia.

Qui potest maius, potest & minus.

Aster.

Emphaticoterès adhuc explicari potest illud, *opera Dei:* quasi in curando cæco non solùm diuina potentia splenderet; sed & opera prisca Dei referrentur: vt ideò in illo miraculo Christus verissimè Deus manifestetur, quòd non solùm potens manifestetur, sed & ipso operandi tenore, tenorem exprimeret Dei operantis. Pulchrè ibi Euthymius: *Opera Dei vocat formationem cæci de puluere: quia enim in confesso erat, opus fuisse Dei formationem corporis Adam de puluere: hic etiam & oculos cæci, pulcherrimam corporis partem format de puluere, vt hinc indubiè Deus appareat, vtpote æquè potens, vt Deus: nam, qui pulcherrimam partem ita formauit, posset & totum formasse.* Pende nunc, quantò manifestiùs Deum se probaret Christus, si illis reuelaret modum, quo internos mentis oculos infuso gratiæ lumine sanabat: & videbis, quàm propè ad Deum accedat Maria, quæ carnem illam dedit, vnde nobis salus melior emanauit. Dixit Christus curaturus hunc cæcum: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* n.4. Erat enim necessariò *lux* futurus, quem nunquam vllæ tenebræ comprehenderent, qui pulcherrimam lucem impertibat. Sit ergo suo modo Maria semper lux, cuius caro immortale nobis lumen, vnde splendores combibimus, ministrauit. 761.

Idem confirmatur.

Euthym.

Sed leuiora ista: illud grauius, quod innuit Ludolphus suprà num. 756. ideò cæcum nasci hominem ab origine, *quia priuatus est Dei visione:* id est, illius iure, quod sub statu integro nascens retineret. Expediuit ergo, crederem, vt Maria, cuius ministerio erat nobis huiuscemodi ius restituendum, non solùm cum hoc iure per gratiam conciperetur; sed etiam vt statim visionis beatæ libaret possessionem. Postquàm Lot discesserat, ostendit Dominus Abrahæ quaqua versùs felicissimam illam regionem: & subdidit: *Surge ergo, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua: tibi enim daturus sum eam.* Genes. 13. num. 17. Ly, *tibi*, vt ex re ipsa constat, id est, posteris tuis post te: quibus abhinc ius consequeris, & deinde post plusquàm quadraginta annos illam possidebunt. Sed, cur iubeatur sanctissimus senex, tot antè peregrinationibus fatigatus, vastissimam prouinciã circuncursare? Quia, nimirum, qui ius posteris suis 762.

Ludolph.

Iuri præcipuo possessio copulanda.

Genes. 13.

suis relinquebat; non solùm beatæ illius terræ ius erat adepturus; sed etiam illius possessionem pedum calcatione comparaturus. Oleaster ibi: *Hoc, meo iudicio, fecit Deus, vt ipse possessionem acciperet, & videret bonitatem terræ.* Mariam ergo, cuius ministerio homines ab origine cæci, ius visionis beatæ in Christo comparamus; meritò in ipsa origine non solùm ius per gratiam; sed ipsam possessionem credimur comparasse.

Oleast.

763. D. Thomas Valentinus in primo resurgentis Christi aspectu Beatam fuisse, in Sermone huius Festi tenet, vt iam plures notarunt. Agedum videamus, an etiam ex eodem probabile reddatur, fuisse etiam Beatam in Conceptione. Dicebat Christus Matri: *Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.* Cantic. 1. num. 15. Cum epitasi bis pulchra dicitur; & tamen tota pulchritudo ad oculos refertur: nec aliud ibi legis commendatum. Et cur ita? Rapiebatur Deus oculorum illorum pulchritudine: & ideò bis pulchra dicitur Maria; quia virgineâ oculorum exteriorum modestiâ, & altissimâ interiorum perspicacitate delectabatur. Parum id. Bis pulchra dicitur: quia; & dum conciperetur ipsa; & dum filium conciperet, hi oculi, & ab illis exorta pulchritudo summoperè radiarunt. D. Thomas citatus Conc. 3. de Assumpt. Virg. post multa de his oculis Marianis: *Quoties oculorum repetit pulchritudinem! quoties visus decorem exaggerat! vt in illis se maximè captum, & delectatum ostendat! Verè pulchra, & bis pulchra: pulchra facie, pulchrior fide: pulchra in corpore, pulchra in mente: pulchra interiori gaudio, pulchra exteriori obsequio: pulchra, cùm gignitur; pulchra, cùm genuit: pulchra in Ægypti exilio, pulchra in cælesti regno.* Totam hanc pulchritudinem ab oculis emanantem, vt vides, voluit D. Doctor: & eandem, aut dum gigneretur Maria, aut dum Filium generaret, commendat. Qui ergo obtutus meliùs tam impensam laudem mereretur, quàm ille, quo Diuinitas attingebatur? Certè, cùm incarnationis tempore Mariam Deum vidisse plures asserant; idem suæ tempore Conceptionis factum, non putarem improbabile.

Thom. Val.
Mariani oculi vnde pulchri.
Cant. 1.
Thom. Val.

764. Dices, potuisse Mariam oriri cæcam culpâ, & obtenebrante fomite fœdatam: & repurgatam fuisse posteà, vt meliùs quàm Paulus, & Moyses, etiam in via Deum intueretur aliquando. Transeat modò, Deum, & Paulum, & Moysem obiter vidisse, licèt originaliter cæci nascerentur: sic tamen in Maria euenisse, præter communes causas, in præsenti materia, minùs conueniens omninò videtur. Ratio est: quia præterita culpa etiam condonata, hebetiores ex se reliquit obtutus, vt possint tanto muneri adaptari: ergo, quamuis in seruis hæc hebetudo infuso lumine tollatur; decentius, & honorificentius erat in Regina, vt ex se nunquam tali hebetudine laboraret. Quæ enim infinita distantia Matris Dei, à iustis aliis, quam ponit Doctor Angelicus; nisi in quacunque materia, Maria longè alia ab aliis intelligatur? Moyses ergo, & Paulus, & Benedictus, & Ignatius meus, qui quandoque Beati prædicantur, de præterita culpa ad tantam visionem hebetiores quidem ex se manebant: Maria semper innocens, quò aptior, eò decorior veniebat. Probemus vno, vel altero loco illam maiorem, vnde totius argumenti vis dependet.

Maria viatrix, beatior Paulo, & Moyse.

Cælestis cuiusdam prodigus ostentamenti, super solium sapphirinum beatis Spiritibus cinctum, se se Deus Ezechieli, id est, viro iusto, & à peccatis iam libero ostendit. Quis crederet, non totum in conspectum fundendum Prophetam, vt tam singulari beneficio frueretur? Et tamen audi illum, postquàm toto cap. primo visionem depinxit: *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini: & vidi, & cecidi in faciem meam.* cap. 2. num. 1. Et quare non stat diu visurus, & aspectu iucundissimo fruiturus? Quia mens post lapsum, licèt reparatum, fragilior: vnde visioni, ad quam vocata fuerat, non sufficiebat. Gregorius ibi hom. 8. *Qua in re cum magno mœrore pensare, & considerare cum lacrymis debemus, in quantam miseriam, & infirmitatem cecidimus: qui & ipsum bonum ferre non possumus, ad quod videndum creati sumus.* Nimirum, relicta debilitas non sufficit tantis rebus, quin deficiat. Et benè ad rem nostram præmiserat idem Gregor. *Quid ergo de hoc viro fieret, si ita, vt est, eius gloriam vidisset?* Si ad vmbram cecidit, quò iret ad veritatem? 765.

Culpa etiam condonata, fragiliorem relinquit obtutum.
Ezech. 1. & 2.
Gregor.

Mira illa, & insperata piscium captura Ioanni Dominum, & Magistrum manifestauit cap. 21. Nunciat tunc ille Magistrum Petro: *Petrus autem cum audisset, quòd Dominus est, &c.* Didicit Petrus à Ioanne num. 7. Magister, & Archiapostolus à Discipulo edocetur: audit ab alio, non videt ipse. Vnde Petro tam misera ophthalmia? vnde hebetudo tanta aciei aliàs perspicacissimæ? Præterita, scilicet, culpa, licet condonata, licèt iam baptizata lacrymis, languorem adhuc oculis, id est, menti, Christo agnoscendo reliquerat. Chrysol. Serm. 78. *Quæ res Petri sic tardauerat mentem, vt ab alio audiret Dominum, qui ceteris solebat nunciare? Vbi est illud ipsius singulare: Tu es Christus, Filius Dei viui? vbi est? In domo aufugerat Caiphæ: tardiùs suum Dominum videbat, qui vocem facilè ancillæ susurrantis audierat.* Absit ergo, vt in Deiparâ culpam aliquam relinquendæ hebetudinis agnoscamus. 766.

Idem probatur.
Ioan. 21.
Chrysol.

§. II.

Deus totus oculus: hunc æmulantur cælestes Argi: hos in via adhuc, quandoque superauit Deipara.



SED videamus aliunde Mariani obtutus videndo Deo perspicacitatem, vt inde in Conceptione vidisse probabiliter inferamus: id verò, factâ cælestium Spirituum ad Deum analogiâ, perdiscemus. Accessit remedium quæsitura ad Christum Hæmorrhoïssa. At qualis accedit? *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Matth. 9. num. 20. O quid agis, mulier? Si tantùm fimbriato 767.

Deus vndique oculus est.
Matth. 9.

fimbriato limbo tribuis, Deum iam agnoscis in homine sublatentem: à quo enim, nisi à Deo, virtus tanta? Si igitur agnoscis Deum, quid retrò venis, quasi dissimulata latere cupias? Non tam latere præsumpsit dissimulata, quam fidem suam, non solùm tactu fimbriæ, sed etiam retrò tangens propalare. Confessa est Deum, quem etiam retrò tactum videntem adorabat. Cur ita? Quia Deum non solùm oculatissimum vndique, sed etiam totum oculum agnoscebat. D. Chrysol. Serm. 34. *Accessit retrò: sed vbi retrò nihil erat; ibi faciem, quam declinabat, inuenit. Erat in Christo corpus multiplex; sed erat Deitas simplex: erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat. O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria, Diuinitatis totam vidit inhabitare virtutem.* Quasi non satis videns intelligatur Deus, nisi totus antè, & retrò oculus intelligatur. — Chrysol.

768. Quando Agar rixas euitans dominæ fugiebat, postquàm de regressu, déque felici partu ab Angelo personam Dei gerente monita fuit, subdidit: *Profectò hîc vidi posteriora videntis me.* Genes. 16. num. 13. Vbi Lyranus ex Catholicorum sententia: *Ille Angelus, qui apparuit sibi, sic apparebat in similitudine assumpta, quasi habens faciem ab ea auersam: quod autem sic videtur, scilicet, à dorso, non manifestè, & determinatè cognoscitur: & per hoc designatur, quòd de Angelis non habemus cognitionem, nisi valdè longinquam, & remotam.* Sed tu mihi nota Angelum, quem sibi loco Numinis faustum commendabat, nullo insigniori titulo affecisse, quàm *videntis me*: quia, ni fallor, in re præsenti, nullum digniorem potuit inuenire: auersâ facie esse; & tamen videre; retrò, & antè, perinde esse alicui ad conspectum: id nihil aliud est, quàm esse totum oculum: eóque maximè Diuinitas denotatur. Vnde ergo meliùs Deum explicaret, quàm si illum occipite oculato veneraretur? Certè Ianum suum hinc Deum esse augurabantur homines olim; quia vtrinque oculatissimum credebant. Nos (vt benè cecinit Persius) — Idem probatur. Genes. 16. Lyran.

Quos viuere fas est
Occipiti cæco, &c. — Pers.

proinde miseri: Deus verò profundus rerum cognitor, vndique oculatus, vndique totus oculus venerandus. Hoc ergo est, quod in his Agaris verbis putarem intelligendum.

769. Cecidit è cælo manna, cuius figuram sic Scriptura describit: *Quod erat quasi semen coriandri album.* Exodi 16. num. 31. In Græco pro coriandro est κόριον, quo maximè *pupilla oculi* significatur: nimirum, est manna, vt ex Euangelio nosti, diuini Verbi è cælo nobis venientis figura: neque sub alia forma meliùs poterat Deum repræsentare. Imò Philo Iudæus sermonem, seu verbum illud ideale hîc intelligens, sic scribit lib. 2. Allegor. *Quid, si κορίῳ, id est, pupillæ oculi, simile dicatur? Sicut enim hæc, quamuis minima particula, videt hos cælestes orbes, & immensum mare, & aëris amplitudinem, prætereà Solis tam orientis, quàm occidentis terminos: pari modo sermo quoque diuinus cernit acutissimè, qui sufficit inspiciendis rebus omnibus, per quem videbuntur quæcunque digna spectatu.* Certè ideò Christus panis viuus (vt alibi ad rem eucharisticam ponderabo) mannæ isti optimè venit comparandus: — Exod. 16. Imò totius oculi pupilla. Philo Iud.

vt etiam sub speciebus latens, Deus agnoscatur, ibique acutissimè cernens, imò & totus oculus adoretur. At pende adhuc, non manna, siue Christum Deum oculo comparari; sed pupillæ: ne partes cæteræ, quæ in oculo non vident, Deo aliquo modo comparandæ venirent. Locutus idem Philo lib. de Opif. mundi, de hominis creatione, sic habet: *Postremus homo creatus est, cui conditor mentem eximiam donauit, quæ sit ceu anima animæ, quemadmodum pupilla in oculo: nam hanc quoque Scrutatores naturæ dicunt esse oculi oculum.* Quasi diuinum nostrum manna non tam oculus, quàm pupilla, id est, oculus oculi de summa perspicacitate appelletur, ideò τῷ κορίῳ veniat assimilandum.

Videamus nunc, quàm cupiant cælestes Spiritus, & quàm soleant diuinæ perspicacitatis æmulatores se præstare. Vidit illos sub mysticâ animalium figurâ Ioannes, & addit ibidem: *Et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis antè, & retrò.* Apocal. 4. num. 6. Suppono nunc cum pluribus Patribus, hos Spiritus esse eosdem cum illis Ezechielis cap. 1. qui oculatis rotis assistebant: quamuis enim ibi oculati non dicantur, supposuit id Propheta: expressiùs verò hæc animalia cap. 10. eiusdem Prophetæ à num. 9. vocantur *Cherubim.* Fuisse verò vndequaque oculatos tenet D. Hieron. ad cap. 1. Sic & Sophronius orat. de excel. Angel. Iustinus quæst. 44. & plures alij. Imò & D. Dionys. de cælesti Hierarch. Cherubinos, & Seraphinos ait, pluribus oculis insigniri. Causam (præter alias, quas iam alij) illam putarem, vt se, quantùm creaturæ conditio fert, instar Creatoris ostendant perspicacissimos: nam penitùs à Deo comprehensi, suo modo sunt eiusdem comprehensores. Deus ergo, vtpote longè simplicior, vnus est oculus, Sol iustitiæ: sicut in cælo Sol, solus collucet: Spiritus beati fiunt multoculi, vt sicut Luna stellis cincta, diuinæ claritatis æmuli splendescant. Ludebam aliquando iuuenis de Sole oppetente, & appetente Luna: — 770. Spiritus Beati, cælestes Argi. Apoc. 4. Ezech. 1. & 10. Hieron. Sophron. Iustin. Dionys. Ar.

Alternam sibi forte vicem, iam regna Sorori
Tradere Sol properat: cupit illa argentea fratris
Innumeris oculis aurum supplere coruscum.

At Spiritus illi, nô ab stellis, alienis, scilicet, oculis, lucem emendicant: ipsi fiunt antè, retroque multoculi, vt diuini imitentur oculi claritatem.

771. Huc absque dubio respiciebat D. Epiphan. Orat. sæpè citata ad Mariam: *Aue, gratiâ plena, quæ habes radium de cælo lucidis facibus coruscantem, vtpote Solem Christum. Virgo plurimorum nominum, & multocula effecta est, Seraphim incomprehensæ visionis, quæ inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis, Cherubim transcendens.* Dum Solem diuinum, melioris cæli oculum tenet Luna nostra, in eiusdem perspicacitatem imitandam, redditur *multocula*: inde instar Seraphinorum incomprehensibili potitur visione: transcendit Cherubinos: & meritò: isti enim Arcam alarum vmbraculo tegebant: Maria carne sua velamentum verbo indidit: & incarnatum Verbum, Corpus illud de vniuersalitate potentiæ singularissimum purissimo suo vtero inumbrauit. — Maria tur multocula. Epiphan.

772. Pergit Ioannes Spiritus suos describens: *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas in circuitu, & intùs plena sunt oculis.* n. 8. Oculi illi, qui priùs antè, & retrò collocabantur, iam intus — Apoc. Cælestium erga Deum reuerentia.

intus esse dicuntur: quia, nimirum, obuelantibus in circuitu pennis vix apparebant. Sed, ô quid agitis, pennæ? quid perspicacissimos oculos obuelatis? quid inumbratis immortalis illius lucis auidissimos? Erumpite, oculi, prodite foras, bibite nectareos radios Diuinitatis. Bibunt sanè: sed tamen velamento ipso pudorem suum testantur, & reuerentiam, ipsóque metu obiecti visi excellentiam commendant. Andreas saltem in Glossa ordin. de his, tanquàm de Seraphinis Isaïæ locutus, (& meritò: ad caput enim sextum Isaïæ alludit Ioannes,) sic scribit: *Quatuor hæc animalia, vt magno Dionysio visum est, duabus alis ob id facies suas tegebant, duabus rursum pedes, & duabus tandem mediis volabant: quo hinc constaret, quantò cum metu, & reuerentiâ in sublimiorum rerum theoriam, & inquisitionem ferantur; quantâque cautione haustos Diuinitatis radios, ad alios interiectos ordines, & sedes, non absque Dei iussu transmittere soleant.* Quasi essent spiritus isti de suprema Hierarchia, vnde cæteræ solent illuminari.

Andr.

773. Quàm aliter de Maria his comparata loquitur citatus Epiphanius, subiungens, cur Maria transcendat Cherubim: *Illa enim auertuntur, cùm nequeant spiritalem ignem Diuinitatis fixis oculis intueri: hac verò apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem, & somno expertem oculum Christi, cum desiderio, & osculo salutabat.* Ecquis alius incomprehensibilis ille, & somni expers oculus Christi, quàm Diuinitas: vt suprà ex Chrysologo vidisti? De oculis Christi corporeis hæc falsa forent. Hanc ergo quandoque Diuinitatem intimo vnionis osculo, ardenti, & insatiabili desiderio degustabat Maria. Conniuent quodammodo Seraphim, Maria fixis palpebris intuebatur: non quòd non reueretur; sed, vt ita excellentia illius visionis Seraphicam transcendens intelligatur. Quasi velit Epiphanius, vt iam tunc illa transiens Mariana visio, multis numeris angelicæ præstaret, sicut immensis modò iam æterna superat eandem. At, quam rationem congruam assignabis, cur tanti priuilegij domina similem aliquam visionem in Conceptionis instanti non haberet? An, quia pro eodem instanti non esset capax meriti? Nugæ. Concordantia virginei meriti cum hac visione à multis iam facilè, & feliciter inuenta.

Epiphan. *Maria viatrix quandoque Seraphinorum visionem excessit.*

774. Sed neque caret mysterio, quòd ab Epiphanio Spiritus illi cælestes, oculati, nimirum, & Maria multocula referatur tunc, quando Christi Diuinitas *Oculus somni expers* appellatur; vt dum ad Dei imitationem oculantur, etiam expertes somni adaptentur. Habes igitur in Spiritibus illis, & in Maria multoculos quosdam Argos, & illos veros, longéque fabuloso illo Argo feliciores. Ille aliquando, vt nosti, non iam alternis vigilans, totus consopitus detruncatur: Maria nostra multocula semper vigilat, vt per omnia diuino Verbo similis euadat. Argi illius somnus torpens, ignauus, cæcus: dormit Maria; sed somnum vigiliâ præstantiorem: ille commissum sibi pignus non custodiuit; hæc vigilantissimè cuncta obseruauit. Dicebat æterna Sapientia, Verbum Dei: *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor.* Ecclesi. 24. num. 11. Quærit requiem, id est, somnum captat, idque quando in hæreditate Domini moratur, quando incarnatum, gentes hæreditatem suam acquisiuit? Et quomodo tunc fidelis commissæ sibi hæreditatis custos habeatur? Dormiebat quidem, sed somno vigili, sed ignaui torporis experte oculo. Scilicet, exemplar est Mariæ, quæ post Filium, mortalium omnium perfectior in somno acutissimè vigilauit; & in requie quæsita non obtorpuit. Hinc Mariæ verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5. n. 2. vbi acutissimè Rupertus: *Ego dormio: quid hoc est aliud, nisi illud ipsum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui Sapientia Dei: In omnibus requiem quæsiui? Et quid hæc sunt: Ego dormio, & cor meum vigilat: & in omnibus requiem, &c. nisi optimam partem elegi, relictis cunctis sollicitudinibus, vel curis sæculi? Et quidem multæ filiæ, siue multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt: sed tu dormitationis huius totum obtines ministerium, & vigiliarum cordis totum tenes principatum.* Itaque, nec Moyses, nec Paulus à sensibus abstracti, feliciique visæ Diuinitatis sopore absorpti, cum Principe Mariâ possunt comparari, quæ solùm æternæ Sapientiæ vigilantissimè soporatæ comparatur. Minus id: ipsos & Angelos, in hac vigilia, licet non habitualiter, superauit: decebat enim id Mariam: quia in altius longè ministerium electa fuerat.

Maria Verbo diuino similis.

Eccli. 14.

Cant. 5. Rupert.

Et quidem, cùm Mariani oculi longè attentiùs, & puriùs quàm ipsi cælestes Argi, oculati Seraphini, diuino peragendo obsequio adhiberentur: si Virgo in via longè excellentiùs, quàm Angeli in Patria Deum colebat, & non intermisso mentis obtutu Deum venerabatur: cur quandoque saltem tantus aspectus, beatitudinis præmio non frueretur? Laudauit Christus olim maternos oculos dicens: *Oculi tui, sicut piscinæ.* Cant. 7. num. 4. Neque quasuis piscinas intelligas: sed, vt ibidem additur, *in Hesebon*: ex quibus fluuius ingens, vt notarunt Interpretes, dimanabat. Sed cur ingenti aquarum ponderi, & ex multis piscinis congregato, perenniterque emanāti Marianus aspectus comparatus? Certè, quia perennis, & indeficiens obtutus ille sacer, & quasi ex multis oculis deriuatus: & beno aquæ potius pellucidæ, & argenteæ, quàm quodus aliud elementum huc vocantur: quia, sicut fon[illegible] *præterum* dicuntur, si illimes, & crystallini ebulliunt; meritò Mariani oculi semper nitidi, & clari, nulla vsquam fœditate, vt initio dicebam, obcæcati, fontibus comparantur. Et quidni talis foret multocula nostra Virgo, si in oculorum obsequentium officio multoculis illis Spiritibus Ioannis præponenda? Præiuit in hæc omnia ibi Guillelmus: *His piscinis assimilantur oculi piæ Matris: nam plena erat oculis: & quidem multò plenior, quàm quodlibet illorum quatuor animalium, de quibus scriptum est, quòd in circuitu, & intùs plena sunt oculis: plena, inquam, erat oculis prouidentiæ, sine intermissione prouidendi bona non solùm coram Deo; sed etiam coram hominibus omnibus. Planè hos oculos suos nullus vnquam, vel tenuis carnalis illecebræ fumus fuscauit: nullus, vel modicus, æmulationis, siue iracundiæ motus turbauit: sed ad instar aquæ viuæ puri semper, atque perlucidi fuêre: quia nihil in se turbulentum, siue puluerulentum habebant; sed quandam aquæ viuæ, id est, cælestis gratiæ similitudinem exhibebant.* Sic puri oculi, semper in viâ gratiæ indices, nunquámne raptim gloriam degustarent? Maria longè oculatior, quàm Angeli, ad obsequium, ad præmium per totam

775. *Maria oculis quàm perspicaces.*

Cant. 7.

Guillelm.

totam vitam cæcutiret? Et sanè si semper perlucidi,& gratiam exhibentes ex Guillelmo: etiam in Conceptione tales fuisse, fateatur, necesse est. Tam ergo accelerato gratiæ respectui, quid non acceleratam gloriam ibidem putemus probabiliter?

776. *Oculi Mariani Deum vulnerant, & trahunt.* Adde, nunquam gratiorem Deo aspectum creaturarum spiritualem, quàm cùm illuminatior ardentiorem commouet affectum charitatis: nunquam autem illuminatior affectus vehementiores faces admouet voluntati, quàm dum diuina beatitudine resplendet. Cur igitur putemus, nunquam Marianos oculos beato persusos lumine, qui ita Deo placuerunt, vt spretis, nostro dicendi modo, oculis Seraphicis in cælo, in terram ad illos raperetur? Audi Christum ad Matrem: *Auerte oculos tuos à me: quia ipsi me auolare fecerunt.* Cantic. 6. n. 4. *Cant. 6.* O quantum Mariæ discrimen à Seraphinis! Isti luminis impotes à Deo reuerenter oculos auertunt, & velantur, vt suprà dixi: Maria ea est, à qua per amoris hyperbolen Deus ipse oculos auertat, quasi splendore effuso, si fas est dicere, obruatur. Iam est Maria Deo de charitatis exaggeratione, quod Deus de veritatis euentu est Seraphinis. At, cur à tam pulchris oculis auoles, bone Deus? Cur oculos istos deseras, quibus tantùm splendoris communicasti! Non inde, inquit, auolo: sed eò auolo. Relinquo cælum, dimitto Seraphinos, vt gratiùs in vtero Mariano iam inhabitem. Totum didici ex D. Thoma Valent. suprà citato: *Thom. Val.* *Qualis fuit oculorum eius pulchritudo, & venustas aspectus, quæ Regem Maiestatis solo intuitu vulnerauit? Vnde ait: Vulnerasti cor meum, soror mea, in vno oculorum tuorum: & quasi non valens aspectum pulcherrimum sustinere, vulneratus clamat: Auerte oculos tuos à me: ipsi me auolare fecerunt. Vnde auolare nisi à sinu Patris in vterum Virginis Matris?* Ridiculum est, putare, aliquando hos oculos caligasse: seuerum, aliquando beatos non fuisse, quo deinde sic placerent, vt vel etiam cælestibus obtutibus præponerentur: ex lumine enim, & feruore ab his intermissis visionibus relicto Maria in tantum profuit, de quo posteà. Si verò Deum sic trahere, maius est oculorum Virginis encomium, quàm si in Conceptione beatificarentur: cur inuideret secundum, qui primum contulit, cùm id huius negotij reparatrici conuenientissimum (de quo suprà n. 762.) esse videatur?

777. *A Maria nobis lux, & oculi.* Sed pende adhuc ab Argo aliud, quod in *multocula* nostra Deipara veniat considerandum. Occiso Argo (fert fabella) omnes illius oculos pauoni suo ornando Iuno transtulit: Ouid. 1. Metam. *Ouid.*

Arge, iaces; quodque in tot lumina lumē habebas,
Extinctū est, centumque oculos nox occupat vna.
Excipit hos, volucrisque suæ Saturnia pennis
Collocat, & gemmis caudam stellantibus implet.

Longè meliùs, & veriùs immaculatæ nostræ Columbæ datum à Deo putarem, quidquid lucis, & oculatæ perspicacitatis in Adamo sibi, & nobis extinctum est: inde verè *multocula*; quia in illâ lumina nostra extincta, & obcæcata longè feliciùs reuixêre, vt ab illa nobis faustè restituantur. Faciunt huc verba citati Epiphanij: *Preclarè puellæ Mariæ nomen interpretatur illustrata; vtpote, quæ illustrata sit à Filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terræ, credentes Trinitati illuminauerit.* Quasi ad Mariam tota lucis congeries reduceretur, vt ab illa, tanquàm à præcipuâ gratiæ Christi dispensatrice, totus obcæcatus Orbis illustraretur.

Hinc est, vt iusti omnes, conceptâ iam luce, multoculi, Argi feliciores neutiquam valeant cum Maria comparari. 778. *Maria quantum præstet iustis omnibus.* Redeant iterum illa Christi verba, ad quæ Thomas allusit: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cant. 4. n. 9. *Cant. 4.* Vnum oculorum dicitur: quia pari, & vno ictu, tot illi oculi in rectissimum scopum collimabant: vt iam instar Diuinitatis, tot oculi, vnus; & tota oculus Maria videretur. Sed, cur ita? Cur vni Mariæ tanta vis oculorum tribuatur, vt Deum ipsum percussum, & suauiter gerat detriumphatum? Quia, licèt iusti perfectiores (in prædictis hucusque oculatis animalibus etiam intellecti) acutiùs aciem intendant, & inuigilent; hebetes tamen sunt, & penè cæci, si cum Deipara veniant comparandi. Guillelmus *Guillelm.* ad hunc locum: *De quatuor pennatis animalibus, quæ Sanctorum typum tenent, legitur, in circuitu, & intùs plena oculis esse; hoc est, piarum sollicitudine curarum, quibus non tantùm sibi, sed etiam aliis inuigilant. Quid frustrà malignus expandit rete ante oculos eorum? Vndique sunt eorum oculi aperti. Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum. Quis tam plenus oculis, quàm Mater luminis? Quis pari sollicitudine sibi, & aliis inuigilauit, ac Mater pietatis? Quid igitur circa Dei Filium, in similitudine carnis peccati de se natum pia Mater propensioris cura credenda est adhibuisse? Hæc circa Filium tam deuota sollicitudinis, & tam sollicitæ deuotionis vigilantia, fuit oculus vnus, quo Sponsum vulnerauit.* Quasi, licèt oculorum cæterorum vigilantiâ iustos omnes Maria superaret? hoc tamen summoperè splenderet, quo piissimè circa Natum inuigilabat, quo dulcissimè Natum vulnerabat.

Quid igitur piissimum Filium, minùs in Matrem sollicitum existimemus? 779. *Maria Angelis longè præstat.* Quid latentes Diuinitatis suæ thesauros Matri, dum vixit, occultantem præsumamus? Cur, si pro conditione viæ raptim potuit vigilantissimam, & deuotissimam sibi mentem beatificare, non beatificaret? Qui seruos ab initio sæculi beauit, cur Matri hoc priuilegium in suæ Conceptionis initio denegaret? An, quia viatrix? Via quidem in pura creatura habitualem respuat beatitudinem, non transeuntem. Si Moysi, si Paulo aliquando hanc concessam, cum Angelico Doctore tenent alij: Mariæ, cui longè maiora priuilegia debentur, initio ipso cōcedatur, decentissimum est. Concessa ergo illi, & licèt raptim; tamen quoad intentionem supra etiam ipsos Angelos excellentiorvt, sicut Deiparæ gratia in ipsa Conceptione angelicam omnem multis numeris præcedit; sic & præcedere gloriam inferamus. Nimirum, semen gloriæ, gratia est: & licèt in via solùm de felicissimo abortu prodeat in gloriæ fructum; non tamen fructum degenerem, & adulterinum prodiisse existimarem. Decebat hoc Angelorum Reginam, de cuius dignitate sic concludit Epiphanius: *Epiph.* *Exercitus Angelorum, qui sunt scabellum pedum Christi, procidentes, nec videre possunt, nec contingere: hæc verò labra labris coniungens, incomprehensum salutabat.*

780. Cant. 5. *Cur iusti Deo in pupillis.* Timendum ergo nobis, ne lædamus hos oculos Marianos, quos tâti apud Deum fuisse recognoscimus. Refricemus memoriam vocari Christi oculos *columbas*, Cant. 5. n. 12. & è cõtra in eodem Cant. passim Mariæ dici, *oculi tui columbarum*; id est, oculi tui oculorum sunt oculi illorum, qui columbæ vocantur: id est, sunt oculi oculorum Christi: oculi autem oculorum, nihil aliud sunt, quàm pupilla, vt initio vidimus ex Philone. Vt dum diuinam nostram tangimus multoculam, pupillam oculorum Christi tangere videamur. Parum est, si ab hâc pupillâ culpam remoueamus, parum si cæcitatem originis excludamus: satis, & plusquàm satis læditur, si quæuis minùs decens, decentis perfectionis priuatio, tanquàm nubecula illi impingatur. Hæsi aliquando ad illam amoris teneritudinem, qua Deus erga iustos fertur: *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar. 1. Zachar. 2. n. 8. cur tota amoris comparatio ad oculos deferretur, cùm suauiùs ab imo pectore, à visceribus dulcissimis sumenda videretur. In oculis gerere dicimur, quidquid in pretio: in ipso pectoris meditullio, quidquid in amore habetur, collocamus. Cur ergo, ab oculis, & pupillis tenerrimus diuinæ pietatis affectus exprimatur? Saluian. Grauiter Saluianus lib. 8. de prouid. *Ad exprimendam teneritudinem pietatis suæ, tenerrimam partem humani corporis nominauit: vt apertissimè intelligeremus, eum tam paruâ Sanctorum suorum contumeliâ lædi, quàm paruo verberis tactu humani visus acies læderetur.* Et quantò id meliùs in Sancta Sanctarum, Diuarum Diua? Delicatissima res est Maria: caueamus, pupillam diuini oculi solo culpæ puluere fœdatam, aut flagello seruitutis pulsatam, læsam existimare: minimo tactu læditur, quauis minùs decenti existimatione offenditur: veneremur illæsam; pupillam enim suam tutor, & tuitor Deus custodit sedulò.

§. III.

Natura humana serpentis oculis, & arte fascinata, Mariano aspectu sanatur.

781. *Fascinus vnde fiat.* VIDIMVS hucvsque naturam humanam cæcam, & visionis beatæ iure priuatam à protoparentibus deriuari: quàmque aliter Maria orietur, ostendere conabamur. Si verò humanæ miseriæ prædictæ priorem causam inquiras, occurrent serpentis oculi venenantes, infaustóque fascino Euam deperdentes. Quis ergo putet infelices perdentis huius causæ influxus passam Deiparam, quæ in tanti morbi antidotum parabatur? Quis putet serpentis oculis venenatam, quæ aspectu suo hunc fascinum auertit? Id vt meliùs capias, cape priùs, quomodo fascinus iniiciatur: de quo audiendus Heliodor. lib. 1. Heliodor. Æthiop. hist. *Vbi aliquis liuore percitus res pulchras intuetur, circumstantem aërem qualitate malefica replet, ac proprium spiritum acerbitatis plenum, in proximum quemque contorquet: spiritus autem, vtpote subtilis, ad spiritum vsque, & medullas ipsas peruadit: ac plerisque morbus fit inuidia, & proprium accipit nomen fascinationis.* Nunc breuiter ad rem propositam.

782. *Dæmon naturam fascinauit.* Produxit Deus Euam gratiâ cumulatissimam, nec scientiâ, provt sexui erat expediens, destitutam: hanc tamen vix friuolis aggreditur Dæmon verbis, cùm subitò prosternit. Et vnde in robore tanto, tanta fragilitas? Vnde vis tanta, tam facilè succũbit? Nimirum, fascinus omninò vires eneruat, &, vt passim videmus, subito languore collabuntur fascinati. Quid faceret misera Eua, si priùs à serpentis oculis, fascinum pestilentem; quàm ab illius ore, verba combibit venenata? Certè *serpens ille callidior cunctis animantibus terræ.* Genes. 3. Genes. 3. n. 1. licèt in genere serpens; sed tamen de pestifera specie basiliscorũ, priùs oculis, quàm lingua decertauit; & iam de fascino fragilem, facile venenato sermone deturbauit. Fauet D. Bernard. in Ps. Bernard. 90. *Basiliscus, vt aiunt, venenum oculo gerit, pessimum animal, & præ omnibus execrabile. Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? inuidiam cogitatio: quid verò inuidere, nisi malum videre est? Si non esset basiliscus, nunquam per eius inuidiam mors intrasset in Orbem terrarum.* Ecquis alius inuidus iste basiliscus nisi Dæmon, cuius suasu culpa, & inde mors in Orbem dimanauit? Oculus iste nequam, oculus fascinans initium perditionis nostræ fuit.

783. *Fascini nostri remedium, à Maria.* Audi nunc medicinam à Bernardo in Meditat. super *Salue Regina.* vbi ita ad Mariam: *Non dubitamus, Domina, quin si nostras aspexeris miserias, non possit tua miseratio suum retardare effectum: & facere mirabiles, & amabiles illi tuorum radij oculorum, (quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam ducis salutem,) ne venenatos oculos basilisci timeamus.* Et contendes fascinatam Mariam serpentis oculis, vt in prædictam veniret cæcitatem; cuius oculis fascinantes illæ palpebræ remouentur? Ab aliis miseria effluxit, ab aliis miseratio speratur: inde venenum, antidotus hinc stillat: inde tremor mortis venit, hinc timor damni similis effugatur.

784. Cant. 4. *Iustorũ oculi salutares.* Sponsæ oculos, id est, congregationis iustorum aspectum commendaturus Christus, sic ait: *Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* Cant. 4. n. 1. Latet hucvsque, quidnam sit istud, quod in oculis iustorum latens tantoperè commendatur: vnde enim in hunc latentem affectum sic auidus rapiatur Christus, qui iustorum suorum dotibus tunc præcipuè solet delectari, cùm in proximorum salutem manifestantur? Ego crederem, latere quidem affectum, siue dotẽ illam; non tamen latere effectum vtilissimum: latet affectio illa, arcana est vis: inde tamen manifesta salutis opera emanant. Ecquæ ista? Disce ex Ambrosio ibi de his oculis, siue columbis sic locuto: Ambros. *Si tanta vis in naturalibus est, vt animal visum prosit ictericis, ita vt mortui quoque cornu eius animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum his, qui in eiusmodi passionem inciderint: dubitare possumus, quòd iusti sanet aspectus, quorum sunt oculi sicut columbæ simplices & pudici? Ergo animal vile irrationale tantam virtutẽ habet, vt sanare hominem possit momẽto ex quo, quo videtur: homo iustus, si tamen cum fide aspiciatur ab eo, qui vtilitatem ab eo percipere desiderat, nihil confert? Nonne vel ipsi oculorũ radij virtutem quandam videntur infundere iis, qui fideliter*

ter eum videre desiderant? Pende vltima verba, vt sicut fascinantes oculi venenum iaculantur, sic ex columbinis iustorum oculis effluere sanitatem agnoscamus. Vis ergo illa, & virtus, tam manifesti, & salutaris effectus productiua, latens in oculis credenda commendari.

785. Et quantò id excellentius in Maria? De phœnice dixerat Claudianus:

Claudian. *Arcanum radiant oculi iubar.*

Naturales Mariæ oculi, cur viridantes. Quid Sanctorum Phœnix Maria non radiet arcanum? Quale ab illis oculis iubar non proueniat? Latent etiam Angelis excellentiæ interioris aspectus Mariani: at intuentis salutares affectus quàm manifesti? Quid non speres ab interioribus eius oculis misericordiæ, quando etiam exteriores misericordiâ videntur circumuestiri?

Epiph. iun. Epiphanius alius iunior Constantinop. apud Canis. lib. 1. cap. 15. de pulchritudine externa Mariæ: *Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauus, & tanquàm oliuæ colore pupillas in eis habens: supercilia erant inflexa, & decenter nigra.* Non vtcunque virescebant oculi; sed oliuæ colore vernabant, vt ipso intuitu pacem referre Orbi videretur. Benè Mariæ oculi columbas imitantur, cùm vterque instar felicis illius diluuij columbæ, sub viridi, & viuo oliuæ ramo serenitatem nunciet animabus. Pulchrè oculi oleæ colore inficiuntur, vt sicut oculi icterici, qui aurigine, siue morbo regio laborant, quidquid vident, fœdo quodam videntur imbuere virore: sic Maria nihil videat, quod pace non beet, misericordiâ non vestiat. Conscientiam sanctam describens

Cellens. Cellensis lib. de Consc. cap. 3. sic subdit: *Est itaque procera statura propter longanimitatem: habet oculos smaragdinos propter castitatis perpetuum virorem.* Omni smaragdo pulchrior Virginis nostræ oliua, meliori pudicitiæ virore, & salute contra venenum missâ pretiosior.

786. Hæc breuiter de vulgari fascino, quo quasi ebibito ab oculis veneno contabescitur, de quo

Fascinus incantatorius. in alio Opere plura cumulabo. Venio ad aliud fascini genus profanis Scriptoribus minùs notum, quo per incantationem meræ quædam præstigiæ oculis ingeruntur, vt delusâ acie, aliter quàm in se est, obiectum intueantur. Est hoc

Sap. 4. illud Sap. 4. num. 12. *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona: & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitiâ.* Bonorum quippe fragilium nugacitate, vera spiritus bona obscurantur: Dæmónque incantatâ, & transuersâ concupiscentiâ fascinum iaculans, mira arte aciem mentis eneruat; & obducit præstigias, vt vera pro falsis, & falsa bona habeat pro verissi-

Chrysost. mis. Ideò Chrysost. homil. 8. ad Pop. *Quousque satietatem non capimus inexplebilis huius cupiditatis? quid habet aurum boni? in hoc consternatus sum: fascinatio quædam est eiusmodi res, quòd aurum, & argentum nobis tantùm pendantur.* Ita est: incantatorio enim hoc fascino Dæmon pallidum lutum, cœnum duriusculum (nihil aliud aurum est) ob oculos proponit amandum, sed imponit.

787. Ab Eua origo mali. Creat Deus inter omnia, quæ erant valdè bona, arbores multas in Paradi-

Genes. 2. *Natura humana patitur præstigias.* so bonas, & bonis fructibus onustas: vetitam autem arborem, *scientiæ boni, & mali*, Genes. 2. n. 17. appellauit. Crederem, vt ipso nomine Euam ab eius esu deterreret: quæ enim maior inscitia, quàm sapida vndique poma prætermittere; & illis solùm, quæ bonum cum malo simul immiscebant, inhiare? Benè Bernard. lib. de grad. hum.

Omne lignum Paradisi tibi conceditur ad vescendum, præter illud, quod dicitur scientia boni, & mali: si enim cætera bona sunt, quid opus est edere de ligno, quod sapit etiam malum? Et tamen relictis cæteris omnibus, huic vni inhiat gulosa fœmina. Bernard.

Quò properas, perditissima? Siste pedem, cohibe manum. Haud valet iam: quia incantata, & diro quodam fascino mens delusa, bonum mali instar, & malum instar boni, præstigiarum vi confusis imaginibus cognoscebat. Innuit Philo Iud. Philo Iud.

lib. de opif. Mundi, in serpente voluptatem intelligens: *Voluptas suas præstigias, & fraudes non audet viro admoliri; sed fœminæ, & per hanc illi: idque admodum appositè, efficaciterque: in nobis enim quasi vir est mens, sensus quasi fœmina.* Quia oculi præstigiis serpentis fascinati, mentis aciem solent fascinare, ne cæcutiens obiecta queat discernere.

Colligitur id ipsum ex eodem Textu: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum.* cap. 3. n. 6. Viderat colorem eius, & pulchritudinem; at non gustarat: vnde ergo etiam gustui esse bonum præsumebat? Delirabat iam mens, & fascino delusa certi iudicij impos reddebatur. 788.

Genes. 3. *Præstigiarum harum effectus.*

D. Ambr. D. Ambros. lib. de Parad. cap. 13. *Infirmi autem iudicij, qua de eo, quod non gustauerat, iudicabat: & ideò non facilè, nisi quod diligenter pertractauerimus, quod interiori probauerimus affectu, videtur ad opus aliquod esse sumendum.* Misera Eua infirmo, & fascinato iudicio, quomodo probabili, aut probato affectu vteretur: Sed illud magis mirum, eousque has præstigias irrepsisse, vt fascinata mente, sensus etiam distinguendis obiectis relinqueret confusos: qua enim ratione, nisi aberrante, potuit oculis discernendi saporis ingenium credere communicatum? Benè Galfr. ad cap. 5. lib. 4. Reg. apud Tilm. *Peccauit Eua per visum lignum vetitum intuens: sic oculis delectata, vt nescio, quomodo viderit, quod suaue foret, etiam ad vescendum.* Galfrid.

Non quidem vidit dulcedinem: neque enim extra obiectum reapse sensus raptus est: sed rapta mens, per sensum species à præstigiatore fictas ebibendo, id dedit oculis, vt etiam obiecta gustus sibi percepta esse viderentur: quasi falso quodam miraculo potentia extra obiectum eleuaretur.

Sed, quid mirum, oculis crederet de sapore, quæ præsumpto sapori crediderat de Diuinitate? 789.

Effectus alij. Ecquis potentior fascini incantatio, quàm quæ sic eludit Euam, vt putaret tam subitò Diuinitate creatam naturam implendam, quàm breuiter venter esca repleretur? Scilicet, temperarat Dæmon venenum suum, id est, vetitum pomum sic fucarat, vt menti Diuinitate, sapore oculis blandiri videretur: tunc immissa per oculos Diuinitatis spes, quidni ad esum, siue mortem, iam gustum sollicitaret? Ideò Chrysost. ibi hom. 16. *Vt Diuinitatem mente sua imaginata est, ad esum properauit: & illuc posteà fixit, & cogitationem, & mentem: & nihil aliud considerabat, quàm vt calicem à maligno Dæmone temperatum epotaret.* De Chrysost.

hoc etiam fascino, in suprà promisso Opere, plura congero. Habes itaque elusos oculos Euæ, & inde fascinatam mentem, & tenebrosis Dæmonis præstigiis incantatam: nunc pende antidotum mali tanti à Maria. D. Bernard. suprà citatus n. 783. *O Eua oculi venenati, cur non offertis*

Harum præstigiarũ antidotum à Mariâ.

Bernard. *offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam? nam suorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat cateruas Dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, & demum ad cælestia trahit. O quàm beati, ô Domina, quos tui viderint oculi! hos ergo oculos ad nos conuerte.* Non fascinauit ergo hos oculos Dæmon: hanc mentem præstigiosis tenebris non obcæcauit: viderunt semper lucem, qui lucem fundunt: imò & congruum, vt tanto muneri producti in ipsa productione oculi illi interiores diuina beatitudine fruerentur: quidni enim illis Deus communicetur, qui diuinorum oculorum naturam videntur participare? De Dei oculis Ambros. in Psalm. 36. *Oculi eius lux sunt, quos aspicit, illuminat.* Vide, quæ plura dixi de Dei oculis in Cantico meo Tropologico.

§. IV.

Ab hoc fascino peccator in phantasticis bonis æstimat soliditatem: & è contra in solidis, inanitatem: id simul pessimum.

790. *Peccator in phantastico solidum æstimat.* SED priùs quàm ad alia transeamus; (dabitur enim hoc obiter etiam formandis moribus, ne semper apodictica ratiocinatio desipiat;) quæ duo grauissima damna ab hoc posteriori fascino nobis proueniant, trutinemus: vt inde, quantum apud nos, allato remedio, posuerit Deipara beneficium, meliùs agnoscatur: hinc enim efficaciter, ni fallor, probatur, quales sint oculi illi, quámque digni, quibus summum illud videndi Dei priuilegium non inuideretur. Duo diuina Sapientia dicit, ex mentis, siue internorum oculorum fascinatione exorta mala: solidi, nimirum, boni obscurationem, & sensus peruersionem: ibi, vt in solido bono præstigiis obscurato, homo inanitatem putet: hic, vt in vero malo, gloriáque phantastica soliditatem reputet inueniri. Vtrobique sanè delusus, dum nihil verè dispiciens, hoc suspicit, illud despicit. Argumentorum aliquorum sophismata irridebat, saltem ridebat Seneca epist. 41. quæ tamen dum decipiunt, placent ob argutiam: *Sic est*, inquit: *sine noxa decipiunt: quomodo præstigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Illudunt planè oculis acetabula; & tamen sensus illusio, fit ludus voluptatis: quia, dum noscitur falsitas, nemo fallitur. Ast, quàm deploranda illa mentis cæcitas, quæ deceptos sensus non corrigit, admiratur præstigias, veneratur vt vera, quæ vereri vt falsissima deberet? Proh fascinatam humanam mentem, quæ cum sensu delirat, quam præstigiæ illaqueant infaustæ, vt in phantasticis æstimet soliditatem! De hoc priùs agendum, infrà de alio.

Seneca.

791. Hoc ergo erat, quod monebat Apostolus: *Qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* 1. Cor. 7. n. 31. Sed, cur, inquis, mundi bona, figuræ, & non soliditates appellentur? Quid gẽmâ solidius? quid auro realius? quid vnquam tot à Deo productis substantiis substantialius? Cur ergo figuratiuę inanitates istæ appellentur? Verè substantia, & soliditas in his est; sed tamen, quæ æterna illa, & longè solidiora bona nobis figurent: id ergo per summum facinus, & fascinantes præstigias facit Dæmon, vt contenti his bonis figuratiuis, solida illa cælestia spernamus: & sic figuratiua ista nobis effingit pretiosa, vt non tanquàm figuras meliorum; sed ipsa, tanquàm meliora illa æstimemus, neque recuperandis æternis desudemus. Sic solent venatores obiecta vitreâ sphærulâ insecutas tygrides retardare: vnde Claud. 3. de Rap.

1. Cor. 7. *Mundus cur figura dicatur.*

Claud.

Et vitrea tardatur imagine forma.

Dum enim mater se aspicit ad speculum, immissa sui imagine, catulum in sphæra inclusum æstimans, figuræ vanæ studens ab insequendo viro, catuli sui raptore, detinetur. Hieron. ibi. *Hoc sæculum quasi vmbra pertransit: nolite ergo de eo multum esse solliciti, ne huius possessione perdatis æternam; & figuram quærentes, incipiatis amittere veritatem.* Sed hæc verba Hieronymi, subtiliorem adhuc aliam continent explicationem, de qua alibi. Hieron.

792. In præsentiarum verò ponderandum adhuc illud, *præterit*: neque enim solùm vult Apostolus, phantasticam hanc gloriam, & figuram inanem breuiter præterire, & auolare: sed, quemadmodum præstigiatores in vna, eadémque re vilissima, versatili arte (ideò vocamus *inege de passe passe*) nunc has, nunc illas species illaqueandis oculis solent exhibere: ita vt licèt formæ prætereant, non tamen res pereat, iterum atque iterum transformanda: sic se habeat mundus. Vidit, puto, D. Paulinus epist. 2. post multa: *Tota huius mundi figura, quæ præterit, & per oculos corda prolectat, Zabolicis prætenta retibus in qualibet sui specie, laqueus mentis, & gladius est.* Itaque eadem figura sic præterit, & conuoluitur, vt nouas, ac nouas præstigiatrice arte species subire videatur: vna est totus mundus in ipsa sua substantiâ vmbratilis figura: quæ deinde, quanuis mutet speciem, sub quauis mentem dementat, animam exanimat, captando laqueus, gladius trucidando. Fauet etiam ibi Caietanus: *Præterit, pro decipit: quia fallax est figura: hoc est forma, seu habitus apparens mundi huius.* Nam, quomodo, quæso, decipit id, quod præterit: nisi dum semper aliud, & aliud se ostentat, vt ipsa præteritio sit illusio?

Mundi gloria ludus præstringens oculos.

D. Paulin.

Caietan.

793. Renunciarant Galatæ Pauli doctrinæ, ad quos tunc Apostolus: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* cap. 3. num. 1. Si quòd recentes in fide, tanquàm paruuli, doctrinæ lac nauseante stomacho euomuerunt; fascinati hoc loco Galatæ dicerentur; certè non tam *insensati*, quàm de ignaua infantia teneri, & molles videbantur dicendi. Cur ergo tunc maximè fascinatos vocat, cùm arguit insensatos? Quia non loquitur de fascino illo primo pueris vtplurimùm nocino: sed de hoc secundo fascino sensus ludificante. Quidni ergo insensati, qui verum spiritualium sensuum vsum amiserunt? Nimirum, vmbram, & figuram Mosaïcæ legis amplexi, in vacua iam forma adhuc soliditatem reputabant: & de inani circuncisione adhuc, tanquàm filij Abraham, volebant gloriari,

Galat. 3. *Fascinum magicum.*

gloriari, legémque terrena promittentem, tanquàm solidi boni colebant dispensatricem: ideò ibi D. Thomas Aquinas ex Glossa: *Fascinatio propriè dicitur ludificatio sensus, quæ per artes magicas fieri consueuit: puta, cùm hominem facit aspectibus aliorum apparere leonem, vel cornutum.* Sic per fascinum promissa legis vacua, Galatis, tanquàm plenissima, apparebant.

Thom Aq.

794. Nouerat planè fascinationis nostræ, & vmbratilis gloriolæ conditionem diuinus Parens, nullâque re alia magis humanum genus laborare, quàm dum præstigiis cæcum, vanam vmbram pro solido gloriæ pondere amplexabatur: ideò eodem tenore remedium allaturus, Paranymphi ore sic destinatæ Matri nunciauit: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. n. 35. Cur enim dator lucis, non potiùs luce perfunderet, quàm vmbra obuelaret: nisi, quia diuinâ vmbrâ (quæ Sol solidus) vanam gloriæ nostræ vmbram, & phantasticum splendorem, in ipso mundi ingressu volebat expulsum? D. Ambr. Serm. 5. in Psalm. 118. *Non hæc vita perfecta est; sed hæc vita in vmbrâ est: ideò vt homo Christus Iesus ex Virgine nasceretur, obumbrauit virtus Altissimi Matrem profuturam: quia in vmbram descendit, ab vmbra incipiens operari salutem hominis, & consummaturus claritate Solis æterni.* Et tamen perseuerat adhuc in nobis hoc ludibrium: & vmbra, quæ Mariam beatificauit, vmbratilem aliquorum gloriam illuminare culpâ suâ non potuit: cúmque vmbram sequantur, nec assequantur vnquam, adhuc desipiunt.

In Annunc. Mariæ.

Luc. 1.

D. Ambr.

795. Ascendebat iam felicissima illa Anima coronanda, diuini Sponsi purissimo, & æterno thalamo fruitura: & ecce applaudunt progredienti Spiritus cælestes exclamantes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Cant. 8. num. 5. Sed, ohe, quò tenditis applaudentes? Si vrbem attenditis, ab Ierusalem ascendit, quæ Orbis delicium, Regina ciuitas, structuræ miraculum. Si ad campos, ibi per totum Canticum ridentes segetes, vineæ fœcundæ, balsameæ arbores, flores suauissimi, irrigui horti, fontes viui, flumina limpida passim describuntur. Hoccine sterile desertum, eremus squallescens? Omninò. Insultant subsannantes Angeli nobis, qui inania hæc bona pro solidis reputamus: congratulantur Sponsæ, quæ mundum, vt par erat, desertum reputabat: quasi ideò in tantum gloriæ cumulum ascenderet, quòd pestilenti fascino amoto vmbratilia ista, vt erant, recognouit. Gillibert. acutè Serm. 15. *Desertum, aridum, & sterile putat, sæculum omne hoc, per quod ascendit. Et quanam ratione nobis factus est deserti huius odor, sicut odor agri pleni, & quasi ei benedixerit Dominus? Quantos trahit ad se deserti huius odor, & tenet, ne possint auelli? Odor iste, odor mortis ad mortem: inanitas est, quam putatis vbertatem.* O verè Sodomitica poma, aspectu quodam vmbratili pulcherrima, tactu in sulphureum fumum euanescentia! Et tamen pro vana hac vbertate, vbertatem cælestis patriæ plenam vilipendimus. En vis fascini, omnia inania sunt: & tamen tanquàm solida ambiuntur hominibus.

Mundus, desertum est iustis.

Cant. 8.

Gillibert.

796. Hinc iusta illa Dauidis querela: *Vsquequò peccatores, Domine, vsquequò peccatores gloriabuntur?* Psalm. 93. num. 3. Non tam queritur, quòd aliquando glorientur: sed quòd tandiu glorientur, meritò lamentatur. Vocamus laruas vmbratiles, phantastica illa terriculamenta, vanásque imagines, quibus Dæmones, inscios solent perterrere. Talis est gloria peccatoris, vmbratilis, & phantastica, in fumum, si tangatur, euanescens. Quid ergo non deplorentur homines id toties experti, delusi adhuc? D. Ambros. lib. 3. de interpol. cap. 1. ad hunc locum: *Quod hic habeant vmbratilem gloriam; vbi de sæculo excesserint, fructum consolationis habere non possunt.* Sed emphaticoteron adhuc, quod idem Psaltes sceptriger habet Psalm. 36. n. 20. de his talibus: *Deficientes quasi fumus deficient.* Non solùm gloriam istam fumo de inanitate comparauit, dum fumus constat; sed etiam deficientis fumi tenori, deficientem gloriam voluit similem. Cur ita? Vt quando gloria maior, & ad apicem euecta existimatur solidior; tunc inanior, & peritura cognoscatur. Vidistin' aliquando gigantes fumi nubes è camino ingenti cælum petere, terrigenarum priscorum malè pertinaces æmulas? Et tamen non potiori fulmine, quàm suo ipso in superiùs allapsu concutiuntur. Fumus, quò altiùs tendit, eò soluitur faciliùs: quantò superbiorem putes de sublimitate, tantò noueris de rarefactione inaniorem: & tamen humanus oculus fascinatus in gloriis omni fumo vanioribus, sublimiorem illam inanitatem, tanquàm solidum lucis splendorem veneratur. D. Gregor. lib. 1. Registri, cap. 5. ibi: *Fumus ascendendo deficit, & se se dilatando euanescit. Sic, videlicet, fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia, vnde ostenditur, vt altus, inde agitur, vt non sit.* Nunquam minùs est felicitas, quàm cùm altior, & plenior ostenditur: quia, cùm semper merum nihil sit, tunc meracius nihil, cùm magis est felicitas. O præstigiatricem potentiam ad illudendum!

Psal. 93.

Mundi gloria, vmbra, fumus.

D. Ambr.

Psal. 36.

Humana gloria cumulus, casus est.

D. Gregor.

797. Euersa Babylone, id est, mundi splendore iam prostrato: hæc stupentes eius Principes dicuntur prolaturi: *Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum.* Isai. cap. 21. num. 4. Tunc illis miraculum est, cùm euersa iacet, cùm corruit miseranda. Et cur non potiùs, quando populorum Regina, Domina gentium? Quando palatiis nobilis, fortis turribus, mœnibus cincta, in quibus horti illi pensiles decantati, arbores ingentis census, ibi iactis radicibus, quò aliæ, non nisi improbè culmina erigerent? Nimirum, quia iam pœnâ ipsâ prudentiores loquuntur, & quidnam fuisset dilecta illa olim Babylo, agnoscebant. Verè quidem nihil, sed incantatorio fascino *miraculum* apparens: ideò enim mundus miraculum appellatur; quia mentem incantat, & præstigiator falsum pro vero inculcat. Pulchrè Stephanus Cantuar. apud God. lib. 1. cap. 3. Machab. ad hunc locum, licèt Prophetæ contextum non curaret: *Babylon facta est in miraculum: mundus mirabilis est, qui quasi præstigiator phantasmata mouet.* Si vulgò similia ludificantium horum artificum opera, solemus adulterina miracula appellare: quid ergo in mundo magis mirum, quàm sub vacua figura, imò sub inani nomine soliditatem aliquam repræsentare? Vnde & capies illud eiusdem Vatis cap. 14. num. 22. de irato Deo: *Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen.*

Isaiæ 21.

Mundus cur miraculum appelletur.

Cantuar.

Isaiæ 14.

Gloria humana, non tam res, quàm nomen est. Cur enim non potiùs ipsa Babylo, sed solùm eius *nomen* dicitur euertendum: nisi, quia in hac mundi Babylone, nihil præter inane nomen reperitur? Id iam confirmo, & quale illud miraculi, aperio.

798. *Ecclef. 1.* Dicebat Ecclesiastes 1. n. 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* In Græco est ματαιότης. Sed quid propriè *mataotes*? Hæc Græca vocula, quantùm ad inanitatem præsentem habeat ponderis, aperuit feliciter Nicetas ad illud Nazianzeni *Nicetas.* Orat. contra Iulian. Διά τί ἀγαπᾶτε τὰ μάταια; id est, *Vt quid diligitis vana?* Quod desumitur ex Psalm. 4. num. 7. vbi est: *Vt quid diligitis vanitatem.* Ergo Nicetas fideliter expositus ita habet: *Vanum dicitur, quod vacuum est: quando nomen quidem est; res autem significata nomine non est. Sic nomen est diuitiarum, cùm tamen in diuitiis, præter hoc nomen, substantia nulla sit. Sic nomen gloriæ, nomen imperij, vbi nihil præter tenue, solúmque nomen reperitur.* Hoc ergo est, quod voluit Ecclesiastes, dum res omnes *vanitatem vanitatum* appellandas voluit: vt titulos sine re, & inania esse vocabula agnoscamus. Nimirum, sunt ista fascinatricis artis miracula. Deus in Scriptura dicitur vocare illa, quæ non sunt, tanquàm illa, quæ sunt: quia mirabili potentiâ, è nihilo in existentiam educit. Ecce fascinata mens Diuinitati æmula, videtur ea, quæ non sunt, tanquàm si vera fuissent, appellare. Ast quidem videtur tantùm: & miracula sunt ista, sed adulterina: neque enim habent, quæ ostendunt: ideò Hu- *Hugo Vict.* go Victor. ibi apud Tilm. *Inanes sunt res, quæ ostendunt, quod non habent.* vt mera sit ostensio, non realitas: esséque, ac non esse, sit perinde. Grauiter Nicetas suprà citatus: Ἐπίσης ἡγητέον πραγμάτων καὶ τὸ εἶναι, καὶ τὸ μὴ εἶναι. *Sic pro eodem in rebus huius vitæ, reputandum est esse, vel non esse.*

799. Persuasurus Rabsaces Syrius Hebræo Regi, quàm debili Pharaonis Ægyptij Principis auxi- *Isaiæ 36.* lio niteretur, subiunxit: *Ecce confidis super ba-* *Hæc gloria è luto prodit.* *culum arundineum confractum istum.* Isai. 36. n. 6. Pulchrè, ni inde potentiam Assyrij Monarchæ suspiciendam inferret. Quid, quæso, viridante arundineto pulchrius? quid ludentibus ibi ventis, præstrictis foliis, sibilantibus collusionibus amœnius? Rapit planè aspectum, sed fallit: quippe & inanem amœnitatem, & vanam pulchritudinem ostentat: sic arundo foris virescens, vanescens intus, humanam potestatem repræsentat. Maius est, quod asserit: nam vanitatem cannæ pro baculo assumptæ, id est, potentiæ Ægyptiæ inanitatem ad præsidium præsumptæ obiicit Hebræis, cui inhærẽtes perirent. Neque mirum: nam & arundineæ maiestatis thronus, lutulentus est, & limosus: non enim quanuis glebam; sed illam lutulentam, sordidam, & palu- *D. Ant. Pad.* strem, labilémque exigit arundo. D. Ant. de Padua Dom. 1. Adu. ibi: *Abundantia mundi, & sanitas corporis, quasi arundo, quæ radicem habet in luto, intùs vacua, & exteriùs pulchra.* Si ergo sibi Reges firmitatem non habent, si inanes regnant, quomodo poterunt alios sustentare?

800. *Psal. 72.* *Gloria humana alleuatio, ruina est.* Fatetur id disertissimè Dauid, dum de Dynastarum potentia locutus: *Veruntamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos, dum alleuarentur.* Psalm. 72. num. 18. Pende illud, *dum alleuarentur:* non enim, postquàm alleuati sunt; sed, dum alleuantur, deiiciuntur. Sed quò deiiciuntur, an fulmine vibrato? an obruente monte? Nihil horum ait Propheta: sed, dum alleuantur, quasi ipsa exaltatio ipsissima sit deiectio, sicut de fumo diximus. Benè D. Gregor. ibi citatus: *Non dixit:* *D. Gregor.* *Deiecisti eos, postquàm alleuati sunt. Sed, dum alleuarentur: quia praui quique, dum temporali honore suffulti, foris videntur surgere, intùs cadunt.* O quàm misera ista fascinatio! Internum descensum, externo velatum ascensu non introspicit. Cur autem sic cadant, pulcherrimè iam explicat Gregor. *Alleuatio ergo ipsa, ruina est: quia, dum gloriâ falsâ subnixi sunt, gloriâ verâ euacuantur.* En tibi iam remanent Principes ab omni soliditate spoliati: & phantastico quodam solummodo inflati tumore: nec tamen adhuc desinunt fascinatæ turbæ esse admirabiles.

At non ita sanis oculis iustorum. Pergebat 801. Achab purpurâ radians, diademate splendens, *Reges vitiosi despicabiles.* conspicuus maiestate: stipatus deinde regio satellitio, armis cinctus tunc sic ad Eliam occurrentem: *Tune es ille, qui conturbas Israel?* 3. Reg. 18. num. 17. *Qui respondit intrepidus: Non* *3. Reg. 18.* *ego turbaui Israel; sed tu, & domus patris tui.* num. 18. Et vbi timor custodiæ armatæ? vbi metus seueræ maiestatis? Respondet Chrysost. tom. 5. hom. 8. ad Pop. *Non spectabat diadema, & exteriorem Regis apparentiam: sed animam sordibus imbutam, squalentem, sordidam, & omni reo miseriùs affectam respiciebat: & ipsum intuitu captum esse, & vitiorum seruum, ipsius principatum contempsit: etenim, tanquàm in scenâ, sed non in veritate Regem sibi cernere videbatur. Quæ enim exterioris ornatus vtilitas, cùm interiùs tanta reposita sint diuitiæ?* Non defotis, sed ab intus solida quærenda est gloria, vbi diuitiæ veræ collocantur. Apparens itaque est omnis maiestas, quam virtutis pondus non solidat: comica est persona, & inane nomen in scenâ phantasticè repræsentans; theatrum, non thronum complens; substantiæ indiga, prodiga vanitatis; tantùm fascinatis obtutibus adblandiens.

Sed de hac personata, & comica maiestate, 802. alibi me plura memini scripsisse: subdo tantùm grauissima verba D. Zenonis Veron. Serm. de *Humana gloria, Comœdia est.* spir. & carne; qui sub eadem Comœdiæ metaphora, post descriptam gloriæ vanitatem, carnem ipsam Mimum appellauit: *Ecce peremptorius aliquis morbus totam machinam lecto prosternit: ecce tempestas vndique mortis incumbit: nónne statim illa, quæ erat domina voluptatum, fit præda morborum? Postremò, iacentes reliquias mors vendicat sibi, insuper ei pœnas gehennæ paritura. Tunc carnalis ille Mimus finitur, exanguísque nihil iam suffragantia tota illa ornamenta medentur, nisi quòd à falsò plangentibus adhuc viuenti rapiuntur.* Mimus est gloria carnis, persona scenica, ludus histrionicus: cuius vanitatem tantummodo spiritualis aliquis Momus nouit, & reprehendit.

Sed peius adhuc est, quod sequitur: neque enim 803. solùm inania pro solidis suspiciunt mortales; sed obscurante fascino, solida ipsa despiciunt pro *Peccator in solidis æstimat inanitatem.* inanibus. Neque mirum: illo enim ipso fumo, quem lucem putant, vt dixi, obcęcati; lucem veram, & solidam percipere non possunt. Hinc pro- *Psal. 39.* pheticum illud: *Comprehenderunt me iniquitates meæ,*

Psal.39. *mei, & non potui, vt viderem.* Ps.39.n.13. Miseræ iniquitatum præstigiæ, quæ lucem veram obcæcant, & obscurant, tenebras illuminant: illam deponunt, componunt istas: vtrobique imponunt. Puros, putósque Cerberos quosdam poeticos dicas, hos fascinatos. Audi Senecam in Herc.Fur.de hoc trifauce cane, quem ab Inferis ad Superos traxit Hercules:

Vidit vt clarum æthera,
Et pura nitidi spatia conspexit poli,
Oborta nox est: lumina in terram dedit,
Compressit oculos, & diem inuisum expulit,
Aciémque retrò flexit, atque omni petit
Ceruice terram.

Sic isti infausto fascino, obscuræ vanitati lynces sunt, lucidæ veritati talpas se se exhibent. Ideò D. Ambros. D. Ambr. ad hunc locum lib. de fug sæc.cap.5. *Fumo iniquitatis oculus animæ cæcatur, ne videat, quæ sunt lucida.*

804 Ebiberunt miseriam ab ipso Dæmone fascinante, pridem iniquitate propriâ fascinato. Discessurus iam Christus, vt Crucis morte mortem Ioan.14. detriumpharet, dixit Discipulis: *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Ioan. 14.n.30. In Græco, οὐκ ἔχει οὐδέν: quod alij vertunt: *Et in me inuenit nihil.* Præterea ad Christum, quem saltem hominem sanctissimum putabat, tanquàm ad vltimum examen peragendum, Infernum Principem deuenisse:& qualis ad nos veniet? Solùm addubito cum Ambrosio ibidem: *Quomodo nihil inuenire potuit in soliditate virtutis, vbertate sapientiæ, integritate iustitiæ?* Et meritò addubitatur: nihil enim Christo plenius, nihil solidius non solùm esse; sed nec etiam fingi poterat: vnde ergo nihil in Christo inuenit Diabolus? Respondet acutissimè idem S. Doctor: *Non in vacuus; sed ille cæcus, & inanis Princeps huius mundi: qui nescit, nisi sua cernere, nisi sua inuenire: ea, quæ Christi sunt, nescit agnoscere.* Scilicet, quia omnia illa plena, & solida; vnde, tanquàm, si nihil essent, præteriuit: tanquàm si inania essent, maluit despicere, quàm potuit dispicere.

Dæmon malitiâ suâ fascinatus. Ambros.

805. Conuenerunt coram Deo filij eius: & ecce medius Satanas: quæsitúsque à Domino, vtrùm virtutes illas Iobi heroïcas considerasset, respondet: *Nunquid Iob frustrà timet Deum?* cap.1.n. 9. Non negat, se considerasse illas: affirmat autem non veras illas esse; sed simulatas, & à diuinis acceptis beneficiis dependentes: quibus cessantibus, corruerent omninò. At, vnde impudens audet mentiri tam enormiter coram Deo, quem sui, Iobíque verebatur intimè agnitorem? Puto, formaliter, vt aiunt, non mentitum; sed reuerà putasse inanes esse: quia, si quandoque immoratur impius in veris aliorum virtutibus euoluendis, & contemplandis; tunc maiori asseueratione inanes, & phantasticas esse attestatur. Didym. Didymus ibi in Cat.Græc. *Proprium est eorum, qui virtutum sunt inimiciores, cæterorum bona, minimè vera esse existimare.* Pallet misero fascino oculus; omnia illi pallescant, necesse est: incedit inanis impius; & omnia illi pariter inanescunt. Addit Didymus: *Nemo improbus, cuiusquam virtutem, vt legitimam, solidámque, admittit.* Imò nec potest: quippe phantastico, vera virtutis gloria, tanquàm phantastica iudicatur.

Idem probatur. Iob 1.

806. Ideò semel conuictus, & Iobi iam constantiâ patefactâ, reclamat adhuc: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* cap. Iob 2. 2. n. 4. de quo ibi Olympiodorus in Cat. citata: Olympiod. *Licèt eius, qui nostrum genus odit vniuersum, confutata esset audacia; agit nihilominùs impudenter, ac dicit: Nil magnum, si quia aliorum corpora passa sunt, nequidquam improbè dixit: veritus enim est, ne te iracundia inflammaret, suóque corpore plagam exciperet: id enim significat, cùm dicit: Pellem pro pelle, &c.* Quasi non sentiret Iob, nec quereretur, dum luebant alia corpora, ne ipse lueret: aut si sentiret, dissimulatus mutire non auderet constantiâ simulatâ: sicque non tam solida, quàm vmbratili virtute ornaretur: neque enim vsquam poterat oculus vanitati assuetus, aliquid perfectè solidum intueri.

Et iterum.

Post gloriosam suam resurrectionem, cœnaculi parietibus penetratis, apparet Christus Discipulis: hi autem, authore Luca, *conturbati, & conterriti existimabant se spiritum videre.* cap.24. n.37. id est, inanem quandam corporis speciem, vmbratilem membrorum figuram, qualem solent phantasticè assumere Spiritus, imaginabantur. Et cur ita? Quia mœroris somnus obruens spem, credendi difficultas fidem sepeliens, absque causa aliqua probabili, nihil probare solidum, nihil non imaginarium poterat reputare. Scilicet, fascinati oculi somni mœrore solidum corpus vmbram existimabant; & quasi per somnium irrepsisse meram corporis imaginem augurabantur. D. Chrysol. Serm.81. *Existimabant se spiritum videre. Quare? Quia clausis ostiis intrauerat Dominus. Discipuli ergo consternati mœroris somno, dabant Christo, non quod potest diuina virtus; sed quod natura recipit humana, &c. Discipuli post resurrectionem, clausis ostiis Domino ingresso, reportasse eum soliditatem corporis non credebant, in imaginem carnis solam redisse suspicantes, vt dormientibus solent corporeæ imagines apparere.* Sic olim viso eodem Christo siccis pedibus vndas percalcante, *putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt.* Marc.6.n.49. Adhuc imperfecti mille fœdatæ originis vestigiis obumbrabantur, solidámque, & æternam veritatem, vmbratilem formam esse existimabant: ideò subiungit Euangelista: *Erat enim cor eorum obcæcatum.* n.52. Adhuc, nimirum, affectiones veteres, quibus solida, tanquàm inania reputabant, non deseruerant.

807. Luc.24. *Christus, quibus imago vana reputetur.* D.Chrysol. Marc.6. Luc 24.

Malum itaque, & satis malum inania pro solidis habere: peius habere ipsa solida pro inanibus: sed illud pessimum, si simul, & eodem tempore solida, & inania tractata pariter, commutato iudicio computentur, & solidum inanitati, soliditati inane tribuatur. Scrutaturus vniuersam familiam, & domum Iacob, sollicitus, & iratus erumpit Laban Genes.31. nec tamen idola, quæ quærebat, potuit inuenire: nimirum, iam ista à Rachele detriumphata sub pedibus iacebant, quibus, tanquàm prostratis, insidebat. Sed, cur intrans, & scrutans absque dubio tabernacula omnia, non dicitur, quid euoluerit; sed solus ingressus, & nulla inuentio exprimitur: sic enim Textus: *Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit?* n.33. Credo, vt pessima miseri fascinatio nosceretur, idola illa, & vanissimas effigies perquirebat: dúmque in illis totam soliditatem imaginabatur, pariter quidquid solidum inueniebat,

808. *Peccator simul phantastica pro solidis, & solida reputat pro phantasticis.* Genes.31.

 tanquàm

tanquàm vanissimam vmbram, præteribat. Nihil in familia sancta Iacob dicitur euoluisse: quia, dum sanctificata erant, & plena, cernere non potuit, quin illi tenues vmbræ viderentur. Fauet Ambrosius lib. de fug. sæc. cap. 4. *Laban perscrutatus est domum eius spiritalem, & non inuenit effigies: plena enim erat, non figurarum; sed negotiorum. Potuisset autem inuenire fundamenta virtutum, & culmina, nisi cæcitatem cordis, & perfidæ mentis caliginem detulisset.* Ad mysticum declinat S. Doctor: vtcunque, cæcitas fascinans, præstigiatrix caligo imagines misero tanquàm solidissimum aliquid repræsentabat, & interim virtutes solidas, tanquàm aliquid inane, præteribat.

Ambros.

809. Hinc piissimæ preces Apostoli ad Ephesios: *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui: tenebris obscuratum habentes intellectum.* cap. 4. num. 17. Putares tam anxiis votis idololatriæ vanitatem gentibus cultam rogari auerruncatam: at id iam cordi esse fidelibus Ephesiis supponebat. Id ergo enixè rogat, ne ab hac vanitate cultâ obtenebratum gerant intellectum, id passuri, quod per nocturnas tenebras viatores patiuntur. Ecquid tanti est mali, quod per nocturnas tenebras incurratur? Chrysost. hic, nescio an aliquid vsquam grauiùs edisserens: *Qui obtenebratus est, nihil eorum, quæ in tenebris sunt, videt: sed sæpenumerò fit, vt cùm funiculum videat, serpentem suopte vitio cernere se putet; & si à maceria quadam, vel sepis obiectu detentus fuerit, ab homine se, vel Dæmone quopiam detineri credat. Et talia quædam multo cum timore, magna mentis perturbatione metuit: timebunt, inquit, timore, vbi non erat timor: quæ verò timenda erant, illa non timent.* Pulchrè: hinc enim fit, vt funiculum, tanquàm serpentem fugientes, dum currunt, altissimam foueam incurrant, quam paululùm spissiorem vmbram interpretantes, dum contemnunt, infaustè præcipitantur. En tibi, quod obtenebratæ per fascinum menti euenit, damna temporalium bonorum, tanquàm aliquid horribile, euitat: spiritualium verò iacturam intrepidè incurrit: quia, dum bona illa solida, ista pariter inania arbitratur. Adhuc obtenebrantis prædicti fascini effectus, noua paris elegantiæ comparatione illustrat ibi Chrysostomus: *Quemadmodum pueri, qui dum à nutricibus baiulantur, in ignem quidem, ac lucernam ardentem temerè, & cum audacia manus immittunt: virum verò, qui sacco indutus sit, exhorrent: ita*, &c. Sic istis pœnitentiæ saccus exhorretur, infernus ignis temerè apprehenditur.

Ephes. 4. *Idem ostenditur.*

Chrysost.

810. Hinc absque dubio collimabat cælestis illa doctrina Christi Domini: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Matth. 6. num. 22. Cur enim rectum intentionis iudicium, *simplex oculus* appellatur, nisi, quia admisso quodammodo nouo fascini oculo non duplicatur? Ille certè simplex est oculus, qui fumosis his præstigiis non immiscetur; qui nec caligauit in luce, nec in tenebris elusus est; qui non bona pro malis, neque mala pro bonis pariter iudicauit. D. Bernard. tract. de Præc. & Disc. *Videte, ne fortè non sit oculus simplex, qui fallitur: fallitur enim, tam qui bonum malum, quàm qui malum bonum putauerit. Scitis autem, neutrum horum ve illud euitare propheticum: Va, qui dicitis bonum, malum; & malum, bonum.* Habes miseros fascinatæ mentis effectus latiùs descriptos, vt ab illis omninò Mariam tutam noueris, de cuius oculis, & aspectu dixerat suprà Bernardus n. 789. *Suorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat cateruas Dæmonum, purgat vitia mentium*, &c.

Maria prædicti damni medicina.

D. Bernard.

§. V.

Oculorum rapacitas ab eodem morbo: at verò Mariani oculi columbini.



811. AB eodem hoc morbo, quo viciatur mens, iudicium corrumpitur, in externos oculos rapacitas deriuatur: fascinata enim cognitio, dum malum pro bono putat, oculos attentiùs infigit: & sic infigit, vt ipsi oculi, quasi admotis vnguibus, obiectum ipsum rapere videantur. Illustremus id paucis, vt dum quàm aliter se habuerint Mariani oculi, viderimus, nunquam obcæcantis fascini participem agnoscamus, ac proinde ab ipsa Conceptione omninò magna videntem, &, quod inde sequitur probabiliter, vidisse tunc Deùm inferemus. Redeat Eua infausta Antimaria. Concepto iam diabolici consilij veneno, vt ait ibi Chrysostomus, leuat in commune damnum oculos; *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum.* Genes. 3. num. 6. Heu fuge, misera: leuabis quippe & manum; præuaricationis sententiæ subscriptura! Benè Bern. tract. de gradib. Humil. *Quid tuam mortem tam intentè intueris? quid illò tam crebrò vagantia lumina iacis? quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. Non est interdictum, ne videam; sed ne comedam.* Fallax præsumptio: quò tendit oculos, manus extendet. Ideò ibidem Bern. de Dæmone: *Porrigit pomum, & surripit Paradisum.* Sic allecta oculis, manu nefariam culpam consummauit: nimirum, iam interno morbo affecta concupiscentia oculos contorsit: à quibus deinde vlteriùs scintillata, eosdem in raptores direxit attentiùs. Gregor. ibi apud Glossam: *Vt munda mens seruetur à lascinia voluptatis suæ, seruandi sunt, & reprimendi oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Non Eua lignum tetigisset, nisi prius incautè respexisset.*

Oculorum rapacitas.

Chrysost.

Bernard.

Oculorũ custodia commendatur.

Gregor.

812. Nimirum, non adhuc rebellem fomitem, accensam ab intrinseco concupiscentiam gerebat Eua; ideò exteriùs à Dæmone venenatur, vt oculos inde vnguiferos contorqueat. Nos infaustiores iam in id suasore Dæmone vix indigemus, quippe à fomite, & corrupta concupiscentia inflammati, semper raptores oculos admouemus. Quàm aliter Maria, nemo nescit ex Ruperto ad cap. 4. Cant. dum columbinos Virginis oculos Euæ opponens, huius oculos fuisse ait, *coruorum rapacium, quia scriptum est: Vidit mulier*, &c. Nihil continuum in oculis gessit Maria, aduncum nihil: non ergo fomitem sensit, vnde nec cæcitatem contraxit mentis; (quæ duo in hoc art. contra S. Doctoris scripta disserui,) ac proinde perspicacissimum rationis vsum ab initio obtinuit.

Mariani oculi columbini.

Rupert.

nuit. Fauet his, quæ de columbæ nostræ oculis disseruit Rupertus, locus ille Isaiæ 60. num. 8. vbi de iustis ita: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant: & quasi columbæ ad fenestras suas?* Nulla auium mitior, nulla rapacitati auersior, quàm columba. Laudantur igitur Sancti, qui ita fenestris animæ vtuntur, ita oculis res aspiciunt, vt simul non rapiant; est enim summa laus, humanis oculis, sed non humano more intueri. Præiuit D. Gregor. Moral. 21. cap. 2. *Iusti volare, vt nubes, dicti sunt; quia à terrenis contagiis sublimantur: & quasi columbæ ad fenestras suas sunt; quia per sensus corporis exteriora quæque, intentione non respiciunt rapacitatis, eóque foras non rapit concupiscentia carnalis.* Et meritò: inde enim volant leues, vt nubes: quia coruinis oculorum vnguibus carnali fœditati non inhærent: columbæque sunt ad fenestras; & tamẽ volare dicuntur: inde enim altiores, & nubibus simillimæ volant sacræ hæ columbæ: quia, dum intuentur, nec rapiunt; interim ab obiectis rapti non detinentur. Veruntamen iusti omnes, sicut & Eua, corui; & coruinis oculis eduntur ab origine: vna est columba Maria, quæ ideò Euæ singulariter opposita, quia nec semel vt illa, rapacibus his oculis est intuita: ideò Cant. 6. num. 8. dicitur: *Vna est columba mea.*

Isaiæ 60.

D. Gregor.

Cant. 6.

813. Hæc vt illustriora reddantur, prædictam humani oculi rapacitatem ab ipsa origine inditam, paucis dilato. Tendit huc illud Sancti Iobi: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* cap. 31. num. 1. Quia nouerat post oculos, facilè ab accensa cogitatione manus emitti. Sed mira est Græca versio, *διαθήκην ἔθέμην*, quæ optime vertitur ex Sixtianis: *testamentum posui cum oculis meis.* Testamentum autem, non nisi post testatoris mortem, locum habet: quasi se tanquam mortuum haberet, ne oculi plusquàm è cadauere aspicerent deinceps. Hinc, puto, gloriabatur de præmio, & de videndo Christo Domino glorificato in æterna vita: quia in hac, oculos morti damnarat, aut se in oculis, dicens: *In carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* cap. 19. num. 26. Ad quem locum Galfridus apud Tilm. *Clauduntur fenestræ mortis, vt aliquando pateant vitæ.* Solùm quidem oculis prædicto tenore mortuis, morti clauduntur fenestræ, vt posteà in meliori vita illuminentur.

Iob 31.

Oculi iustis quomodo mortui.

Iob 19.

Galfrid.

814. Deperit seruum suum misera domina, & lasciua manu castum apprehendit Genes. 39. num. 12. Puto, quia iam oculis iuuenem apprehendere tentauerat: emphatica quippe nimis illa verba: *Iniecit domina sua oculos suos in Ioseph.* Ibidem num. 7. Et benè *suos*, id est, proteruos oculos, & meretricios. Benè *iniecit*, tanquàm laqueos: laquei enim, oculi meretricis Prou. 23. Vnde Ambros. lib. de Ioseph, cap. 5. ad hunc locum: *Non ille se ostentauit, nec cepit incautam: sed illa, retia sua misit; & indagine sua capta est: laqueos suos sparsit; & suis hæsit vinculis.* Quàm rapaces oculi, qui retia perhibentur, vt teneant, si possunt, nec possint non teneri. Sic, quæ oculos iniecit, quia teneri magis potuit, quàm tenere; manus deinde iniecit, vt teneat: quæque non valuit oculos refrænare, manus etiam compescere non valebat: quasi necessarius, vt in Eua, post oculorum iactum, iactus

Genes. 39.

Oculi retia sunt.

Prou. 23.

Ambros.

manuum habeatur. Videt Dauid Bethsabee, & capitur: & quia longè erat, non statim post oculos manum mittit: mittit tamen nuncios, qui afferrent: nihilominùs in Textu est: *Missis itaque Dauid nunciis, tulit eam.* 2. Reg. 11. n. 4. Cur, quæso, si ipsi nuncij tulerunt, vnus tantùm Dauid eam tulisse dicitur? Crediderim ita scriptum, vt indiuisus videntis, & apprehendentis actus agnoscatur. 2. Reg. 11.

815. Peregrinaturus Abraham apud Ægyptios, dixit vxori: *Noui, quòd pulchra sis mulier, & quòd cùm viderint te Ægyptij, dicturi sunt: Vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt.* Genes. 12. n. item 12. Ad hos effectus, potiùs amanda videbatur dicenda Sara, quàm solùm videnda: sed videre, & rapere apud Ægyptios perinde existimabat. Fauet Tertull. lib. de cultu fœm. cap. 2. *Nam, etsi accusandus decor non est, vt felicitas corporis, vt diuinæ plasticæ accessio, vt animæ aliqua vestis vrbana: timendum tamen est propter incuriam, & violentiam spectatorum: quæ etiam Pater fidei Abraham in vxoris suæ specie pertimuit.* Signatè enim, vt puto, incuriam violentiæ adnexuit: qui enim per incuriam iactant oculos, auide rapiuntur, vt à violentia manus non contineant. Aliqui pro *incuria*, legunt *iniuriam*: sed prurigo est critica, Afri leporem dum non capit, intercipiens. Hinc patebit illud Dauidis de impiis locuti: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.* Psal. 72. n. 5. Vatablus vertit: *Præ pinguedine oculi eorum exeunt: in imaginationibus cordis peragunt.* Vbi exeuntes oculi, & prodiens iniquitas pro vno, & eodem reputantur, vt vides, tanquàm in basilisco. Imò, quas Vatablus appellat *imaginationes*, in Vulgato dicuntur *affectus*: quia in his, cùm idem ferè sit, obiectum videndo trahere, quàm ab obiecti vi trahi cupiendo: fit, vt idem sit affici, quàm imaginari: quod suprà etiam Iob voluit ostensum.

Genes. 12.

Oculorum incuria, in violentiam mutatur.

Tertull.

Psal. 72.

Vatabl.

In peccatore perinde est cogitare, & optare.

816. Quid separatius, quàm Sancti ab impiis? quid inter se differentius, quàm iusta soboles Seth, ab iniusta progenie Caïn? Et tamen mediis oculis, tam diuersa extrema copulantur: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Genes. 6. n. 2. Vix vident, cùm accipiunt: vix videntur pulchræ, cùm rapiuntur: penè in ipsis oculis, manus indicantur. Quid ita? Quia proterua voluntas, dum nimiùm indulgens non refrænat, sensus aliàs bonos corrumpat, necesse est, & concupiscentia miserè prosternitur. Multa de his ibi Chrysost. homil. 22. ita concludens: *Concupiscentia illos in hanc induxit perniciem: pulchritudo aspectus, scortationis, & intemperantiæ eis causa fuit.* Vbi aspicitur pulchrum, saltem affectu rapitur: vt scortationis effectus subsequatur. Ideò benè Euseb. Gallican. homil. de Beato Latrone sic scribit: *Clamat Apost. 1. Cor. 6. Neque adulteri, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Abstineamus manus ab alieno, oculos ab aliena.* Quasi vtraque bona, diuitiæ, scilicet, & vxor; manibus illæ, ista oculis æquè raperentur. Nouit id Ethnicus homo Cicero Orat. pro lege Manilia, vbi eligendum ducem describit, & præscribit hoc modo: *Quare etiam, si quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur: tamen nisi erit idem, qui se à pecuniis sociorum, qui ab eorum coniugibus, ac liberis, qui ab auro, gazâque regia,*

Genes. 6.

Idem probatur.

Chrysost.

Euseb. Gall.

regia, manus, oculos, animum cohibere possit: non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum, regiúmque mittatur. Quasi horum omnium æquè oculi, atque manus ab animo furente rapaces veniant.

817. Facit huc illud Salomonis de fœminę pulchritudinę non aspicienda: *Non concupiscat eius pulchritudinem cor tuum: neque capiaris nutibus illius.* Prou. 6. n. 25. in Sixtian. vertitur: *Non te vincat forma concupiscentia, neque capiaris tuis oculis: neque abripiaris ab eius palpebris.* Oculi enim proprij, pulchritudinis auidi, & rapaces priùs cor produnt, quàm hoc alienis palpebris capiatur: sic rapaces inuolantur, inuolantes rapiuntur. Graphicè propterea Chrysologus Serm. 139. diuinæ attribuendum putat prouidentiæ, quòd tota vis oculi latè patentis, ad pupillæ exiguitatem reducatur, ne secundùm se totum raptor extitisset: *Dei est, quòd oculus in orbem sic apertus arctatur angustissimus in pupillam: quatenus moderatè visum videat, non inuideat: prouideat, non proripiat: prospiciat, non despiciat. Oculus sit animi fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux sit, non introitus vitiorum.* Si enim ex minima sphæra tot vngues aduncos iniicit, tanta rapit; quanta ex maiori ambitu intuens proriperet?

Prouerb. 6.

Pupilla cur tam parua.

Chrysol.

818. Concludo hanc rem exemplo vxoris Lot. Fugiebat illa cum marito incendium vrbis suæ, monita ne retrospiceret: dúmque fugit, *respiciens post se, versa est in statuam salis.* Genes. 19. n. 26. Sed, cur maximè in statuam salis? Quia, vt sale cibi condiuntur: sic nos huius exemplo condiremur. Vtitur itaque Deus nouo hoc pœnæ genere, quo nunquam aliàs; vt maximum periculum ab oculis vetita aspicientibus sanaret, hominésque hoc sale sapidi & sapientes, discerent tantum damni euitare. Stephanus Cantuar. ibi apud Godefr. *Sicut sal cibos condit, ita casus malorum, cautio est bonorum.* Nimirum, respexit misera, & rapacibus oculis, vrbem infamem, auido attrahebat affectu. Desipis, & deciperis, ni hoc sale condiaris. Hinc explicarem illud Christi Domini: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Luc. 9. n. 62. Non dicit Dominus, nefarium esse eadem manu, quæ aratrum cæleste apprehenderat, iterum profana attrectari: id enim planum: at adhuc apprehendens sacrum aratrum, necdum profana tangens, iam cælo prædicatur ineptus, quisquis retrospicit: quippe tam facilis via ab oculo rapaci, ad manum attrectantem, ad opus ab aspectu: vt qui attentè aspicit, de intento iam opere suspectus habeatur. Hæc pro columbinis Mariæ oculis, neque ab interno fascino rapacibus, commendandis. Quanta ergo interni Mariani aspectus dignitas? quantum in illo à mortalium omnium aspectibus discrimen? quanta in illo à Conceptione pura perspicacitas, candida innocentia? Decenter ergo obtutibus sic mirè factis, beatam etiam visionem inditam auguramur.

Genes. 19.

Exemplo alieno condimur.

Luc. 9.

* * *

§. VI.

A contemplationis purioris specula, faciliùs Dæmonis, & tenebras, & technas effugaret Deipara.



AB huius Anthologiæ principio hucvsque conatus sum ostendere, Mariani obtutus claritatem eam esse, cui nulla cæcitas debeat impingi, nullus videntis rationis vsus interdici: indéque probabiliter inferebam, etiam in ipso Conceptionis momento Deum vidisse. Venio iam ad secundam anthologici tituli partem, qua congruè hanc opinionem, pro nobiliori Deiparæ præseruatione dicebam excogitatam. Asserunt Doctores piæ opinionis, Mariam nullo fomite maculatam, (quod XI. Anthologia latè ostendi, & in sequentibus huius Arti vberiùs confirmabo,) sempérque & virtutibus inditis, & diuinâ prouidentiâ protegente, ab ipsa Conceptione, vel leuissimi praui motus vmbram euitasse. Ecquæ igitur diuinæ prouidentiæ cura poterat, aut decentior, aut efficacior exhiberi, quàm si tunc illi se ipsum clarè videndum exhiberet? Quid? A diuinæ contemplationis lumine Dæmon, & quæuis eius tentationes, & technæ eliminantur. Hincque præcipuè Mariæ securitas comprobatur, quòd nec etiam in somno (vt volunt) à diuina contemplatione cessaret: at nihil contemplationem Marianam ita aptè foueret, quàm si iteratis vicibus Deum videret: hinc enim relictæ scintillæ, scintillantes splendores, Mariam ab actuali vnione cessantem non permitterent. Hunc transeuntis beatæ visionis effectum nemo negabit, eóque datam illi, dum viueret, multi fatentur: tunc sic arguo. Per nos Maria ab ipsâ sua Conceptione altissimam hanc contemplationem inchoauit: ergo piè, & decenter credamus, necesse est, diuinæ visionis fomento adiutam fuisse. Probo sequelam: quia decens erat, vt in vtero materno futuræ Matri Deus altissimum tribueret contemplationis gradum: sed optima via ad hunc erat, si ibi se clarum exhiberet: ergo decenter credimus exhibitum. Pro piis Doctoribus conuincendis hæc plusquàm satis, quibus semper in ore illud est, & meritò, nihil decenter requisitum, & possibile Deiparæ denegandum. Cùm autem tota pendeat argumentatio hinc, quòd fomitis insultibus, & Dæmoni, eiúsque technis eliminandis altissimam contemplationem, & maximè claro intuitu quandoque irradiatam, congruam dixerimus: iam latè comprobemus, quàm id verum: & Mariam, quæ ab initio ista fugauit, hoc fultam priuilegio inferemus, hac tutatam specula. 819.

Maria in Conceptione sua Deum vidit.

Dum Christus manaret sanguine agonistico, ignauo somno discipuli indulgebant, ad quos tunc ille: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Matth. 26. n. 41. Non vigiliam à somno Christus expostulat: amonendo enim somno sa- 820.

Matth. 26.

Contemplatio, specula est contra hostes.

tis

tis erat, si orationem præciperet; neque oraturi supponuntur dormientes. Cur igitur cum oratione etiam vigilias voluit commendatas? In textu Græco, γρηγορεῖτε, non solùm est somno non capi; sed magis impigrè expergisci, & ab speculâ vigilanter excubiis insistere: vnde benè defatigatos milites exprimens Cornel. Tacit. vocauit *insomnes magis*, quàm *vigiles*: aliud enim est somnum amouere, aliud curam admouere vigiliis. Hoc ergo voluit Christus, vt attentâ curâ, & tanquàm ab altâ speculâ mentis illuminatę, sui vigilarent. Causam ad rem nostram aperuit pulcherrimè Chrysol. Serm. 27. *In procinctu belli, semper vigiliæ sunt militum distributæ, vt insidiis nihil liceat, nihil pateat dolis. Perniciosissimus nimis est repentinus hostis: nam, aut inscios præuenit, aut incautos praeoccupat, aut opprimit dormientes. Hinc est, quod Christus, Rex noster, per totam sæculi noctem, milites suos præmandatis vigiliarum vicibus commonuit contra Diaboli, id est, veteris hostis subtilissimum dolum, contra latentes impetus vitiorum, contra criminum insidias irruentes, contra scandala, quæ nobis variis oriuntur ex causis, contra tentamenta præsentis vitæ, contra acies sæcularium pressurarum: taliter admonendo: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.*

Corn. Tac.

Chrysol.

821. Aptissimè ergo has vigilias diuina prouidentia sumpsit pro instrumento, ne oblata praua obiecta vnquam possent Mariæ adblandiri. Aptissimè illi etiam in Conceptione conceduntur, & hæ diuino aspectu illuminatæ: quia, quanuis ibi nec ab intrinseco, nec ab extrinseco possent insidiæ parari; tamen decebat illam, quæ in harum vigiliarum Regina edebatur, his nunquam caruisse præstantissimis. Quid ita? Quia, si Paulus, & Moyses rapta beatitudine vigilarunt, vt deinde quodammodo cælestes viderentur; congruit Reginæ dignitati, vt eadem beatitudine roborandis deinceps vigiliis, in primo sui momento frueretur. Vigiliarum harum regnum expressit Rupertus suprà num. 774. vbi vigili Deo illam composuit. Adde congruè fugando Dæmoni in origine fœda inuoluto, Marianæ origini tribui has vigilias prædicto modo illuminatas: vt, sicut in decursu vitæ per gratiam inhærentem, & cor vigil, Dæmonem, eiúsque technas dicitur euitasse; sic in primo instanti, non solùm gratia inhærente, sed etiam reuelato Deo clarè, Dæmon inde excellentiùs fugatus nosceretur.

Maria contemplatio quàm vigilans.

Rupert.

822. Fausto fato, diuinâ aspirante gratiâ, in morte fit Paradisi hæres, Beatus ille Latro, quem tota vita Inferno hæreditatem destinarat. Hinc Christus Dominus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. num. 43. Sed, cur illi, quæso, qui tantùm memoriam sui in regno postularat, diuina etiam societas expressè cum ipso regno, quasi aliquid requisitum inculcatur? *Hodie mecum.* Vnde tam necessarius iste beneficij cumulus, vt non solùm in Paradiso; sed cum Christo futurus latro enuncietur? Respondet acutissimè Eusebius Gallicanus ex ore ipsius Christi hom. de B. lat. *In Paradiso*, &c. *Nullum illuc cibum lethalem, nullam iam legem, nullam arborem pertimescas: ego tibi illuc ero victus, & vita. Et ne fortè verearis, ne tibi aliquis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur: possessio tibi illuc me introducente firmabitur.* Sic etiam in cælo iusti ex se haberent periculum, nisi Deo comite, & clarè viso, tanquàm vita, & victu firmarentur. Quàm ergo congruum, vt Virgini in primo instanti non solùm gratia, & illa confirmata; sed etiam optimo hoc modo confirmata tribueretur? Videor mihi audire Deum in primo illo instanti Virgini dicentem: En te vnicam mortalium post protoparentes sub iustitia condo originali, & meliori cuidam induco Paradiso: nullum deinceps pomum, nullam arborem, nullam legem pertimescas: ego tibi sæpè victus, & semper vita ero. Et ne forte verearis, ne tibi aliquis hostis in hoc felicissimo statu, ne antiquus ille Serpens insidietur; possessio gratiæ me introducente, me præsente firmatur. Ab hac visione, me semper, licèt obscuriùs, in altissimis vigiliis præsentem habebis, & illam iteratis vicibus, prout expedit in viâ, identidem refouebo.

Luc. 23. Iustus cur semper in periculo.

Euseb. Gall.

Certè hoc modo nobilissima Mariæ præseruatio constituitur: sic excellentissimo modo, fugatis initio hostibus, eius perseuerantia stabilitur. Commendans Deus præclaram Iobi virtutem, tandem calumnianti Dæmoni permisit, iniso pararet insidias, dolos machinaretur: & addit Textus: *Egressus est Satan à facie Domini.* cap. 1. num. 12. Si non discessit à facie Domini clarè tunc visâ, vt per se constat; vnde à præsentia Domini egressus dici potuit Dæmon, cui Deus necessariò semper assistit? Datur intelligi, specialem quendam modum præsentiæ diuinæ ad insidias parandas timuisse, & quoad potuit illam euitasse. Didymus ibi in cat. Græca: *Hinc docemur, Diabolum ad hostiles insidias, quas homini struit, conuersum egredi à Deo.* Hebetantur ibi illius vires, franguntur technæ, impetus mollescit; nec potest ita præsente Deo aliquid machinari. Hinc Dei præsentiæ assistentes, & in contemplationis specula collocatos tantoperè pertimescit: nouit enim aduersarius crudelis, ibi illustrari contemplantium mentes, & in modum gladij exacui, quo tandem ipse miserrimè trucidetur. Laborauit ergo foras egredi, si fortè foris etiam Iobum, id est, extra Dei familiare commercium inueniret. Sed sudabat incassum: ideò enim à Iobo, quem debellandum suspirabat, & sperabat, debellatur: quia vir sanctissimus ex diuina contemplatione arma semper parata, semper feriendo hosti apta conseruabat. Grauiter idem Didymus ibidem post multa de Iobi perseuerantiâ locutus: *Qui Deo vtitur familiariter, harum rerum mortalium curâ non angitur: tantòque propiùs ad superna, & fixa bona accedit, quantò ab his caducis abest longiùs. Nequitiæ enim spiritus, & concitati fluctus iustæ menti nocere non possunt, præsertim cùm eius custos sit Deus, qui modum statuit calamitati: qui, licèt ea, quæ menti obsequuntur, Diabolo dedat, ad modi, rationis, virtutísque specimen; mentem tamen, qua manus conseritur, reportantúrque trophæa, ipse tuetur, ac seruat.* Vtebatur Iob Deo familiari, ad diuina: totus contemplationi deditus, properabat, vt paulò antè multis probarat Didymus; ideò mentem, qua manus in pugna conserebat, munitissimam spernendo hosti conseruabat, ipso Deo custode securissimam. Ergo congruè perfectiori contemplatione Mariam in Conceptione vsam dicimus: vt Dæmon diuinam faciem euitans aufugeret celerior: & illius mens in posterum omnibus huius technis facilior dominaretur. 823.

Contemplationis vtilitas contra tentantes. Iob 1.

Didymus.

Didymus.

Permisit Christus vultui, vt marcore famescentis 824.

Matth. 4.
Dæmon, præsente Christo, stultescit.

centis naturæ indicia præberet: & ecce accedit tentator dicens: *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. n. 3. Quis non rideat, & irrideat Dæmonis inscitiam, dum ieiuno, & famelico Domino offert lapides? Hæccine blanda gulæ irritamenta? Vnde, quæso, qui sagax decipiendo, subdolus illaqueando, sic stultescit? Quæsiuit, & respondit apte ad rem nostram Chrysol. Serm. 11. *Miser, malus vis esse, sed non potes: cupis tentare, sed nescis: esurienti tenera offerre, non dura debuisti: famem non asperis palpare, sed blandis: inediam non horridis vrgere debueras, sed gulosis: istis non modò Dei Filium, sed hominis filium tu illaqueare non posses. Ad præsentiam Christi, deperire tibi artes tuas tentator intellige.* Elanguebat, nimirum, improba versutia, vbi diuina lucet Sapientia: tenebræ oppetunt, Sole appetente; & inde ignauus erga Mariam Dæmon, meritissimò præsumetur, vnde ab initio hoc Sole intimè radians assumatur.

Chrysol.

825. Inter reliqua signa, quibus Christi humanitas occultam Diuinitatem gloriosissimè manifestauit; sunt illa illustria, quibus ab humano pectore, imperantes tyrannicè Dæmones effugauit. Horum tamen illud illustrius, de quo Matth. 8. n. 28. *Cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, saui nimis, ita vt nemo posset transire.* Occurrerunt? Et cur ab internis Tyrannis non prohibentur? cur ab impiis possessoribus non tardantur? O quid cessatis, Spiritus immundi! homines hos in abstrusiorem sepulcrorum partem reducite, in profundiores latebras abdite: si ad Christum eos venire sinitis, exulabitis: cur ergo in remotissimum possessiones has vestras non transfertis? Haud poterant: præteribat illac Christus, & remotior licèt præsentia, Dæmoniacos homines sic roborauit, vt qui paulò antè captiui & possessi fuerant, iam dominos illos suos possiderent: vnde iam Dæmones tanquàm captiua spolia, tanquàm bello capta mancipia Domino præsentanda ab ipsis occurrentibus hominibus ferebantur. Acumen est Chrysologi Serm. 16. de Dæmonibus loquentis: *Exhibiti, non volentes venerunt: imperantis iussu, non suo ausu: attracti sunt inuiti, non sua sponte currentes: denique ad præsentiam Christi, homines exeunt de monumentis, & versâ vice captiuos ferunt, à quibus fuerant captiuati: sistunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur: aptant ad sententias, à quibus addicti fuerant in sepulcris.* Talis est diuina præsentia: porrigit gladios imbellibus, fortibus debellandis: & exarmandis robustis, inermes roborat: vt ab his Dæmones cogantur ad pœnam, quibus culpam solliciti suaserunt. Longè ergo meliùs ad diuinam præsentiam manifestam, venenum Dæmonis (non iam possessoris, sed ne possideret) eiúsque potentia, in Maria omninò eneruaretur. Meritò ita factum præsumimus, vt deinde faciliùs Dæmonis triumphatrix intelligatur.

Et eneruatur.

Matth. 8.

Chrysol.

826. Ascenderunt cum Christo Domino transfigurando, Discipuli dilectiores in Thabor: perfunditur ille Sole, & horum oculi lucifluis radiis beantur: interim ad fontem diuini splendoris manantis, diutiùs manere exardescunt. Sed en statim luce ipsâ, ni fallor, in nubem efformatâ, certè nube lucem iaculante, aut inumbrantur clarè, aut clarescunt obscurè: ideò additur: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Matth. 17. n. 5. Si lucida, vnde obumbrat? si obumbrans, vnde lucet? Non in hac inumbratione, tenebras cogites, sed protectionem: nescit enim lex diuina communicata, ad modum obtegentis nubis non munire, & obtectos defendere. Somniarunt Ethnici à Diis suis, quandoque nube circumtegente custodiri eos, quos ab omni periculo illæsos volebant: ideò Virgilius Æn. 1. à Dea matre Æneam suum nube protectum testatur: & Homerus Odyss. 4. idem erga Vlyssem à Pallade præstitum scribit. Hinc & Plutarchus lib. de solert. anim. de Diis locutus, subdit: *Quos saluos volunt, caruleâ sæpenumerò nube obiectâ, eripiunt, atque suffurantur.* Sed præstat factum, ficto: Deus noster tenerrimus hominum amator, nube lucida suos protegit, visibilíque signo inuisibile propalat munimen. Quid ita? Quia in monte purioris contemplationis, quo nunc fruebantur Apostoli, à diuinâ illuminante præsentia, non quæuis, sed illa gratia participatur, vbi optimum præsidium reperitur. Pulchrè D. Anton. de Padua Serm. de Transfigurat. ad hunc locum: *Virum iustum in monte luminis, id est, sanctæ conuersationis, transfiguratum obumbrat gratia Domini ab ardore mundanæ prosperitatis, à pluuiâ concupiscentiæ carnalis, à tempestate Dæmoniacæ persecutionis.* Qui Mariæ ab ipso Conceptionis instanti supremam in hoc genere gratiam tribuimus, qua nihil culpæ, & fomitis contraxit, qua dæmoniacæ contra totam naturam persecutionis venenum euitauit: cur illi montem luminis denegabimus? Equidem hæc gratia præseruatiua non aliunde aptior his effectibus cognoscetur, quàm si tota diuinæ præsentiæ lumine intelligatur: hinc, & contemplationis dono in posterum relicto, suauissimè Virgo à quauis praua concupiscentia immunis deprehenditur.

Matth. 17.

In Christi Transfiguratione.

Virgil.
Homer.
Plutarch.
Nubes protegēs apud profanos, & sacros Scriptores.
D. Ant. Pad.

Commorituri potiùs acerbè, quàm ibidem spontaneè commoraturi Israëlitæ, id est, viri iusti, breuem trāsitum per Edom, id est, terrestrium bonorum Regis regiones, efflagitabāt, Num. 20. nec tamen impetrarunt. Timebat, nimirum, sibi delusus Princeps, ne illa, quibus ipse adhærebat bona, iustos inescarent, ne laquei, quibus miser sponte stringebatur, sibi erepti [illegible] rent. Illum tunc isti, pacato, & bon[illegible] iubent dicentes: *Per tritam viam* [illegible] dem, num. 19. Quasi dicerent: Nec etiam minimo cespiti immiscebimur; sed per viam tritam, vbi nec minima herba vernet, incedemus: vnde nos voluptatibus tuis perturbari, aut tibi ob terrestria ista turbas motutos, falsus existimas. Sed, vnde, quæso, tanta fiducia iustis, vt in regione Edom, carnis irritamenta, & Dæmonis illecebrosas insidias non timerent? Disce ex Græco, quo hic locus ita vertitur: διὰ τὸ ὄρος παρελευσόμεθα: hoc est, *per montem gradiemur.* Mons illis, trita, & immunis via erat: de quo Philo Iud. lib. Quod Deus sit immut. sic scribit ad rem nostram: *Securi de eius tumultuatione respondeamus, quòd præter montem transibimus: hoc est, assueti sublimioribus versari potentiis, & è speculâ res considerare, scrutatique rationes singularum, per quas earum essentia noscitur: contemnimus omnia externa, & corporea obiecta: sunt enim humi repentia.* Secura contagio speculatrix anima pertransit illecebras: tuta periculi laqueos præteruolat, expers discriminis insidias præcognoscit. Quidquid sudemus, qui 827.

In contemplatione voluptates mundi spernuntur.

Num.

Philo Iud.

Mariam

Mariam à primo instanti in tuto culpæ, & fomitis volumus collocatam; non aliunde id faciliùs peragemus, quàm si illam in monte luminis, in specula beatæ visionis constituamus.

828. Deducitur huc à verbis Salomonis optimum argumentum: *Frustrà autem iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prouerb. 1. n. 17. Si securitas capiendorum, à meris oculis prouidentibus rete delumeretur, non solùm pennata, sed etiam quadrupedia hinc secura forent: nec enim lepores, v.g. vel cerui, nisi ab illorum oculis occultentur retia, retibus impingant. Quid ergo? Illos ænigmaticè commendat oculos, qui pariter etiam pennis tutari possunt. Ceruus, quanuis præuisum rete euitet, tamen per terram gradiens, semper in periculo est, ne in occultum incidat. At auis ab alto, & rete meliùs introspicit: & dùm in sua regione commoratur, laqueorum nodos in terrà delitentes euitet, & irrideat, necesse est. Grauiter deinde Beda ad rem nostram: *Frustrà tale iacitur rete, qui mundis oculis cordis superna contemplantur: qui dicere nouerunt cum Propheta: Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Facilè enim laqueos, qui in terra tenduntur, cauet, qui conuersationem habet in cælo.* Ab his enim oculis pennas capimus, vt à terrenis erecti conuersationem nostram cum Apostolo, in cælis habeamus. Tribuamus ergo Mariæ Reginæ, non quosuis; sed oculos de diuina visione mundissimos in Conceptione: hinc enim faciliùs pennas, quibus & culpæ, & fomitis laqueos euitauit, & deinceps euitatura erat, intelligemus.

Prouerb. 1.

Contemplationis oculi cur pennati.

Beda.

829. Laudaui suprà latè oculos Marianos columbinos: nosti autem propterea columbas iuxta fluenta limpida volitare; quia ab illis, tanquàm ab speculo, percepta accipitris imagine, eius non solùm vngues; sed & vmbram euitant, de quo plura Interpretes ad Cantic. 5. num. 12. Nunc audi, quid Rupertus de Maria ad illud Canticor 4. num. 1. *Oculi tui columbarum.* vbi ita: *Columba iuxta fluenta residet: tibi, vel tuo pectori, omne fluentum Scripturarum contiguum est: nunquam aduentus spiritualis accipitris tibi esse improuisus, aut te consequi, imò nec tibi appropinquare potuit.* Sanctissime Abbas, si nunquam appropinquare potuit columbæ nostræ accipiter, iam corrige, quod illam alibi eius vnguibus laniandam tradidisti. Sed ad rem. De altissima notitia Scripturarum, id est, cælestium mysteriorum intelligentiâ ortum vult Rupertus, vt Maria semper, vel etiam Dæmonis vmbram propinquam euitaret. Et quantò nos rectiùs dicemus, ab ipsa mysteriorum Domini clara notitia, id optimè peractum? Certè hæc via, quò nobilior, eò planior percipitur.

Maria oculi contra Dæmonem quàm perspicaces.

Rupert.

830. Hoc est, cur Antistitum Antistes fideles admonens fratres, sic scribit: *Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret.* 1. Petri, cap. 5. num. 8. Si in sobrietate, terrenorum omnium affectuum temperantiam commendarat; quid vltrà vigilias requirit? Ecquid poterit infernus leo contra illos, qui virtutibus omnibus armati degunt; licèt non semper vigiles, tanquàm ab alta specula contemplentur? Poterit, quidquid intendat, euertere, destruere, spoliare. Arma cælestia sine excubiis, nihil prosunt: vigilantibus verò, nihil damni insidiæ Dæmonis possiunt asportare. Vnde, quemadmodum bellicis quibusdam machinis ad summum vsque turris apicem, & murorum fastigiata propugnacula (quò aliter ascendere non poterant) vigiles excubitores, hostium insidias exploraturi, euehuntur: sic velut per machinam, ad illuminatæ mentis speculam ascendimus, vt præuisas hostium technas facilè rideamus. Chrysologus ibi Serm. 12. *Nec arma cælestia hostes poterunt superare terreni, nec diuino Regi aduersa poterunt contraire mundana, nec in procinctu fidei constitutos præuenire poterit inimica subuersio: neque castos, vigilantes, sobrios, Diabolus perturbare suis superuentionibus præualebit: certè neque nos taliter armatos publico conflictu prouocare audebit, dolis expetere non præsumet: animus in cælesti speculâ perseueret, Diaboli fraudulentas deprimat, & deciinet insidias.* Congruè igitur, qui Mariæ à Conceptione armatam à perseuerantiæ dono gratiam concessam fatemur, eam in altissimâ speculâ, (& illâ, vt Deiparam decet, visionis beatæ) collocamus: hoc enim instrumento diuina prouidentia, illæsam perseuerantiam, & incontrastabilem gratiam solet confirmare.

1. Pet. 5.

Contemplatio cælestis est machina.

Chrysol.

831. Sed videamus expressiùs, quàm felici machina, vt dixi, ad illuminatæ mentis speculam conscendamus, vt inde contra insidias tuti perseueremus. Vitâ integer, & moribus incorruptus spiritus prærequiritur Deo conuersando: cuius rei apertum symbolum simila illa non fermentata, quæ in azymis vndique synceris Deo offerebatur: *Non fermentabitur: quia pars eius in Domini offertur incensum.* Leuit. 6. num. 17. At conuersans iste Deo spiritus de munditie: vnde iterum ad homines descendens terrenis immixtus poterit illam munditiem retinere? Vnde inter tot pericula tutus incedere, purus degere tot inter inquinamenta? Pulchrè ibi Radulphus apud Tilm. *Fit hic vtilissima conuersa: sicut enim simila ista idcircò è fermento purganda, vt pars coram Domino possit incendi: sic è conuerso, ideò Domino sæpiùs præsentanda, vt à fermenti commixtione valeat sequestrari. Anima enim, quæ frequenter ad orationem se confert, compunctionis machinâ super se leuata, & Spiritu Sancto illuminata, ibi discit, quàm pia affectione proximis subueniendum sit: & quantâ sollicitudine interius secretum ab omni fermento mundandum sit.* Perfectiori longè modo hoc in Deipara eueniebat: accedebat purissima quandoque clarè Deo contemplando, & inde illuminata, omni fugando fermento paratior redibat. Imò in instanti Conceptionis, licèt simul gratia permanens, & gloria transiens fuerit: at prioritate naturæ gratia præcessit gloriam: à gloriæ tamen splendoribus illuminata, facilior omni fomiti, omni fugando fermento intelligitur: decebat enim, vt, quæ ab initio eos gratiæ gradus accepit, cum quibus nec leuissimus defectus permittendus, hoc tanto stabilimento, ad futuræ maternitatis priuilegium, fundaretur.

Id probatur.

Leuit. 6.

Radulph.

***

§. VII.

Maria concepta (non solùm ob gratiam, sed etiam ob gloriam) est Aurora prospiciens, armata Luna, Sol musicus, illustris Epiphania.

832. V Æ hucvsque dixi, de fugatis Dæmonis, & tenebris, & technis à Deipara in momento Conceptionis beata; vlteriùs piis Doctoribus probabilia putabuntur, ex celebri loco Cantic. qui gratiæ eius præseruatiuæ comprobandæ ab omnibus creberrimè vsurpatur. Is habetur cap. 6. n. 9. vbi ita de Maria (quod apud piæ sententiæ assertores planissimum suppono) scribit Salomon: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens; pulchra, vt Luna; electa, vt Sol; terribilis, vt castrorum acies ordinata?* De quo videndus præ aliis noster Perlinus dist. 5. cap. 2. Ego enim, ni affectus fallit, ab his verbis non solùm primi instantis gratiam; sed & gloriam auguror manifestè comprobatam. Pendo singula breuiùs, quàm materiæ, & loci dignitas postulabat; à felicioribus ingeniis, si fortè non displiceant, confouenda.

Maria concepta non solùm gratiam, sed gloriam comparauit.

Cant. 6.

Perlin.

A V R O R A.

833. Dicitur Deipara in Conceptione *Aurora*: quia tunc infaustæ nocti culpæ terminus præfixus, & felicior dies inchoatus. Sic omnes. Agedum videamus, quid ista velint. Vbi nox Orbi incubat, & cælum obuoluit; obiecta quæuis penè formam, & penitùs colorem amisisse videntur: floridum paulò antè germen, veris delicium, & campi, noctu armatus miles, & viatoris pauor existimatur. Expresserat nuper Agnus argentum vellere, cursu blandimenta: hunc noctu occurrentem, iures leonem iubis asperum, terribilem incessu. Perinde in nocte culpæ euenit mortalibus; ideò Apostolus: *Nolite conformari huic sæculo* (alij, nolite configurari:) *sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Rom. 12. n. 2. Tota commonitio tendit, ne sæculi figuris immisceamur, ne miseris eius formis configuremur. At, cur solùm peccantis vitæ figuras, & non potiùs praua ipsa, & realia obiecta nociua præcipimur euitare? Vt sæculum de culpa nocturnum indicaret, vbi omnia in figuras horribiles vertebantur, vbi homo in feram, adamas animæ splendidissimus in carbonem fœdissimum mutabatur. Multa de his Chrysol. Serm. 120. sic concludens: *Fratres, audistis formam sæculi, didicistis speciem, vidistis figuram: si tamen formam, & non informe monstrum: vbi confusione criminum tota rerum facies est deleta, vbi peccatorum connubio, tota mundi figura est dissoluta.* Nescit nox sic obiecta non defigurare; & peccatorum sæculum noctescens satis indicat Paulus ibidem cap. 13. n. 12. Vide suprà n. 809.

Peccator cur in nocte degat.

Rom. 12.

Chrysol.

834. Peius est, quod sequitur: vt enim sub hac nocte defigurantur peccatores, quò vix Deo agnoscibiles de amore relinquantur; (nescire enim dicitur, quos reprobat:) sic diuini oculi eosdem etiam videntur obliuisci. Hinc Dauid ad Deum: *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terrâ obliuionis?* Ps. 87. n. 13. Quia, nimirum, ita defiguratur sub nocturnis peccati tenebris homo, vt iam in illo nihil mirabilium virtutis operum agnoscatur, & inde erga Deum quasi in obliuionis prouinciam dimittatur. Cur ita? Vnde æternam, & immortalem memoriam obrepit obliuio? Nimirum, vias, quas noctu incedimus, quàm difficilè percipimus, tam facilè obliuiscimur: imò & vias, quas notissimas sæpe triuimus, si noctu repentè aggrediamur, ac si essemus obliti penitùs, non discernimus: id suo modo erga nocturnas animas Deo euenit. D. Eucherius quæst. 107. apud Cerd. Aduersar. c. 115. *Rectissimè appellatur obliuionis terra, impiorum caro à Domino derelicta.* En paucis, caliginosæ noctis effectus miseros.

Peccator in obliuione est apud Deum.

Psal. 87.

D. Eucher.

Hinc ergo factum, vt quemadmodum natura post noctem Auroram mittit, vt primo, & rudiori lucis pennicillo obiecta colorando reformet: cuius deductas lineas, Sol deinde perfectiùs depingat, & viuidis coloribus illuminet: vtque humani oculi tenebris caligantes, tenuioribus radiis assuescant, ne repentè Solis iubare cæcarentur: denique, vt res iterum, vt priùs agnoscantur: in similes etiam effectus gratia diuino Soli soleat Auroram præuiam expedire. Sic in toto Psalmo vigesimoprimo Passio Christi ad viuum describitur, vt iam Dauid non Propheta videatur, sed Euangelista; nec tam hilaris Psalmographus canere, quàm mœstus elegiographus plangere indicetur: & tamen tam funebris Epicædij festiuissimam epigraphen, titulum amœnissimum hunc præmittit; *In finem pro susceptione matutinâ.* Ps. 21. n. 1. crederémque oculatissimè id curasse, vt de præmissa susceptione matutina, id est, Aurora, in titulo; illum, cuius Crucem, & occasum describebat, etiam inter tot tenebras, orientem semper, & iustitiæ Solem declararet. At, cur non tam à propriis splēdoribus, quā à præmissa Aurora, exponitur Sol noster? Quia suauiter operaturus sic gratiæ seriem disposuit prædictis suprà effectibus disponendis, vt ordinem naturæ disposuerat. D. Ambros. ad hunc locum Serm. 3. *Nisi fallor, susceptio matutina, Solis ortum semper anteuenit: & prinsquàm Orbem radiorum clarus splendor illuminet, matutinum noctium tenebris terminum ponit: ac resoluta sensim caliginum cæcitate, rebus cunctis facies quædam, & lumen infunditur: & cùm veluti sub vna materia tenebrarum mundus in confusione iacuerit, interueniente matutino, diuersâ specierum varietate distinguitur: hoc est, cùm omnia cæca fuerint, oculi omnium reparantur: nox enim quodammodo aufert oculos mundo, Aurora restituit: atque ita antè matutinâ susceptione perfruimur, vt gloriosiùs postmodum Solis splendorem patiamur.* Quod deinde pulchrè ad ordinem gratiæ transfert: tu legeris. Pende nunc, quod ab initio huius Anthologiæ de Maria cæco, & tenebroso mundo oculos restituente diximus: & illam præuiam Christi Auroram fateberis necessariò: id tamen vno verbo confirmandum. 835.

Gratia nobis paulatim oboritur.

Psal. 21.

D. Ambros.

Sacro enthusiasmo plenus Balaam, dum quæsito ex industria Dæmone, reperto fortè Domino, prophetauit, sic erumpit: *Orietur stella ex Iacob,* & 836.

Numer. 24. Septuag. & *consurget virga de Israël*: Numer. 24. n. 17. Septuaginta vertunt: *Et consurget homo de Israël.* Dum Christus homo dicitur, videbatur Mater dicenda, illustrissima fœmina, Virgo purissima: & tamen, vt vides, stella appellatur. Parum id: licèt Maria tempore prior, Christus tamen longissimè dignitate excellentior: vnde tanquàm scopus præcipuus videbatur in prophetia præponendus. At homo iste verissimus Sol iustitiæ oriturus sperabatur; ideò sydereæ cuiusdam conditionis Mater exprimeretur, necesse fuit: & benè in prophetia præponitur: licèt enim de excellentia Filio cedat; at fuerat officiosus eius præcursus declarandus. Audiat priùs Orbis Mariam stellam matutinam, Auroram puram, quàm Christum Solem audiat. Seruent eundem ordinem aures, quem oculi obseruarent: caligarent isti ad Solis Filij radios, nisi priùs Matris radiis assuescerent. Galfrid. ibi: *Quis enim desperata conscientiæ tenebris obnolutus, ad eam supplices leuauit oculos, & non protinùs lucem vidit? Ambulemus in vtroque lumine eius, vt non tenebræ nos comprehendant: attendamus sydêris claritatem, vt aliquando valeamus intueri Solis quoque splendorem.*

Maria cur Christi Aurora. Galfrid.

837. Et quàm benè dum Mater hominem Deum dicitur editura, tunc stella, & Aurora appellatur: vt quàm pure stella parit splendorem, tam integrè paritura Christum intelligatur. Maius est, quod ibidem de Aurora nostra subdit idem Galfrid. *Quàm euidens cælestis in ea claritas, cælib. vitæ micat exemplum! & quomodo non, (si quis spiritalia spiritaliter intuetur,) quantùm interest inter glebas terræ, & stellas cæli, tantùm inter eos, qui vitam carnalibus voluptatibus cæcã, & sordidam gerunt, & qui gratissimo quodam pudicitiæ splendore coruscant? In quo tamen, quæ sola Solem iustitiæ genuit, non humanas tantum, sed angelicas stellas supergressa est vniuersas.* Cedit angelica puritas Auroræ nostræ: sordent Spiritus illi beati, ad Mariæ munditiem comparati. Sed de Aurora, & syderea Deipara, plura variis locis supra dedi.

Maria longè præstat Angelis. Galfrid.

838. Ex dictis satis claret, cur in hoc loco Virgo *Aurora* appelletur: & quàm cum hoc splendore totum gratiæ, & nihil culpæ, nihil tenebrarum, aut sordidantis fomitis coniungatur. Sed, quid de gloria? Vide, quid hic legat Ambrosius Hexam. 4. cap. 8. ad med. *Quænam hæc est prospiciens tanquàm diluculum.* Quasi nihil magis mirum veniat in Aurora hac diuina, quàm quòd *prospiciat.* Ecquis tantæ admirationis prospectus; nisi, quia scopum habebat Deum? Ideò certè absolutè *prospiciens* appellatur: quia sola beata visio, per antonomasiam prospectus dici potest. Fauet Hebræa vox, נשקפה quæ propriè est *aspicere.* Nec obstat, quod contendit Ghislerius, hanc vocem esse in passiua coniugatione Niphal, ac proinde reddendam esse, *quæ aspicitur.* Fallitur: notum enim pueris, Hebræam coniugationem Niphal actiuè reddendam, quando in prima Kal deficit: at non inuenies prædictũ nostrum verbũ in Kal. Sed esto, detur: certè in Niphal, & Hiphil actiuè construitur Psal. 84. num. 12. & Prou. 7. n. 12. Esto hoc ratum. Quid? Illud Iob de noctis culpa: *Expectet lucem, & non videat; nec ortum surgentis Auroræ.* cap. 3. n. 9. (quod D. Thomas hîc art. 2. ad ortum Virginis ex vtero; ego ad eius Conceptionem reduxi in Examine,) visionem beatam indicare voluit noster Salazar ex Bonauentura, & Petro Damiano, cit. quæst. 32. Lege. Addo ego pulchram huius loci versionem, quam prædicto Examine in rem aliam ponderaui. Ergo Vatabl. legit: *Ne videat palpebras Auroræ.* An caret mysterio, quòd quoties Maria concepta Aurora appellatur, toties de prospectu, de palpebris lucifluis celebretur? An conniuentes palpebras dixeris? Legi. Imò dum in tanta plenitudine gratiæ commendantur, tanquàm aliquid speciosius, de gloriæ irradiatione, in admirationem venisse præsumendæ. Certè Ambrosius lib. de Isaac, cap. 7. hunc Auroræ prospectum, de beatitudine explicare videtur.

Mariana Auroræ palpebræ. Ambros. Ghisler. Psal. 84. Prouerb. 7. Iob 3. Vatabl.

LVNA.

839. PRobaui in Cantico meo dramatico, vocem Græcam, σελήνη, propriè significare Lunam, non quando plena protuberat; sed quando corniculata arcuatur. Ibidem, hæc Lunæ cornua fugandis nubibus, ventilandis tenebris assignata, ostendi Authoribus non vulgaribus: nunc satis D. Synes. hym. 5. ad Deum, vbi ita: *Tibi Sol equitat, diei perennis fons: tibi taurina fronte Luna, noctis tenebras pellit.* Quasi taurinæ frontis cornibus, nebulas, & noctis caliginem dissolueret. Adde eundem hymno 9. *Ipsa quidem (cornuum lumen implens influxu ignis) præibat Luna.* Benè ergo in Conceptione sua, Deipara corniculatus splendor, armata Luna procedit: quia vna noctis primæuæ vmbras, originalis culpæ tenebras ventilauit. Neque mirum: in prælio enim cornuta acies, & in modum Lunæ formata callido stratagemate in faciliorem victoriam solet componi. Lege, si vacat, Pausaniam in Arcad. siue lib. 8. vbi Arati *acies in modum Lunæ incuruata* gloriosissimè hostes triumphauit. Luna quidem gratiis plena apparuit Deipara: at quoad effectum pugnæ, & victoriæ corniculata. Sic & veteres, cùm Lunam splendore plenissimam, sub habitu fœminæ pulcherrimæ depingerent, addebant & cornua, quasi sub hac forma summoperè laudaretur: vnde & Claudian. de eadem sub habitu venustæ puellæ dixit: *Paruo signantur tempora cornu.* 2. de Rapt.

Luna cornuta quorsum. Synes. *Acies lunata.* Pausan. Claudian.

840. Nimirum, talem se gessit Luna nostra in sui Conceptione, qualem concipiendo Christo erat posteà se gestura. Attende. Descripsit graphicè Lunam Ecclesiasticus his verbis: *Luminare, quod minuitur in consummatione. Mensis secundùm nomen eius est, crescens mirabiliter in consummatione. Vas castrorum in excelsis.* cap. 43. à num. 7. vbi Haïlgrinus Cardinalis, in præsentem hunc locum Canticorum: *De Luna materiali nequaquam intelligi potest, quæ non antè minuitur, & posteà crescit; sed è conuerso: nec minuitur in consummatione; sed post consummationem.* Et meritò addubitat: neque enim minuitur, nisi quod priùs creuerat: neque Lunam minui dicimus, nisi cùm à plenitudine vacuatur. Imò nec Luna in eodem plenitudinis puncto, sed subsequenti tempore imminuitur. Quæ est ergo Luna ista, quæ, dum crescit, minuitur, vt crescat ampliùs: quæ in eodem puncto impleta vacuatur, vacua impletur? Idem Haïlgrin. *Hic verborum ordo optimè exprimit Mariam Virginem: nam ipsa, cùm audisset, sibi promissam tantam magnitudinem, quòd foret Mater Dei, sese minuit vsque ad ancillã:*

In Annunc. Mariæ. Eccli. 43. Haïlgrin.

& in hac minutione concepit, & facta est Luna plena. Salutatur Maria gratiâ plena, & in ipsa plenitudine ad ancillatum minuitur, vt deinde ipso Deo impleretur vberiùs. Ecquæ est alia minutæ ad extremum Lunæ forma, nisi dum falcatur in cuspides, arcuatur in cornua? aut quorsum cuspidata cornua nisi ad pugnam? Iam sic Maria nouis pro Christo bellis contra Dæmones, & eius ministros apparabat, ideò solita cornua acuebat.

841. Neque hoc præteriit Ecclesiasticus: ideò ibidem vocat Lunam, *vas castrorum*: id est, totum ineundis præliis castrensem apparatum. At, inquis, si Maria in ipso Conceptionis instanti, omnia, vt vidimus, superarat; cur nouis præliis incarnationis tempore accingitur? Quia iam omnium fidelium Mater designata, licèt non sibi, nobis tamen imminentia bella propulsare satagebat. Ipse Card. Haïlgr. ad hunc locum Cant. 7. n. 1. *In ipsa quidem videntur chori castrorum, adhærentes, videlicet, ipsi acies Sanctorum, qui cum ipsa pro nobis militant contra hostem: vnde ipsa vas castrorum appellatur in Ecclesiastico, vbi sub Luna nomine de ipsa dicitur: Vas castrorum in excelsis.* Idem ergo in instanti Conceptionis euenisse putes: plenissima quidem gratiis oriebatur in ipso sui nouilunio: sed quasi sub nouilunij formâ, corniculata armatur, armata progreditur: ne vllæ tenebræ noctis, ne vllæ ipsissæ fomitis sordidantis vmbræ properarent.

Maria armata Luna.

Haïlgrin.

842. Clara ista pro Luna nostra splendoribus gratiæ armata. Videamus, an meritò meliores gloriæ splendores indidem præsumam clarescentes. Descendente Moyse de monte, addit Textus: *Et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.* Exod. 34. n. 29. Nemo ignorat lucis inundans profluuium indicari. Nimirum, voluit vera luce solidis splendoribus amicum exornare: quia falsa Numina inanibus splendoribus familiares suos comere dicebantur. At, quis non miretur lucem pulcherrimam in cornua efformatam? In Principem designandus Ascanius, cælitùs misso splendore illustris fingitur; qui tamen in diadema efformabatur. Ideò Claud. in 4. Consul. Honorij:

Exod. 34.

Lux diuina, cur in cornua.

Ventura potestas
Claruit Ascanio, subita cùm luce comarum
Innocuus flagraret apex: Phrygióque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

Claudian.

Cur ergo fabulam veritate superaturus, Moysis potestatem non tam fulgidâ coronâ, quàm cuspidatis lucis cornibus enunciat Deus. Pende illud, *ex consortio sermonis Domini*: benè enim non tam absolutè sermo, quàm sermo consors appellatur, in quo Moyses per participationem beatus, consors æterno Numini videbatur: *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Ibidem, cap. 33. n. 11. inquit Textus: indéque fiduciam habuit, vt visionem beatam postularet, n. 18. quod sibi concessum, ex hoc cap. 34. à n. 5. volunt nonnulli Patres, & plures Doctores. Videndus Doctor Angelicus ad 2. Cor. 12. lect. 1. At visio beata talis est conditionis, vt lucem in cornua formet: quia inde Dei hostibus ventilandis, optimè iustus armatur. Ideò Abbas Cellens. lib. de Consc. cap. 8. *Virtus conscientiæ tanta in facie Moysis apparebat, vt cornuta diceretur: vt oculos reuerberaret insipientium exuberans sanctitas legislatoris.*

Exod. 33.

D. Thom.

Cellens.

843. Si ergo fugandis tenebris corniculata, & in lucifluos cuspides armata, apparet Luna nostra, cur illam beatam non fuisse iudicemus? Certè Moyses ex illa visione, licèt iam transacta, Deo similis posteà apparebat. Vnde quemadmodum ad Deum propè accedere timebant homines; sic ad Moysem accedere formidabant, vt vidisti: ideò Chrysol. Serm. 146. de eius ieiunio: *Ita humano defæcatus est, & exinanitus à corpore, vt totus Diuinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc in nostri corporis obscuro, toto luceret lumine Deitatis: neque intueri eum mortalium visus posset.* Et quantò id excellentius in Maria? Quantò à prædicta visione vberiores effectus? Audi diuinum Dionysium testem oculatum in epist. ad Paulum, vt creditur, quando ad Deiformem præsentiâ altissimæ Virginis ductus fuit: *Tantus*, inquit, *me splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs; tanta etiam in me odoramentorũ omnium superabundauit fragantia: vt nec corpus infelix, neque spiritus posset tãta felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit & spiritus tanta gloria maiestatis oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deũ: si tua diuina concepta non me docuissent, hanc ego verũ Deũ esse credidissẽ.* Scilicet, ab ipsa Cõceptione, in qua excellentiùs Moyse, corniculata fuit Luna diuina, Deũ sic ebibit, vt, ni fides obstaret, Deus coleretur.

Iustus Deificatus.

Chrysol.

Dionys. Ar.

844. Et quidẽ, vt suprà latè probaui, si nihil aptiùs fugandis Dei, animæque hostibus, quàm visio beata dari potest, vnde arma robustissima desumuntur; benè Moyses in monte Deum splendoris sui Solem in cornutæ Lunæ formam cuspidauit: benè Luna nostra etiam gratiis plenissima, adhuc de lucis cornibus falcatur. Descenderat Angelus ille pulcherrimus resurrectionis faustus nuncius: de quo Matthæus: *Erat autem aspectus eius, sicut fulgur; & vestimenta eius, sicut nix.* cap. 28. n. 2. Nihil non hilare, vt alibi ex Patribus monstraui, niueo vestis candore Angelus nunciabat: cur ergo, dum vultum amœnat luce, non blandam illam, & sydeream; sed fulmineam, & horribilem assumit? Erat quidem suauissima illa lux: veruntamen ab Spiritu beato prouenlens, non poterat in arma hostibus horribilia non componi. Instar Moysis fulgurea gestabat cornua, cornutum fulgur; vt splendida armatura, vel splendor armatus in Beatis intelligatur. Fauet Drogo Ostiens. lib. de Sacr. Dom. Pass. qui mentem meam exprimit, licèt in Angelo iustorum omnium symbolum velit expressum: *Aspectus eius interior, vbi subsignatum est lumen vultus tui, Domine, sicut fulgur: & terribilis est, & lucidus: terribilis, vt inimicos anima scindat medio, & perterreat: lucidus autem, vt ibi vero lumini cum iustitia semper appareat*, &c. *Talis erat facies Moysis ex consortio sermonis tui, hoc est, luminosa, & terribilis: quia cornuta erat ad ventilandos inimicos.* Non potuit Angelus permanenter, Moyses transeunter beatus lucem suam fugandis hostibus in cornua non componere: & Luna nostra fugandis culpæ, fomitique, corniculata oritur: credo, quia de beatitudine oriebatur. Quis scit, an D. Ephrem in notissimis illis Virginis encomiis, cùm dixit: *Maria splendor Moysis.* lucifluis vtriusque cornibus alludat: Sed non diuinemus.

Lux beata pulchra, sed armata.

Matt. 28.

Drogo.

845. Denique cælestem Agnũ Christũ descripturus Ioannes, subdidit, vidisse *Agnũ stantem tanquàm occisum*,

Apoc.5. *occisum, habentem cornua septem: qui sunt septem*
Beatorū oculi, cornua cur dicantur. *Spiritus Dei, missi in omnem terram.* Apoc.5.n.6. Prætereo examinare, quinam sint Spiritus isti, siue virtutes Dei, qui Christo insunt: illud pendo, cur septem dicantur, cùm quatuordecim dicendi viderentur, vtpote in septem cornibus, & totidem item oculis designati? Dicendum ergo cum communi Interpretum, ex cornibus, & oculis septem tantummodo symbola componi; ita vt, aut singula cornua essent oculata, aut singuli oculi cornuti dicerentur. Et cur ita? Ni fallor, vt signaretur in statu beato visionem ab armaturâ non distingui; indéque necessariò oculos illos beatos reputandos, vnde armati exhibētur. Nihil ergo aptius dici poterat Deiparæ beatæ significandæ, quàm si post lucidas auroræ palpebras, vt vidisti, eidem cornua Lunæ adscribantur: vt instar Christi, & oculos cornutos, & cornua videntia gerere in instanti beatifico Conceptionis videretur.

S O L.

846. PErgit Salomon, & de concepta Deipara canit: *Electa, vt Sol.* Vbi mihi tantummodo venit ponderanda versio Aquilæ, qui legit: *Sonans,*
Aquila. *vt Sol.* de quo Amb. lib. de Isaac, & An. cap.7.
Sol musicus. *Quod autem Aquila ait, sonans, vt Sol; videtur illa axis cælestis conuersio, Solisque, & Lunæ, & stella-*
Ambros. *rum cursus: concentus globorum exprimi, a quibusdam etiam nostris videtur: qui, quoniam non venit ad fidem, saltem propter gratiam suauitatis non videtur alienus.* Alludit S. Doctor ad celebrem illam priscorum opinionem, qua putabant, circunuolutos cælos suauissimè modulari, ex mutua collisione musicis accentibus, modulis suauissimis excitatis. Plenæ de hac materia paginæ Scriptorum. Hanc sententiam vtpote falsam fusissimè impugnat idem D. Ambr. Hexam.2. cap.2. Nec ego veram puto: veruntamen sciendum, (quod ad hunc locum, & sæpè alibi in Cantico meo dramatico fuse demonstraui,) sæpissimè in Scripturâ sacrâ, non à re, provt in se est; sed provt in hominum opinione versatur, sermonem institui, deduci comparationem. Vnde, cùm solaris Orbis, vtpote nobilior, suauiores concentus reddere credatur vulgò, prudenter Maria Soli sonanti, id est, suauissimè modulanti potuit comparari. Et fortasse id voluit Ambros. adducto loco, qui, dum fidem, id est, veritatem prædictæ sententiæ putat spernendam; tamen gratiam suauitatis, id est, comparationis elegantiam, ab Scripturæ decore noluit alienam.

847. Sed quid, inquis, ad armatam Lunam, Sol iste musicus? Felix quidem bellandi ratio Mariæ contra culpam, & Dæmones exhibetur. Plena gratiis,
Iustorum pugna musica, cantus pugnax. iustitiæ comptu ornata procedit Maria, quæ in ipsa Conceptione iustorum more modulans præliatur. Pugnant canentes iusti, aut ne pugnæ laborem sentire videantur: aut, vt ipsam pugnam, iam certissimam esse victoriam prælato Epinicio, decantato triumpho manifestent. Hortabatur Romanos suos Paulus dicens: *Nox præcessit; dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* cap.13.n.12.
Rom.13. Fugère culpæ tenebræ, abiit caliginosæ nox conscientiæ: erupit gratiæ lux, dies virtutum: attamen præliandum est contra hostes, ideò etiam arma præcipiuntur. Sed, cur non horribilia de robore, non de ferro tutissima; sed de comptu pulchra, de splendore venustissima exhibentur? Quia pariter miles in Infernum, & ad sanctitatem sponsus incedis pulcher armaturâ, armatus pulchritudine: vt, dum miles munitus comptum sponsum agis, non tam inconditos belli clamores, quàm festiuas nuptiarum cantilenas fundere videaris. D. Chrysost. ibi post multa de horum armorum venustate: *Optimè munitum constituunt, arma siquidem sunt, deinde & splendidum faciunt: sunt enim arma lucis. Quid igitur? Annon necesse est, vt prælieris? Necesse quidem est, vt prælieris, non tamen vt fatigeris, aut laboris molestiam subeas: neque enim bellum hoc est, sed chorea, & panegyris. Talis, videlicet, armorum natura, talis ducis huius potestas: & quemadmodum è thalamo suo sponsus gloriabundus progreditur: ita & is, qui armis istis munitus est; simul enim & sponsus est, & miles.* Nihil aptius fingi poterat, vt à Virginis Conceptione, quidquid est noctis, quidquid tenebrarum, eliminatum intelligatur: quam vides lucis armis, id est, splendoris cornibus armatam, & ibi tanquàm in choreâ panegyricos decantante: nescit enim nisi Musicus ad prælia sua procedere iustificatus. D.Chrysost.

Insurrexerunt in Dei populum Moab, Ammon, & Seïr, barbari hostes, coactis viribus validi, concepto odio terribiles. Disponit interim piissimus Iosaphat copias suas, acies ordinat, ordines distribuit: tandem, vt moris Ducum est, parat concionem; *deditque consilium populo* 2. Paral. 20.n.21. Sperares describendum latè consilium; animandos, vt fieri solet, milites, stratagemata indicanda; & totam bellicæ eloquentiæ vim exhauriendam: at nihil horum: *Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum.* Clariùs Vatab. *Consilio autem inito cum populo, constituit Cantores* &c. Quasi tota hæc esset ratio consilij, vt exercitui Cantores admonerentur. Hiccine apparatus prælio ineundo, an festo agitando? Vtrique. Erat, nimirum, tunc populus sanctus, ideò musicis Deum laudantibus accentibus magis, quàm ipsis armis superabat. Lyranus: *Constituit Cantores, sicut consuetum est in bellis filiorum Israël.* Nescit iustorum populus ad præliū absque sacra ista musica procedere, qua & vincant: vnde additur n. 22. *Cùmque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum, scilicet, Ammon, Moab, & montis Seïr,* &c. Quasi ab illis vocibus, non tam moduli, quàm fulmina procedere viderentur. Ex insidiis nos expectat originalis culpa: vix sumus, cùm capimur: at oriente Sole nostro musico expugnatur. 848.
Musica acies parat iustus.
2.Paral.20.
Vatabl.
Lyran.

Submersis Ægyptiis, & saluis è mari progredientibus Israëlitis; id est, naufragante culpa, & è Baptismo fidelibus restitutis; hinc Moyses, Christi typus, Deo canit; hinc Maria Virginis figura sumit tympanum: *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæq; sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est.* Exod. 15. n. 20. Pende, quæso, non tam canere Mariam cum turba, quàm turbæ præcinere: quia, vt suprà dixi, nō vulgari redēptionis reti, sed singulari præseruationis hamo erepta fuerat. At, cur cū expressè Virgo nostra in typo suo, saluis omnibus per Baptismū præcedere 849.
Maria nō cæternarum redempta.
Exod.15.

dicenda erat, signata Musicæ occasio speratur? Quia præcinere saluis, optimè præcedere eisdem declarabat. Germanum victoriæ, & salutis insigne, sacra Musica. Iure ergo præcedit in Cantico, quæ ad salutem præuia destinatur. Chrysol. post alia de Deiparâ Serm. 146. *Et, vt semper Maria humanæ præuia fit salutis, populum, quem vnda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in Cantico.* Meritò ergo in hoc loco Maria ipsa, *electa vt Sol*, dicitur: quia sola instar Solis, præuia stellis omnibus lucem communicat. Meritò *sonans, vt Sol*, quia Musica eius, (instar solaris Orbis erga cæteros) omnibus iustorum spiritualibus accentibus, ab ipsa Conceptione longè præponitur: vt suo iure præcedat in Cantico, quæ Christi fauore præcessit in salute.

Chrysol.

850. Sed, quidni præcinere dicatur in Conceptione, quæ in huius victricis, & spiritualis Musicæ magistram edebatur? Hinc illud Salomonis de Mariâ: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Cant. 7. num. 5. Non quosuis choros memorat; sed castrenses: pugnacem cantilenam, vt dixi, concinentem pugnam gerit Maria: quia, dum canit præliando, canendo vincit. Nihil in Maria videbitur non musicum. Quocunque tendas oculos, ad ipsum vsque instans Conceptionis, Epinicium eius audies gloriosum. Aspicin'? Quid videbis, nisi festiuam Musicam, Solem resonantem? Plana ista ex dictis. Sed, cur non singulariter concinens & militans? Verùm castris musicis, choris præliantibus cernitur stipata? Præuidebatur iam chori didascala, discipulis dictata componens, militantibus choris præcinens suauissimè: si enim sacra à puro corde Musica iustorum propria, vnde nisi à Principe participatæ iustitiæ castrensem istam Musicam ediscerent? Pulchrè Rupertus ibi ex ore Mariæ: *Non contenta propria felicitate studui choros filiarum Ierusalem ducere, & ordinare: ita vt vnus, idémque cœtus, & chorus esset, & castrorum acies: chorus laudantium dilectum: acies pugnantium contra Diabolum, propter dilectum.* A Luna nostrâ cornua præliando mutuamur: à Sole nostro Musicam superando ediscimus: tanta est Conceptionis illius sacra maiestas. Vide, si lubet, plura ex profanis, & sacris in Cantico meo dramatico ad hunc locum; & plurima in Cantico tropolog. not. 1. per totam: quæ huc non inuita veniant. Sed pergo.

Cant. 7.
Maria pia Musicæ Mater.
Rupert.

851. Hinc amœnissimè D. Thomas Valent. in Conc. de Visit. Virg. admirans diuinum illud Cant. Deiparæ ad cognatam: *Magnificat anima mea*, &c. Luc. 1. n. 47. sic exclamat: *Sileant omnes Musæ: sileant gentilium celebrata camœnæ: sileat Sibylla furens: sileat lasciniosa poësis: sileat Sirena dulcis: garrula etiam philomela conticeat: sileat omnis hominum, auiúmque harmonica laus. Cithara Regis sonat: Deipara Virgo canit. Sed iam ipsam Virginem canentem audiamus. Magnificat*, &c. *Quàm venustè, quàm pulchrè senioris cognatæ palinodiam canit! quàm piè, quàm humiliter, impensas sibi laudes, in bonorum omnium largitorem Deum detorquet!* At, cur tacita aliàs modestissimè Virgo, non solùm in vocem simplicem; sed & illam sonoram, & iubilo concinentem nunc erumpit? Id dixerat paulò antè ibidem idem D. Thomas: *Postquàm Virgo regia vteri sui mysterium propalatum vidit, exultans animo, plena spiritu, repleta gaudio, feruore spiritus inflammata, suauem Domino cecinit cantilenam. Virgo, inquam, illa, cui etiam loqui rarissimum erat, præ magnitudine spiritus resonare, cantare compellitur.* Quasi nesciat eximia gratia, feruens spiritus irruens in iubilantes affectus non prodire: vt, si sint verba prodenda, illa in Canticum efformata, & suis quodammodo numeris, & modulis pronunciata videantur. Et qualem gratiam, qualem spiritum, Soli eidem in sua conceptione dixeris communicatum, qui statim sic musicus exhibetur?

Maria diuinus cantus.
Thom. Val.
In Visitat. Mariæ.
Thom. Val.

852. At non solùm suauem hanc Spiritus concinentis Musicam, inchoauit Maria, quando protulit, *Magnificat*, &c. ab ipso sanè in illam feliciandam domum ingressu, fuerat modulata. Pende verba: *Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* n. 40. Ad primam Mariæ vocem quasi per instrumentum, Christus Ioannem sanctificauit: nihil mirum, cùm in id venisset: sed, cur sic fuerit aperta illa sanctificatio, vt Mater iubilantem notaret, vnde pariter dulcissimo spiritu sonaret? Vidistin' aliquando binas citharas, siue lyras, inuicem pari vocum discrimine attemperatas, consono chordarum numero intentas, sic sibi innata sympathia respondentes, vt si huius Netem pulses, alterius statim Nete symphona, nemine impellente, resonet per se ipsam, Hypati interim, & Mesi subticentibus? aut dum canis Diapasson, similiter intacta lyra correspondeat? Idem hic euenisse puta. Deo plena, suauissima de internis affectibus lyra erat Maria, salutationísque voce, dum cordis chordâ, id est, infante Deo resonat, correspondentem sibi lyram Elisabetham Ioannis rythmo impulit resonantem. Sic nescit Spiritus Sanctus vtrique assistens in musicam melodiam non prodire. Do pluscula ex eodem D. Thoma citato, sed illa suauissima: *Cui comparabimus paruulos istos, aut cui assimilabimus eos? Similes profectò sunt musicis citharœdis, citharizantibus in citharis suis, qui conceptam animo harmoniam consonantibus citharis modulantur: neque enim aliter miro concentu temperante prophetant matres spiritu paruulorum, & intus dictantibus pueris, sono resonant præsagientes amœno. Solet naturali quod in prodigio in consonantibus citharis euenire, vt vnius chordâ pulsatâ, alterius, quæ eodem puncto concinnis est, chorda, & nulla alia contremiscat: cuius causam, cùm sæpissimè perquirerem, inuenire non potui: quis enim non miretur, quòd sola consonantia, motum faciat? quid enim agit concentus ad motum? Ita contingit omnino in proposito. Concines erant citharœdorum cælestium lyræ: vna Verbum, altera Vocem gestat: & quid Verbo consonantius suâ Voce? Personat vna, contremiscit altera. Vt facta est (inquit) vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Quidni exultaret, quidni contremisceret lyra, etsi non pari puncto, simili tamen temperata concentu?* Audis musicos gratiæ concentus? quidni ergo in suâ Conceptione Solem nostrum gratiâ putes refertissimum, quem ibi suauissimè vides resonantem?

In eodem festo.
Luc. 1.
Baptistæ sympathia ad Christum.
Thom. Val.

853. Eligitur Dauid, homo secundùm Dei cor, vt Dei hominis typum expressum gereret: & in Dauidis singulis, singula Christi opera notarentur. Nunc pende illud de Dæmoniaco Saüle: *Igitur, quandocunque Spiritus Domini malus arripiebat* Saül,

Baptistæ sanctificatio.

Saül, *David tollebat citharam, & percutiebat manu sua: & refocillabatur Saül, & leuiùs habebat: recedebátque ab eo Spiritus malus.* 1. Reg.16. num. 23. Ergo citharizantem puerum timebat Dæmon? O quid fugis lyræ fides, qui hastas rides? O quid trepidas molles numeros, qui durissimos lapides spernis? Quid fugis lyram sonos fundentem, qui fundam rotantem rupes non pauescis? Symbolum timuit, perhorruit figuram. Mariam citharam suam regiam impellens Christus, ab amico Ioanne cum originis culpa Dæmonem erat pariter fugaturus: hinc ergo Dauidis citharam iam exhorret. Adhuc iterum citatus D.Thomas ibidem: *Magnum illum citharœdum agnesco suâ citharâ personantem, & virtute harmonica Dæmones expellentem: notam omnibus figuram edissero. Dauidis citharâ personante, Saülis obsessum animum Diabolus deserebat. Mira res! Musicâ fugatur Zabulus: & qui, iuxta sententiam Iob, sagittas reputat quasi paleas, & lapides funda quasi stipulas spernit, deridet etiam vibrantem hastam, & durissimos malleos pro nihilo pendit; ad citharæ sonum tremefactus recedit: & quem nulla vis superat, superat harmonia. Latet pro certo, in cithara illa mysterium: figura illa erat, hæc veritas: hîc completur, quod ibi signatur.* Quid clarius, vt in origine sua nihil culpæ, nihil Dæmonis passa intelligatur Maria; quàm dum illam in ipsâ origine audimus resonantem? Ad huius sonum Ioannes mundatur, fugatur Dæmon: quia nescit simul cum hac melodiâ culpa, vel Dæmon consistere: ast, si primum instans Mariæ, iam sibi musicum erat, quis ibi culpam, aut Dæmonem somniabit?

1.Reg.16.

Thom.Val.

854. *Musica Beatorum armata.* Iam satis de Sole nostro sonante quoad gratiam: videamus, an etiam nobis consonet quoad gloriam. Certè splendoris armatura, lucis cornua si Musicę exultanti socientur, felicissimum beatitudinis statum repræsentant. De iustis iam beatis loquens Dauid, sic habet Ps.149. *Exultabunt Sancti in gloriâ: lætabuntur in cubilibus suis.* num. 5. quia, vt benè notat ibi Lyranus ex verbis Christi, in gloriosa illa domo mansiones multæ sunt, varia cubilia, pro diuersitate meritorum diuersa: in quorum singulis singuli absque aliorum inuidiâ exultant hilares. Sed mirum est, quod additur: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* num.6.&.7. Si iam in patria suauissimo gutture Deo admodulantur; quid adhuc prostrandis hostibus gerunt gladios? Si belligerant, quid iam vocibus melodis triumphum Deo dicant, concinunt Epinicium? Claret res, si ad tempus extremi Iudicij rem deducas, vbi Beati, & corpore, & anima gloriosi, pleniùs exultabunt. Ita idem Lyranus, qui deinde sic subdit: *Et quia tunc in corporibus gloriosis erit laus vocalis, secundùm quod dicunt aliqui Doctores, ideò subditur: Exaltationes Dei in gutture eorum, &c. & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam, &c. Per hoc intelligitur constantia Sanctorum, & potentia in extremo Iudicio contra illos, qui iniustè oppresserunt eos in hoc mundo, secundùm quod dicitur Sap. 5. &c. vel potest referri illa littera ad Angelos sanctos, &c.* Quasi (cùm tot multis aliunde describi posset) hinc maximè plenior Sanctorum gloria describatur, quòd potentiæ gladiis hostilia demetant capita, & simul triumphalia concinant Epinicia: vt qui bellatrice Musicâ, vt vidimus, decertarunt, dum viuerent; canoro bello triumphent, dum beantur. An Deipara armata nostra Luna, & Sol musicus in ipsa Conceptione appareat beata, Lector iudicauerit. Quòd si Angelis litteram deferas, (quod etiam vult Lyranus,) vtpote Dei Musicis, Dæmonum, & peccatorum percussoribus; clariùs Angelorum Reginam, ab eodem munere, in suâ Conceptione beatam prædicaueris.

Psal.149.

Lyran.

855. *De eodem.* Differebat Deus Beato Iobo summum illud diuinæ architecturæ ædificium, quo terram suis ponderibus librarat; super vacuum eius mensurante funiculo deducto: cuius operis Angeli ipsi excellentiam fuerant demirati: vnde addit: *Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* cap.38.num.7. Non qualencunque laudem intelligas; sed de iubilante affectu hymnicam, atque musicam. D.Anastas. Sinaïta 4. Hexam. ibi: *Hymnis Deum celebrarunt.* Sed pende ad rem meam Chaldæum Paraphrastem, qui pro filiis Dei vertit, *acies Angelorum.* erat enim eximia Dei gloria, vt Angeli beati, etiam in vilioris terræ productione, hymnificè omnipotentem celebrarent. Angelorum verò beata conditio, non aliunde aptiùs, quàm per acies bellicas, & per musicos hymnos exprimeretur.. Sed aliter totum locum, & aptissimè ad rem meam recudunt Septuaginta, hoc modo: *Quando facta sunt sydera, laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei.* id est, quarto die, quando, vt narrat Genesis, Sol, & sydera cætera sunt creata, idque in terris, (vt vult citatus Sinaïta, de quo plenè dixi initio Anthologiæ primæ, num.26. vide,) & deinde in cælo collocanda. Ergóne, inquis, vsque ad quartum diem, conticuêre Angeli, & ab hymnis diuinis abstinuêre? Non crediderim: sed tamen, cùm vidissent è terra ortum Solem, sic suauiores, præ datis, hymnos dedêre; vt vsque tunc conticuisse viderentur. Scilicet, Solem iustitiæ Christum è Mariana terra ortum, & postea in cælos ascensurum iam laudabant. Ecquis tantus iste hymnus? Ille ipsissimus, quem posteà in reali Christi exortu cecinêre. De hoc Lucas: *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo, &c.* cap.2. num.13. Quando festiuiores, quando de accidentali gloria beatiores Angeli introducuntur; tunc milites cantores, de bellatrici Musica celebrantur. Sed lubet audire Sinaïtam: *Hymnis Deum celebrarunt: quamobrem? Quoniam facta sunt astra? Non certè propterea: sed, cùm vidissent Solem è terrâ recurrêtem, in mysterio didicerunt Christi incarnationem, & è terra assumptionem: & ideò cùm vidissent eum ex Sanctâ Virgine, tanquàm ex abysso exortum; statim exclamarunt dicentes: Gloria in excelsis Deo.* En tibi tunc festiuiùs beatiores Angeli, cùm milites, & musici celebrantur: cur ergo inficiemur armatam, & musicam Mariam in Conceptione eò Angelis beatiorem, quò in Musica, & in bello excellentiorem longè veneramur?

Iob 38.

Anast.Sin. Chald.Par.

Septuag.

Incarnatio Christi Angelis festiua.

Luc.2.

Anast.Sin.

856. Ascendentem Christum è longè contemplatus in spiritu Dauid, dixit: *Ascendit Dominus in iubilo, Dominus in voce tubæ: psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.* Ps. 46. num. 6.&7. Ecquos iubilantes scribit? Ecquos ad hymnorum perseuerantiam impellit? Angelos puto,

Psal.46. *Ascensio Christi cælis festiua.*

quos alibi in hoc triumpho Christi, cum portarum custodibus inducit differentes. Sed, si Angelos tantùm vellet canentes, exprimeret absque dubio. Absolutè pronunciat, credo: quia sine discrimine creaturas omnes cælestes inuitabat, Planetas maximè, & astra pulchriora. Nimirum, viso Rege suo, triumphatore Domino, proportionatam sibi Planetæ festiuiores gloriam participarunt. Quidni ergo beatam hanc triumphantis maiestatis visionem Musicâ testarentur? Huc absque dubio allusit D. Synesius hym. 9. de Christo ascendente. Verto pulcherrima carmina, sed solutè: *Expanit stellarum purissimarum chorus immortalis: festiuus autem æther, sapiens harmoniæ magister, ex septem fidium lyra, Musicam, & triumphale carmen temperauit.* Septem has lyræ fides, septem Planetarum orbes explicabam. Vtcunque sit, cæli ipsi qualem qualem Dei visionem musicis accentibus testantur: & non putes proportionatam sibi, id est, claram Dei visionem sonora hâc Musicâ Solem nostrum fuisse contestatum?

Synes.

EPIPHANIA.

857. VEnio tandem ad vltima verba decantati hucvsque versiculi, quibus Maria dicitur *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Alij vertunt: Ἐπιφανὴς, ὡς μεγαλυνομέναι: *Illustris, sicut magnificatæ.* alij, ὡς ἐπιφάνεια, *vt Epiphania.* Est autem epiphania, *apparitio* apud Latinos: vnde alij legunt, *apparitio lucis.* Vno verbo: dicitur Maria, illustris quædam Epiphania, terribilis quædam lucis apparitio. Acies quidem est, & illa vexillata, & munitissimis ordinibus instructa, ex infallibili vulgata versione: cur ergo mera Epiphania, illustris tantùm apparitio, celebretur? Huius dubij enodatio, post tot multa ad hunc locum congesta, mihi vnus scopus relictus, & is intactus: nec minùs puto veraciter attingendum, quàm cæteris de Aurora prospiciente, Luna corniculata, Sole musico, pari modo excogitatis, attigimus eundem. Pende ergo mihi illud iterum, quod paulò antè dicebam de Deipara ex Cant. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* cap. 7. num. 1. Sulamitis quidem, vt latè in Dramate meo ostendi, idem est, atque *Pacifica*: à radice עלה pacificum esse: vnde clarè Aquila vertit, εἰρηνεύουσα, à verbo, εἰρηνεύειν, quod est in pace degere. Quid ergo in Maria Pacifica sibi castra volunt? Si bellat, & debellat castris hostes diuina nostra Pallas, cur tunc signatè dicitur pacifica? Si in pace degit, cur castris circuncingitur? Certè, quia etsi debellat; non tamen ita bellat, vt cum hostibus manus conserat: hostes sic terret aspectu, ac si conserto prælio, motis castris præliaretur: & tamen in pace degit; quia prælij discrimina nec subit, nec laborem. Hæc ratio vincendi longè gloriosior: ideò Claud. lib. 1. de laudibus Stiliconis:

Maria bellatrix pacifica.

Cant. 7.

Aquila.

Victoria gloriosior, non à sanguine; sed ab hostium metu comparatur.

Miramur rapidis hostem succumbere bellis,
Cùm solo terrore ruant? non classica Francis
Intulimus, iacuêre tamen. Non Marte Sueuos
Cõtudimus, queis iura damus. Quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania seruit.

Claudian.

Longè meliùs Maria, terrore percutit hostes, ne congredi audeant: & in pace degens gloriosos belli effectus ostensis tantummodo viribus reportat: ideò & pacis choros, & castra belli gerit. Alanus ibi: *In Virgine fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum: castra verò pugnantium, secundùm quod Virgo circunsepta, & sanctis disciplinis instructa, vitiorum, & Dæmonum repellebat insultus.* Non repellebat insultus iam inuadentes, quæ castris dicitur potiùs circunsepta, quàm erumpens ad prælium: sed venientes, ostensis tantummodo castris territos prosternebat.

Alan.

Hinc illud eiusdem Deiparæ fidelibus allocutæ: *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Cant. 8. num. 10. Ab vberibus Mariæ quis non mel merum, nectar ambrosium putaret degustandum? Quis ergo ibi turritam asperitatem non demiretur? Turres mysticas fundet Maria: benè est. Sed, cur in ipso deliciarum loco, in ipsa dulcissima nutricantis affectus officina, propugnaculi fortis iacitur fundamentum, duriori loco, vt videbatur, aptiùs collocandum? Piè ibi Guillelmus: *Vbera mea, non tantùm sunt vbera; sed etiam turris: non tantùm nutriendi, sed etiam protegendi vim habent: nullus me putet habere, quo nutriam; & non habere, quo muniam: materna pietas mea, quos nutrit, etiam munit: quos nutrit, vt discant, atque grandescant, munit à facie inimici: donec iam grandes effecti, contra eum in campum fiducialiter exeant.* Periculosum paruulis est certamen: si prodeant, à serpente haustu facili vorabuntur. Ergo ibidem muniuntur, vbi nutriuntur: quia nequit inuadere paruulos Dæmon, qui Mariam Matrem tutantem reformidat. Quidni si murus turritus, & inexpugnabilis felix ista Mariæ nutricatio: Guillelmus iterum paulò antè ex eodem Mariano ore, ad animam adhuc fragilem: *Paruula es, & delicata, nondùmque idonea stare in acie aduersùs hostes, rigidissimos Principes, & Potestates tenebrarum: ergo ad me veni, apud me mane; ego enim murus ad protegendum, murus inexpugnabilis, circuncingens eos, qui ad me confugiunt. Planè, qui hoc muro circundatur, tutus est ab his, qui in circuitu ambulant impij; & à capite eorum, qui, tanquàm leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Non conserit cum Inferno Leone manus Maria; sed inexpugnabilem murum obiiciens, auidum paruulorum retardat, ne tanto securos munimine inuadere præsumat. 858.

Cant. 8.

Maria initium præsidiũ paruulorum.

Guillelm.

Guillelm.

Ideò meritò facta subditur coram Christo, *quasi pacem reperiens*; id est, ex vsu sacræ Scripturæ, verè pacem reperiens: (hinc enim apud Ioan. 1. Christi gloria dicitur *quasi* Vnigeniti à Patre, id est, verè Vnigeniti:) quæ enim solo incusso terrore, & ostenso munimine vincebat, vt dixi; in pace suauissima degebat. Sed obiter magnum aliquid inculcat hîc Cardinalis Haïlgrinus ex ore Mariæ: *Misericordia mea, & pietas mea, quibus, quasi vberibus, suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesiæ, sunt turris: munimentum, scilicet, refugium, & securitas peccatorum: & hoc ita, ex quo sic accepta, sic grata. Sic placita facta sum coram eo, vt quasi pacem reperiens, id est, verè pacem reperiens, & faciens, inter Deum, & hominem: vt essem pacifica, tanquam Mater veri Pacifici, mediatrix Mater Mediatorum.* Vt hinc maximè probetur, quod suprà latè ostendi, Maria Redemptoris Corredemptrix: vtque sicut Pacificus noster à natura habuit, 859.

Maria Corredemptrix.

Haïlgrin.

habuit, vt nihil interioris pugnæ à Dæmone sentiret: sic Mariam Pacificam per gratiam, nihil pugnæ, nihil rebellantis fomitis passam intelligamus.

860. Hoc ergo tandem credo, quod in versiculo præsenti ad Conceptionis eius dicitur excellentiam. Maria dum concipitur, terribilis, & castrorum acies dicitur ordinata: interim tamen *illustris Epiphania*, & mera eius apparitio celebratur: quia talis erat eius gratia, quam non solùm Dæmon, & culpa non potuit superare; sed nec etiam inuadere præsumpsit. Non pugnat, non congreditur: ipsa eius apparitio, hostis fuit debellatio: vix illa apparuit, cùm Dæmon periit. An hæc apparitio, omni acie robustior non æstimabitur? nónne hæc absque certamine victoria, longè excellentior? Magnum est, si hostem cautè fugias, à quo fueras superandus: maius, si aggredientem superes; sed maximum, si talem te geras, vt hostis aspectu tuo trepidus, nec aggredi præsumens te effugiat, gloriosissimè absque prælio superatus. Nihil grauius scripsit Plinius (probabiliter Christianus, fortasse Martyr) in Paneg. Traiani: *Vt ipse noñs pugnare, moderatio: fortitudo tua præstat, vt neque hostes tui velint. Accipiet ergo aliquando Capitolium, non inanes currus, nec falsa simulacra victoriæ; sed Imperatore veram, ac solidam gloriam reportante, tranquillitatem; & tamen confessa hostium obsequia, vt vincendus nemo fuerit. Pulchrius hoc omnibus triumphis: neque enim vnquam, nisi ex contemptu Imperij nostri, factum est, vt vinceremus.* An non meretur huius viri prudentia elegantissima, ne illi illustres, quos adhibui, titulos inuideamus, Flauio nostro Dextro adhærentes, qui anno Dom. 220. de S. Tito locutus, illos apposuit? Eius verba: *Is Titum converterat ad fidem Plinium iuniorem, &c. Nec desunt, qui putent, septimâ Sextilis, ad Nouocomum esse passum.* Dextri verò fidem, post doctissimi Biuarij operam, sola proteruia denegauerit. Parce digressiunculæ. Vincendum neminem dixit: quia absque puluere, & sanguine victoria comparata. Id prædicto modo ad pretium: aliter enim, licèt vincas, contemneris: neque enim te inuaderet hostis, nisi vincendum putaret: imò nec inuadentem speraret, si desperaret reportandum ex te triumphum: quorum neutrum absque tui contemptu poterat euenire. Mariam ergo non inuadit Dæmon, imò nec inuadentem sustinet: apparentem solummodo fugit, terrore magis, quàm gladio perculsus. O Conceptionem non quouis, sed modo excellentissimo victricem!

Victoria ab hostium metu reportata, cur gloriosior.

Plin. iun.

Flau. Dext.

861. Discessurus iam Iacob, filiis egregiam oppignoratis benedictionibus hæreditatem dum partitur, ad Leui, & Simeonem deueniens, sic subiungit, increpato Sichemitarum excidio, quod in violatæ sororis peregerant vindictam: *In consilium eorum non veniat anima mea: & in cœtu illorum non sit gloria mea.* Genes. 49. num. 6. Quasi è bello illo, licèt feliciter peracto à filiis, licèt posteà ipse Sichemitarum agros possideret, nihil sibi redundans gloriæ arbitraretur: imò illam victoriam quasi omninò ingloriam auerteret. Sed, quis non opponat præsenti isti, præteritam eiusdem Iacob sententiam cap. 48. num. vlt. vbi Iosepho suo vltra sortem hos ipsos delegans agros, solidè gloriabundus dixerat: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio, & arcu meo.* Cur enim gladios filij victores sic aspernatur, idem gloriæ gladio suo victori arrogaturus? Audiendus Lyranus pulcherrimè nodum soluens: *Non sit gloria mea: id est, de hoc non glorior, sed magis confundor. Sed contra hoc videtur, quod Iacob dixit in fine præcedentis capitis, gloriando de acquisitione Sichem: Do tibi, &c. Ad quod dicendum, quòd Iacob in hoc loco, hoc dicendo, non gloriabatur de occisione Sichemitarum per Simeon, & Leui: sed magis de hoc, quòd homines illius terræ congregati ad inuicem, voluerunt irruere super Iacob, & filios eius: & Iacob confidens de Dei adiutorio, parauit se ad resistendum: & terruit Deus eius aduersarios, & retrocesserunt.* Hæc enim dignissima gloriatu victoria, non tam gladio, quam terrore hostes percellere, nec dum inuasos, cernere iam prostratos. Nunquam gladius Iacob acutiùs vulnerauit, nunquam arcus dexteriùs transfixit, quàm dum inde timoris ictus, hinc pauoris sagittæ in hostes fugientes emittebantur.

Idem probatur.

Genes. 49.

Genes. 48.

Lyran.

Dauidem iam victorem (& magis Christum in Iuda suo) contemplabatur ibidem Iacob, vnde ad illum: *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti, vt leo.* dicto cap. 49 n. 8. Laudandus dicitur à suis Dauid: quia deuictas inimicorum ceruices pedibus calcaturus, quas priùs iniecta manu bellator confregerat. Posteà non laudandus tantùm; sed etiam, instar Numinis, adorandus prædicatur, subditâ, ni fallor, causâ, quòd tanquàm leonis catulus ascenderet ad prædam: quòd tanquàm leo quiescens accubuisset. Ecquid tam immensum est gloriæ in leone, vt ab eius comparatione, Dauid priùs laudatus, iam etiam adorandus proponatur? Rem vidit ibi Lyranus, licèt concatenationi nostræ non studeret. Ergo de Dauide hîc expresso ita: *in tantum prævaluit aduersariis Israel, quòd circa finem regni sui, nullus audebat insurgere contra eum, nec eius regnum perturbare, vt patet lib. Reg. 2. & ex principio tertij: ideò subditur, vt leo: quem aliæ bestiæ non audent inuadere.* Longè gloriosior Dauid, quando ad finem accubans requiescit vt leo timori habitus, quàm dum ceruicibus decertat contundendis: inde ergo iam laus meritò in adorationem commutatur: quia hoc victoriæ genus omnibus præponendum. 862.

Et iterum. Genes. 49.

Lyran.

Quantò illustriùs in Conceptione suâ, Epiphania nostra superatrix? Iacob saltem ad resistendum se accinxit, quia is erat, qui saltem inuadi poterat: Maria sic præuiâ gratiâ præmunitur, vt iam inuasiones timere non posset. Dauid tandem ad finem terrore percellitur, qui diu decertando laborarat; & licet victor, ipsis tamen inuadentium hostium ausibus contemptus: Maria in primo instanti iam victrix, sed quieta apparet, tantùm quòd appareat, nullo vnquam tempore audentis culpæ contemptu temerata. Taceo victoriæ materiam tam diuersam. Sed quid Reginam seruis compono, sibi vni tantummodo dignè componendam? Omnes illius, quas toties suprà dixi, pugnas, hoc modo gloriosiori intelligendum volo fuisse peractas, vt suis locis obiter inculcabam: illius arma, & vulnera ab incusso terrore proueniebant: nec ausus aliquando Dæmon, è proximiori conflictus, aut contorta alia fulmina sustinere. Satis itaque ex hoc vincendi modo, è prædictis verbis Mariæ gratia in Conceptione probatur. 863.

Maria gloriosissimè victrix.

probatur. Restabat de gloria: sed quia suprà à n. 819. hanc victoriam visionis beatæ, id est, præsentiæ diuinæ assistentis effectum præstantissimum ostendi; nihil vltra addendum existimaui. Esto Anacephalæosis.

864. Tota Anthologia, vt vides, in eum scopum collimauit, vt contra D. Thomam ostenderemus, Mariam in Conceptione vsum rationis obtinuisse; & eum vsum, vt lumine beatifico illustrata, Deum ardentissimè amandum, clarissimè contemplaretur. Decet hoc certè Sanctorum omnium, & Seraphinorum Reginam, Dei Matrem. Ad Mariæ vocem, vt ex D. Thoma Valentino vidisti, à num. 851. sanctificatur in Matris vtero Ioannes. At quomodo sanctificatur? Audi ibidem eundum Archiepiscopum Valentiæ: *Sancto itaque spiritu afflatus Ioannes, non solùm à contagio peccati mundatur; sed etiam accelerato iudicio præsentem inspicit Redemptorem. Præcursoris officium ab vtero inchoat, & prius officium nouit exercere, quam vitam. Iniunctum sibi a Deo munus accelerat, immaturus ortu, maturus officio: ne, videlicet, sibi datum quispiam surripiat honorem.* Præterco contendere, an voluerit S. Doctor, vt Ioannes Redemptorem suum, Deum, scilicet, & hominem clarè tunc vidisset: illud certum existimo, (ex doctrina Angelici Thomæ, qui dignitatem Matris Dominicæ, in suo genere infinitam celebrauit,) ex altissima saltem Ioannis contemplatione in instanti sanctificationis suæ vterinæ, plusquàm probabiliter inferri, claram, & beatam Mariæ visionem in primo instanti suæ Conceptionis: quomodo enim infinitè aptiùs crescat Matris dignitas supra Præcursoris dignitatem, nisi in quouis comparata crescat in infinitum? Aut, quomodo visio illius vterina, huius visioni præstabit in infinitum, nisi altera sub fide maneat, in speculo, & velut per ænigmata; altera reuelatâ facie speculetur?

Baptistæ prærogatiua.

Thom. Val.

865. De Maria ergo concepta capi potest illud Christi ad eandem: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea: vna matris suæ, electa genitricis suæ.* Cant. 6. n. 7. Ecquæ hæc perfectio? Guillelmus ibi feliciter sui oblitus, prudenter sibi inconstans, licèt de Conceptione non loquatur, sic de Maria: *Perfecta, cui nihil deest ad gratiam, & ad gloriam.* Malè ergo, deuotissime Pater, alibi illi primam Conceptionis gratiam defuisse scripsisti: quomodo enim perfecta, cui nihil gratiæ deest, si optimam illi partem defuisse existimabas? Sed ad rem. Multi è suprema Hierarchia Spiritus, plures ab aliis inferioribus, innumeri ex infima Angelorum caterua, (pono enim cælestes Spiritus, quò excellentiores, eò pauciores, quod etiam in beatis hominibus euenit,) ab origine grati producuntur: ast vna est Maria perfecta, cui in ipsa origine nihil deest: quæ non solùm grata producitur, sed beata: cui gratia simul cum gloriâ communicatur. Cæteris creaturis productis, semper videbatur adscribens artifex Deus, *faciebat:* quia adhuc illis obtentâ iam gratiâ, gloria deerat obtinenda: at Mariæ inscripsit diuinus Author, *perfecit:* quia sic prodiit, vt iam perfectæ nihil illi ad gratiam, & gloriam deesset. Vt me capias, aduerte.

Cant. 6.

Marianæ gratiæ, & gloriæ perfectio.

Guillelm.

866. Ponderant sacri Interpretes ad illud Genes. 1. num. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* vel, vt habent Septuaginta, ἐποίησεν, *fecit.* latentem emphasim in hoc præterito perfecto, de qua audiendus præ cæteris noster Pereira ibi: *Scitum est, quod tradit Plinius in præfatione sui Operis, veteres pingendi, fingendique nobilissimos artifices, opera sua etiam absolutissima illa, & quæ posteri nunquam mirando satiantur, pendenti titulo sic scripsisse: Apelles faciebat, &c. non autem, fecit. Ea re insinuantes, opera esse inchoata, nec omninò perfecta; & quod in eis desiderari posset, se quidem emendaturos fuisse, nisi morte essent intercepti, &c. De Deo autem, cuius perfecta sunt opera, & exquisita secundùm omnes voluntates eius, & quibus nemo potest quidquam addere, vel detrahere, non erat consentaneum dicere: Deus faciebat mundum; sed fecit: scilicet, tanquàm opus omnibus suis partibus expletum, cunctisque numeris absolutum, atque consummatum, & iudicio ipsius Opificis, cuius est infinita sapientia, comprobatum: vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Nimirum, subsequitur laudatio perfectionem. Sunt ergo dicta verissima in rebus secundùm suum statum consideratis, quæ vt sic perfectissimè à Deo producuntur: quia tamen nonnulla creauit Deus, quibus vltimam deinde parabat perfectionem; ideò quodammodo imperfectè producta intelliguntur, non tam ex parte diuini Authoris, quam ex parte sui: cuius rei signum est, quòd interim diuinæ laudis approbationem non participent, donec ad perfectionem reducantur.

Genes. 1.

Septuag.

Opera Dei quomodo perfecta.

Pereira.

Producto lucidissimo primi diei opere, perfectissimâ, nimirum, luce, addit Textus: *Et vidit Deus lucem quòd esset bona.* Genes. 1. num. 2. Pergitur ad diem secundum: *Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum.* num. 7. Nec tamen huius operis approbatam ibi legis bonitatem: solus secundus dies hoc laudis caret præconio, quod cæteris omnibus diebus assignatur. Quæris causam? Respondet Lyranus ibi ex Hebræorum doctrina: *Verbum, & vidit Deus, quòd esset bonum. in aliis diebus dicitur ad approbationem operis: approbatio autem præcipuè respicit opus completum. In secundo autem die, licèt principaliter fiat distinctio corporum cælestium; tamen in hoc etiam fit mentio de distinctione aquarum elementarium: & quia ista distinctio non fuit completa, vsque ad tertiam diem, quando congregatæ sunt aquæ in locum vnum, vt videbitur infrà; ideò subticuit verbum prædictum die secunda: & tertia illud bis dixit, vt patet in littera, semel pro opere secundæ diei, & semel pro opere tertiæ diei.* Qui ergo piè fatemur, Mariam in sua Conceptione opus diuina laude dignum, ac proinde perfectissimum, quod passim prædicamus: cùm perfectio rationalis creaturæ in gratia, & gloria consistat, Deiparam non solùm gratam, sed etiam tunc beatam fateamur, necesse est: cui proinde Deus suum illud, *Fecit*, meritò subscribat. 867.

Genes. 1.

Perfecta tantum laudibus digna.

Lyran.

At dices: Ad perfectionem creaturæ rationalis, dum in via est, per ordinem ad diuina satis esse, si gratiæ decore producta intelligatur. Verum hoc, si debitam perfectionem in suo genere consideres: falsum, si perfectionem absolutam spectaueris, & quæ diuinæ laudis omnimodam approbationem mereatur. Quærunt sacri Doctores, cur singula opera sua Deus producta laudauerit, vt diximus: producto verò homine cessauerit 868.

Homo vnde laudandus.

Genes. 1. sauerit ab hac laude, Genes. 1. num. 27. respondéntque, vt plurimùm cæteris iã plenam sui inesse bonitatem naturalem: at hominem de bonitate potiùs supernaturali commendandum: hæc verò cùm de vsu virtutum spectanda expectaretur in Adamo, meritò suspenditur, donec qualem se gereret in virtutum exercitio videretur. Sed mihi dubium adhuc, cur homo cum originali gratiâ productus, saltem de hoc supernaturali principio bonitatis moralis non commendetur, cùm ab illo tam eminenter homo cæteris omnibus naturaliter bonis creaturis præponatur? Et
Ambros. respondit Ambros. lib. de instit. virg. cap. 3. (post alia cum cæteris Patribus communia) singulariter: *Laudatio eius non in exordio, sed in fine est: nemo enim, nisi legitimè certauerit, coronabitur: ideò Sapiens tibi dicit: Ante mortem non laudes hominem quenquam*, &c. Ac si in ordine supernaturali, homo non absolutè laude dignus, id est, perfectus sit habendus, donec corona gloriæ decoretur. Pende nunc, quanta de Deo eximium se Authorem ostendente circa perfectissimum hoc opus Marianum, idque in ordine supernaturali scripserunt: lege, quæ de hoc fusissimè multis paginis suprà dixi: & fateberis, ideò productam Mariam Authori suo tantùm decoris conciliasse; quia & gratiam, & gloriam tunc exhibuit.



ANTHOLOGIA XIII.

Maria scribendo æterno Verbo charta purissima.



§. I.

Dictum ab æterno Verbum Incarnationis tempore scriptum; quàm bono nostro.

869. VT Mariam ab omni culpæ; & fomitis sordibus immunem ostenderem in Examine; chartam purissimam scribendo æterno Verbo, illam à Patribus appellatam indicaui: cuius rei probationes huc altiùs remisi ponderandas. Id ergo vt meliùs intelligatur, repetenda sunt verba illa notissima Theodoti Ancyrani hom. de nat. Saluat. quæ habetur in Actis Ephesini Concilij, tom. 1. Concil. *At, qua, inquis, ratione, cùm Vnigenitus natus sit ex Patre, rursus nascitur ex Virgine? Ex Patre nascitur secundùm Diuinitatis naturam; ex Virgine nascitur secundùm carnis dispensationem: hinc vt Deus, istinc nascitur vt homo. Nam & tuum quoque verbum, quadam mentis proles est: at, postquàm verbum istud, quod mens tua peperit, elementis, & litteris volueris exprimere, & in charta efformare; manu litteras describis, & certa quadam ratione, verbum tuum per manum denuò eniteris.* Habes aptissimam explicandæ Incarnationi comparationem. Ab æterno dicebat Pater Verbum illud suum, & ab alta mente felicissimum partum enitebatur: at Incarnationis tempore, iam Verbum suum scripsit, & pulcherrimis virgineæ carnis litteris effigiauit. Nos priùs mente parimus verba, quæ deinde depingimus, & quodammodo denuò parturimus vestita: sic excellentiori modo Pater Deus se habuit erga Verbum suum. Pergat Theodotus: *Hic itaque cernis mentem; ibi Patrem: hic verbum ex mente productum agnoscis; ibi Verbum substantiale, subsisténsque, ex Patre natum vides: hic manum per litteras verbum parientem conspicaris; ibi Verbum per corpus virgineum generatum.* Quasi in peracta Verbi diuini Incarnatione, descriptio eiusdem pulcherrima formaretur.

Per Incarnationem, Verbum diuinũ scribitur.

Theod. Anc.

Exultabat Paulus, quòd Pater non iam per Prophetas, sed per proprium Filium, Mundum alloqueretur: deinde de Filio ita: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ*, &c. Hebr. 1. n. 3. Arias Montan. vertit: *Character substantiæ eius*. D. Athanas. clariùs: *Sigillum substantiæ*. Figuram, & imaginem quandam Patris viuã, Filium esse, fides docet: cur ergo sic simpliciter *figuram* protulit Apostolus, vt etiam de *sigillo*, & *charactere* veniat explicandus? Quid substantiali imagini, cum imagine sigillante? Quid inde non blasphemena impij, & non tam viuam, quàm vmbratilem figuram Patris Filium esse contendant? Sed nihil grauius, nihil verius Apostolus proferre potuit: dum enim Filium splendorem paternæ gloriæ appellauit, apertè illum Patri declarans consubstantialem; eandem consubstantialitatem, in alia figuræ comparatione assertam, & in tuto collocatam meritò existimauit cognoscendam. Voluit autem expressè sigilli conditionem inculcare, vt imaginem illam ab æterno substantialem, & permanentem, in tempore sigillatoriam, & imprimentem se ipsam agnosceremus: non enim solùm calamo, sed etiam typis, & sigillo verba nostra inscribimus. Sic Verbum illud ab æterno dictum, in tempore per Incarnationem nobis apparuit sigillatum. Nunc capies Athanasium Serm. de Incarnat. & Annunc. prout obscurè vulgò circunfertur: Græcum enim exemplar non mihi ad manum: *Sermo autem iste iteratus, in eandem sententiam coït, si consideres splendorem istum esse veluti radium verè solarem, & ab orbe verò solari indiscretam*

870.

Hebr. 1. Arias Mont. D. Athanas.

Imago sigillaris Dei, cur Verbum dicatur.

D. Athanas. *discretam habere emicationem; & characterem esse, & specimen substantiæ eius, per quam ipse Pater exprimitur, & repræsentatur. Vt enim annulo signatorio species aliqua effiguratur, quam & imaginem expressam, & sigillum appellamus, nihilque, quatenus ad suos pertinet, deficit ab exemplari suo: ita quoque Filius eandem cum Patre formam gerit: non non enim euariat impressa imago, ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseuerat iuxta sculpturam annuli, siue in cera, siue in auro signaculum illud effigiatum sit, pro ratione regij numismatis: ita quoque diuinus character Filij, substantiæ Patris incommutabile sigillum est, ferens omnia verbo potentiæ suæ, secundum suum ipsius exemplar; carnique suæ, quasi ceræ, eum typum, formámque impressit. Non enim est impossibile, & incredibile, vt tempore Patris voluntati grato, vti character (siquidem character est) Incarnationem in se configuraret: qua veluti pro cera, aut quasi pro auro vsus videri potest.*

In Annunciat. Mariæ. Explicando adhuc Athanasio, locum similem subiungo. Vult Haïlgrinus, verba illa Deiparæ Cant. 5. num. 6. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est.* ad tempus annunciationis esse reducenda: cur autem interim liquefactam animam dixerit, sic explicat: *Postquam dilectus locutus est ei per Angelum, anima eius exarsit, & liquefacta est: vt,*

Haïlgrin. *sicut metallum liquatum formam acciperet, quam Spiritus Sanctus artifex vellet.* O quàm pulchrè imprimerentur imagines animæ sic dispositæ! Tale quid, in carne sua ad obedientiam cerea, aurea ad pretium, fecisse Verbum diuinum, voluit Athanasius, vt nobis iam descriptum appareret.

871. Signatè verò addo, *nobis*: nihil enim bono nostro vtilius, nihil felicius hominibus poterat euenire, quàm Verbum illud diuinum ab æterno dictum, scriptum in tempore sibi cernere, & legendum. Facit ad rem nostram illud Dauidis: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum suarum annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Ps. 18. num. 1. Vnde enim enarrant nobis cæli diuinam gloriam, vnde dierum, noctiúmque successu arcana verba ministrant, ingerunt scientiam: nisi, quia & cæli, & creaturæ cæteræ sic à Deo factæ, vt tanquam libri doctissimi ante oculos nobis proponantur?

Christus qualis nobis liber.

Psal. 18.

Mundus nobis liber, cur ignotus. At, cur, inquis, in tanta librorum copiâ elegantissimâ ignorantiæ adhuc tenebris caligamus? Certè, quia paruulorum instar, occultos, licèt illuminatos characteres, mirari magis, quàm legere solemus: cernere potiùs possumus, quàm construere. D. Thom. Valent. Conc. 1. de Natiu. Virg. post alia de libro creaturarum: *Felix, qui istum libellum elementarem legere nouit! Non despiciamus eum, quia pulcher est, & magnus: sapientia lucet in eo. O quàm mirus, & quàm pulcher: quos characteres habet tam pulchros, Solem, & Lunam, stellas, cælum, & terram, maria, & differentias animalium, & auium, & arborum, & florum. Sed nos quasi*

Thom. Val. *paruuli admiramur pulchritudinem characterum, & nescimus legere, neque intelligere: sicut paruuli, & sicut rustici videntes descriptiones pulchras in Ecclesia. O si legeremus! ô si creaturas penetraremus, sicut iusti, & sancti, quem gustum, quam sapientiam intra corticem inueniremus! quàm magna Philosophia, & Theologia latet in his rebus, si eas intelligeremus! Vnde Psalmista: Cæli enarrant, &c.*

872. Parum id. Non solùm creaturarum librum nobis exhibuit Deus; sed & sacra Scripturæ sacræ volumina nobis expandit. Sed, quid tunc nobis? Si ad apertissimos naturæ characteres hebescimus adhuc paruuli; quid ad obscura diuinorum Bibliorum ænigmata non cæcutiamus? Vnde ergo hominibus remedium, qui absque notitia Dei perirent necessariò; & tamen Dei notitiam vix poterant comparare? Piè idem Sanctus Doctor: *Sed, ô magna Dei clementia! ô mira Dei prouidentia! Agnouit Dominus rusticitatem, & hebetudinem nostram, & ruditatem; & quòd non possumus, neque eius dicta intelligere, & sapientiam reuelatam capere, quia paruuli* Thom. Val. *sumus: vnde motus pietate, quæcunque docuerat in libro naturæ, & in libro Scripturæ theoricè; practicè nobis descripsit in libro exemplari, & ostensiuo, & ideali. Hic liber est Verbum incarnatum, in quo nobis depicta est omnis vita spiritualis, & Christiana, quæ in Euangelio, & aliis libris traditur: vt in eo legamus charitatem, pœnitentiam, humilitatem, mansuetudinem, castitatem, contemptum mundi, & cæteras virtutes.* En tibi pulchrum scientiarum compendium, absque dispendio; en tibi disciplinarum omnium Dux peruius, facillimus magister.

De Christo libro.

Enarrauerat Sanctus Iob virtutum suarum studium, & innocentiam, quam, Deo auspice, semper conseruarat: deinde subdit; *Quis mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat Omnipotens: & librum scribat ipse, qui indicat: vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronunciabo illum; & quasi Principi offeram eum.* cap. 31. num. 35. 36. & 37. Putant vtplurimùm Interpretes, sic se apud amicos iustificasse Iobum, vt intrepidus librum, & sententiam suam à supremo Iudice optaret scribendam: sic enim illam absolutoriam fore sperabat, vt eidem in coronam probatæ innocentiæ verteretur, ínque diploma priuilegij sui singulis ostentandum. Non tamen hæc explicatio ita venit ad gustum: cùm enim ad finem vsque capitis deinceps in contestanda innocentia sua pergat Iob; quorsum nondum plenè dictâ causâ, iam subscribendam sententiam anteuerteret? Putarem ergo potiùs, dictis, dicendísque intermediam cautelam, prudentis litigantis instar, apposuisse: vt, si quid in eius virtutibus imperfectum, & minùs decens appareret, inde excusaretur: quòd adhuc librum illum, vnde perfectio virtutum discitur, non haberet. Enarrabat virtutes suas, & interim suspirat Verbum Incarnatum: quasi diceret: Æterne Iudex, parce virtutum defectibus: si à nobis illas cupis illibatas, agedum, scribe, scribe iam Verbum tuum, & frueris optatissimò & ego felicissimè absoluar: nam & eodem incarnato Verbo, tanquàm libro, vtar ad discendum: & tanquàm munere, & sacrificio offerendo, quo te Principem, & Iudicem piissimè corrumpam. Fauet citatus D. Thomas, sic subiungens: *Hic est liber iustorum: hoc Enchiridion semper in manibus, & præ oculis habent: de quo Iob: Quis mihi tribuat auditorem, & librum scribat ipse, qui indicat: id est, in se ipso Iudex, sententiam vitæ, quam iubet scribat. Per singulos gradus meos pronunciabo illum, siue comedens, siue ambulans, siue negotians, semper præ oculis habebo exemplar istud: & quasi Principi offeram eum: erit mihi liber ad legendum, & sacrificium ad offerendum.*

873.

Christus Enchiridion nostrum.

Iob 31.

Thom. Val.

Scilicet,

874. Scilicet, Verbum Angelis tantummodo intellectum, fit hinc etiã suo modo hominibus agnoscibile: quod, quãtum sit beneficium, hinc percipies. Daturus Deus legem in Sina, quos non rogationi præmisit apparatus? Vertitur mons in Ætnam, fit cælum ipsum fulminum officina; & inter tubarum bombos, buccinarúmque sonitus strepentes, attonito pauore omnia permiscentur. Clamant interim adstantes ibi Israëlitæ, *dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Exod. 20. n. 19. At, vnde diuinæ vocis ingens timor concipitur? cur potiùs ab homine, quam à Deo, cælestis doctrina auidè ebibitur? Dicam, si audis priùs, quid de hac re elegãter scripsit Saluianus lib. 1. de Prouid. *Adde huc tonitrua, adde fulgura, nebulas Deo plenas, loquentẽ cum Moyse Dominũ, legem diuino ore resonantem, incisas Dei digito litteras, rupeas paginas, saxeum volumen, discentem populum, & docentem Deum, ac mixtis penè hominibus, atque Angelis, vnam cæli, ac terræ scholam.* Sic edebatur Schola, vt eadem classis Angelos, hominésque exciperet: ita exponebatur doctrina, vt dum Angelis proponitur, hominibus pariter ebibenda præcipiatur. Id ergo homines horrent, id formidant: quibus humilibus, & abiectis non poterant esse amori; sed timori, verba illa, quæ etiam supernis, & angelicis Spiritibus aptissima formabãtur.

Doctrina discipulis proportionanda. — Exod. 20. — Saluian.

875. Neque minim. Vnde mortalium cæca mens doctrinæ illi altissimæ posset sufficere, qua etiam Angelorum acumen illustrabatur? Attemperetur auditoribus doctrina necesse est, ne paruuli sublimiorum pabulo obruantur: dimittendi aliò perfecti, vt apta incipientibus tradantur rudimenta. Fixit aliquando perfectissimus Sponsæ spiritus oculos in Christum, immotis palpebris, suspenso obtutu dilectum contemplata: ad quem tunc ille: *Auerte oculos tuos à me: quia ipsi me auolare fecerunt.* Cant. 6. n. 4. quasi diceret: Auerte obtutum: te enim intuente, erigitur stylus, volat doctrina mea. Sed, quidnam in hoc mali, ô Amor suauissime? Nunquid stabit tibi cariùs æterna sapientia, si contemplanti dilectæ stylum releues, reuoles doctrinã? Absit. Rem ergo vt capias, penè transcribo verba Ambrosij ad hunc locum. Considera Doctorem, qui mysterium aliquod obscurum velit auditoribus suis aperire; quique, licèt in promptu comptissimum stylum, & exquisitam habeat scientiam; condescendendum tamen putat simplicioribus, & simplici, planóque stylo sibi vtendum. Iste quidem, si interim auditor aliquis adsit sensu viuacior, ingenio perspicacior, qui se sublimiùs dicentem soleat eleuare, & sequi facilè; solet eximium hunc auditorem reuocare, monens, vt patiatur, humilioribus, & planioribus se immorantem, quo & cæteri tardiores sequi possint. Tale est, quod in hoc loco ad piam animam Dominus dictum voluit. Prædictæ ergo comparationi sic præmisit Ambrosius: *Vult ergo auertere illam oculos, ne eam considerans, quòd iam ad superiora sequi posset, eleuetur, & cæteras animas derelinquat.*

Idem probatur. — Cant. 6. — Ambros.

876. Hoc erat igitur, credo, quòd inter pauores, Israëlitæ tacitè deposcebant: vt acumine angelico dimisso, sibi paruulis doctrina temperaretur: quomodo enim sequi poterant Doctorem, qui releuatus, & reuolans, Angelis etiam congrua edocebat? Ah! non aderat tunc Verbum incarnatũ, scriptum Verbum, liber viuus, qui debito temperamento prolatus, vnum, idémque Angelis, & hominibus sufficiat. Hinc capies illud (vt volunt) Æterni Patris: *Eructauit cor meum Verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Ps. 44. n. 2. Verbum illud æternum, quod à mente profundiori eructauerat ab æterno, iussu, & imperante sermone, in tempore, sed in instanti velociter scripsit. Sed cur, inquis, dum scriptum narrat, commemorat eructatum. Vt vnum, idémque Verbum Angelis de eructatione olim peruium; iam de scriptione hominibus legendum intelligatur. Acutè D. Thomas Valent. loco citato: *De hoc Psal. Eructauit cor meum Verbum bonum, sed Angelis: & placuit scribere illud pro mortalibus, vt in vno, eodémque libro Angelus, & homo legeret. Sic solemus nos conceptus nostros inuisibiles ad memoriam, & eruditionem aliorum, litteris formare, & litteris effigiare; & quasi in vasculis relinquere scribendos. O præclaram scripturam! ô pulcherrimum characterem, in quo tale latet Verbum æternum! ô scriptum egregium, quod modò omnibus mortalibus proponitur ad legendum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.*

Christus liber Angelis, hominibúsque communis ad legendum. — Psal. 44. — Thom. Val.

877. Obiter verò egregiam rationem, & similitudinem inculcat D. Thomas, conceptus nostri inuisibilis, qui visibilis per litteras efformatur: quam illibatis verbis citati Theodoti illustro adhuc: *Verbum hoc, quod proferimus, quóque in mutuis colloquiis vti consueuimus, verbum est incorporeum, nullo neque visu, neque tactu percipi natum: atqui simul atque verbum hoc litteras induit, elementáque suscipit, mox visibile, palpabiléque factum, tam visu hauritur, quàm tactu deprehenditur,* &c. *Quid ita? Quia verbum antea incorporeum, corpus chartaceum, elementorúmque figuras induit.* Inuisibile itaque Verbum inuisibilibus olim Angelis aptabatur: posteà iam visibile, & corporeum, hominibus in oculos venit, & in amplexus: priùs auditu tantùm fidei percipiebatur: deinde aspectu iam, & tactu quodammodo, sub corpore apprehendebatur.

Incarnatio Christi exemplo declaratur. — Theodot.

§. II.

Quàm sit pretiosa materia à Deo decoris inscriptionibus electa.



878. Duve, priusquàm ad rem nostram veniamus, aliud pro eiusdem declaratione prænotandum, scilicet, quàm sit pura, & pretiosa materia illa, vbi Deus suos, suorúmve characteres pingendo, vel cælando soleat scribere. Creauit Dominus cælos, subtilissimos quidem, sed solidissimos, vt claritatẽ, sic etiam duritie ingenium adamantinum superantes: quid àb illis speres molle, siue flaccidum, qui à Iobo cap. 37. n. 8. solidissimi, *& quasi ære fusi* prędicãtur? Et tamen, de his locutus Dauid, déque Deo eosdẽ apparante sic scribit: *Extendens cælum, sicut pellem.* Ps. 103. n. 3. Quid æri fuso, cum extensa pelle? Quid hac mollius, quid illo durius reperitur?

Iustorum nomina gloriosè scripta. — Iob 37. — Psal. 103.

ritur? Vnde ergo scripta scriptis videntur repugnare? Planè non repugnant: sed ærea soliditas de ingenio, iam de officio in pelliceam mollitudinem visa commutari. Nihil notius, quam olim scribendo, pelles fuisse vsurpatas: imò & hodie pergamenis chartis, id est, puris & putis pellibus in idem vtimur: quidni ergo cæli, licet solidissimi, pelles appellentur, quibus Dominus ad scribendum vti consueuit? Ecquæ, inquis, tam pretiosa dictata, vt nobilissimam hanc chartam prærequirant? Respondet Ambr. Hexam. 1. cap. 6. *Extenditur vel quasi pellis ad tabernacula, habitationésque Sanctorum: vel quasi liber, vt plurimorum scribantur nomina, qui Christi gratiam fide, & deuotione meruerunt, quibus dicitur Luc. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Quasi dedeceret, vt nisi in pulcherrimo, & cælesti adamante, iustorum gloriosa nomina scriberentur.

Ambrosi.

879. Grauida erant profundis sacramentis, honoribus verissimis illa, quibus, tanquàm ficto Regi, Iudæi Christo Domino illudebant: illud tamen rarius, quòd dum sceptri ludibrium aucupantur, nihil aliud aut fœdius ad speciem, aut abiectius ad ignominiam quærunt, quam arundinem. *Posuerunt*, inquit Matthæus, *arundinem in dextera eius.* cap. 27. n. 29. Si è purpura tua, suauissime Iesu, immortalitatis purpuras nobis meruisti: si spineà coronà, diademata iustitiæ nobis comparasti, & spinarum aculeos abolita maledictione obtudisti; quid tandem ab arundineo hoc sceptro consequemur? Eusebius Gallic. in Dom. Palm. *Illi illudentes fecerunt: nobis autem magni sacramenti significationes sunt, neque pro ludo, sed omnia in veritate, hæc suscipimus, & veneramur, &c. Sceptrum ex arundine datur, vt iustos in cælis, peccatores in terris scribat: secundum istud: Recedentes à te in terra scribentur. Bonis autem Dominus ait: Quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Iudæi enim cum arundine scribere consueuerant.* Nec solùm Iudæi, sed omnes ferè nationes arundinem scribendo assumebant: vnde & hodie, vt suprà in re simili, puto, adnotaui, pennam scriptoriam, calamum, siue arundinem appellamus. Hinc ergo maximè iusti ab impiis discriminantur, quòd aliorum nominibus scribendis charta sordida, & terrena; aliorum mundissima, & cælestis requiratur.

Idem probatur.

Matth. 27.

Euseb. Gall.

880. Stellas Ecclesiasticus commendans, sic habet cap. 43. n. 10. *Species cæli, gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus: in verbis sanctis stabunt ad iudicium, & non deficient in vigiliis suis.* Vbi mihi semper dubium, cur, cùm tota species, & pulchritudo cæli, ex gloria, & claritate stellarum pendens dicatur; hinc maximè stellæ commendentur, quòd *in verbis sanctis* stent ad iudicium: quomodo enim, quæso, stellæ in verbis sanctis stant, quas mutas noscimus: nisi dum verbis sanctis substant: id est, in verba scripta efformantur? Stant ergo in verbis sanctis stellæ: quia verba sancta, & sanctam quandam componunt scriptionem. Et quorsum id? Pretiosis, quæ habemus, verbis scribendis, non solùm chartam puram, tabulam incorruptam; sed adhuc in characterum formationem, aurum, & colores pulcherrimos eligimus. Vnde elegantissimè Claudianus lib. 3. de Diana Stiliconi Consuli blandiente;

Et iterum.

Eccli. 43.

Tum virides Pardos, & cætera colligit Austri
Prodigia: immanésque simul Latonia dentes, Claudian.
Qui secti ferro in tabulas, auróque micantes,
Inscripti rutilum cælato Consule nomen
Per Proceres, & vulgus eant: stupor omnibus Indis,
Plurimus ereptis elephas inglorius errat
Dentibus.

Vt faustissimum tanti Consulis nomen, non solùm in eboreis tabulis; sed ibidem aureis litteris rutilaret. Hinc ergo putarem, stellas verbis sanctis substare, vt liber ille cælestis, de quo suprà dixi, aureis litteris inscriptus intelligatur, iudicium, id est, scientiam hominibus enarraturus. Tale aliquid cogitabat Author ille incertus, sed elegantissimus Orat. 2. de Cruce, vbi ita de cælo: *Plana, & æquabilis ad scriptionem charta, liber aureis litteris exaratus, astris quasi argenteis filis intertextus.* Quasi decora illa cælestis doctrinæ scriptio, non solùm in sapphirina tabula; sed etiam stellatis characteribus condignè scriberetur. Nisi dixeris, quod mihi perinde erit; scribendis Sanctorum nominibus cælum in tabulam, stellas verò in litteras adaptari.

De Patriarcharum nominibus gestandis in superhumerali sic Deus præcipit Exod. 28. n. 9. *Sumes duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël, sex nomina in latere vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Opera sculptoris, & cælatura gemmarij sculpes eos nominibus filiorum Israël, inclusos auro, atque circundatos.* Disce huius gemmæ conditionem ex Plinio lib. 37. cap. 6. *Veram autem onychen plurimas, variásque cum lacteis zonis habere venas; omnium in transitu, colore inenarrabili, & in vnum redeunte concentum, suauitate grata.* Quia non nisi gemmà, illustrium Patriarcharum nomina poterant dignè insculpi: & ea gemma, cuius inenarrabilis color, & grata varietas, semper in vnum, atque eundem rediret concentum, nec nisi candidissimis zonis interdistingueretur. At, quorsum, inquis, tam impensa cura præcepti? Oleaster ibi. *Aduerte, non atramento, sed stylo ferreo nomina filiorum Israël super lapides inscribi, vt nouerit diuinus Sacerdos, nullam obliuionem debere delere memoriam ouium suarum apud Deum, &c. In lapidibus autem pretiosis adumbratum cerne, quam pretiosa debeant esse nomina ouium apud Antistitem.* Quasi iam non manerent pretiosa, si in viliori materia insculperentur: neque decenter tam fixa illorum memoria commendaretur, si de abiectiori lapide vilescerent. Attentè verò, vt id obiter notem, lapides isti includendi *auro* dicuntur: ne gemmeæ, & pretiosissimæ scripturæ, è plumbo, aut è ferro, probri aliquid accedere videretur: nam, vt benè D. Ambrosius ad rem aliam Serm. 6. *Gemma nisi auro non conuenit.* de quo infrà.

881.

Exod. 28.
Prælati debent magni pendere subditos.

Plin.

Oleast.

Ambros.

882. Aurum purum, putum, postulatúmque exigebatur perficiendæ laminæ sacerdotali, vbi ineffabile illud nomen Domini tetragrammaton יהוה erat scribendum: sed pende verba: *Facies & laminam de auro purissimo, in qua insculpes opere cælatoris, Sanctum Domino: ligabisque eam vittâ hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.* Exod. 28. n. 36. & 37. Non solū aurum purissimū laminę commendatur; sed & lamina super tiarā, id est, supremū Pontificis ornatum, præcipitur

Dei nomen quanti faciendum.

Exod. 28.

præcipitur collocanda: quasi dedeceret, vt lamina tanti nominis gestatrix eminentiorem partem non obtineret; vtque nomen illud scriptum in excellentiori Sacerdotis ornatu non portaretur. Beda ibi apud Glossam: *Lamina aurea in fronte Pontificis, in qua Sanctum Domino, vel Sanctum Domini, vt in sequentibus dicitur, sculptum est, sacratius est cæteris indumentis: quia, sicut diuina potentia omnibus creaturis supereminet: ita oportet, vt nomen eius cæterum Pontificis ornatum transcendat.* Sic tanto nomini non nisi purissima tabula exquiritur: in qua si quid vnquam plumbeum appareret, nunquam de scripto nomine ad frontem vsque Pontificis prosiliret.

Beda.

883. Sed, quàm cedit nomen istud, *Iehouah*, (si fortè ita pronunciandum,) aut quodquod illud sit nomen Dei ineffabile, suauissimo nomini Iesu; tam præstat tabula, vbi hoc condignè scribitur, laminæ illi, vbi tunc vetus illud scribebatur. Promittit Christus in Apocalyp. præmia victoribus: & inter alia istud signatissimum: *Dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum.* cap. 2. num. 17. id est, dabo illis corpus meum, lapillum candidum, gemmam adamantinam, qua nihil pretiosius inter paternas gazas reperitur. Ast adamas durissimus quomodo insculpetur? Si venis diuina Patris epistola cum epigraphe ad homines, cur adamas appellaris? Si adamas, vnde scriptas litteras patieris? Nimirum, adamas sanguine mollescit, depositáque duritie, iam deducendos permittit characteres. Benè ergo nomen nouum, id est, Iesu nomen pentagrammaton in gemmea illa carne iam sanguine perfusa, & inde mollescente gestari dicitur, vt quinque sacri nominis litteræ, quinque illis vulneribus responderent, imò quinque vulnera, tanquàm miniatæ, & pyropinæ litteræ nobis rutilent. Glossa Ord. ibi: *Scriptum quinque litteris, id est, quinque vulneribus, cum quibus ostensum fuit corpus eius in Cruce.* Vbi plura de Christo gemma. Et quidem ad nomen Iesu alludi, licèt ad rem aliam, fatetur ibi Alcazar. Postulabat, nimirum, tanti nominis dignitas, vt aliquando condignè scriberetur, solúmque in adamantina Saluatoris carne gloriosissimè poterat splendere.

Iesu nominis excellentia. Apoc. 2. Gloss. Ord. Alcazar.

§. III.

Prædicta omnia pro Virgine validissimè decertant.

884. EX dictis iam conclusio nostra clarissima deprehenditur: si enim incarnatio, fuit perfecta quædam diuini Verbi descriptio, egregia cælatura; nemo non videt, Mariam, chartam, & tabulam apparasse: si autem inlectrum nominibus, Deique augustiori vocabulo cælestem chartam, gemmeámque, & auream materiam vidisti necessariam: quid Verbo substantiali æterno describendo, & cælando, apparandum purissimũ non existimes? Aptissimè D. Thomas Villan. citatus de libro nostro, siue incarnato Verbo: *Scriba huius libri, Deus: calamus, Spiritus Sanctus: vterus virginalis, pergamena charta: atramentum, sanguis purissimus eius. In eius vtero scriptus, compaginatus, compositus est hic liber, ex illis sanguinibus formatus est ille sacratissimus character Verbi diuini.* Et putes, in hac charta lituras culpæ, fomitis næuos fuisse aliquando? Absit. Benè infrà idem S. Doctor: *Hac scriptura tam pulchra, in quo libro, in qua papyro scripta est? Vtique in pergameno virgineo purissimo, sine notâ, & næuo peccati.* Si quid à Conceptione sua maculatum gestaret charta nostra, ineptiret omninò, tam pretioso characteri describendo. Nescit Marianus liber corrosam pellem, folium aliquod delebile secum compaginare: vt æternum Verbum nobis pro decentia exhibeat descriptum.

Maria diuino Verbo scribẽdo charta purissima. Thomas Villan. de Concept. B. M. V. Thom. Vill.

Euangelium suum inchoat Matthæus dicens: *Liber generationis Iesu Christi.* cap. 1. n. 5. Deinde n. 8. sic subdit: *Ioram autem genuit Oziam.* Norunt pueri ex lib. Reg. à Ioram, non tam Oziam ortum, quàm Ochoziam: deinde hic Ioam genuit, Ioas Amasiam: à quo tandem Ozias genitus est. Cur ergo tres isti Reges supprimuntur, & à serie, ordinéque sacræ genealogiæ transiliuntur? an quia mali? Sic ferè post Hieronymum Expositores: sed certè, vt rectè vidit noster Maldonatus, alij peiores in hoc etiam Catalogo recensentur. Quid ergo? Sic mali fuerunt, vt deleti omninò ab hominum memoria à Deo proscriberentur: nimirum, è semine fuerant Achab, cuius filiam duxerat Ioram: hæc autem cum filio Ochosia, nepote Ioa, pronepote Amasia, id est, tota ista series vsque ad quartam generationem ab Achab, à Deo per Eliam 3. Reg. 21. n. 21. delenda, & non memoranda prædicta fuerat. Vnde ergo sic deleta folia, sic obsita lituris tam pretioso libro compaginarentur? Ecquis tandem hic liber? Hugo Cardinal. ad cap. 23. Eccles. *Beata Virgo, quæ est liber vitæ, liber grandis, liber generationis Matthæi, apotheca gratiarum: pelles verò, de quibus liber iste factus est, sunt antiqui Patres, Abraham, Iesse, Dauid, quos computat Matthæus. Tres autem Reges Ochozias, Ioas Amazias, ibi non ponuntur, licet essent de generatione eius, quia mali erant: & mala pelles in tam pretioso libro non debent poni. In hoc libro tot sunt litteræ, quot virtutes: & qui non habet virtutes, nescit litteras, & nescit legere in hoc libro.* An ergo liber, qui deletas illas paginas exclusit, quæ tantùm denominantes, & extrinsecæ illi erant; paginam sibi intimam, fœdatam sibi admitteret Conceptionem? O funestum librum, si non quamuis paginam, sed ipsum frontispicium, & titulum gereret oblitteratum? Benè Ouidius de infausto suo libello:

885. Matth. 1. *Marianus liber nihil pollutum admittit.* Hieron. Maldon. Hugo Card.

Nec minio titulus, nec cedro charta notetur. Ouid.

Felix ergo è contra liber noster, quia miniatum titulum, id est, pulcherrimam gessit Conceptionem: ne fœdato frontispicio, scribendo æterno Verbo sperneretur.

Et benè Mariam vocauit Cardinalis citatus *librum vitæ*: vt proinde nihil in illa deletum intelligatur. Iam vulgò decantatum pro Conceptione illud Moysis ad Deum, de populo peccante: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exodi 32. n. itẽ 32. neque enim profusa in his verbis prodigalitas, 886.

Liber vitæ lituras non admittit. Exod. 32.

sed tuta quædam fiducia. Sciebat in libro vitæ nihil esse delebile, nihil obliterandum; potiúsque à Deo ibi populum scribendum, quàm si semel scriptum indidem expungendum. Fortè id voluit Augustinus quæst. 147. ad hunc locum: *Securus quidem hoc dixit, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur: id est, vt qu a Deus Moysem non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.* Frustrà enim librum vitæ appellares, quem vel leuibus mortis lituris insignires: & ridiculè liber vitæ Maria decantabitur, si describendo vitæ principio Verbo, fœdam paginam aliquam exhiberet.

Aug.

887. Diuino, aut œstro, aut zelo accensus, prophetans magis, quàm imprecans, in obstinatam reproborum malitiam sic erumpit Dauid: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Psalm. 68. num. 29. Quò pergis, sanctissime Vates? *Deleantur*, ais? Ergo lituras patitur liber vitæ: ergo finaliter reprobi, mortis æternæ rei, aliquando vitale volumen sunt ingressi? Absit: sed nihil maiori epitasi dici potuit, vt malitiam illorum exaggeraret, quàm dum exprimitur, inde delendos fuisse, si per impossibile ibi rescriberentur. Id autem mirum est in tanto feruore, putasse necessarium Prophetam, figuratam dicto adiungere correctionem, dicendo: *Et cum iustis non scribantur.* Ne vel per vmbram aliqui imprudentes, aliquid in libro vitæ delebile existimarent. Iam me capies, si audis Venerabilem Hugon. Victor. ad hunc locum lib. 4. in Luc. *Deleantur de libro viuentium: sed, quia præscientia prædestinationis diuinæ non mutatur; & ideò delere, non est ibi esse desinere, sed nunquam fuisse; rectè adiunxit: Et cum iustis non scribantur.* Nihil in libro nostro vitæ suspicemur delebile, qui ipsum prædestinantem Principem descriptum gessit; à quo tanti voluminis necessariò decus obseruaretur.

Idem confirmatur.

Psal. 68.

Hugo Vict.

888. Decantatissimum olim fuit volumen illud, quod *liber iustorum* vocabatur, cuius cùm alibi fit mentio, tum Iosuè 10. num. 13. quando miraculum illud vincti Solis, Lunæ compeditæ, diei duplicati enarratur: in quo absque dubio diuinæ potentiæ prodigia multa pulcherrima ferebantur. Nec minùs celebre tunc volumen aliud, quod Numer. 21. num. 14. *bellorum Domini* dicitur: vbi Dei exercituum maiestas gloriosa describebatur. Si autem quæras, quid de his libris factum sit, omninò periisse inuenies, & neque illorum litterulam permansisse. Pende nunc, quàm solida, quàm illæsa permaneant Euangelia ad finem vsque sæculi duratura: imò, & quàm integer perseueret liber Geneseos, cuius cap. 5. num. 1. liber generationis Adam fusissimè declaratur: & dubitabis, cur libri isti sacri integri in tam longa Ecclesiæ persecutione sedulo prouidentiæ studio custodiantur, cùm illi alij diuinæ maiestatis gloriam referentes mitioribus temporibus perirent? Respondet verò acutè Oleaster loco Genes. citato: *Expende hic, quanti faciat Deus hominis generationes, vt, scilicet, velit earum librum scribi. Sic etiam voluit quatuor Chronographos summâ cum diligentiâ generationem humanam ipsius enarrare. Præclara verò gesta sua, quæ in Deitate operatus est, voluit perpetuæ obliuioni tradi: vbi enim liber bellorum Domini, & alij, quibus gesta, quæ fecit ad rubrum mare, & ad torrentes Arnon? Omnia perire voluit: solius verò humanæ generationis librum seruari.* Mortuos libros, & atramenti descriptos characteribus in sacræ humanitatis decorem, tam sedulò custodit Deus; & librum viuum, vbi æterni Verbi character humanitatem ipsam erat induturus, ibique substantialiter scribendus, à præuiis culpæ lituris, ab scatentis fomitis tineis non custodiret? Germanæ gerræ.

Iosuè 10.

Num. 21.

Incarnationē suam, quanti faciat Deus.

Genes. 5.

Oleaster.

889. Verbum sanè diuinum è paterno sinu, ad parthenicas tabulas translatum, & scriptum adoramus, quod ex illis pulcherrimè induatur, & nobis configuretur. Qui ergo miselli multa & ridicula, & inania scribere solemus, quæ tamen tumidi dignissima fore cedro reputamus, chartam purissimam, tabulas incorruptas, laminas pretiosas, marmora præstantissima illis exquirentes: nónne timidi erubescemus, si Dei Verbo substãtialiter describendo, præfœdatam, & corruptam tabellam assignauerimus? At quidem timidos, & non tumidos ad hanc venerandum scripturam nos voluit Chrysologus, qui descriptâ Mariani palatij pulchritudine sic habet Serm. 141. *Vnde, ô homo, his admonitus exemplis, æstima, quis sis, quantus sis, qualis sis: & tunc demum cogita, vtrùm possis diuinæ natiuitatis penetrare secretum, &c. vt deprehendas liquidò tu, quo modo Deus penetrale clausæ carnis intrauerit: quemadmodum sacri Corporis in illo venerabili vtero, præter Virginis conscientiam, lineamenta pinxerit.* Pende vltima verba; & non solùm linearum scripturam, sed & picturam lineamentorum internosces: vt discurrens, & recurrens ad industriam, qua Zeuxis, & Apelles pingendas posteà tabulas apararunt, vt nostì, noscas, qua diligentia Deus, tabulam Verbo suo subsistenti pingendo disposuerit: vt prætercam Homeri Poemata pretiosissimè olim descripta, & ab Alexandro diligentissimè asseruata.

Marianus liber quâ curâ apparatus.

Chrysol.

890. Sed ad singula, quæ supra diximus, priuatim veniamus. Vidimus iustos in cælis scriptos, vidimus Patriarchas in gemmis effigiatos: videamus, an describendo Verbo gemma pulchrior Maria, an cælum melioribus stellis radiantius. Loquebatur Deus eodem Exodi capite 28. n. 17. de Sacerdotis Rationali, subdens: *Ponésque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus: in secundo, carbunculus, &c. inclusi auro erunt per ordines suos: habebúntque nomina filiorum Israel. duodecim nominibus calabuntur singuli lapides nominibus singulorum per duodecim Tribus.* Vbi, vt nosti, illa verba, *per ordines suos*, interpretanda sunt, iuxta illud, quod de superhumeralis onychibus dixerat, *ordinem natiuitatis eorum.* Itaque quarta gemma in ordine, id est, prima versus secundi, erat *carbunculus*, vbi proinde quartus Israel filius inscribebatur, *Iudas*, scilicet: è cuius sanguine, tanquàm gemma, floridior exorta est Maria. Audi nunc Plinium lib. 37. cap. 7. vbi de gemmis ignitis: *Principatum habent carbunculi, à similitudine ignium appellati, cùm ipsi non sentiant ignes, ob id à quibusdã apyroti vocati.* Quasi non absque mysterio Tribus Iudæ in gemma insculpatur apyrota, quæ admotos ignes ridet, dominatur incendiis, quandoquidem huiusce Tribus decus Christus, Marianæ gemmæ, totum culpæ, & ardentis fomitis incendium euadenti, erat inscribendus.

Maria cum carbunculo comparata.

Exod. 28.

Plin.

inscribendus. Horreret absque dubio flos noster, Iudas viuus, substantialiter vitro inscribi: cuius vel mortua vmbra, incorruptibili, & apyroto pyropo inscribebatur. O rubum! ô carbunculum incorruptibilem, vbique commune incendium irridentem!

891. Interlin. Maius est, quod Interlinearis Glossa habet ad hunc locum: *Carbunculus, qui nocte lucere dicitur, & circa somnia illustrat.* Talis est Maria, quæ in communi naturę nostræ nocte vnica resplenduit, omnia illustrauit: & tamen adhuc illis non allucet, qui illam culpæ nocti, & mysticæ tenebrarum caligini condemnant. An fortè dubitet, Mariam, dum carnem protulit Verbo, gemmam protulisse? Audiant Epiphanium Orat. sæpè citata: *Beata inter mulieres, quæ Verbum incarnatum peperisti, &c. Verbum verum, Deum ipsum, Christum Dominum nostrum, quem sanctissima Virgo peperisti, & denuò post partum Virgo: quæ gemmam produxisti, & coronam regiam plexisti.* Amœnissimè dictum: Maria ipsa, & gemmam profert, & coronam plectit, (de quo infrà multa,) vt dum ipsa Verbum incarnatum, clara, & nitens noscitur gemmasse, nunquam sub culpæ obscuro gemuisse intelligatur. Gema itaque est caro Marianæ, & illa gemmans, pretiosiorem gémam Christū editura.

Caro Maria gemmea.

Epiphan.

892. At quam signatè *inclusi auro* hi lapides prædicantur: ne carbunculum nostrum fœdæ culpæ, aut fomiti immisceamus luculento, qui fului auro, & luteo metallo præcipitur tantummodo inserendus. Comparauerat Christus Domum cælestem homini mercatori quærenti bonas margaritas: deinde subdit: *Inuentâ autem vnâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Matth. 13. n. 46. Ergo nihil sibi reliquit? Certè nihil: quia se satis beatum, satis diuitem hâc vna cælesti margaritâ existimabat: nimirum, nihil è terra sordidum in humani cordis thesauro fuerat relinquendum, vt ibi dignè cælestis margarita collocaretur: tota aurea reddenda erat anima, in qua tam pretiosa gemma includeretur. Ambros. Serm. 6. de margarita porcis non proiicienda: *Perdit cælestis margaritæ gratiam, quisquis eam fœdissimo peccatori circundare conatur: gemma enim, sicut ipsi scitis, nisi auro non conuenit, margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum, estote monile pretiosum, vt possit in vobis margarita spiritualis includi. Margarita enim Christus est Dominus, quam negotiator ille diues in Euangelio, venditis omnibus rebus suis, emere festinauit: & maluit omnes, quas habebat, sæculi gemmas amittere, tantùm vt vnam Christi emeret margaritam.* Audis non stare peccati sordes cum margarita? At Maria nostra, non solùm diuinæ huius margaritæ concha fuit: sed in sui Conceptione, ipsissima fuit Margarita. Dedi suprà huius rei versus Græcos ex Ioanne Geometrâ: do tantùm hîc Latinam versionem. Loquitur ad Deiparam: *Salue, concha marina, quæ margaritam peperisti.* Adde D. Epiphanium sæpè citatum: de nomine Mariæ: *Rursum,* inquit, *nomen illud Maria, interpretatur, myrrha maris: myrrham verò aliqui, quod ego etiam aio, de immortalitate, eò quòd paritura esset gemmam immortalem, in mari, hoc est, in mundo.* Non ergo diuina margarita fœdatam sibi concham delegisset. Sed audi ipsam Mariam semper margaritam. Certè Mariæ nomen, vt docti fatentur, sonat *guttam*, vel *stillam maris*, de quo noster Alcazar in Apocal. cap. 12. n. 8. not. 2. ita: *Posset etiam ratiocinari quispiam, in ea, quòd stilla maris sit, appositum nomen ad denotandum vnionem, qui ex guttis cælestis roris, in mari conglaciantis constatur: & vnio etiam, siue margarita, est ipsum Virginis nomen.* Hæc, & pro-to, non extra chorum, occasione scripti nostri carbunculi dicta sunto.

Christus gemma est.

Matth. 13.

Ambros.

Maria margaritum fulgens.

Geometra.

Epiphan.

Alcazar.

893. Iam verò ex ipsa carbunculi prædicti conditione, potest cognosci, quantò purius cælum sit Maria æterno Verbo scribendo, quàm cælum istud nostrum, vbi stellatis litteris iustos vidimus descriptos. Notant ferè omnes sacri Interpretes, in Scriptura consimiles gemmas, quanuis inter se diuersas, eodem de cognatione titulo sæpè prolatas: & nomine carbunculi, chalcedonium lapidem, & alios ignitos vsurpari, volunt nonnulli. Maiori ergo iure, in hac nostra quarta gemma Mariana, siue carbunculo absolutè prolato, possumus priuatam speciem carbunculi accipere, quem *sandastron* vocant: de hoc autem sandastrino carbunculo, ita ibidem citatus Plinius: *Gignitur in Arabia ad meridiem versa. Commendatio summa, quòd, velut in tralucido, stellantes intus fulgent aureæ guttæ, semper in corpore, nunquam in cute. Accedit religio narrata ab inspectoribus, quoniam ferè stellarum hyadum, & numero, & dispositione stellantur. Ob id Chaldæis in cæremoniis habitæ.* Vidisti vnquam cælum stellatius, & describendo diuino Verbo comptius? *In corpore*, hoc est, intus, *non in cute*, id est, deforis, aureis gemma nostra internitet stellulis: ibi geritur purior pulchritudo, vnde exulat fœdior turpitudo. Culpæ characteres, vt infrà dicam, intus, & in corde scribuntur: gemma nostra ibi stellatur; scribendo diuino Verbô inuitatura Patrem; quot guttas sanguinis, tot stellatos datura characteres. Tale aliquid de Maria cogitabat Ioannes Geometra, cùm hymno 2. ita ad illam:

Maria stellatum calū.

Plin.

Geomet.

Χαῖρε, πολλὸς μυριόμματος ἀστέρας ἄλλως,
Ἥλιον ἀμφὶ μέγαν, πλῆθος ἔχων χαρίτων.

Salue, cælum mille oculis præditum: stellas alias,
Solem circiùm magnum, multitudinem habens gratiarum.

Maria multocula.

Sed ego iam de cælo Mariano stellis coronato suprà latè: hîc obiter nota, vocari iterum Mariam *multoculam*, de quo alibi. Solùm pendo in hoc interiori Marianæ puritatis stellato, posse recurri ad illud, quod de eadem Dauid Ps. 44. (vbi, vt vidisti suprà, num. 876. diuinum Verbum in Maria describitur scribendum) sic cecinit num. 14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Aliter apud alios ly, *intus*, vertitur *Esebon*: de quo ita Didymus in Sixtianis: *Esebon exponitur λογισμός, id est, cogitatio: Rex enim cogitationum iustarum est ipse Deus.* Quod etiam confirmat ibidem D. Hier. quasi nullibi aptiùs Verbum, id est, cogitatio Patris substantialis, posset scribi, quàm in illa charta, quæ intus cogitationibus quibusdam aureis, tanquàm stellis radiabat. Iam verò *fimbrias aureas* alij vertunt, *vestes auro ocellatas*; id est, stellis aureis instar oculorum variegatas: vt instar cæli, quod dixit Geometra, oculatis stellis, aut stellatis oculis vndique collucceret.

Psal. 44.

Didym.

Hieron.

894. Venio iam ad laminam illam Sacerdotis, incidendo Dei nomini exquisitam; quæ tamen mortua, & mortui cuiusdam tituli gestatrix, ex auro tamen, vt vidisti, purissimo parabatur, & in sola fronte, digniori, scilicet, Pontificis parte gerebatur. Credo, ne crederes, fore decens, vt Maria Verbi subsistentis viua lamina, turpiter Dæmonis pedibus conculcaretur: lamina illa, si quid liuentis plumbi admisceret, inepta omninò tanto scribendo nomini haberetur: & sub fœdatæ Conceptionis næuo charta nostra, excellentiori longè Scripturæ veniret apta? Optimè D. Thomas Valent. loco sæpè citato, sic subiungit: *Comparatur pergamena chartæ purissimæ, in qua, & de qua scriptum est Verbum æternum: vnde de illa exponi potest figura illa de tiara Pontificis, quæ super omnia ornamenta ponebatur in fronte Pontificis ex auro purissimo, in qua sculptum erat, Sanctum Domini. Hæc Virgo tota aurea, tota diuina, super omnia vestimenta, super duodecim lapides, super tunicam talarem, & rationale, & humerale, in fronte Pontificis, super omnes Apostolos, Martyres, Doctores, Patriarchas, Prophetas per vestes illas designatos, locatur: sicut ipsa ait: Ego in omni gente, & in omni populo primatum tenui. In qua opere calario Spiritus Sancti, Sanctum illud Domini sculptum est.* Ex quibus verbis nemo non videat, qui corrigenda sint verba eiusdem Sancti Doctoris de Maria Conc. 2. de Assumpt. vbi ita: *Hæc propitiatorium, hæc arca, hæc vrna Manna, hæc cithara Pontificis aurea, cui sacrum Dei nomen insculptum.* Ecquæ enim ista *cithara* aurea scripta? Nulla. Lego: *Tiara Pontificis aurea, cui,* &c. Dicitur autem vtrobique tiara scripta, & aurea: quia ad tiaram, vt nosti, prædicta aurea lamina appendebatur.

Maria summi Sacerdotis lamina.

Thom. Val.

895. Habet tamen multùm emphasis ad rem nostram id, quod in hoc loco D. Thomas voluit aduertendum: *In qua, & de qua scriptum est Verbum æternum.* Non solùm in Maria Verbum describitur; sed & de Maria: quia caro Mariæ, in qua Verbum insculpitur, iam insculptum Verbum componit: caro enim Filij, caro Matris est, vt clamant Patres: & non putes auream, & purissimam ab omni culpâ, ab omni fomite carnem, quæ non solùm scribendo Verbo seruit; sed etiam componit scriptum? Benè aurea pagina componens, vt aureus etiam inde prodiret character noster, sicut suprà vidimus, è gemmâ insculptâ, gemmam prodiisse. In ferculo illo pulcherrimo Salomonis, cui argentum in columnas, & in gradus purpura substernitur; soli reclinatorio flammescit aurum: *Reclinatorium aureum.* Cant. 3. num. 10. Diuinus Salomon, Deus omnipotens, reclinando sibi, dulcissimum reclinatorium apparauit. At vbinam reclinatur Deus? Certè, aut in assumpto per Incarnationem corpore, aut in Mariano vtero ad incarnandum. Quorsum ergo affectata ex industriâ æquiuocatio? Quia vtrunque, ad vtriusuis intelligas, perinde erit: & in Christo, & in Maria aurum resplendet: nec ita decenter aureum illud corpus haberet Christus, nisi Matrem auream fabricasset. Pulchrè ibi Honorius: *Reclinatorium aureum fuit Corpus Dominicum, de ea sumptum, in quo Diuinitas se reclinauit, aureum sapientiâ, & charitate ornatum. Ipsa etiam Virgo fuit reclinatorium, in qua Christus se reclinauit, splendore charitatis fulgidum.* Quia charta illa non solùm in quâ, sed etiam de qua Verbum scriptum apparet, proportionati cum scripturâ sua splendoris esse debebat: vt in Matre aurum purissimum rutilaret, quod deinde rutilantius in Filio legeretur.

Maria aurea.

Cant. 3.

Honor.

§. IV.

Peccatrix conscientia fœdis characteribus notata, notis horribilibus maculata: aliter Maria, quæ in damni remedium destinatur.



QVò dicta meliùs percipiantur, libet ob oculos ponere peccatorum conscientias, infaustas chartas, laminas infelices, fœdis culpæ characteribus scriptas, vitiorum maculis fœdatas, & horribiliter insculptas: quis enim Marianam chartam aptam deinde æterno scribendo Verbo existimabit, si talis in origine apparuerat? Vrgebit vltrà ratio, si Mariam tanti damni remedium ostendamus. Totum præstabo: & ne in ipso statim limine ab infaustis chartis horror inficiatur, à floribus amœniùs incipiendum. Describebat Sponsa pulchrè Christum pulcherrimum, de cuius manibus ita: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Cant. 5. n. 14. Hos hyacinthos de floribus nonnulli explicant, quorum opinionem in dramate meo, ad vsum amantium deduxi, qui, vt ibi probaui, leuandis desideriis, aut pulchro comptui studentes, flores gestant. Stemus nunc isti explicationi: & examinemus adhuc, cur præ omnibus floribus, tantummodo hyacinthis dicatur Christus Dominus studere. Nemo nescit apud priscos venusti pueri sanguinem in hunc florem credi transformatum: vt qui in ipso statim ætatis flore periit, saltem caduco deinceps flore vernare videretur. Ouid. 10. Metamorph. 896.

Manus Christi cur hyacinthis plenæ.

Cant. 5.

Ecce cruor, qui fusus humi signauerat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrióque nitentior ostro,
Flos oritur, formámque capit, quam lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.
Non satis hoc Phœbo est: (is enim fuit author honoris:)
Ipse suos gemitus foliis inscribit, & ai, ai,
Flos habet inscriptum, funestáque littera ducta est.

Ouid.

In his enim floribus ad imum cerni videtur alpha, & iota Græcum: qua vocula, sicut Hispani *ay*, & Latini *hei*, Græci gemitus, & affectus tristes manifestant. Parum id. Aiax etiam Telamonius, negato sibi præmio satis debito, dum se obtruncat, sanguinem suum in eosdem flores fingitur commutans: vnde addunt prædictas litterulas in flore repertas, alpha, & iota, eius nomē exprimere, cuius duæ initiales sunt, α, & ι, ita vt eadem voculâ, & gemitus pro pereunte puero, & nomen occisi Ducis referatur. Ideò iterum Ouid. lib. 13.

Littera communis mediis, pueróque, viróque
Inscripta est foliis, hæc nominis, illa querelæ.

Ouid.

Vtcunque

Vtcunque sit mortis characteres gestare credebantur apud ethnicos hyacinthi, & de infausto vtriusque fato, sanguinei vernasse putabantur.

897. Quis ergo scit, an tollendis posteà gentium superstitionibus, inducatur à Salomone Christus gestans hyacinthos: eò maximè, vt ostenderet, illius dextræ virtute omnes doloris, & mortis characteres nobis delendos? Sed esto hoc somnium: non tamen piguit ludere paulisper, vt inde capias dulce encomium Ioannis Geometræ hymno 2. sæpè citato ad Deiparam:

Geomet.

Χαῖρ' ὑακίνθου πορφυρέη χάρις, ἧς ἐνὶ φύλλοις
Γράμματ' ἐλευθερίης, οὐδὲ μῦθος θανάτου.

Maria cur hyacinthus.

Salue, hyacinthi purpurei decor, cuius in foliis
Litteræ sunt libertatis, non fabula mortis.

Quotquot gignimur, mortis statim litteris inscribimur. Vna est Maria, quæ nunquam fœdas istas notas passa: edimur cæteri miseri stigmatiæ, & litterati serui: Maria, dum editur, feliciùs litterata liberæ ingenuitatis titulos ostentat: inde aptior, vt ingenuam carnem præberet, in qua libertatis nostræ titulus, ingenuitatis syngrapha scriberetur. Quid enim, quæso, aliud erat Verbum incarnari, & in Mariæ visceribus, déque miniato Virginis sanguine scribi, quàm syngrapham confici, vbi libertas nostra assereretur? Acutè Proclus homil. de Christi natiuit. (quæ habetur in Actis Concil. Ephes. laudatissima) ad Mariam: *O venter, in quo communis libertatis syngrapha confecta est! O vtere, in quo arma aduersus mortem fabrefacta sunt! ô aruum, ex quo naturæ colonus sine semine exortus est.* Nihil Geometræ explicando aptius afferri poterat.

A Maria libertatis nostræ syngrapha.

Proclus.

898. Substantiale itaque Verbum, dum in Mariana charta scribitur, nobis, tanquàm salutis syngrapha, describitur: ast, si charta ista culpæ litteris fuisset præfœdata, certè diuinis litteris sacrum Verbum induentibus, vt dixi, horrori esset: nihil enim aliud est caro peccatricis conscientiæ, nisi Dæmonis syngrapha, & captiuitatis perpetuæ chirographum. Quot malos fomitis motus, quot ab originali culpa prauas sentimus affectiones: totidem litteris, in carne, & charta fœda seruitutem illam nostram protestamur. Subdo plura verba Procli ibidem, ad rem aliam suprà delibata: *Humana*, inquit, *natura propter peccata, multis obstricta debitis tenebatur; neque quod d[e]bebat, vlla ratione pendere poterat. Per Adamum nanque omnes peccato quasi chirographum dederamus, omnésque Diabolus in seruitutem redegerat: etenim corpore nostro permultis pathematis subiecto, veluti chartâ vsus, nostra venditionis pretium ostentabat.* Et audeas affirmare, Verbum Dei, imò Verbum Deum, in eandem chartam transferri, in eadem describi carne, quæ pathematum litteris, & fomitis, culpæque seruierat lituris? Potuit Verbum nouam; & obsoletam papyrum maluisset? Non ita magnus Damascenus Orat. 2. de Dormit. Mariæ, loquens ad vacuum eius iam assumptæ sepulcrum: *Vbi est pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? vbi nouum volumen, in quo ineffabiliter Deus Verbum, sine manu inscriptum fuit? vbi abyssus gratiæ, vbi pelagus curationum? vbi est desiderabile illud Deiparæ Virginis corpus?* Non dederat Maria chirographum, id est, se, carnémque suam peccato, vtpote quæ in Adamo non peccauerat; ideò *volumen nouum*, nunquam vt nos litteris, imò lituris

Peccatoris caro syngrapha Dæmonis.

Proclus.

Damasc.

Maria nouum volumen.

præfœdatum: ideò *abyssus gratiæ*, ideò curationum pelagus appellatur.

Nimirum, nihil scriptæ seruitutis gerere debebat liber ille, vbi libertas nostra describenda: nouus, & illibatus veniret, necesse erat, per quem erat nostra seruitus abolenda. Sunt mira illa verba Isaiæ cap. 8. n. 1. *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, citò prædare.* Quantum librum præcipiat tantillæ scripturæ quis non miretur? quorsum duobus verbis, grande volumen? Sed duo hæc verba grandia, & ingenti Sacramento grauidissima: nimirum, vt constat ex eodem capite à n. 3. nomen nasciturі Christi præferebant, qui vix prodiit, cùm deprædatus Dæmones, spolia detraxit, & nos in libertatem reuocauit. Benè ergo liber grandis, non tam tomo, quàm excellentia requiritur: vt ita per scripturam, quam Propheta stylo hominis in charta exarabat, scriptura substantialis Verbi in vtero materno decenter significaretur. Hugo Cardinal. ad cap. 23. Eccles. post multa de libro vitæ: *Horum omnium similitudinem, & rationem continet in se Virgo Beata, quæ est liber vitæ, liber grandis Isaiæ.* Sed audi ad rem meam, quid legatur in Græco: Λάβε σεαυτῷ τόμον καινὸν, μέγαν. hoc est, *Sume tibi librum nouum, magnum.* Horrori esset verbo liber non nouus, charta priùs aliquando fœdissimo atramento, characteribus culpæ maculata. Ohe! liber vitæ, communes nostræ mortis litteras, & lituras quoad præteritam infamiam indelebiles non admittit.

899.

Isaiæ 8.

Idem confirmatur.

Hug. Card.

Gentes in hæreditatem, Christo suo dandas, promittens Pater, subdit: *Reges eos in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringes eos.* Psal. 2. Dominus misericordiæ, Princeps pacis, apex blanditiarum, charitatis feruor venit Christus; & tamen ad obstinatorum pœnam nihil mite, sed seueritissimum virgæ ferreæ pondus destinatur: & vnde à pietatis centro nihil sibi infausti homines leuiùs promeruerunt? Quia, nimirum, ipsi de culpæ instrumento, instrumentum pœnæ simile parauerunt. Grauissima in hanc rem Ieremiæ verba: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudine cordis eorum.* cap. 17. n. 1. Vbi D. Ambros. ad rem nostram in secunda Apolog. pro Dauid, cap. 27. citato ad marginem: *Habet culpa characteres suos, & apices, quibus proditur: quod non ingenio nostro affingimus, sed prophetica authoritate signamus. Scripta est ergo: & vbi scripta sit, vide: In pectore, inquit, cordis tui: hoc est, ibi scripta est culpa scelesta, vbi etiam forma virtutis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sed, quæ bona sunt, non atramento scribuntur, sed spiritu Dei viui: quæ autem vitiosa, graphio ferreo, & vngue adamantino: talis propemodum scriptura, qualis est pœna peccati: scribitur illa graphio ferreo, hæc virgâ ferreâ coërcetur.* Quàm horribiles notæ, quàm fœdi characteres, & quàm diligenter ad damnum imprimuntur, cùm nec etiam apices minutissimi prætereantur, & hi stylo ferreo exarati.

900.

Peccator durissimè scriptus, & punitus similiter.

Ierem. 17.

Ambros.

Quòd si etiam huic scripturæ fœdissimum atramentum, & nigerrimam sepiam admittas, frustrà credas, facilè has litteras, & lituras relictas, à peccatricis conscientiæ chartâ deleri posse: altè tincturam combibit, instar emporeticæ

901.

Peccatoris caro charta emporetica.

chartæ, quam bibulam priùs scindas, quàm doleas. In Sanctorum requiem vocans discipulos Paulus, subdit: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus.* Hebr. 4. n. 12. Et quid, inquis, ad beatitudinis requiem comparandam sermo Dei? Nimirum, sermo est diuini Iudicis absoluens, & peccata dimittens. At, quorsum, instas, viuus, & omni gladio penetrabilior prædicatur, qui tunc dulcis, & tenerrimus videbatur commendandus? Visus respondere ad rem nostram optimè D. Bernardus Serm. de Conuers. ad Clericos, cap. 23. de peccatis memoriæ inscriptis: *Membrana vilis, & tenuis, atramentum forte prorsus ebibit: qua deinceps arte delebitur? Non enim superficie tenus tinxit; sed prorsus totam intinxit: frustrà conarer radere, antè scinditur charta, quàm characteres miseri deleantur. Ipsam enim fortè memoriam delere posset obliuio, vt, videlicet, mente captus, eorum non meminerim, quæ commisi. Cæterum, vt memoria integra maneat, & ipsius maculæ deleantur, quæ nouacula posset efficere? Solus itaque sermo viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: Remittuntur tibi peccata tua.* Solùm, nimirum, sermo iste viuus, & operatorius, horribiles characteres, & aliunde indelebiles, omni gladio piè violentior poterit resecare.

Hebr. 4.

Bernard.

902. At, quamuis vnicè Verbo suo Deus operatoriè resecet peccata; vnam tamen adhibet Mariam, cuius intercessione, & misericordi ministerio, tã facilè peccata nostra, siue fœdo atramento inscripta, siue ferreo insculpta graphio solet delere, quàm facilè humidâ spongiâ à descripto albo litteræ solent expungi, atque deleri. Spongiarum vsum in hanc rem nosti. Allusit Rauisius epist. 4. dum *deletiles Censorum spongias* commendat. Sed audiendus de Maria meus Ioannes Geometra hymno 4.

Maria cur deletilis spongia.

Rauis.

Χαῖρε, ἀπαλειψαμένη, μυριόγραφα δαίμονι βίβλα,
Σπόγγος ἅτε δροσερὴ, ἡμετέρης κακίης.

Geomet.

Salue, quæ deleuisti mille scriptos Dæmoni libros,
Spongia tanquàm rorida, nostræ malitiæ.

Quis credat Marianam chartam culpæ bibulam, peccati characteribus exaratam, quæ tanquàm Dei instrumentum, facilè præfœdatas chartas nostras purificat, vt deinde diuinis characteribus illuminentur? Aptè Clemens Alexand. in Protrept. *Pulcher hymnus Dei homo immortalis, qui iustitia ædificatur: in quo sunt sculpta eloquia veritatis. Vbi enim est alibi scribenda iustitia, quàm in anima temperanti, ac moderata?* Hoc nobis totum abolitis præmissis lituris comparauit Maria: puto: quia nunquam lituras sustinuerit: quò ita aptior veniret, in qua non solùm eloquia veritatis, iustitiæ virtutes; sed & ipsum Verbum verum substantiale, ipse iustitiæ Princeps scriberetur.

Clem. Al.

903. Et reuerà, si à Maria in chartam puram renouamur, vt diuinis characteribus adaptemur, quàm noua charta existimabitur ipsa substantiali characteri suscipiendo? Prodeat iterum in medium calculus ille candidus, qui adhuc nobis benignus suffragabitur. Vincenti ergo promittit Christus *calculum candidum, & in calculo nouum nomen scriptum.* cap. 2. n. 17. Apocal. Quia nihil nigredinis debebat importare calculus, id est, spiritus, cælestibus characteribus inscribendus: nimirum, renouetur, necesse est, vt tanti tituli nouitatem gestare possit. Habent tamen multùm ponderis ad rem nostram verba D. Hieron. tomo 2. epist. ad Ocean. explicans illud Ezechielis cap. 36. n. 25. de Baptismate: *Et effundam super vos aquam mundam, & emundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,* &c. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum.* vbi ita S. Doctor scribit: *Ab omnibus, inquit, mundabo vos sordibus. In omnibus nihil prætermittitur. Si sordes mundantur, quantò magis munditia non coinquinantur? Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum: in Christo enim Iesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura: vnde cantamus canticum nouum: & vetere homine deposito non ambulamus in vetustate litteræ; sed in nouitate spiritus: hic est calculus nouus, cui nouum nomen inscribitur.* Abluitur calculus, & renouatur spiritus, aliter sacris nominis tanti characteribus non scribendus: ecquam originalem nouitatem non requiras in Maria, in qua substantialiter Deus delineandus? Sordentes lituras nostras, tanquàm sacra spongia, mundauit Maria; cur sic mundum instrumentum credetur coinquinatum? *Si sordes mundantur, quantò magis munditia non coinquinantur?* Ni fortè magnam non suspiceris munditiam illius, quæ instar *aquæ mundæ* propheticæ, malè nobis formatas litteras, & notas illas horribiles deleuit. Redeo ad fœdos istos culpæ characteres.

Apoc. 2. Spiritus renouatio.

Ezech. 36.

Hieron.

Varias peccatorum miserias in Iudicio subeundas describens Isaïas, hæc subdit; *Vnusquisque ad proximum suum stupebit: facies combustæ vultus eorum.* cap. 13. n. 8. Vbi mihi mirum, cur totus impiorum ad inuicem stupor, de vultibus tantùm combustis oriatur: & cur priuatim facierum combustio denotetur, cùm vndique infausti illi flammis præcingentur? Quid habent combustæ facies, vt solùm è tot damnis, stuporem commoueant, & in horribilem ducant admirationem? Nimirum, in propatulum, & in apertum iam conscientiæ vultum, occulta vsque tunc scelera prodibunt. Stupebit ergo confusus, & demirabitur iste illum alium, quem dominum, quem Principem, dum viueret, venerabatur: dum eundem per summam infamiam, non vtcunque igne, sed illo stigmatizante instar litterati serui notatum, vultúque conscientiæ scelerum characteribus inusto contempletur: quod etiam ad mortis instans, & priuatum iudicium reducit ibi Aïlredus apud Tilm. *Peccata nostra non obliuioni traduntur, sed velimus, nolimus, in conscientia nostra exarantur: dicit enim Apostolus, quosdam cauteriatam habere conscientiam, id est, iniquitatis flamma combustam: quæ quidem combustio plerunque a nobis absconditur, dum viuimus: sed nec nos, nec ipsos, qui aderunt, spiritus poterit latere, quando morimur. Meritò igitur ait: Facies combustæ vultus eorum.* Quid ergo tam nouam rescriptionis infamiam non exhorreant? 904.

Isaïæ 13.

Quomodo in Iudicio scelera nostra reuelanda.

Aïlred.

Et optimè locus Pauli, licèt varie in res alias, à Doctoribus adducatur, potuit ab Aïlredo huc aptari. Ergo Apost. 1. Timot. 4. n. 1. ita: *Spiritus autem manifestè dicit: quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam.* Increpat Apostolus Hæresiarcharum vitia, & scelera immanissima, qui iam 905.

Hæreticorum conscientia qua scribatur.

1. Timot. 4.

Dæmonum

Dæmonum instar obstinati, spem correctionis amouerunt. Sed quid, inquis, ad ista, cauterium conscientiæ? Caietanus ibi gemmâ notandus: *Quoniam metaphoricus est sermo, obstinata horum conscientia intelligi potest, ad similitudinem indelebilis notæ, quæ ex cauterio facta est in hominibus, seu iumentis: vt significetur conscientiam horum cauterio Diaboli penetratam esse, vt indelebiliter eandem retineant conscientiam: vt nulla sit spes emendationis eorum.* Petulantiâ hœdi, stoliditate iumenta, peccatores à Dæmone inusti, indelebiles culpæ characteres, & horribilia conscientiæ stigmata conseruant, durante obstinatione, duratura.

Caiet.

906. Pulcher, ni fallor, locus ad hanc rem, & litteraliter aptissimè ab hac metaphora explicandus, ille Sap.4.n.vlt. de impiis ad mortem, & inde ad Iudicium deductis: *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.* Græcè, non vulgari emphasi: Ἐλεύσονται ἐν συλλογισμῷ ἁμαρτημάτων αὐτῶν δειλοί. id est, *Venient in syllogismo peccatorum suorum timidi.* Quasi ipsa peccata, euidenti, & demonstratiuo argumento miseros irrefragabiliter conuincant. Et quidni, si ab ipsis peccatis traducuntur? *Traducere* quidem apud melioris notæ Authores, idem est, atque, ostentui exponere, & ignominiosè spectandum aliquem exhibere: vnde Martialis de infami quadam turba damnata lib.1.

Plura de culpis in iudicio reuelandis.

Sap.4.

Traducere per infamiam.

Martial.

Traductæ est Gyaris, nec cepit arena nocentes.

Et Liuius lib.2. *Vos ciuibus, & peregrinis spectaculo abeuntes fuisse: vestras coniuges, & liberos, traductos per ora hominum.* Apex huiusce pœnæ erat, si traductorum frons ignominiosè notanda vreretur, vt inustæ litteræ crimen manifestarent: ideò Plinius in Paneg. de delatoribus traductis: *Expellere penatibus gestiunt, deturbentur: neque vt ante exanguem illam, & ferream frontem nequidquam conuulnerandam prebeant punctis, & notas suas rideant.* Hæ igitur inustæ litteræ vt omnibus legerentur, iubebantur stigmatiæ frontes erigere: vnde Suetonius de Vitellio à militibus traducto cap.17. *Religatis post tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est, inter magna rerum, verborúmque ludibria, per totum viæ sacræ spatium: reductâ comâ à capite, seu noxij solent: atque etiam mento mucrone gladij subiecto, vt visendam præberet faciem, néve submitteret.* Non ibat stigmate inustus Vitellius; sed stigmatiarum noxiorum instar cogebatur amota cæsarie frontem reuelare, & subiecto mucrone frontem erigere. Sic Plinius citatus de prædictis stigmatiis: *Nihil tamen gratius, nihil sæculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortásque ceruices.* Vide, si lubet, quæ obiter dixi in hanc rem in Cantico meo dramatico, n.marginali 104.

Liuius.

Plin.

Stigmata delinquentium.

Sueton.

Plin.

907. Hic ergo, ni fallor, germanus sensus nostri huiusce loci: quia combustæ impiorum frontes scriptis iniquitatibus illos traducent, derisuique, & ostentui obiectabunt. Ad has notas, licèt non ad hunc locũ, respexit Eusebius Gallicanus, siue D. Eucher. Lugd. homil.1. de Ascens. *Putamus, quòd animam peccatis horridam, & cœno fœtidæ corruptionis infectam, præferentem luxuriæ fœditates, dedecorosas impudicitiæ cicatrices; putamus, quòd eam capere potuerit splendor cælestium mansionum?*

Iterum de Iudicio.

Eufeb.Gall.

Certè non ita erit: sequestrabitur infausta ista anima ab agnis, & hœdis inferna cicatrice stigmatizatis aggregabitur: qui combusta facie, & extorta ceruice traducentur: ne quem illorum infamiam latere possit.

Hinc explico illud Oseæ de impiis eisdem in 908.
iudicio constitutis: *Et dicent montibus: Operite nos, & collibus: Cadite super nos.* cap.10.n.8. Ethnici quidem summam putarunt gigantibus in Iouem rebellibus pœnam inflictam, quòd montibus gemebundi supponerentur, vnde illud:

Oseæ 10.

Plura de eodem.

Inarime Iouis imperiis imposita Typhœo.

Virgil.

Sic Ætnæos colles gigantibus aliis impositos alij celebrarunt. Cur ergo reuerà malunt miseri isti peccatores premi montibus, & immensum pœnæ pondus anticipare, quàm adstare cum aliis ad iudicium? Se enim inuicem intuentes, & scriptam sceleribus faciem legendam exhibentes, traductionis compendium, cum tanti oneris dispendio concupiscunt, latebras affectant, ne stigmatum confusione verberentur. Has notas, & litteratas cicatrices deplorabat Eusebius Gallicanus citatus hom.1. Epiphan. *O si iam nunc vultum illum animæ liceret vultu corporis intueri; & conscientiæ nostræ faciem in oculorum præsentiam permitteremus adducere. Quod si liceret, nec dici potest, quanto studio, quanto metu vrgeremur fœda componere, maculata tergere, vulnerata curare; ideóque quia non possumus oculis corporis, inspiciamus nos, in quantum possumus, oculis cordis.* Hos ergo vultus horridos, & cicatrizantibus litteris vulneratos peccatores, etiam opprimentibus montibus tegere satagebant. Neque mirum: nulla enim apparet industria, ne litteræ illæ legibiles appareant.

Eufeb.Gall.

Formidabile in hanc rem dictum Ioannis: *Et* 909.
vidi mortuos, magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum. Apocal.20.n.12. Sed adeóne fragilis Dei memoria, vt conuincendis reis non sufficiat, ni descripti libri afferantur? Frustrà (mysticè loquor) ad alios libros recurras: ipsi, ipsi peccatores libri tunc erunt viui, qui expressissimis characteribus, & atro quodam fulgore illuminatis, manifestè peccata propalabunt. At, si semper peccatrices conscientiæ fœdi sunt libri, nónne Deo semper aperti? Semper: cur ergo tunc dicuntur aperiundi? Quia aliis vsque tunc occulti, iam clari, & legibiles apparebunt. Papæ! & vnde conscientiæ secreta soli Deo penetrata, poterunt tunc vnicuique reuelari? Respondet pulcherrima comparatione D.Thomas Valent. ad hunc locum Conc.1. de Natiuit. Virginis, de cuiusuis cordis libro: *Hic liber rationum est; ideò ex libro Domini, & illo, iudicabuntur. In hoc libro omnia, quæ gessimus, & cogitauimus, quæ locuti sumus, omnes cogitationes, & desideria, & verba, & opera scripta apparebunt. Sunt modò quasi obliterata: attamen tunc apparebunt. Sicut in papyro scripta quibusdam succis malorum medicorum non apparent characteres litterarum; sed ad ignem positi tota apparet scriptura: sic in illo igne omnia monstrabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium, quæ modò obliterata sunt.* Quid ergo his culpæ characteribus horribilius.

Apoc.20.

Quæ denuò confirmantur.

Thom.Val.

Instantem iam sibi mortem innuens Christus 910.
Discipulis,

Ioan. 14. Discipulis, subiunxit: *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Ioan. 14. n. 30.

Huius Iudicij examen rigorosum. Sed, quid Principi Tartareo, inferno hosti, cum Christo æternitatis Principi morituro? Infame hoc litterarum stigma, tanquàm dominij sui stemma, in Christo, quem purum hominem putabat, sacrilegus inuenire Satan satagebat. D.

D. Basil. Basilius Magnus Orat. 23. de futuro Iud. *Generosi Dei Athleta, quamuis omni tempore vitæ suæ, cum iis hostibus, qui omnem sensum fugiunt oculorum, decertarunt; ac omnes eorum persecutiones superarunt: tamen dum animam agunt, à Principe huius sæculi examinatur, num vulnera à luctatoribus acceperint; aut maculas aliquas, vel typos à peccato impressos retineant: quòd si nulla vulnera accepisse reperiantur, nullásque maculas concepisse, tanquàm inuicti existentes, ac liberi à Christo reficiuntur. Atque hæc quidem ab ipso Domino discere potes, qui tempore passionis dixit: Nunc Princeps huius mundi venit, & in me quidem nihil potest.* Loquitur S. Doctor cum gustu ad sui temporis palæstras, vbi luctatores prædicto modo examinabantur. Et benè, quos hucvsque vidimus, scelerum characteres, vocauit maculas, siue typos: re enim vera tunc nobis inscribuntur, cùm luctantibus cedimus affectibus, & colaphizanti Dæmoni lubenter præbemus maxillas, eisdem cicatricibus deformes posteà reuelandas. Puto verò longè decentiùs potuisse Christum dicere, nihil in se Dæmonem habere: quia carnem, quam è Maria tulerat, nullo sui typo, nullo charactere viderat vnquam Dæmon maculatam.

Habes deformes notas, horribiles culpæ characteres, affectuum maculas; horum remedium, tanquàm deletilem spongiam, vidisti Deiparam. Audi iterum Geometram hymno 3. ad eandem: 911.

Cur Maria deletilis spongia.

Geomet.

Χαῖρ' ἀπομορξαμένη κακίης καλλύματα πάντα,
Σπόγγος ἅτε δροσερὴ ἡμετέρης φύσεος.

Salue, quæ abstersisti culpæ ærumnas omnes,
Spongia vt humida nostræ naturæ.

Vnde ergo probabiliter credas naturæ corruptæ maculis, fomitis sordibus, culpæ characteribus fœdatam aliquando? Mundaret quidem gratia hæc omnia; sed Verbo æterno substantialiter scribendo, decentior longè charta veniret, quæ mundans, vt audis; non mundata, vt existimas, intelligatur. An erit aliquis prudens, qui, cùm viderit, quàm puras, & pretiosas materias humanis, siue sacris, sed creatis scribendis exquiramus; credat, increatum Verbum purissimã, quam poterat, materiam sibi describendo, non fuisse exacturum? Meritò igitur, dum Mariam Verbi chartam profitemur, eam ab omnibus culpæ characteribus, ab omnibus næuis fomitis liberamus.



ANTHOLOGIA XIV.

Maria induendo cælesti Agno lana mundissima.



§. I.

Mariæ caro niueum à Conceptione vellus, vt aptè posteà conchyliatum, in diuini Imperatoris purpuram rubesceret.

912.

Maria ab Adamitico vellere lana pura.



HÆc est secunda ratio, quam innui in Examine, amouendis à Deipara culpæ maculis, & fomitis sordibus, quòd, nimirum, candida, & impolluta lana induendo cælesti Agno à Patribus appelletur. Celeberrima sunt

Proclus. in hanc rem verba Procli homil. de Incarnat. Verbi, vbi de Virgine: *Ex qua, & in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta est: cuius quidem textor extitit Spiritus Sanctus, nutrix virtus ex alto obumbrans: lana, vetusta, villosáque Adami pellis: trama, impolluta Virginis caro: radius textorius, immensa gestantis gratia.* Quem locum nemo aptiùs deducere, &

Salazar. examinare præsumat, quàm noster Salazar: tu legeris, quæ ille, quæque alij multa de vellere Mariano: mihi in hanc rem alia sublucet semita insequenda.

Obuium in te pastoritiis præceptum illud Virgil. 3. Georg. 913.

Virgil.

Lanicij cura apud pastores.

Si tibi lanicium curæ, primùm aspera sylua,
Lappæq; , tribuliq; absint, fuge pabula læta,
Continuòque greges villis lege mollibus albos.

Duo hic postulat: primum, vt senticosæ plagæ, dumetis, spinetísque lanigeræ Oues neutiquam adducantur. Causam subdit Princeps Interpres: *Ista enim omnia lanam decerpunt, vtpote quæ hamata sunt, & aculeata.* Secundum, legendos greges albos, non nigros, vbi iterum Interpres: *Legendas, & præferendas oues, quibus sunt lanæ albæ, non nigræ: nam albæ melius imbibunt tincturam.* Pende ergo mihi Deum ab ipsa æternitate cælesti Agno mittendo studentem: in cuius gratiam cætera omnia aptissimè disponebat: pende Agnum dominatorem terræ, (vt habet Isaias,) Isaiæ 16. 1. quia ab humano vellere, imperatoriam sibi purpuram erat contexturus: & inter tot Dei desideria, tot sæculi suspiria, attende erumpentem iam Ouem, vnde Dominatori Agno lana illa purpurea tribuenda. O minùs congruam lanicij sacri curam, si spinis culpæ Ouis adducatur! O minùs aptè tingendum in purpuram vellus, si nigris

gris culpæ villis, atris fomitis sordibus eligatur! Sed, quoniam de spinis iam satis suprà: hic de lanæ candore subeundæ aptiùs tincturæ requisito, solummodo disseramus. Albos villos, niueum vellus, candidam lanam prætulit ab ipsa Conceptione Ouis nostra: neque nisi talem Deus, tingendam in Agni purpuram dignaretur.

914. *In Annuntiat. Mariæ.* Æterni regni Principem, nasciturum sibi Filium nunciarat Angelus Mariæ: dubitat ista, non tam de re, quàm de modo: ad quem tunc ille: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Luc. 1. n. 35. Sed, si ab initio Mariam iam plenam gratiâ, &, quod perinde est, Sancti Spiritus purissimum receptaculum prædicarat; quid noui addit, dum superuenturum Spiritum annunciat? Certè non nouum hospitem, sed nouum eiusdem munus designauit: nec tamen in id muneris veniret Spiritus id temporis, nisi illam à principio sic impleuisset, vt (nec etiam Conceptionis parte vacua, de quo suprà) cum aliis, nullà ratione veniret comparanda. Ecquid, inquis, hoc munus Incarnationi præuium, ab Spiritu Sancto peragendum, cui munditics tanta, & incomparabilis Ouis nostræ singularitas prærequiritur? Respondet Alcuinus lib. de Trinit. cap. 14. *Fuit lana mundissima, & virtute clarissima, & incomparabilis vniuersis, quæ erant sub cælo virginibus. Erátque talis, ac tanta, vt sola digna fuisset, quæ nullus alius indueretur, nisi augustâ præditus dignitate: ita Spiritus Sanctus superueniens in B. Virginem, & virtus Altissimi obumbrauit eam, vt lana foret Diuinitate purpurata, solummodo æterno Imperatori indui dignissima.* Quasi non deceret induendo diuino Regi, ab Spiritu Sancto purpurari, nisi de exquisitâ munditie Mariana lana, cæteris omnibus veniret incomparabilis. Et credas, communes aliquas sordes contraxisse? Certè imbuendas purpura lanas, sic puras, & incontaminatas fore existimabant veteres, vt superstitiosè crederent, etiam lasciuo artificum tactu posse pollui: vnde ait Cassiod. lib. 1. epist. 2. non perfectè tingi lanam, nisi ad infectionis dies, purissimam castimoniam seruent infectores, subdens: *Quia talium rerum secreta, refugere dicuntur immunda.* Qua ergo non munditie vellus istud sacratissimum Deus afficeret, quod tandem in Regis purpuram erat intingendum?

Luc. 1.

Alcuin.

Incarnatio Verbo purpuram ministrauit.

Cassiod.

915. *De eadem.* At, inquis, mundissima tunc lana erat Maria, quando illam purpuraturus accessit Spiritus Sanctus: quid tamen obstat, quòd initio fœdata originis sanguine, attredine fomitis maculata intelligatur, cùm nihil attredinis post gratiam durare possit: ideò enim signatè Isaiæ 1. dicitur: *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Quanuis ergo olim ruberet Maria atro culpæ sanguine, iam per gratiam, tanquàm nix dealbata, aptissima adhuc veniret sacro diuinæ purpuræ rubori subeundo. Solui millies suprà similem obiectionem, de qua etiam paulò antè n. 911. in re tantà, non tam quòd absolutè fieret, sed quòd decentiùs fieret requirendum: examinandáque verba Sanctorum Patrum, qui, dum lanam mundissimam, & incomparabilem, tramam impollutam vocant, aliquid singulare exprimere voluerunt, vt aptè decentior purpura proueniret. Sophronius, siue D. Hieron. Orat. sæpè citata de Assumpt. in locum Lucæ prædictum: *Totum diuinum est, quod operatum est in ea, teste Angelo: Quia Spiritus Sanctus, & virtus Altissimi obumbrabit te. Ante hos ipsum sanè vterus Virginis, quanuis mundus, quanuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quanuis sanctus: tamen adhuc vilitate humanitatis induitur, vt ita dicam, ac si lana candidissima, suóque colore dealbata: ad quam sanè cùm accessisset Spiritus Sanctus, (quasi ipsa, eadémque lana, cum inficitur sanguine conchylij, vel muricis, vertitur in purpuram,) versa est & ipsa sine coitu in Matrem: vt non sit iam amodò, quod fuerat; sed purpura verissima, ad indumentum, & gloriam Summi Regis diuinitùs aptissimè dedicata.* Ego quidem mihi durus, & penè haberer proteruus, si cum his verbis aliquid culpæ, vel fomitis vnquam in Virgine stare potuisse existimarem; trutino breuiter.

Isaiæ 1.

Sophron.

Munda, impolluta, aliena non solùm à peccato; sed etiam à quauis peccati contagione, dicitur Mariana caro: nihil in illa minùs Deo dignum relinquitur, præterquàm mera vilitas humanæ conditionis: de cætero ita grata, ita sancta, vt instar lanæ mundissimæ concipiatur. Ecquæ lana? *Suo colore dealbata*; id est, natiuo colore dealbata, priusquàm alienum alium combibat colorem, vt ita suauiùs conchylij ruborem, & splendorem purpuræ referre possit, quasi tantæ tincturæ inepta, si priùs degeneri aliquo fuco corrumperetur. Tali ergo lanæ mysticum nostrum vellus comparat Hieronymus, quod nunquam atredine aliqua, decolori aliquo fuco præfœdatum, aptissime in purpuram summi Regis diuinitùs dicaretur: ineptum ministerio tanto, nisi ab ipsa origine per gratiam candesceret. Sola originalis gratia lanam nostram subeundo sacro rubori, sub debito candore constituebat: quæuis alia mundans, ortam de præteritâ maculâ indecentiam non aboleret. Lana pretiosiori quouis colore infecta, si semel maculetur, nullo posteà fuco poteris efficere, vt amissos colores, cum eodem posteà exhibeat splendore: ideò meritò Regulus apud Horat. lib. 3. od. 5. suadens Romanis, ne milites captiuos, iam vitiis, & Carthaginensium moribus fœdatos redimerent, subdebat: 916.

Mariana lanæ puritas.

Lana irreparabiliter tingitur.

Auro repensus, scilicet, acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco.

Horat.

Sic, si semel innocentiæ candorem amitteret lana nostra, quouis medicata remedio, non ita decentem amissum illum referret, vt aptè in supremi Regis purpuram tingeretur. Ecquid mirum, si grata vicissitudine cum Agno suo cæli, terræque dominatore, de officioso munere videtur Ouis nostra decertare? Est hoc illud D. Epiphanij sæpè citati ad Mariam: *O Corona regia, pretiosissimum habens lapidem, & gemmis similem Christum! Purpura regia, quæ cæli, terræq; Regem induis!* Vt, sicut Matris corona filiali gemma nitet: sic Filij maiestas, materná splendere purpurâ videatur.

Epiphan.

Auspicatissima, & verè aurea sæcula adductum nobis Christum decantabat Psaltes regius: deinde addit: *Descendet, sicut pluuia, in vellus.* Ps. 71. n. 6. Quia tam arcanus, tam absque creaturarum strepitu cælestis ille ros, diuinum Verbum, cecidit in Mariam; quàm solent silenter guttæ, tacita lanæ vellera perfundere. Benè est. At, quot sunt alia abscondita longè magis, & secreta, quibus 917.

Psal. 71. *De purpura incarnati Verbi.*

bus latens Verbi ingressus poterat comparari? Multa planè. Sed inquis: Meritò per vellus explicatur Deipara: quia cælestem Agnum vellere suo erat indutura. Veruntamen id ipsum adhuc difficile apparet: cur enim in tam aperta venientis Christi Imperatoris descriptione, vbi statim n.10. adoraturi Reges, & mystica oblaturi munera, velut extento digito, ostenduntur: Agnus noster à Matre non tam carnem, quàm vellus desumpturus exprimatur? Optimè ergo rem totam explicauit D. Thomas Villan. Conc. 1. de Natiuit. ad hunc locum, neque absque Hieronymi adminiculo, quem citat: *Quoniam vellus de carne ortum, non habet vitia carnis: & sic Virgo; licèt carnea sit, sic tamen cornea, quasi argentea, sine omni macula, & concupiscentia.* Dedi suprà hæc verba ad rem aliam: addo ea, quibus concludit ad rem præsentem S. Doctor: *In hoc vellere silenter se infudit ros ille Dei, id est, Verbum æternum, dum medium silentium tenerent omnia: eam totam perfudit Spiritus Sanctus, purpura excellenti tinxit: vt ex illa fieret purpura Regis, Caro illa Christi sacratissima.* Benè ergo indumentum illud carneum, vellus dicitur, vtpote in summi Regis, à Regibus adorandi insigne, & stemma purpurandum. Benè caro illa purpurea, vellus appellatur: quia, licèt caro, & a vetusta pelle Adami orta; tamen, tanquàm impolluta trama, & absque carnis vitiis germinauit: nec nisi talis digna, quam diuina conchylia saturarent.

Thom. Vill.

918. Huc venit historia ex Genesi non inuenusta. Describebat Historiographus sacer res Iacob, eiúsque generationes, & subdit statim: *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam.* cap. 37. n. 3. Amor senioris parentis erga senectutis filium, tanquàm in vnicum delicium, iuuenescit ardentiùs: affectus de ætatis languore vires capit, de virium defectu sumit incrementa. Præponitur itaque cæteris fratribus omnibus Ioseph vnus: & cùm amor stemma suum de liberalitate commendet; totum ostentamentum in tunica polymita, id est, varia, florida, & pulcherrima exhibetur. Itáne? Sic profusus amor, vnius tunicæ munusculo contentus, grandius, chariúsque liberalitatis suę monumentum creditur exhibuisse? Et meritò: plus enim Ioseph de Iesu typo, quàm de propria persona gloriosus: at Iesu suo in hoc precipue liberalitatē suam amantissimus Pater ostendit, quòd illi floridam, & virgineam Matris immaculatæ carnem, in tunicam adaptauit. Cætera gratiarum dona collata Christo, etsi reuerà summæ liberalitatis fuerunt: at post vnionem hypostaticam, quodammodo necessariò debita videntur. Veruntamen, quòd caro illa à Matre sumpta sic pura esset, vt nunquam culpæ, vel fomiti subiecta fœdaretur; hoc, inquam, non tàm absolutè necessarium, quàm decens absolutè: ideò singularissimè filium hac confessâ polymitâ sibi deuinxit. Fauet dictis D. Thomas de Villanoua Concione 1. de Assumptione, vbi explicans illud de Maria: *Sindonem fecit, & vendidit,* &c. Prou. 31. n. 24. sic scribit: *Sindonem, hoc est, mundissimam texuit telam, nitidissimam, purissimámque sacrosanctam illam carnemquam, sapientissimus Artifex Spiritus Sanctus ex Virginis sanguinibus, velut ex staminibus, in visceribus illius, vt in textorio, sine virili opere intexuit. Illam telā, quasi propriam, & ex carne eius intextam, sapiens mulier vendidit Deo Patri, vt inde talarem tunicam, & polymitam Filio suo faciat.* Quid in hac tela mundissima, & nitidissima exprimat S. Doctor, satis clarè alibi, apertissimus immaculatæ Conceptionis assertor, & fomitis negator patefecit. Pia tamen, quæ subdit: *Et quo pretio vendidit, ô bone Deus, quo pretio vendidit telam istam? Quid pro illa tunica datum est ei? Quis numerare valebit? quis audebit enarrare? quis cogitare sufficiet? omnium gratiarum plenitudo, omnium virtutum, & bonorum plena possessio: gemmarúmque cælestium, & margaritarum thesaurus datus est ei: vestita est ab eo gloria, & decore; cælorum, terrarúmque Regina constituta est: & in ministerium data est illi omnis creatura, quæ sub Deo est.* Vt, quia regni sui purpuram à Matre accepit Filius: à Filio Regina omnium Mater crearetur. Sed, ô cæcum iudicium nostrum, si putamus, emptorem tam perspicacem, tam carò præfœdatam à Dæmone lanam comparasse.

Genes. 37.

Amor Patris in Filium, de exhibita decenti Matre Maria.

Thom. Vill.

Maria ligni-tas.

§. II.

Præfœdatum Virginis vellus, induendo cælesti Agno, Deus fastidiret.



919. CLAREBVNT vberiùs dicta, si ostenderimus, quàm soleat fastidire Deus, & abiicere illa a sacratiori quouis ministerio, quæ aliquando maculata, & profanis fuère vsibus destinata: quî enim præfœdatum aliquando vellus, in Regis purpuram; maculatam olim carnem, in Verbi vnionem eligeret decenter: dum vilioribus longè obsequiis mundissima requirit instrumenta? Surrexit contra Deum vesaniæ impotens, fœminarum pessima Athalia, de qua ita Paralip. 2. cap. 24. n. 7. *Athalia impiissima, & filij eius destruxerunt domum Dei: & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant, ornauerunt fanum Bahalim.* In tam nefarij sceleris remedium regnat Ioas, dum iuuenis, piissimus: templum restituit, & altaria: congerit ex populo innumeram pecuniam, *de qua facta sunt*, inquit Textus, *vasa templi in ministerium, & ad holocausta: phiala quoque, & cætera vasa aurea, & argentea.* Sed, cur prostratâ Athaliâ, non iterum vasa, quæ Bahalim seruierant, templo restituuntur? Cur purificata pristino ministerio non destinantur? Nónne tantùm pecuniæ, aut exactum molestè, aut superfluè impensum videatur? Minimè: necessariò enim vasa erant facienda denuò; quia prima illa iam idolis seruierant; vnde vero Numini horrori, & fastidio veniebant. Lyranus ibi: *Destruxerunt domum Domini dimittentes multa cadere, & spoliantes templum vasis, & ornamentis, applicantes ea cultui Bahal: & propter hoc ad restaurandum ista requirebatur magna pecunia: & maximè quia illa, quæ erant applicata idolis, non erant vlteriùs diuino cultui applicanda.* Sic enim vel breue illud ministerium fœda reliquerat, vt ad diuinum cultum, nullâ posse purificatione iterum aptari videretur.

Christo suscipiendo prærequisita munditiès.

2. Paral. 24.

Lyran.

Quantò

Quantò ergo minùs caro aliquando peccato infecta, fœdata fomite vnioni hypostaticæ decens reputabitur? Certè nulla purificatio gratiæ (sicut lana semel amissum colorem nullo fuco medicata plenè restituit) carnem Marianam sic posset suo modo condecorare, vt semper de fœdata origine minùs habilis, & decora tam alto ministerio non videretur: rebus aliis vtcunque seruituris præteritæ labis purificatio satis erit: at intimiori vsui, perpetua, & intemerata munditie veniat, necesse est.

920. Pondero latè in hanc rem locum ex Machabæis. Profanarant hostes in Ierusalem diuina Sanctuaria: illis tamen à fortissimo Iuda expulsis, ista in integrum restitui procurantur: *Et elegit*, inquit Textus, *Sacerdotes sine maculâ, voluntatem habentes in lege Dei, & mundauerunt sancta.* lib. 1. cap. 4. num. 42. Ecquæ ista, quæ mundantur? Cætera templi; partes, scilicet, remotiores: at non altare, de quo subditur: *Et cogitauit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret: & incidit illis consilium bonum, vt destruerent illud, ne fortè illis esset opprobrium: quia contaminauerunt illud gentes, & demoliti sunt illud.* Ibidem, num. 45. Mundentur quidem alia à diuino ministerio remotiora: altare verò intimius seruiturum, semel conceptâ maculâ, nullâ deinceps purificatione satis mundum putatur, vt sacris holocaustis habile possit deseruire. Et quantò Maria altare pretiosius? Pulchrè ad illam D. Methodius apud Canis. lib. 3. cap. 12. *Salue in æternum, ineffabile gaudium nostrum: ad te nanque rursus recurrimus: tu festiuitatis nostræ principium, tu medium, tu finis: tu pretiosa cælestis regni margarita: tu verè fons vberrimus totius sanctitatis: tu animatum altare panis vitæ.* Non poterat enim totius sanctitatis non esse fons vberrimus, quæ Pani viuo altare specialius præparabat. Et tamen erit, proh dolor! qui in ipsa fontis scaturigine primâ venenum culpæ, fomitis sordes immixtas fuisse contendat: qui altare hoc animatum, contaminatum fuisse asseueret: & cùm holocaustis agnorum vmbratilibus profanatum semel altare ineptum videant; Agno vero tam intimè suscipiendo, vestiendo, profanum olim altare, fœdatum priùs vellus apponere non formidant.

Idem fusè probatur.

1. Mach. 4.

Maria altare animatum, & eucharisticum.

Method.

921. Sed pergat Machabæorum historia: additur ergo ibidem: *Et acceperunt lapides integros secundùm legem: & ædificauerunt altare nouum.* Benè, *nouum*: in quo nihil prioris contaminationis permaneret. Conculcarant profanantes hostes priùs illud, quod, ne illis esset opprobrio, demoliuntur: nouum ædificantes, quasi hostibus de integritate, & munditie insultaturum: quidni ergo naturam innouaret Deus, & ad primos innocentiæ reduceret natales, vt eucharisticum, & animatum altare sibi constitueret? Fastidiret quidem illud, si quid hostilis profanationis redoleret: nisi incontaminatum hostibus insultaret. Eucharisticum, & animatum altare commendabat Salomon, cùm ad Mariam ita; *Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Cant. 7. num. 2. Sed, quid cælestis Panis mensæ, diuini tritici aceruo cum liliis? Si carnem floridam, vterum impollutum volebat designare, cur è tot floribus,

1. Mach. 4.

Maria contra Serpentem liliata.

Cant. 7.

Pintus de Concept. B. M. V.

singulariter lilia eliguntur; cùm etiam cæteri flores virginitatis symbolum præferre soleant? Dicam, quid sentio, si priùs audis Plinium lib. 21. cap. 19. *Lilij radices multis modis florem suum nobilitauere, contra serpentium ictus in vino potæ, & contra fungorum venena.* Valletur ergo liliis altare nostrum: quia Inferno hosti, Tartareo serpenti sic insultat. Valletur liliis Maria: quia contra serpentem præseruatiua attulit medicamina: temerè enim carnem illam serpentis veneno infectam effutimus, vbi contra serpentem vernat medicina. Aptum etiam, quod ibi habet Guillelmus: *Quia cibo vitæ, cibo Angelorum homines vitaliter pascuntur, & eo venter virgineus tumebat, aptè etiam propterea aceruo tritici comparatur: planè ex hoc aceruo tritici ad vitam pascentur æternam animalia rationalia, id est, homines, qui non, despiendo, comparati sunt iumentis.* Ne, quæ pascit ad vitam, morti aliquando subiectam (de quo suprà fusè) existimemus. Amoribus itaque est Deo altare istud viuum, & liliatum, quod profanatum, & mortuum aliquando fastidiis haberetur. Plin.

Guillelm.

922. Sed pondera adhuc illud suprà citat. Machab. *Acceperunt lapides integros secundùm legem: & ædificauerunt altare nouum.* Vbi absque dubio alluditur ad illud Exod. 20. num. 25. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Rudes, impolitique, vt è latomiis prouenerant, non dolati, non abrasi exquirebantur lapides: cuius rei non insulsam rationem ex Mazio suprà dedi. Addo & mysticam aliam, scilicet, voluisse fortasse Deum significare, & tacitè præcipere, eâ curâ lapides altari suo è fodinâ excauandos, vt ab ipso statim egressu, & primæua quodammodo origine, aptissimi ad ministerium prouenirent, quin alienâ industriâ indigerent: quasi nefas foret, vt lapis in Altare destinatus, è rupe suâ, omninò informis, & ineptus ministerio proueniret. Vt iam discamus altare Marianum, licèt posteà nouis gratiis cumularetur; at in ipso statim initio, & origine, eâ curâ ab humanâ lapicidinâ fuisse excerptum, vt iam aptum existimetur muneri designato. Tale aliquid, licèt dignius, cogitabat Chrysippus Ierosol. Orat. de B. Virg. apud Canis. cit. vbi ita: *Aue, porta clausa, soli Regi aperta. Aue, mons, vnde lapis angularis abscissus est sine manibus.* Alludit, vt vides, ad illud Danielis 2. n. 34. *Abscissus est lapis sine manibus, & percussit statuam.* Et tamen lapidem istum rudem quodammodo è virgineo monte, id est, absque nouo additamento, iam aptissimum dixit, non solùm prostrando Dæmoni; sed etiam (vt clamant Scripturæ) capiti anguli efformando: & disce obiter, virgineæ lapicidinæ puritatem ex lapide inde eruto odorari, & adorare: nec enim conculcaretur à Dæmone, quæ Dæmoni conculcando lapidem emissura. Huc etiam venit illud D. Anthonij de Padua, ad illud Exod. 20. num. 24. *Altare de terra facies mihi.* de quo ita Dom. 6. post Trinit. *Altare de terra Christo facit, qui eum veram carnem de Virgine Maria, quæ fuit terra benedicta, cre-*

1. Mach. 4.

Exod. 20.

Altaris Mariani excellentia.

Chrysip. Ies.

Daniel. 2.

Anthon. Pad.

V *dit*

dit accepisse. Ac si penè vicini sit iuris, credere Mariam carnem dedisse Deo, & putare, nunquam hanc carnem fuisse maledictam: quia talem absque dubio Deus in tam intimum ministerium fastidiret. Hæc omnia occasione Altaris Machabæorum, quem confirmando titulo citauimus, (neque tamen abs re Conceptionis) adducta sunt.

923. *Sacerdotum puritas.* Redeamus iam pressiùs præfixo scopo, congruéque ab altari, ad Sacerdotem gradum faciamus. Pungunt murmurantes Aaron, & Maria fratrem Moysem: sæuit Deus in amici dilectissimi vindictam: *Et ecce*, inquit Textus, *Maria apparuit candens leprâ, sicut nix: cùmque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam leprâ, ait ad Moysem: Obsecro, Domine*, &c. Num. 12. num. 10. Totus Aaron impenditur in rogando Moyse, vt à sorore lepram impetret amotam. Sed, quid sic lepram sorori immissam dolet, nec sibi timet immittendam? Vide detrectationem leprâ punitam: nouit se criminis participem. Et cur partem supplicij non formidat? Nouerat, se a Deo in Sacerdotem Summum designatum, qui, licèt ob culpam aliquam supplicio extremo posset affici; tamen hoc genere supplicij, & macula notari infami (si vltrà deberet viuere) non decere: horreret enim quodammodo Deus illius commercium, & oblatum thymiama, quem fœdatum abominabili leprâ olim meminisset. Benè Saluianus de Prouid. lib. 1. *Correctio non Mariam tantùm, sed etiam Aaronem humiliauit: quia, etsi deformari leprâ Summum Antistitem non oportuit: & ipsum tamen Domini castigatio flagellauit.* Potuit itaque pœnâ aliâ puniri; non tamen illâ, quæ infami notâ inustum, semper, quanuis præterita, sugillabat: nescio enim, quid haberet lepra, vt etiam sanata vitio verti videatur: quod ex Simone leproso Matth. 26. num. 6. licet coniectare. An ergo pateretur turpiori culpæ leprâ fœdari carnem illam Deus, quæ non solùm illi sic intimè ministratura; sed Deus ipse in Christo æterno Sacerdote futura erat?

Numer. 12.

Saluian.

Matth. 26.

924. *Hominis dignitas.* Et quidem ita euenit, vt sint aliqua, quæ, licèt leuiora sint, nescio tamen quid importent indecentiæ, vnde aliis etiam grauioribus à Deo toleratis, hæc nullo modo toleranda decenter videantur. Peccat Dæmon hominem decipiens, qui à Deo puniendus audit: *Maledictus es inter omnia animantia.* Gen. 3. num. 14. Peccat deceptus homo, & audit, dum punitur: *Maledicta terra in opere tuo.* num. 17. Illic ipsemet serpens; hîc non tam homo, quàm terra maledicitur. Potuit Deus tolerare hominem peccantem, qui tolerare non poterat maledictum. Permittit culpam; neque tamen immittit maledictionem. Quid ita? Oleaster ibi: *Ad serpentem dictum est: Maledictus tu. Homo verò non maledicitur; sed terra propter eum. Nouerat omnipotens Deus, quòd aliquando esset naturam humanam assumpturus; ideò noluit eam maledicere.* Quia, licèt culpa longè sit fœdior maledictione; indecens tamen videbatur, vt humana species, vnde erat indiuidua portio Deo assumenda, præter culpam etiam maledictionem sustineret. At, si fastidiret Deus speciem in totum maledictam, vnde pars benedicta erat segreganda; illa ipsa pars longè purior in Matre non haberetur? Si species tota, licèt peccatrix, in honorem portionis segregandæ, euadit maledictionem; illa ipsa portio segregata, nónne digna, vt, præter maledictionis, etiam culpæ indecentiam euitaret?

Genes. 3.

Oleaster.

Purgat Iacob familiam suam, & aureis, argenteisque idolis piissimè despoliat: quid tunc ille? *Dederunt*, inquit Textus, *ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum.* Genes. 35. n. 4. O quid agis, sanctissime Patriarcha? Licèt abundes: at nullæ opes tot filiis diuidendæ, tenues non videntur. Incende, consla idola, vt igne purgatum iam aurum, pro cultu sibi olim præstito subeat seruitium. Quòd si adhuc seruitium ab idolis detestaris, cur saltem pretiosas inaures non reseruas? Nihil horum Iacob: sed omnia sepeliuit, vt nullo vsu, & perpetuo situ detererentur. Lyranus ibi: *Infodit, tanquam res detestabiles: & ideò noluit fundere illa; & aurum, & argentum de idolis in vsum suum conuertere.* Detestabatur vir sanctus, & horrebat materiam illam, quæ aliquando non solùm idolum fuerat; sed idolo ministrarat; nullóque igne, nullo conflatorio satis putabat repurgandam, vt, non dicam sacris, profanis fidelium vsibus seruirent. Vt intelligas Sancto Sanctorum fastidioso tædio fore carnem illam, quæ in Matre, Dæmonis ludibrio, aliquando exposita fuisset: nec vellus fomitis sordibus pollutum, & pullatum cælesti Agno, diuino Imperatori in purpuram contexendum. 925.

Genes. 35. Insti. etia ad humanos vsus, vmbra culpa horrès.

Lyran.

Accedunt ad Isaac vicini Principes, Abimelech, Ochozach, atque Phicol fœdus icturi, inuiolabili amicitiæ instaurandæ: & addit Textus: *Fecit eis conuiuium: & post cibum, & potum, surgentes manè iurauerunt sibi mutuò.* Genes. 26. num. 30. Nihil vir sanctissimus in terris huic paci, vt par erat, putabat præferendum: ideò voti compos, in hilaritatis signum epulas instruit, & luxu regio apparat conuiuium. Cur ergo in matutinam horam, & in id tempus, quando à somno surgerent, differt iuramentum? Quid non statim inter festiuas dapes, aut saltem immediatè post illas sancit amicitiam? Quid, si per totius noctis spatium, quæ est mutabilis hominum conditio, Principes à fœdere firmando retrocederent? Maluit cupita fœdera, & vtilem sibi amicitiam exponere periculo, quàm diuino nomini inter iurandum inuocando, aliquid irreuerentiæ conciliare, aliquid minùs decens adhibere. Lyranus ibi: *Manè, scilicet, salinâ ieiunâ, propter reuerentiam iuramenti.* Oculatissima, scilicet, fuit inuentio piissimi Isaac: qui iudicauit, ipsis sacris verbis dicendis, & diuino nomini pronunciando, horrori futura ora, nisi ieiuna, fastidióque, carnales epulas redolentia: ne inter sordes nomen inuolui videretur. Si tantum nomini, quid Numini putaueris irrogandum? An verbum substantiale non tam pronunciandum, quàm incarnandum, carnem non omninò puram, & à vetito pomo, id est, culpæ, & fomitis sordibus, ieiunam postularet? O saliuam ieiunio defæcatam, nomini: ô lanam ab omni ieiunam macula, Numini requisitam! 926.

Iuramento reuerentia debita.

Genes. 26.

Pepererat (fabulantur prisci) Phasiphaë commixta 927.

Mariani vteri puritas.

mixta turpiter bruto Minotaurum, biforme, scilicet, monstrum, quod ex nefando concubitu conceperat: postea enixa est Phædram Reginam perpulchram facie; sed moribus, vt nosti, fœdissimam: vtpote, quæ Hippolytum, mariti sui filium, abominando incestui sollicitabat. Contra hanc castissimus adolescens sic apud Senecam in Hippolyt. vers. 684.

Seneca.

O scelere vincens omne fœmineum genus!
O maius ausa matre monstriferum genus!
Genitrice peior. Illa se tantùm stupro
Contaminauit: & tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit notâ,
Scelúsque matris arguit vultu truci
Ambiguus infans. Ille te venter tulit.

Quasi assuetus Minotauro gestando vterus, similia monstra ederet necessariò. Ecquod monstrum peccató fœdius? Non posset decenter (id ego iurarem) idem vterus post conceptum peccatum, Deum concipere: aut, qui filius non horreret (si haberet optionem) illo gestari vtero, qui, licèt quantumuis posteà mundatus, fuerat priùs feri, & fœdi gestator Minotauri? Cur ergo, quod tu fugeres, Deo obtrudas, apud quem sola culpa fœda est, & monstrosa? Sed tu, mi Domine, *non horruisti Virginis vterum:* puto, quia nunquam peccato assueuerat: ægerrimè enim vellere illo, quod culpâ, licèt iam abolitâ, fuerat infectum, indueretur: aut in vtero culpæ baiulo olim, innocentiæ author, nisi per summum tædium, baiularetur.

928. Simile aliquid voluit expressum Christus, cùm ad Matrem: *Ego flos campi, & lilium conuallium: sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias.* Cant. 2. num. 1. Non sic decenter veniret Christus lilium, nisi à Matre lilio proueniret: nec poterant cæteræ matres non comparari spinis, quæ quot filios, tot vepres germinarunt. Et cur ita? Guillelmus ibi: *Quod dictum Euæ matri: In dolore paries. dictum & filiabus: vnde Veritas: Mulier, cùm parit, tristitiam habet. Sed Virgo lilium, quia pariens gaudium, & lætitiam habebat, & erat ei parienti, in voce exultationis, & confessionis quasi sonus epulantis: quia nihil in eam de maledictione matris Euæ transierat: peperit, vt cætera; sed non in dolore, vt cætera: quia non in libidine concepit, vt cætera. Numerabatur Virgo Mater inter matres, hoc est, lilium inter spinas, quando quotannis, cum cæteris Ierosolymam ascendebat: sed tunc singulæ illa, quas pepererant, spinas secum ducebant: sed hoc lilium inter illas spinas, suum secum lilium adducebat. Quid parerent spinæ, nisi spinas? corrupta matres, nisi puros homines, & peccatores? At Virgo Mater peperit Redemptorem: lilium peperit lilium conuallium: lilium virginitatis, lilium maiestatis.* Tu cætera ponderato: ego ad rem præsentem solùm noto, ab vtero, libidine dum conciperet, præfœdato, in partu pungentem spinam germinari: ne vel præterita culpa ita purgata videretur, vt immunem à dolore partum habere posset. A tali ergo vtero spinis culpæ assueto, licèt mundato, arcetur Christus: nec à Matre non virgine, licèt sanctâ, (de quo suprà latè,) nasceretur condignè: at, quantò fœdiùs à Matre vnquam peccatrice ederetur: & post culpæ Minotaurum, lilium maiestatis germinaret? Horret lilium nostrum, quidquid non est virginitatis liliatæ, & illibatæ: & quidni Agnus, qui tollit peccata mundi, vellus omninò illibatum non horreret?

Maria cur lilium.

Guillelm.

Maria Christo similis.

§. III.

Maria à quouis næuo, sub diuini Solis absconditur claritate: vt ipsum Solem immaculati velleris tegmine abscondat: ideò Esther vera: vnde nobis, & Deo illustre tabernaculum.



929. NVNC iam ex illis Patrum verbis, qui Marianum vellus purissimum in purpuram tingendum celebrarunt, expressiùs eruamus, qua cura ab omni næuo præseruanda sacra ista lana à Deo defenderetur. Vellera certè Milesia, & similia nobilioris notæ, quæ optimè Tyrios colores ebibebant, sic veteres curasse ferunt, vt quò mollissima, & candidissima prodirent, oues ipsas aliis pellibus, & adhibita quodammodo veste defenderent: immissoque abscondèrent integumento, ne quid sordium contraherent, nec temporum iniuriis rigescerent. Habes de hac re passim multa apud Scriptores: vide præ aliis Scholiastes Horat. ad illud lib. 2. od. 6.

Cura lanicij apud priscos, quanta.

Dulce pellitis ouibus Galesi
Flumen.

Horat.

Carpebatur enim ex Tarentinis ouibus lana imperatoriis purpuris construendis pretiosissima; ac proinde oues induturas Principes, succinctis aliis pellibus induebant: ideò has Laërtius vocauit *πρόβατα διφθέραις ἐσκεπασμένα, oues pellibus coopertas.* Vide Cerdam in Georg. Virg. & in Psal. 3. Quis ergo non crediderit, Oui suæ, vnde æterno erat Imperatori purpura construenda, tegimen, & munimen parasse Deum, ne quid contraheret maculæ, vel rigoris?

Cerda.

930. Huic ergo rei probandæ, altiùs, & aliter euoluenda verba illa Assueri ad Estherem, id est, Christi ad Mariam: *Quid habes, Esther? Ego sum frater tuus: noli metuere: non morieris: non enim pro te; sed pro omnibus, hæc lex constituta est.* cap. 15. à n. 12. Neque enim caret mysterio proprij nominis expressio, cùm teneriora alia blanditiarum vocabula vsurpanda viderentur: *Esther* enim significat *occultam*, siue *absconditam*; nomen aptissimum animis Deiparæ erigendis: quasi diceret: Quid times, ô abscondita mea? Hæc lex te non comprehendit: ego enim te defensam abscondi, defendi occultam: cuius primum instans Dęmoni absconditum; cuius ingressum Dæmon, culpa, vel fomes ignorauit. Fuit itaque Deipara antonomasticè abscondita, & tecta: quia creaturis omnibus defensior: phœnicis instar, qui quò latet occultior, eò degit munitior. Pulchrè Claudianus:

Esther 15.

Esther abscondita, Mariæ typus.

Phœnix latens.

Oceani summo circumfluus æquore lucus
Trans Indos, Eurúmque viret, qui primus anhelis
Sollicitatur equis, vicinàque verbera sentit,
Humida roranti resonant cùm limina curru.
Vnde rubet ventura dies, longéque coruscis

Claudian.

Nox afflata rotis refugo pallescit amictu.
Hæc fortunatus nimium Tisamnus aies
Regna colit, solúsque plagâ defensus iniquâ,
Possidet intactus ægris animalibus oras.

Quia ibi tutè defenditur, vbi pulchrè absconditur. Illud mirum est, in ipso ortu Solis, in ipso feruoris splendore, inter flumina lucis, fulmina Orientis, latibulum sibi Phœnicem posuisse: nisi quòd vel etiam in hoc renouatis iustis præstat symbolum, qui defenduntur absconditi: sed tamen in media luce absconduntur. Perge patienter, Lector, vt hinc aptiùs ad Mariam veniamus.

931. Nunciabat Malachias Christi aduentum dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* cap. 4. num. 2. Nihil videbatur obscurius dici posse: vt realis quædam chimæra, dissitis extremis, composita emitti videatur: quæ enim cogitatio non hebescit ad Solem alias læuem, plumis crispum? ad lucem tunc magis splendentem, cùm pennis obumbratur? Nec claret res ex Hebræo, vbi legitur: *Orietur Sol iustitiæ sanans radiis suis.* Quasi pennæ illæ ex vulgari, & radij ex Hebræo Textu, pro eodem vsurpentur: vt mireris vmbrosos radios, vmbras radiantes. Quid ita? Nimirum, hæc est summa Dei charitas, impensa cura, quæ Sanctorum suorum consulit vtilitati, vt lucem suam obumbret, qua nos protegat, & lucifluo vmbraculo abscondat: nec enim possent ab hoste defendi, & abscondi, nisi immortali luci appropinquarent; nec appropinquare auderent, nisi ipsa lux obumbrans, nobis etiam obumbrata contemperaretur. D. Bernard. in Ps. *Qui habitat.* Serm. 4. ad illud, *Scapulis suis,* &c. Sic pulchrè de hoc Malachiæ Sole: *Sicut videns venientem accipitrem mater expandit alas suas, vt pulli subeant; & habeant tutum refugium: sic nobis parata, & quodammodo dilatato sinu extensa est summa illa, & ineffabilis pietas Domini nostri,* &c. *Iam verò sub ipsis quoque scapulis, & vmbraculum salubre, & protectionem habemus: sicut enim iste corporeus Sol, licèt bonus sit, & valdè necessarius; tamen & feruor eius, si temperatus non fuerit, infirmo capiti; & splendor infirmis oculis nocet: nec est Solis culpa, sed infirmitatis: sic etiam Sol iustitiæ est,* &c.

Malach 4.
Lux Christi instu formatur in vmbram.
Heb. lect.

932. Satis hinc constat, sub immortali Dei luce abscondi pariter iustos, atque defendi. Si autem quæras, vbinam maximè dilectiores iusti abscondi sub tanta luce soleant; respondet Dauid: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Psalm. 30. num. 21. Vidistin' vsquam tenebras speciosiores, illustriora latibula? Totus Deus lucifluus, totus flammiuomus: nescio tamen quid in facie, quid in vultu, nostro concipiendi modo lucidius gerere videatur: ideò *lumen vultus Domini* passim apud Dauidem celebratur: & tamen hic vultus, hæc facies, sic de splendore aperta, eligitur iustis abscondendis; imò ideò eligitur: quia iusti, de lucis æmulatione latibulum æmulantur. D. Hier. *Illuminatio enim vultus tui teget eos, ne ab humanâ malitiâ conturbentur.* Illuminatio cætera reuelans, hîc texitur in velamen: vnde cætera patent, iusti absconduntur. Sed adhuc id parum: cùm enim in hoc vultu, suo iure oculi clariores haberi videantur; quid aliud erit, gestari iustos à Deo in oculis ad custodiam, quàm in ipso penitioris lucis meditullio, ab omnibus periculis abscondi, & propugnari?

Iusti sub diuina facie absconduntur.
Psal. 30.
Hieron.

933. Iam verò in diuinis oculis, imò, quod maius est, in oculorum pupillis gestari iustos, fatetur ipse Deus Zachar. 2. n. 8. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Neque enim solùm amoris diuini teneritudo, & delicium erga iustos in hoc loco commendatur; sed etiam iustorum securitas, & munimen, dum in tam sublimi loco, in tam lucida statione collocantur. Sic locum capit Oleaster ad cap. 19. Exodi, vbi ita: *Securi valdè sunt serui Dei, vt alas aquilæ oporteat eum priùs percutere, qui eos lædere nititur. Qui vos, inquit, tangit, lædit pupillam oculi mei. Non dicit: Qui vos persequitur, aut occidit. neque, Qui vos vulnerat. sed, Qui lædit. Neque dicit: Tangit corpus meum, pedem, aut brachium, vel saltem oculum. sed, pupillam oculi, cuius dolor intensissimus est, & acutus valdè.* Vnde & pariter discunt iusti sic se puros seruare, & innocentes, vt nec leuissimam maculam admittant: qui enim in diuinis pupillis, imò tanquàm pupillæ in Dei lucifluis oculis geruntur, vel etiam à leuiori puluisculo, & sorde debent abstinere, quandoquidem pupillæ decor, vel etiam leuissimo flatu violatur.

Zachar. 2.
Imò in diuini oculi pupilla.
Oleast.

934. Hinc iam intelligo, cur pietati potiùs, quàm arrogantiæ tribuenda sit illa Dauidis postulatio: *Custodi me, vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me.* Ps. 16. n. 8. Non enim arrogans venit postulator, qui simul humillimus sponsor exhibetur. Multùm à Deo orat Dauid; sed tamen totum, quod potest, repromittit. Quid ita? Quia, dum instar pupillæ in oculis diuinis exoptat custodiri: instar eiusdem se purissimum promittit conseruare, sciens indecorè pupillæ munere se functurum, ni vel etiam leuissimos defectus, & festucam auertat tenuissimam. D. Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 9. vbi de oculorum fabrica: *Atque sunt oculorum orbes, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, vtpote in crystalli speciem refulgentes: in quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur. Hæ, ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde consertis, velut quodam vallo per circuitum muniuntur: vnde tutum auxilium postulans Propheta ait: Custodi me, Domine, vt pupillam oculi: vt protectionis diuinæ fieret ei tam sollicita, & tuta custodia: quam pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est. Simul, quia innocentia, & integritas leui sorde aspersa violatur: & gratiæ suæ munus amittit: & ideò prospiciendum, ne quis eam pulueris erroris oblinet, aut vlla vexet festuca peccati.* Certè, si Ambrosius mentem meam non expressit; at vehementer illi fauere, nemo ibit inficias.

Quàm puros propterea, iusti se debeât custodire.
Ambros.

935. En tibi iustorum securitatem, dum in media luce absconduntur. En, vel quàm leuissimam maculam perdiscant euitare, dum in ipsis oculorum luminibus gestati defenduntur. Nusquam tamen id veriùs, quàm in Deipara concepta. Maria quidem, in hoc proprio suo nomine, vt vidimus, sonat *stellam*, vel *illustratam*: quæ tamen typicè per antonomasiam, *abscondita* appellatur: quia sola illa, vt legem communem euitaret, vt defenderetur à culpa, in ipso Sole illustriori latibulum magis

Maria antonomasticè, abscondita.

magis absconditum inuenit. Hinc illa vox eiusdem ad Deum: *In portis nostris, omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Cant. 7. num. 13. Frustrà (de quo alibi) alias portas quæras, nisi illas, per quas Maria in orbem ingressa est, id est, eius Conceptionem. Ibi Maria seruasse dicitur omnia, quia illud gratiæ accepit, tantum perseuerantiæ donum; quo facilè seruare omnia deinde præcepta posset: vel, quia in illo tunc accelerato vsu rationis, imò & visione beata, vt suprà dixi, diuina sibi reuelata præcepta sic lubens subiit, vt de inuiolabili proposito illa omnia iam tunc seruare videretur. Quid mirum, quandoquidem vertunt Symmachus, & Aquila: Ἀπέκρυψά σοι, id est, *omnia poma abscondi tibi.* Seruat enim, dum abscondit: quia ipsa, dum absconditur, seruatur. O verè Estheris nomen adimplentem.

Cant. 7.

Symmach. Aquila.

936. At, quorsum, inquis, tanta cura, vt Maria in ipsa Conceptione abscondatur in luce; nec satis sit, vt excellentiùs, quàm cæteri iusti, habeat in splendoribus latibulum, nisi etiam omnem originis maculam euitarit? Pende, quæso, discrimen Mariæ ab aliis iustis. Hi vestem capiunt pretiosam à Deo, vt nemo nescit; at Maria pretiosissimam vestem Deo dedit. Si ergo, vt vidisti, oues illæ, vnde purpura Regum desumenda, sollicitè absconduntur, & defenduntur; quantò sollicitiùs ouem istam diuinam absconderet, & tutaretur Deus extra omnes culpæ tenebras, fomitis maculas, in lucis radiis, in gratiæ puritate; vnde sibi purpuram erat desumpturus? Vidit Ioannes Mariam, & exclamat: *Signum magnum apparuit in cælo. mulier amicta Sole.* Apocal. 12. n. 1. Sed, quantum signum istud, pro priuata admiratione? Si lucem Solis materialem accipias, certè iusti omnes fulgebunt Sole longe clariores, vt fatemur. At Sol, inquis, diuinus designatur. Bene: sed quid tunc grande, si Maria Sole hoc vestitur, cùm Paulus iustis omnibus præcipiat, vt sibi induant Dominum Iesum Christum? Aliquid ergo singularissimum vidit Ioannes in hoc amictu lucido Mariæ, vnde magnitudinem signi meritò demiretur, nimirum, sic priuatim abscondita, & obuelata splendore fuit Maria, vt velum, & vellus mundissimum Deo ipsi velanti vnica prebere mereretur. D. Bernard. hom. in hæc verba: *In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo: vestis eum substantiâ carnis; & vestit ille te gloriâ suæ maiestatis: vestis Solem nube; & Sole ipsa vestiris.* Vt, sicut Deus absconditur à Maria, sic ista abscondatur à Deo: hoc tamen discrimine, quòd Maria, siue vestiens, siue vestita defenditur absconsa: Deus aut vestitus, aut vestiens abscondit defendens Ouem puram, Estherem veram.

Iusti Christũ sibi induunt: Christus à Maria capit indumẽtum.

Apoc. 12.

Bernard.

937. Neque verò, cùm *nubem* audis, obscurum aliquid præsumas temerè, aut minùs decens. Nubes est Mariana caro, si cum diuino Sole comparetur; sed nubes splendidissima, & purissima, quę, licèt Solem abscondat, non offuscat: cur enim à primo instanti nubem istam, & lanam purissimam non protegeret, qui illam sibi in purpuram destinabat? Cur illam ab omni næuo Sol non absconderet radiis immortalibus, cuius erat posteà vellere induendus? Cur pollutam aliquando, & obscuram vestem sibi eligeret in tempore, is, qui ab æterno purissimâ luce indutus gloriabatur? Benè Propheta: *Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento.* Ps. 103. n. 2. Equidem decentius erat, vt à decore in decorem, ad lucem è luce veniret; qui nihil peccati tenebris, fomitis sordibus habet exosius. Vidit D. Methodius suprà citatus ad hunc locum, vbi ad Mariam: *Tu propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus mortalibus innotuit: tu impollutum illius indumentum, qui luce vti vestimento circunfunditur.* Quasi non deberet cum veste sordibus præfœdata, vestimentum lucis æternæ commutari: nihil ibi pullatum, & sordidum; sed totum candidissimum, & impollutum. Semper ita Deipara lucidè abscondita, semper absconditè defensa: alioqui lucidum nostrum defensorem velo suo abscondere non posset.

Quàm lucidã vestem Maria dedit Christo.

Psal. 103.

Method.

938. Redi, amabo, ad illa verba, quæ suprà n. 918. de Maria Christum induente carne sua explicauimus: *Sindonem fecit, & vendidit.* Prou. 31. num. 24. id est, vt ibi dixi ex D. Thoma Valent. *Mundissimam texuit telam, nitidissimam, purissimámque, sacrosanctam illam carnem.* Sed vide, quid addat Salomon: *Et cingulum tradidit Chananæo*; id est, Christo inter peccatores conuersanti. Ergo, inquis, tota tela in cingulum apparatur? Tanta mundities, nitor eximius, excellens puritas telæ sacrosanctæ in singulare cingulum impenditur? Et meritò: hoc enim tantùm vestis genere egebat Christus: cingulum tantummodo requirebat, qui laxiores vestes maiestatis à Patre sumpserat. At, cùm vestes ipsæ immortali, & diuino splendore præfulgerent, opus erat, ne cingulum penitùs degeneraret; ideò mundissima tela, nitidissima caro eligitur, quæ, licèt Deum constringeret, non fœdaret. Idem D. Thomas ibidem, post multa de pretio, & dignitate huius telæ: *Sed ad quid? Vt inde fieret cingulum Chananæo. O pulcherrimum Chananæum, diuino splendore indutum, & virgineo cingulo cinctum! qui immutabilis manens, formâ Dei non amissâ, in hominis formam veluti mutatus apparuit. Habebat ab initio Chananæus hic amplissimas vestes à Patre: solo cingulo indigebat, quo immensos illos, exuberantésque sinus amplissimorum vestimentorum colligeret, ad currendam viam.*

Prou. 31. Thom Val.

Deus per Incarnationem cingitur bono nostro.

Thom. Val.

939. Et benè ad currendam viam accingitur Christus, qui fusis Diuinitatis laciniis minùs aptè nobis veniret ad exemplum. Alludit autem S. Doctor ad illud Dauidis: *In Sole posuit tabernaculum suum: & ipse, tanquàm sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam.* Ps. 18. num. 6. Vbi mihi pende, expressè in ipso Sole positum dici Christi tabernaculum, quando ad currendam viam dicitur accinctus. Mirum dictu: tabernaculum, non cursus; sed commorationis dispositio est: cur ergo, dum eius apparatus describitur ad currendum, inducitur tabernaculum ad commorandum? Credo, vt inde condignum cingulum ad currendam viam accepisse intelligatur, vbi decenter dicitur habitasse. Præmittatur Mariæ vterus, tanquàm thalamus, & tabernaculum instar Solis purissimum, & clarissimum, vt dum inde Deus exultat accinctus, & apparet indutus ad currendum, virgineum indumentum decentissimum afferre cognoscatur. Fallor, aut id voluit D. Epiphan. Orat. sæpè citata de Maria: *Ipsa, inquit, est Sponsa, & thalamus ex eâ Sponsus procedit Christus, virgineum indumentum; iuxta suauem Dauidis cantionem: In Sole posuit tabernaculum*

Maria quale Dei tabernaculum.

Psal. 18.

Epiphan.

Maria quàm præſtet cæteris. lum ſuum, *& ipſe, tanquam ſponſus, procedens de thalamo ſuo.* Et nota obiter (nec extra rem) longum diſcrimen, quo Maria, & alij iuſti lucido diuini vultus velamine abſconduntur: iuſti enim eatenus in Dei tabernaculo proteguntur, vnde ait: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ*, &c. *proteges eos in tabernaculo tuo.* de quo ſuprà n. 932. nimirum, vt ibi vmbrâ Dei luciuomâ obuelentur: at Maria, eâ luce ab initio perfunditur, & abſconditur, vt ipſi Deo fulgentiſſimum præbeat tabernaculum.

940. Niſi fortè dixeris, & meritò, ideò iuſtos, dum abſconditi dicuntur in facie Domini, in eiuſdem tabernaculo protectos celebrari: quia in Mariâ, id eſt, diuino tabernaculo, abſconduntur protegendi: quaſi Beata Virgo (quò dignum vellus induendo diuino Agno præberet) ſic luce perfundatur, ſic ab omni næuo abſ- *Maria homines abſcondit.* condita ad diuini Solis accedat claritatem: vt quodammodo pro eodem habeatur, aut in diuina facie abſcondi, aut in Mariano protegi tabernaculo: aut ſaltem non ibi abſcondendos homines, niſi priùs hic feliciter protegantur: certè tale nobis tabernaculum eſt Maria. Diuerto paululùm à propoſita lana mundiſſima; ſed non à via, quandoquidem à velleris noſtri abſconditi, & luciflui, huc vocamur conditione. Celebrabat Iſaïas latè refugium, & præſidium, quod nobis in Eccleſia ſua Chriſtus erat conſtituturus: deinde ſubdit: *Super enim omnem gloriam protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, &* *Iſaïæ 4.* *in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & pluuia*, cap. 4. à num. 5. Quaſi nihil glorioſius in Eccleſia ſit conſtituendum, quàm protectio iſta, & tabernaculum, Maria, ſcilicet. Habet tamen aliquid ponderis, quòd ſecuritas iſta, tota in abſconſione fundetur: puto, vt Eſther noſtra abſcondita, lana luce velata clariùs intelligatur, quæ dum ab omni labe abſconditur, & defenditur, potuit ad cuſtodiam, & præſidium alios abſcondere; ideò D. Thomas Villan, Conc. 3. de Natiuit. poſt multa: *Hæc eſt, quæ hodie naſcitur: hæc hodie apparuit mundo, ſicut Aurora conſurgens, fulgida, purpurea, læta, non* *Thom. Vill.* *obtenebrata, non obnubilata, non maculata, ſicut alij filij Adam: ſed pulchra, vt Luna; electa, vt Sol.* Et paucis in idem adiectis, concludit: *Dic quoque tu, Iſaïas, quid ſentis de hac Virgine? qualis erit iſta Virgo? Super omnem, inquit, gloriam protectio, & tabernaculum erit in abſconſionem à turbine, & pluuia; id eſt, iuſtorum erit cuſtodia, & peccatorum ſuffugium. Ita eſt, ô Virgo: in omnibus tempeſtatibus, & pluuiis, & aduerſitatibus: ſi pluuia, ſi bellum, ſi fames, ſi tribulatio, omnes ad te currimus: tu noſtra protectio, tu noſtrum refugium, tu noſtrum vnicum remedium, ſubſidium, & aſylum.* Quaſi non poſſet ſic fauſtum tabernaculum nos abſcondere, niſi priùs, vt fulgidum, & immaculatum prodiret, abſconderetur. Nec opponas de Natiuitate Mariæ, non de Conceptione locutum Sanctum Doctorem: noſti enim ex mille aliis locis, quàm acerrimus Conceptionis propugnator ſit iſte Thomas: nec aliam hic munditiem voluit explicatam, quàm originalem; aliàs fruſtrà illam omnibus Adæ filiis præponeret, cùm noſſet Baptiſtam, & fortè Ieremiam, ſine actuali culpa fuiſſe exortos.

Et quàm benè, non vtcunque fulgida; ſed nitens, & *electa, vt Sol*, interim celebratur: ideò 941. enim originalem maculam euitauit, id eſt, ſerpentis caput contriuit: quia ſic Solem diuinum combibit, vt Sol alter iam nobis videatur: neque enim tabernaculum, & hoſpitalem domum Deo præberet, vt inde nobis daret abſconſionem, ſi quid vnquam in illa tenebricoſum appareret. Hinc illud Salomonis de Maria Prou. 31. (vbi la- *Prou. 31.* nam mundiſſimam paraſſe dicitur n. 13. nimirum, cæleſti Agno induendo: vbi prædictam ſindonem, & cingulum feciſſe celebratur n. 24.) de ſtudio, quo ſacræ negotiationi incumbebat: *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* num. 18. Quod *Maria quale Dei tabernaculum.* vt capias, captemus pauca. Celebrantur prudentes virgines, quòd lampades ſuas accenſas geſtauerunt: deplorantur miſeræ fatuæ, quia extinctas lampades attulerunt: quàm parum eſt igitur, ſi Maria prudentibus virginibus comparetur? quàm minimum, ſi fatuis præponatur? Quo ergo tendis, Salomon, dum Deiparam, de non extinctâ lampade commendas? Nihil maius proferre potuit: dum enim Marianam lucernam abſolute in nocte negat extinctam; in quauis noctis parte fatetur luminoſam, & in ipſo Conceptionis primordio clariſsimam: vt ſub hac viuaci luce, & Inferni Principis caput contereret, & cæleſtium Principum, inſtar Solis puriſſimi, oculos deinde alliceret. Neque mirum: non aliter enim, aut Verbum in vteri ſui exciperet tabernaculum, aut ad thronum Reginæ in cæleſtia tabernacula adduceretur. Totum hoc viſus voluiſſe Bernardus Serm. 2. de Virgine aſſumpta, vbi de fatuis virginibus locutus, ſic ſcribit: *Erat domus earum munda: virgines enim erant. Erat ornata: quia ſimul omnes, id eſt, fatua ſimul cum prudentibus, lampades ornauerunt. Sed erat vacua: quia in vaſis ſuis* *Bernard.* *oleum non acceperunt. Hinc eſt, quòd nec ab eis ſuſcipi in domos ſuas, nec admittere eas dignatur Sponſus cæleſtis ad nuptias. Non ſic mulier illa fortis, quæ ſerpentis caput contriuit: habes enim poſt multa in laudibus eius: Non extinguetur in nocte lucerna ipſius. Proceſſit ergo glorioſa Virgo, cuius lampas ardentiſſima ipſis quoque Angelis lucis, miraculo fuit, vt dicerent: Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens; pulchra, vt Luna; electa, vt Sol.* Quaſi dicat, alludens ad verba Euangelij: Illæ non meruerunt ſuſcipere Deum in domos ſuas, nec ab illo ſuſcipi: non ſic Maria, quæ eſt illa mulier, quæ *ſuſcepit illum in domum ſuam:* quia fortis contriuit caput ſerpentis, id eſt, ni fallor, originalem culpam: quia inextinguibilem attulit lucernam, quam Angeli, inſtar Solis, admirantur. Si totum id noluit Bernardus, voluit certè Salomon, qui vbiuis noctis Marianam lucernam fatetur non extinctam: expreſsè pro me Septuaginta: *Non extinguitur lucerna eius totam noctem.* *Septuag.*

At dices, à Patribus vtplurimùm illud Cant. 6. 942. n. 9. *Electa, vt Sol.* de Maria non concepta, ſed aſ- *Cant. 6.* ſumptâ explicari: idque etiam Bernardum voluiſſe. Fateor, ab aliquibus ita ſumi: id tamen conten- *In Maria Aſſumptione.* do, non inſtar Solis diuini aſſumendam, ſi quid in Conceptione tenebricoſum ſortiretur, niſi ita tunc abſconderetur in luce, vt lucerna eius, quæ Dei Filium erat exceptura, nunquã extincta cerneretur. Pende, oro, verba iſta Cantici, vt ipſi, quos citas, Patres fatentur, non à Deo Sponſo,

ſed

ſed à iuſtis, vel ab Angelis dici: quaſi tunc à nobis Maria, vt Sol colatur, vtpote dum in tantum thronum agnoſcitur euecta: quæ tamen talis à Deo ab initio Conceptionis noſcebatur. Faret ibi Rupertus de Virgine aſſumpta: *Ad æthereum thalamum tranſlata es: tunc, & ex tunc electa, vt Sol; electa, inquam, nobis: quia, ſicut ex te natum Dei Filium, Solem verum, Solem æternum adoramus, & colimus, vt Deum verum: ſic & te adoramus, atque veneramur, vt veri Dei Genitricem: ſcientes, quia totus honos impenſus Matri, ſine dubio redundat in gloriam Filij.* Nota illud, *nobis*, quaſi in ſe apud Deum, Sol foret ſemper Maria. Quidni, ſi Matris honor in Filium redundat? Quidni, ſi Matris macula Filium dedecoraret: & à polluto aliquando indutus vellere, ſi non nigricaret, ſaltem minùs decens appareret? Maius eſt, quod ſtatim addit, feliciter ſui oblitus Venerabilis Abbas: *Et quidem naturâ non tu idem es, quod ille Sol; ſed nihilominus tanta es, vt te honoret ipſe Sol, quomodo decet filios honorare parentes ſuos: qui enim dixit: Honora patrem, & matrem, non dubium, quin & ipſe honoret, & ab omnibus amicis ſuis ſuam velit honorari Matrem.* Quæro enim, cur honorandæ Conceptioni Filius conniueret? Cur inde illam, cùm poſſet, non faceret venerabilem? cur illam totam à primo inſtanti radiis ſuis Sol non abſconderet, cuius erat poſteà vellere abſcondendus? Sed hoc argumentum, de filio matrem honorante, habet propriam ſedem in Art. 4. vbi latiſſimè erit proſequendum.

Rupert.

Rupert.

943. Tandem tabernaculi huius munimen, & abſconſionem ſub horti metaphorâ, optimè expreſſit Salomon Cant. 4. n. 12. dicens: *Hortus concluſus, ſoror mea, hortus concluſus, fons ſignatus.* Vbi optimè, & adhuc ſui feliciùs oblitus idem Rupertus, ponderans bis concluſum vocari, & iterum ſignatum: *Hoc eſt, inquit, geminum noſtræ cuſtodiæ munimentum, geminum noſtrorum animorum gaudium: quia & vterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio acceſſibilis: & mens tua nulli vitio, nulli ſpiritali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* Quia Spiritus Sancti ſignaculo ſic munita, & abſcondita, vt non ſolùm non fuerit a Dæmone penetrata; ſed etiam impenetrabilis perſiſteret, vtque integritas corporis, integritati animæ reſponderet. Vt poſſis optimo iure Mariæ accommodare, quod puræ conſcientiæ, & incontaminatæ elegantiſſimè tribuit Abbas Cellenſ. lib. 1. de conſc. *Vtriuſque miſeriæ ſtimulum bona conſcientia non ſentit. Itinerariam miſeriam non ſentit: quia non egreditur ad viam illam malam, quæ ducit in Infernum: manſionaria nihilominùs euadit; quia clauſit ianuam, qua ingreditur mors ad animas noſtras. Sicut enim egredi recuſat; quia leo in itinere eſt: ſic ianuam pandere vetat; quia coruus in feneſtra eſt: abhorret autem aquè, & nigredinem corui, & feritatem leonis: nigredinem, ne decoloretur; ferocitatem, ne deuoretur. Forſitan, inquiens, abſorbuiſſet noſtram pulchritudinem macula corui: vel teneritudinem gula leonis, niſi Dominus adiuuiſſet nos, deforis bitumine circunliniendo, ne diluuium expoſitum immergeret: & malam beſtiam de itinere tollendo, ne Ioſeph ad fratres venientem deuoraret.* Sed iterum preſſiùs ad velleris noſtri myſteria redeamus.

Cant. 4.

Maria quàm à Deo cuſtodita.

Rupert.

Abbas Cell.

944. Ne verò id mireris, quod hucvſque dixi, in ipſa claritate, qua maximè ſolent obiecta manifeſtari, ibi Mariam occultari, & protegi potuiſſe: imò ne obiicias, gratis Eſtherem noſtram de luce obuelante vocari abſconditam; cùm tamen Ioannes, licèt amictam Sole, perſpicaciſſimè illam intueretur, electámque tanquàm Solem, Angeli mirarentur; aduerte, diuinam hanc lucem ſic obiecta occultare, & protegere, ne quid næui, ne quid maculæ accedat: vt pariter piis oculis eadem, tunc maximè viſibilia proponat: de quo alibi fortaſſe plura dixero. Nunc tantùm cape D. Syneſium hymno 3. de Deo locutus: *Tu es, qui illuſtras: tu, qui illuſtraris: tu es, qui appares: tu, qui occultaris propriis fulgoribus.* Vt iam lippitudini noſtræ ſit imputandum, ſi Conceptionem lucidam, & ad inſtar Dei abſconditam, & patentem, aut nolumus, aut non poſſumus intueri.

Diuina lux vmbroſa.

Syneſ.

§. IV.

Maria Chriſtum coronat, à quo inuicem pulchrè coronatur triumphatrix.

945. DIVINVM noſtrum vellus, non ſolùm in purpuram, ſed expreſsè in Regis purpuram tinctum, vt vidiſti, Patres celebrarunt: vt decenter Chriſtum à Matre regiis inſignibus clarum, editum celebrarent, neque id abſque optimo iure prolatum: quidni enim caro illa in regiæ dignitatis ſtemma purpuræ radianti adaptetur, quæ ſimul in nitidam ſupremi Regis coronam adaptatur? Non eſt animus probare temporale Chriſti regnum hæreditario iure à Matre ſumptum: tum, quia neque id in ſua illa purpura (cuius explicationi hæc ſubnecto) voluêre Patres: tum maximè, quia, quidquid in hanc rem afferri poterat, quidque in hac grauiſſima quæſtione ſit tenendum, exhauſit feliciter Mendoza (heu nuper meus) tomo 1. not. 15. ſect. 3. Id ergo intendo probare, ad regnum ſuum, ſiue ſpirituale fuerit, ſiue eminenter, & meliori modo temporale, condigna regalis maieſtatis ſtemmata à Matre Chriſtum deſumpſiſſe, quam inuicem fauſtiſſimè coronauit: vt ex vtroque Maria ab omni culpæ næuo ab omnibus fomitis ſordibus immunis agnoſcatur.

Chriſtus Rex à Maria.

Mendoza.

946. Euerterat Dauid, & ſpoliarat vrbem Rabba, déque ſpolio eius glorioſiori, addit Textus: *Et tulit diadema Regis eorum, de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas: & impoſitum eſt ſuper caput Dauid.* 2. Reg. 12. n. 30. Quæris Regem, cuius tanta in vnam coronam opulentia? En Paralip. exprimitur: *Tulit autem Dauid coronam Melchon de capite eius, fecitque ſibi in diadema.* lib. 1. cap. 20. n. 2. Ecquis Melchon? Certè idolum, vt ferè boni notant Interpretes, venerationíſque causâ, proprio nomine Regem appellabant. Quò ergo pergis, Princeps ſanctiſſime? vnctum ſacro chriſmate caput idololatrico auro pollui patieris? Abſit: extraxit gemmas, iuſſit aurum conflari, atque nouam coronam denuò fundi, ne quid ex priſco contagio igne non præpurgatum remaneret. Lyranus ad loc. Reg. citatum: *Primò tamen conflauit, & purgauit metallum,* ſecundùm

2. Reg. 12.

Caro Mariæ coronaria.

1. Paralip. 20.

Lyran.

secundum purgationem legis. Erat Dauid Christus Domini, verioris Christi typus, & exhorruit necessariò coronam, nisi prææfœdatum aurum penitus præpurgaretur: quantò ergo in vero Christo hoc aurum præpurgatius? Ostendi supra, ad illud Iob: *Et auro locus est, in quo conflatur.* cap. 28. n. 1. Ostendi, inquam, ex Ricardo locum istum, & conflatorium fuisse vterum Marianum: vnde intuli, importunè conflatorium, vbi aurea Christi caro mundanda erat, fæcibus aliquando pollutum existimari. Addo, maius aliquid Christo, caput Diuinitatis suæ, humanitatis nostræ diademate coronaturo requiri, quàm Dauidi: hic aurum aliquando præfœdatum conflauit, vt purgaretur: at Christus non carnem præfœdatam refingere, & refundere; sed carne quadam intactâ, cuius præterita contaminatio non horreretur, debebat redimiri.

Iob 28.

947. Incarnatur Verbum, & exclamat Salomon ad Angelos: *Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Cant. 3. n. 11. Vocantur expressè, Sion, id est, speculationis incolæ, quasi necessariò futuri perspicacissimi, qui incarnato Verbo speculando aduocabantur. Ecquod tam grande in Christo homine obiectum Angelis parabatur, vt meritò à pura Diuinitate huc inuitentur? An, quia humanitas corona erat Christi? At, quantò pretiosior corona ipsa Diuinitas? Fateor: meritò tamen inuitantur: quia mirum sic mundam creaturam inueniri, vt condignam Creatori carnem appararet: sic inter sobolem Adami purissimam processisse Mariam, vt tanquàm vera Mater vero Dei Filio intemeratam coronantis carnis materiam exhiberet. Ad quem locum alij Patres de carne Mariæ elegantiùs, Beda mihi signatiùs locutus: *Mater sua illum diademate coronauit, quando Beata, & intemerata Virgo de Spiritu Sancto concipiens, materiam illi sacrosanctæ carnis, de sua carne præbuit.* Quasi nisi intemerata foret, id est, sine vllo vnquam culpæ næuo, Maria horrori veniret Deo coronando. Nec dicas, intemeratam dici à Doctore Venerabili Mariam ob solam illibatam virginitatem: inde enim robustum sæpè factum exsurgit argumentum: si enim deuirginatio corporis, etiam sub licito matrimonio, Mariam tanti muneris redderet incapacem: à fortiori deuirginatio mentis per culpam, illam omninò redderet incapaciorem. Pergo.

Cant. 3.

Idem probatur.

Beda.

948. Admittamus in hanc rem, tanquàm probabilem, illorum opinionem, qui putant, legitimo, & hæreditario iure à Maria Regum hærede, temporalis regni maiestatem in Christum fuisse transfusam, quam nec immeritò reiicit citatus Mendoza: admittamus, inquam, vt probabilem, vt obiter ad rem nostram indidem Authorem grauem, Guillelmum, scilicet, de Conceptione, vt nosti, minùs piè sentientem conuincamus. Properat Gabriel ad Mariam immensum legationis pondus allaturus, tunc sic subiungit: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomē eius, Iesum: hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum.* Luc. 1. num. 31. Ecquæ ista coniunctio, imò descensus? Priùs dicitur Iesus Filius Altissimi, quo Deus de Deo, & Rex cælorum pariter declaratur: deinde Filius Dauidis, & Iudaïci regni hæres constituitur. Et quid magnum, si Regi sæculorum immortali, & inuisibili, Iudaïci regni ius de priuato Matris titulo annectatur? Certè nihil magnum, si cum priori comparetur: sed tamen decens; & ideò necessariò exprimendum: dedecebat enim quodammodo, vt Verbum æternitatis gloria coronatum, Mater denuò carne indueret, quæ non regia foret: vt nec etiam ex hac parte aliunde defectuosum maternum diadema videretur. Guillelmus ad locum citatum Cant. de fidelibus locutus: *Illic vident diadema, quo coronauit eum Pater ante omnia tempora, nempe, gloriam Diuinitatis, qua coronatus, eo quòd Deus à Deo genitus. Hic vident diadema, quo in tempore eum Mater coronauit; nempe, regiam nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronauit, eò quod illum de sanguine suo regio secundùm carnem concepit. Vnde Gabriel Paranymphus: Ecce concipies, &c. cum ait: Filius Altissimi, indicat diadema paternum, propter quod habet & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. cùm ait: Sedem Dauid Patris eius. tunc indicat diadema maternum, cuius ratione titulus super Crucem positus est: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Dignus Author, qui denuò addatur illis, qui pro prædicta sententia, à Mendoza, & aliis citantur. Ab eodem tamen nemo non exquirat querulus, cur, si minùs decens Maria incarnando Verbo, nisi regia nobilitate præfulgeret; apta credatur, si origine peccato sordida, si sub proteruo fomite nasceretur? Id vel cæcus videat, de quo iam suprà latè, & infrà etiam aliqua subiungemus. Id ergo in hac certissimum, Mariam, licèt hæres necessaria regni Dauidici non foret; regio tamen sanguine ortam fuisse: ne vel ab hac parte Regi Christo minùs decens stemma appararet. Et quantò indecentius, vt dixi, si aliquando vel leuissimo næuo fœdaretur?

Christus à Matre hæreditario iure Rex temporalis.

Luc. 1.

Guillelm.

Dum moritura Rachel doloris sui insigne filij nomini relinqueret contestandum; pater ad delicias, & ne funesta tituli memoria torqueretur, non tam Bononi voluit vocandum, quàm Benjamin. Sed audi Textum: *Pater verò appellauit eum Benjamin, id est, filius dextræ.* Genes. 35. n. 18. Ecquæ ista appellatio? Dicam, quid cogitarim: fortasse non improbabile videbitur. Nobilitatis signum etiam apud Hebræos erat annulus ex auro pretiosissimo compositus, vt patet ex epistola Iobi: *Si introierit in conspectum vestrum vir, aureum annulum habens, in veste candida* &c. cap. 2. num. 2. de quo fusè Interpretes. Hinc factum puto, vt cùm aliquis apud alium in summo pretio habitus dicendus foret, annulus dextræ eius diceretur. Sic capiendus Ieremias cap. 22. n. 24. apud quem Deus: *Viuo ego, dicit Dominus: quia, si fuerit Iechonias, filius Ioacim, Regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Quo enim maiori in pretio, aut quibus in deliciis tenerioribus poterat quis haberi, quàm si instar nobilioris stemmatis gereretur? Quis ergo scit, an id voluerit Iacob, ideóque Benjamin suum, dexteræ filium appellaret, vt illum deliciose in dextera gestandum insinuaret? Simile aliquid de omnibus his locis cogitabat Venerabilis Ricardus Victorinus apud Tilm. ad locum Iob suprà citatum: vbi post alia de Mariano vtero, siue conflatorio auri, sic subiungit: *In hoc conflatorio, & ex eiusdem auro formatus*

949.

Mariana caro aurea.

Genes. 35.

Iacob. 2.

Ierem. 22.

Ric. Vict.

formatus est annulus, lapis pretiosus impositus, forma summi Regis, & imago impressa, & penè expressa. Aurum optimum, Caro Christi: lapis pretiosus, anima Christi: figura, & imago Patris, Diuinitas Christi: qui, cùm sit splendor, & figura substantiæ eius; nihilominus tamen humanitati nostræ est vnitus: vt ex duabus naturis, tribúsque substantiis, esset quasi in vnum annulum iunctus mediator Dei, & hominum Christus Iesus, & fieret dexteræ excelsior natus. Ego aliter nesciui Ricardum explicare: vtcunque sit, in Mariâ, & ex illius auro formatur Christus supremi Regis annulus signatorius, nobilissimi imperij stemma, vt filius dexteræ excelsior, id est, imperij particeps adoretur: an ergo deceat, vt hoc aurum, quod in tanti regni insigne gerit Dominus à Matre, aliquando plumbo culpæ adulteratum credatur: tute videris.

950. Hinc illa vox Ieremiæ animam prouocans, vt Verbi incarnati amoribus rapiatur: *Vsquequò dissolueris, filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum* cap. 31. num. 22. Multa erant, quibus stupenda hæc nouitas Dei hominem induentis poterat explicari: cur ergo totum in id reducitur, vt Maria Christum circundare dicatur? Multum est, Mariam Deum concipere potuisse: sed, quando concepit, quid magnum, si circundet, cùm omnes pueri ab vteris maternis circundentur? Nosti Dei pueri ab aliis longissimum discrimen: Christus puer, & ab ipso Incarnationis instanti, totius Ecclesiæ caput est immensum: quo autem, cùm de gloria agitur, caput vnquam circundatur, quàm corona? Hoc ergo mirum enunciat Propheta; tantam, nimirum, inueniri fœminam, quæ caput tantum decentissimè valeat coronare. Gillibert. Serm. 21. *Fœmina circundabit virum, quomodo corona caput: caput enim Ecclesiæ, Christus.* Ac si non solùm Deo humanitas assumpta; sed etiam Christo vterus maternus, de floridissima puritate esset corona.

Ierem. 31. Vterus Mariæ coronatius.

Gillibert.

951. Et nota mihi, hoc mysterij diuinitùs à Propheta singulariter *nouum* appellari: quia etiam noua illa caro, noua illa Virgo; id est, extra omnes naturæ corruptæ veteris leges concepta, atque formata, quam Deus in coronam assumere non perhorruit. Septuaginta apud D. Hieron. ibi, licet sensum mutare videantur; tamen in eo veniunt examinandi, quòd aptè, ly, *nouum*, vertunt, *plantationem nouam.* Et certe non sine mysterio: quia sic illa caro orta ex Adamo, sic generosus surculus ex arbore renascitur corrosâ: vt nouam illam, & primam in originali iustitiâ naturæ plantationem imitetur, & sapiat omninò. Neque mirum: solebant enim olim victores Principes amœniores, vt recentiores laureas eligere triumphaturi: quidni enim tæderet marcescentium frondium gloriam nouellam? At Rex noster, Deus, hac carne, tanquam triumphali corona, redimitur. Gillibert. Serm. 20. ad locum ex Cant. citatum, ponderans, cur Caro Christi dicatur diadema: *Benè quasi diadema accipitur Corpus immaculatum, Corpus triumphi, Corpus honoris.* Cur ergo nō horreret caducas frondes, coronam marcescentem aliquando in origine corruptâ, qui illam ex floridissimâ, & nouella plantatione poterat efformare?

Mariana caro triumphalis.

Septuag.

Gillibert.

952. Missurus Iacob filios ad ignotum tunc Iosephum, quem sibi extraneum Ægypti filium reputabat, addidit: *Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera.* Genes. 43. n. 11. Non solùm munera, sed & illa ex optimis præcipit eligenda: nunquid, quia amabat Principem alienum, & idololatram, quem putabat? Nequaquam: imò tanquàm importunum, & iniustum Benjamini sui exactorem auersabatur. Quid ergo? Quia, cùm munera mitigando Principi barbaro putaret deferenda, non solùm illa electa, sed electissima vidit necessaria: aut enim nihil, aut quâ fieri potest, optimum quid est Regibus dedicandum. Oleaster ibi: *Docet, pretiosiora esse Principibus offerenda.* Vide iam, an Principi suo Deus, & illi dilectissimo, in quo sibi benè complacuit, non munera, & carnem, quam posset, optimam appararet. Vide (si quid vides) an illi corruptam, & vilem illam plantationem, an potiùs nouellam, & pretiosissimam disponeret. Vide, an *Corpus triumphi, Corpus honoris*, vt dixit Gillibertus, ex carne triumphata, ex dedecorosa origine decenter formaretur. O me cæcum, si optimam huic materiam electam non viderem! Redeo.

Genes. 43. Regi non nisi selecta munera offerenda.

Oleast.

953. Clarebunt hinc prophetica illa verba Balaami, de Maria, & Christo, quod mysticè hodie fere omnes Catholici admittunt: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab.* Numer. 24. n. 17. Ab stella, Maria, quid nisi edendum, instar lucis, Christum, sperares? Et tamen non tam lux, aut Sol iustitiæ dicitur Christus in hoc loco, quàm virga. Ecquis vnquam ab stella virgam viderit germinare? Dum virgam dixit Filium, certè pulcherrimæ plantationis arborem designauit Matrem: vnde igitur maluit stellam? Pende mihi, quid clarius pro virga vertat Symmachus: *Et consurget sceptrum.* Quo clarissimè Christi regnum designatur: quasi non solùm à Deo æterno regiam dignitatem; sed etiam à temporali Matre dignitatis huius apparatum participaret. Quidni ergo sceptri, aut virgæ tantæ truncus, stella nominetur: ne quid in Maria terrenum, ne quid è culpa sordidum existimares? Benè Galfrid. ibi verbis sæpè citatis: *Quæ sola Solem iustitiæ genuit, non humanas tantùm, sed angelicas stellas supergressa est vniuersas: nec modò exemplo stella hæc, sed auxilio lucet.* Et aptè, ni fallor, quando Maria *de Iacob*, id est, supplantatore, orta dicitur; tūc Christus *de Israel*, id est, *de Principe cùm Deo* ortus annunciatur: quia inde Maria verè Iacobæa, & Dæmonis supplantatrix, quia Christus verè Israelita, & singulari modo Princeps cum Deo: & aliunde, neque Christus decenter condignus cum Deo Princeps exsurgere potuisset, si Maria vnquam ancilla Dæmonis foret, si potiùs illius caput non supplantaret.

Num. 24. Christi sceptrū à Maria.

Symmach.

Galfrid.

954. Et quidem meritò hominibus Christus imperaturus, eam eligit Matrem, quæ, cùm ab humano sit semine, sydeream puritatem imitetur. Exemplo res patebit. Creatus à Deo homo, sic à Moyse describitur: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.* Genes. 2. num. 7. Vbi nemo non quærat, cur tam nobili animæ, tam vilis corpus materiæ respondeat: cur tam abiecta caro, tam generosum spiritum requirat? Et respondet acutè D. Chrysol. Serm. 148. post multa de hominis imperio in terrenas

Homo cur è terrâ.

Genes. 2.

terrenas creaturas: *Hinc est, quod fecit te esse de terra, vt esses tu dominus terrenorum, & esses ipsis in ipsius substantiæ communione communis. Nec tamen te terrenum, terrestribus sic æquauit: vt non etiam cælestibus, animarum te cælitus exæquaret: & vt esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum iumentis, dedit tibi animam de cælo, dedit tibi corpus de terra: vt in te nexa cæli, terræq́, concordia seruaretur.* Quasi non aptè in terrenorum Regem crearetur, qui non ortus à terra: nec decenter solâ terrâ constaret, sed insuper cælitus animandus, qui cæli, & terræ concordiam copulaturus. Sic suo modo in re nostra: oritur ab humano semine Christus Rex hominibus imperaturus: non tamen decenter è sola humana carne, sed illa quodammodo angelicæ puritatis radiis, de innocentiæ munditie compacta: vtpote, in quo, & lapsi, & integri hominis concordia copulanda: ad exemplum; non vlterior veritas requirenda.

D. Chrysol.

955. En tibi Christum à Maria regni sui stemmata desumentem, vt videas, quàm meritò Sancti Patres vellus illi purpureum assignarent, vnde purpura supremi Regis construeretur. Videamus nunc paucis, qualis inuicem Matrem coronet Christus: inde enim etiam Mariana innocentia obiter comprobabitur: de quo licèt multa suprà variis locis, nonnulla tamen addere non pigebit, vt seruata proportione notes resplendere à Christo in Maria, quod ab hac in illo vidisti resplenduisse. Dixi alibi ex D. Epiphanio, Mariam, geinmam peperisse, & coronam regiam plexisse: quam sententiam in Orat. sæpè citata aptè in hanc rem sic inuertit: *O corona regia, pretiosissimum habens lapidem, & gemmis similem Christum.* Vt quemadmodum Maria coronam ex purissima carne Christo dedit, in qua eiusdem anima instar gemmæ eniteret: sic iam Maria corona speciosissima redderetur, quam totus Christus instar fulgentis lapilli irradiaret. Ideò D. Bern. Serm. de B. Mar. & verbis Apocal. *Coronauit eum, & vicissim ab eo meruit coronari.* Obuia sunt, quæ addit de Matre verum Salomonem diademate carnis redimiente, déque illo Matrem duodecim stellis coronante.

Christus Mariam coronat.

Epiph.

Bernard.

956. Sed, vt vidimus Christum à Matre aureum, videamus vicissim hanc ab illo auream. Ferculum suum gratissimum, id est, Mariam Deus condidit, in quo cùm omnia faceret pretiosa; pretiosissimum tamen reddidit reclinatorium: *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum.* Cant. 3. num. 10. Nihil in ordinariis quadrigis minùs curiosè solet apparari, quàm reclinatorium, vtpote quod reclinato corpore tegitur, & minùs ostentatur. Vnde ergo reclinatorij sacri splendor sic excellens? Vidistin' aliquando pulchellum puerum, flaua cæsarie venustum, hinc retropendulis, hinc antecuetulis comis cincinnatum, in matris sinu caput reclinantem, quem illa tacitæ mentis gaudiis pertentata, multifido eborei pectinis discrimine dum comit, dum pectit, quot decidentes crines in sinu excipit, tot se filis aureis iurabit radiantem? Sic, sed longè excellentiùs, in re nostra. Caput Christi, aurum optimũ: reclinauit hoc in vtero materno, quidni illum pulcherrimè inauraret? Cùm autem caput Christi Deus, non quouis alio, sed Diuinitatis auro id perfecit: vt vterus, vnde carnis aurum sumpsit Diuinitas, quoad fieri potest, participato Diuinitatis auro splendescat. Guillelmus ibi: *Inclinauit se Altissimus per Incarnationis mysterium, vt reclinaretur in vtero Virginis, &c. Aureum est eo ipso, quo maiestatis pacifici Regis reclinatorium est. Fecit aureum eo ipso, quo fecit suum. Caput eius aurum obrizum, culcitã suam inaurauit. Matrum cæterarum vteri, reclinatoria plumbea, vel lutea sunt: quia in eis reclinant caput non Filij Dei, sed filij iræ; & ob hoc etiam filij gehennæ. Solus Mariæ virginalis vterus reclinatorium aureum est, qui reclinatorium diuinæ maiestatis.* Viderit Guillelmus, an vterus (quantùm licuit) Diuinitate posteà inaurandus; initio fomitis sordibus meritò obtrudatur.

Maria à Christo aurea.

Cant. 3.

Guillelm.

Neque id satis. Non vtcunque coronam, sed illam triumphalem, vt vidisti, Christo è carne suâ præstitit Maria: audi eandem pariter triumphali coronâ redonatam. Assumendam in cælo Matrem prouocabat Christus dicens: *Veni de Libano, Sponsa mea, &c. coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cant. 4. num. 8. At, cur, dum coronanda vocatur, ab his montibus, in quibus horribilia monstra vitiorum designantur, dicitur coronanda? Dixi alibi fusè ex Guillelmo, hęc omnia vitia detriumphasse Christum, ideóque Matrem, à qua triumphalem carnem acceperat, ad participationem triumphalis coronæ inuitare. Nunc cape Honorium ibi, qui, licèt etymologiam non ita constantem apud alios deducat, aptè tamen ad rem præsentem sic scribit: *Coronaberis de monte Amana, hoc est, recipies coronam de triumpho, quam promeruisti de Diabolo, qui est mons Amana, quod est nocturna auis: ipse est Rex super omnes filios superbiæ, ducens errantes ad noctem mortis.* Ecquid ergo singulare in hoc triumpho suspiceris, si Maria aliquando Dæmoni subiacuit? Certè cæteri iusti, etiam cùm ad gloriam euehuntur, etiam Dęmonem dicuntur triumphare, etiam decoris laurea coronantur. Ideò ergo, tanquàm nouum aliquid, triumphus Marianus celebratur: quia reliqui, licèt triumphatores; tamen olim, in origine saltem, à Dæmone triumphati: vna est Maria, quæ perpetuò nocturnam auem, & serpentem Tartareum triumphauit, vtpote cuius nec leuissimè calcaneum, quantumuis insidiatus, mordere potuit. 957.

Assumptio Mariæ.

Cant. 4.

Honor.

Semper aliquibus dubium visum hieroglyphum illud Marianum, de quo Ioannes Apocal. 12. n. 2. *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Symbolica planè est significatio: si enim tantummodo lucis ornatus quæreretur, frustrà fulgentiorem Lunam sub pedibus collocaret, quæ de obtusioribus stellis coronatur. Notissima ergo, & vulgo festiuissima explicatio D. Bernardi Serm. suprà citato, qui meritò in Luna Serpentem Infernum explicauit, qui stultissimus, vt Luna mutatus, perdidit sapientiam suam in decore suo: & proinde Deiparæ, cuius calcaneum non attigit, prosternitur conterendus. Parco præoccupatis ab alio, & subdo in rem meam, verba, quæ subdit Bernardus illibata: *Ipsa est quondam à Deo promissa Mulier Serpentis antiqui caput, virtutis pede, contritura, cuius planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causâ: sola enim contriuit hæreticam prauitatem.* 958.

Apocal. 12.

Maria à Conceptione sua hæreses calcauit.

Bernard.

prauitatem. Alius enim non de substantia sua Christum edidisse dogmatizabat: alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius, vel post partum viro cognitam blasphemabat: alius, Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Itaque ex mente Bernardi ideò in hoc loco *Lunam*, siue Serpentem Maria detriumphat: quia insidias eius, id est, hæreses in se commotas in vniuerso mundo interemit. Sed tu mihi pende, nullum aliud immaculatæ Conceptionis symbolum clariùs, & celebriùs ab Ecclesia Romana vsurpari, quàm hæc Mulier lunaticos Serpentis errores in se conterens: fausto, credo, præsagio, vt indicet, à Conceptionis suæ puritate ortum Mariæ robur, quo hæreses debellauit, sperandúmque, vt aliquando Catholicos Doctores minùs piè de Conceptione existimantes conuincat, immisso veritatis lumine, quæ ab ipsa Conceptione Hæreticos, iniectis Inferni vinculis, superauit. Sed de Serpentis capite contrito alibi late.

§. V.

Purpurâ, quam à Matre accepit, Christus Iustos induit: inde isti regali gloria splendescunt.

959. RESTAT adhuc, vt Mariani velleris munditiem, & priuilegia absoluamus, aliud eiusdem munus explicare: quod vt capias, reuoca in memoriam verba illa D. Leontij apud Phot. cod. 272. alibi data, vbi Euæ miseriam, & Dæmonis fallaciam deplorans sic scribit: *Fame liquescentis nutritus, & illius induens nuditatem, tanquàm purpuram regalem ficus folia illi imputauit.* Affectabant, nimirum, protoparentes immortali, & regiâ Diuinitatis purpurâ condecorari: sed consummato peccato, infami nuditate confœdantur: quibus interim insultans hostis, per summam irrisionem abiectissima folia circunducit; pro purpura promissa, vilissima hæc perizomata obtrudens. Hinc etiam, vt alibi dicebam, illa frequens ad ficum Christi properatio, quasi ibi hominem malè nudum sunt peius prurientibus ad lasciuiam foliis indutum se ipso misericorditer indueret ad salutem: de quo dedi Chrysologum Serm. 106. quem repeto, sed adauctum: *Venit ad ficum Christus, vt inueniret Adam, vt nudum tegeret pio sui corporis indumento: cuius ficus non velabat, sed stimulabat pudorem: cuius ficus, id est, Synagoga, in circuncisionibus suis nudabat partem verecundi corporis, non tegebat.* Corpore suo, Carne pretiosissima nos Christus induit, id est, vellere illo, quod sumpsit à Maria: cùm autem vellus istud in purpuram rubescat, inque regium insigne contexatur; ab illo absque dubio in Reges consecramur. Nemo ergo iam, non proteruus, denegauerit, nunquam in Adamo infamem nuditatem

A Maria Reges sumus.

Leont.

Chrysol.

passam Deiparam, quæ Adamum sacro vellere vestiuit: nunquam Deiparam Dæmonis ancillam, per quam homo ad regnum subleuatur. Vtrunque latè ostendo, quo absoluto, Anthologia pariter absoluetur.

Foliacea indumenta protoparentum amouens Deus, pellibus eosdem induere curauit: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Genes. 3. num. 21. Nimirum, vt nemo nescit ex Irenæo, commotus illorum pœnitentiâ, qui instar cilicij asperrima sibi folia succinxerant, misericors mitius indulsit vestimentum. Non caret hæc explicatio, superiori opposita, probabilitate: quam foueo ex Paraphraste Chaldaïco, qui vertit: *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius vestimenta honoris super cutem carnis suæ, & induit eos.* Non solùm blanda hæc vestis, sed decora: non tam rusticus saccus, quàm stola vrbana, ne tam sordescere soloecem, quàm irradiare purpuram videatur. Id mihi dubium, quòd cùm ex gossipio pretioso, ex musco textili, ex arborum lanugine, vnde postea Seres tot sibi telas pulcherrimas ministrarunt, faciliùs has vestes Deus facere possit, vnde etiam illarum decor faciliùs intelligeretur, tantummodo pelliceæ eligantur, putarémque, absque dubio, cum ipsa veste, faustiora nuncia, Agni Redemptoris, miseris communicata: qui dum, quoad meriti communicationem, *occisus est ab origine mundi.* Apocal. 13. num. 8. ab eadem etiam origine pellem purissimam dedit, qua decorè dicamur cum Apostolo, induere Iesum Christum. Fauet, si minùs loco, saltem menti meæ Abbas Cellens. de Pan. cap. 1. vbi ita de Agno eucharistico: *In hoc Dominus conuiuio sanguinem, carnem, pellem, adipem, intestina, caput cum pedibus ponit: vt redemptio in sanguine, refectio in carne, vestis in pelle, vnctio in adipe, scientia occultorum mysteriorum in intestinis, stola prima in capite, consummatio beata in pedibus prabeatur.* Quid ergo mirum, vt qui omnia nobis ab origine mundi dedit, etiam pellem daret indidem induendam: vt propterea pellis illa ænigmatica, vestimentum honoris appelletur.

960.

Genes. 3.

Et calesti Agni vellere induimur.

Par. Chald.

Cellens.

In typum Christi Agni in ara Crucis torridi, holocaustum offerendum præcipiebatur: & addit lex: *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius.* Leuit. 7. num. 8. Holocaustum, vt ipsa præ se fert nominis etymologia, ἀπὸ τοῦ ὅλου καυστοῦ, sic totum incendebatur, vt nihil ab illo reliquum permitteretur: sic enim se totum Christus pro nobis obtulit: cur ergo detracta pellis ministro asseruatur? cur vellus voraci incendio non consumitur? Respondet aptè Cellensis citatus: *Eius Sacerdotis, qui offert victimam, est hostiæ pellis iure perpetuo: etsi enim miraculorum, etsi secretorum scientiam, etsi puritatem conscientiæ, etsi caput iustitiæ, etsi pedes perfectionis, & consummationis tuæ; Iesu, non apprehendo; confortata enim sunt, & non possum ad ista; saltem corium, saltem pellem concede.* Scilicet, nihil nobis fœdius attulit peccatum, quàm virtutum omnium nuditatem, virtutum indumentum, pellem cælestis Agni suspiramus. Absumantur cætera igne, nos præteruolent: vna pellis, vna vestis relinquatur: qua induti, si minùs Christi profunda, ignorantes consequimur; at sub honoris pallio decori apparemus. Benè ergo in visibili holocausto

961.

Leuit. 7.

Idem probatur.

Cellens.

holocauſto pellis reſeruatur, vt oculis nuditatis noſtræ figuratiuum remedium ad ſummam conſolationem reſeruetur.

962. Pararat ſupremus Rex nuptias filio: regali
Et iterum. ſplendida luxu aula comitur, fulgent periſtromatis parietes, ſola picturis marmorum ſplendeſcunt, renidens ebore, & auro lacunar occultis tubis balſama diſtillat, virent frondibus poſtes, grata vndique melodia perſonante: ſtratas ad epulum menſas citreas, lectulos aureos dignè quis deſcripſerit? Interim, *intrauit Rex, vt videret*
Matth.22. *diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. à num. 1. Pleniſſimæ maieſtate nuptiæ, vt pleniſſima myſterio hæc narratio. Inuitarat Rex pluſculos, qui renuerant, neſcias, an magis inſcij, quàm ingrati: ideò, ne conuiuium fruſtraretur, miſſis miniſtris, bonos, & malos, id eſt, diuites, & pauperes, nobiles, & ignobiles attraxit. E pauperibus abſque dubio miſer iſte, vocatus in veſte ſordida, imò compulſus domum intrauerat, cur punitur? O quid, hominum miſerrime, obmuteſcis? quid te prætentâ inopiâ non excuſas? quid non accuſas vocatorem, ſi eo in nuptias impulit, vt expelleret in tenebras? Meritò punitum ſe nouit; ideò mutire non auſus, obmuteſcit. Ad ingreſſum oſtij omnibus veſtes honoris, ſyntheſes ſplendoris offerebantur à conuocante: ſua culpa non induit ignauus, & proinde ſuo merito caſtigatur. At, vnde, inquis, tam omnibus parata veſtimenta? A purpurea Agni diuini pelle, qui ab origine mundi occiſus, cuiuis volenti etiam in veſtimentum excoriatus. Ideò benè Cellenſis citatus: *In pelle iſta veniens ad*
Cellenſ. *nuptias, non depellitur: ſed intrare, & ſuperius aſcendere compellitur.* Tota felicitas noſtra ab hac honoris veſte. Nudo dicitur: *Quomodo huc intraſti?* Veſtitus audit: *Aſcende ſurſum.*

963. Excuſabat ſe anima ſancta apud ſodales, di-
Cant.1. cens: *Nigra ſum, ſed formoſa, filia Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.*
Adhuc plura. Cant. 1. num. 5. Quid ex ſe ſit, & quid ex Chriſto habeat, apertè manifeſtat. Illud dubium, cur, dum tenebras ſuas, & originis fœditatem per Cedarenam nigredinem explicaret, non iam ſubgrata antitheſi formoſitatem gratiæ, ad candorem reduceret, committeret ſplendori? At quidem bellam antitheſim non dimiſit: ſatis nigredinem fugauit, dum ſe inſtar pellium formoſam oſtentauit. Purpurea Salomonis noſtri pellis ad dignitatem, de innocentia candicat, de virtutibus fulget, de luce ſplendeſcit: ſatis candor opponendus nigredini per pellis ſacræ exprimitur formoſitatem. Hinc meritò ſupradictus Cellenſis ad Ie-
Cellenſ. ſum: *Pellem concede, &c. pellem calidam, & candidam, vt preparem ex ea virtutum amictum, vt ſint pelles meæ, ſicut pelles Salomonis.* Et benè non ſolùm candor, ſed etiam calor: neque enim ſolùm culpæ nigredo, ſed etiam torpor frigidus exercendis quibuſuis bonis operibus nos inuaſerat: ideò à calido iuxtà, & candido amictu remedium comparamus.

964. Non tam Prophetam, quàm Euangeliſtam ſe geſſit Iſaïas, dum Chriſtum paſſum ob oculos proponit: ſic cuncta, abſque ænigmate, demptis vmbris Paſſionis ſacræ, myſteria manifeſtat: ſolùm videntur impexa illa, quæ ſubdit: *Oblatus* Iſaiæ 53.
eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut *Huius velleris decus ne-*
ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram *bis veſtien-*
tondente ſe, obmuteſcet. cap. 53. num. 7. Ouem *dis.*
occiſionis dixerat, quid magnum addit, ſi posteà compellet agnum tonſionis? Si ad patientiæ ſtuporem obmutuit trucidata victima, nec vel leuiſſimè aperto ore ingemuit; quid mirum, ſi tonſa minùs grauiter, comprimat balatus? Non, tanquàm grauius aliquid, hoc expreſſit; ſed tanquam aliquid neceſſariò exprimendum. Sed quid, inquis, nobis afferat diuina victima, ſi non ſolùm occiſa; ſed etiam detonſa offerebatur? Reſpondet D. Chryſologus Serm. 23. *Chriſtus ſicut ouis,*
& nolens, & tacens tondetur, vt tegat illam, quam Chryſol.
Adam primus intulit, nuditatem. Velut Agnus occiditur, vt peccatum totius mundi immolatus abſoluat. Ponit pro ouibus animam ſuam, vt impleat & pietatem Paſtoris, & curam. Tota paſtoritij muneris exultatio, tempore tonſionis celebratur, vt conſtat ex 2. Reg. 14. num. 23. tunc hilares palæſtræ, gratæ fiſtulæ, numeroſæ ſaltationes, feſtiua conuiuia. Tanquàm ergo aliquid in media doloris vehementia nobis iucundiſſimum ſacri Agni noſtri detonſio exhibetur: & effuſis de Redemptoris compaſſione lacrymis, permixto gaudio de vtilitate noſtra exultamus: exuſſimus probroſam nuditatem: ab hoc detonſo vellere nobis honoris iam contexitur veſtimentum.

O Maria, quàm nunquam fœdæ nuditatis 965.
particeps extitiſti, quæ in nuditatis remedium
parabaris. Denudamur in protoparente omnes, *A Maria nobis hoc vel-*
originalis ſplendoris amictu ſpoliati: in Chriſto *lus.*
omnes; ſed per te, iam gratiæ fulgoribus induimur. Illi folia ficus, aut doloris iuſti, aut libidinoſi pruritus ergo, nobis porrigebant: tu vellus molle ad delicias, carnem virginem ad caſtimoniam in veſtimentum honoris porrexiſti. Corruptionem illi; tu verò nobis affers incorruptibilitatem. Faceſſat ſapientiæ pariter, & lanificij falſum Numen, Minerua vana, è cômentitio Iouis cerebro ſomniata: vna, vna eſt Virgo noſtra prudentiſſima, quæ Verbum à mente Patris productum verè ſuſcipiens, lanam pariter mundam, & veram nobis intulit ſapientiam. Præcinit D. Epiphan. lib. 3. hær. 78. *Euæ datum eſt operire corpus* Epiphan.
ſenſibile, propter nuditatem ſenſibilem: Mariæ verò datum eſt à Deo, vt pareret nobis Agnum: & ex gloria ipſius Agni fieret nobis, velut à vellere ſapientiæ, per virtutem ipſius, indumentum incorruptibilitatis. Vbi plura de Maria pulcherrimè Antiena.

Et pende, quantum diſcrimen Deiparæ, à pro- 966.
toparentibus. Vix iſti poſt vetiti cibi guſtum, quem ficum fuiſſe volunt nonnulli, ſe nudos agnouerunt, cùm perizomatis conſtruendis, vt vidi-
ſti, *conſuerunt ſibi folia ficus.* Mirum eſt, quando- Geneſ. 3.
quidem ſibi foliaceam veſtem affectabant, non è *Peccatores frondes, diſ-*
platano latiore, non è teneriore vite frondes ele- *ſe vaſtas.*
giſſe; ficus tantummodo foliis inhiant; credo, ad vindictam, vt illi, vnde fœdam perceperant nuditatem, nuditatem fœdam inuicem inducerent. Exuimus, inquiunt, gratiam; & frondes ſuas exuat ficus fallax. Cur amœnitatis virore comatur, per quam comptum amiſimus naturæ? Tulerit damnum, quod intulit; & quæ nudauit miſeros, denudetur. Niſi dixeris, non tam deſumendæ ex arbore

bore vindictæ, quàm protestandæ adhuc culpæ proteruiæ id fecisse: ideò non tam absolute arborem frondibus dicuntur spoliare, quam inde sibi vestem comparasse: quasi non tam spoliarent, quod odirent, quam vt indidem vestem mutuarentur, non contenti ab arbore peccasse, nisi per iactationem ab eadem habitum, in proteruiæ stemma designarent. Vtranque hanc causam mihi visus vidisse D. Basilius Seleucus Orat. 3. tam aliter ab aliis explicatus, vbi ita ad hunc locum: *Ipsi nudati, nudant arbores: circa arborem præuaricati, ab arbore indumentum mutuantur.* In vtroque Maria diuersissima, quæ, quòd se semper viderit indutam; verum vitæ lignum Christum, vnde gratiam participarat, grati animi in significationem, carne purissimâ libens superinduit. Ipsa vestita, vestit Christum: quia protoparentes nudati arborem denudant. Hi culpam ab arbore mutuantes, arboreo amictu exultant adhuc: Maria à Sole iustitiæ, originalem iustitiam mutuata, ipso Sole, vt vidisti, amicitur. Fortè, vt id obiter addam, ideò in hoc Sole, & vero vitæ ligno abscondita, (de quo supra multa,) quia protoparentes in medio ligno mortis se absconderunt. Quæ verò nobis Maria perizomata consuerit, dixi alibi ex Persenià.

Basil Sel.

967. Sed ad rem nostram concludamus pulchris verbis D. Ambros. Serm. 13. qui dum Agnum nostrum Mariano nos vellere celebrat induentem; absque dubio visus Marianam innocentiam protestari. Ergo S. Doctor ad illud Ps. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus.* de vellere sic scribit: *Vnius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures prębens meatus; & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauriret corpore: nec eius discissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam.* Nec vnius meatus scissuram nouit vellus, sed solidâ mollitie, molli soliditate incorruptum perseuerat; frustrà rectè Mariam expressurum, si hæc non solùm ad virginitatem, sed solida etiam ad omnem sanctimoniam; vel vnius meatus scissuram, ad culpam originalem pateretur. Talis futura, quæ indutum nos Agnum decenter induit. Pergat Ambr. *Rectè, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui & ipse matris lanicium, hoc est, carnem, gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera peccatorum: omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine: & vt sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.* Ipsum, ipsum Marianum vellus, ipsa eius caro, lanicium est Agni Dei. O minùs ergo decens vulnerum nostrorum fomentum, si aliquando & ipsum vulneratum!

Iterum de dicto vellere per Mariam.

Ambros.

968. Propero ad secundam tituli partem. Induimur vellere Mariano à Christo, & hoc ad dignitatem regiam, purpureo: ab origine mundi, vt dixi, indumento honoris, speciosâ purpurâ iustos suos vestiuit Christus: hinc meritò veri, terrenis illustriores Reges semper habiti. Expressum id voluit Salomon Prou. 17. n. 7. *Non decent stultum verba compositą; neque Principem, labium mentiens.* Quod in Sixtian. sic vertitur: *Non congruunt imprudenti labia fidelia; neque iusto, labia mendacia.*

Iusti verè sũt Reges.

Prou. 17. Sixtian.

Non distinguitur à iusto Princeps; nec sceptrum, à virtute: nam, vt Salustius in Prol. Catil. *Diuitiarum, & formæ gloria, fluxa, atque fragilis est: virtus clara, æternáque habetur.* Et pulchrè claritati connectit æternitatem: in solo quippe glorioso virtutis regno, hæc duo inseparabiliter norunt cohærere. Neminem vsquam legi, qui significantiori exemplo rem patefaceret, quàm Seneca epist. 21. vbi ita: *Maximum negotium tecum habes: tu tibi molestus es: quid velis, nescis. Melius probas honesta, quàm sequeris. Vides, vbi sit posita felicitas; sed ad illam peruenire non audes. Quid sit autem, quod te impediat, quia parum ipse dispicis, dicam. Magna hæc esse æstimas, quæ relicturus es; & cùm proposuisti tibi illam securitatem, ad quam transiturus es, retinet huius vitæ, à qua recessurus es, fulgor, tanquam in sordida, & obscura casurum. Erras, Lucili, ex hac vita in illam ascenditur. Quod interest inter splendorem, & lucem, cùm hæc certam originem habeat, & suam, ille niteat alieno; hoc inter hanc vitam, & illam: hæc, quia fulgore extrinsecùs veniente percussa est, crassam illi statim vmbram facit, quisquis obstiterit: illa verò suo lumine illustris est.* Ideò ista tenebras nescit, caligines ignorat, vmbras non pertimescit, vt quæ cælestis regni adspirat claritati, iámque hic immortali eiusdem respirat luce, non tam posteà mutanda, quàm adaugenda.

Salust.

Et æterni Reges.

Seneca.

Quis non miretur, quàm intrepidè Ioseph, quámque cõstanter fratres docuerit, vt se pastores apud Pharaonem protestarentur: *Viri pastores sumus serui tui ab infantiâ nostra, vsque in præsens, & nos, & patres nostri.* Genes. 34. n. 34. Si enim hac ratione sola terra Gessen, quę erat apta gregibus, captaretur; satis erat, si se pastores dicerent: & cur abiecto officio, generosos auos, & atauos immiscerent? Nimirum, in solitudine, ab vrbium, & vitiorum strepitu semoti, semetipsos magis, quàm greges gubernabant: ibi tabernaculorum habitator Abraham, Mesopotamiæ pastor Iacob, in agro meditator Isaac, magis mores, quàm caules componebant: potiùs insurgentes motus, quàm inuadentes lupos suffocabant: magis dispersas cogitationes, quàm deerrantes oues reducebant: vnde sui magis, quàm pecoris pastores in Iustitiæ regnum euecti, pastoritium munus non erubescunt, imò tanquàm regiam excellentiam profitentur. Hinc Philo Iud. ad hunc locum, lib. de Caïn, & Abel: *Nihil perculsi apparatu regio, fatentur se pastores pecorum, nec tantum se, verum patres quoque suos: atque alius vix principatum, prudentiámque ita iactaret, vt hi viri vitam pastoritiam. Si quis tamen rem pro dignitate valeat expendere, maius regno est hoc negotium: posse tanquàm ciuitatem, aut regionem, corpus, sensúsque, & ventris, ventrique subiectarum partium voluptates, caterósque affectus, & linguam, aliáque, ex quibus constamus, nunc moderari constanter: nunc fortiter, nunc æquanimiter in viam ducere.* Sic verum virtutis regnum, Pharaonis imperio præstabat, gentilitiáque stemmata, de gubernandi cordis munere ostentabat. 969.

Regum borũ officia.

Genes. 34.

Philo.

Retardabat Iordanes gradientem Eliam, tunc ille, *tulit pallium suum, & inuoluit illud, & percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtranque partem.* 4. Reg. 2. n. 8. Arripit caprinam melotem, solocem vilem, qui faciliori negotio, (quando verba iubentis ablegabat) immisso brachio, aut 970.

Illorum purpura unde.

lapide proiecto, de virtutis meritis, aquas subdiuidere potuisse videbatur. Ecquod in hoc pallio arcanum delitebat? quid miraculo aptius elucebat? Nihil Reges, quos contra decertarat Elias, ambitiosiori fastu ostentant, quam purpureum paludamentum, cuius etiam contactum, si quandoque excidebat, abrasà terrà sacrum testabantur veteres. Miracula ergo pannoso suo palliolo consignat Propheta, vt longe istud de virtute imperiosius quauis regali purpura probaretur. Allusit D. Nilus in Ascet. *Quis enim Rex tantum potest, quãtum virtus? Quæ purpura flumen diuisit, vt Eliæ pelis?* Sic pellitus Elias purpurato antecellebat Principi: sic virtus omni imperio reddebatur augustior. Quidni, si pellis huius dominus animam iam purpureo diuini Agni vellere induerat? Grauiùs, ni fallor, quàm supra, virtutis gloriam noua alia comparatione illustrat Seneca epist. 41. *Quid eo dementius, qui ea gloriatur, quæ in alium protinus transferri possunt? Non faciunt meliorem equum aurei frani. Aliter leo aurata iuba mittitur, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus integri spiritus: hic, scilicet, impetu acer, qualem illum esse natura voluit, speciosus ex horrido, cuius hic decor est non sine timore aspici, præfertur illi languido, & bracteato. Nemo gloriari, nisi suo, debet.* Bracteatus Achab languescit, Elias ex horrido speciosior pertimescitur: quia non solùm habitus Regem format, sed virtus: non pellis Prophetam deformat, sed exornat: cuius dum sanctimoniam testatur, contestatur & regnum, imperium libertatis manifestat.

Nilus.

Seneca.

971. Testatum id voluit Dauid, quando dixit: *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione eius.* Psalm. 95. num. 6. Hæc vltima verba ita vertit Vatablus ex Hebr. *Potentia, & magnificentia in sanctuario suo.* Sic synonymicè *sanctimonia*, & *potentia* inuicem exprimuntur. Nihil sanctimonia potentius, nihil regalius: si sanctus apud Deum adstas, & potens adstas. Benè D. Chrysostomus in Psal. 48. ad hanc rem, si minùs ad hunc locum: *Sit Rex malus, & priuatus bonus: videamus, quis sit dominus alterius, & vbinam resplendet dominatus: qui est, qui imperat, & qui paret alterius imperio, quomodo sciemus? Rex rem malam, & scelere plenam priuato imperet, cui bonus priuatus non modò non acquiescit, nec obediet: sed eum etiam, qui imperat, conabitur abducere ab instituto, licèt mori oporteat.*

Psal. 95.

Vatabl.

Imò Regum sunt Reges.

Chrysost.

Vt etiam iustus, minùs decorè tantummodo Rex dici videatur, nisi & Regibus ipsis Rex constituatur, nisi Principum Princeps, & Christi instar, iam Dominus dominantium denominetur: sic virtus Moysem constituit Pharaonis Deum, & Iosephum, vt nosti, dominæ suæ dominum assignauit.

Hinc capies, quid sit illud Christi Domini ad Apostolos: *Vestri beati oculi, quia vident; & aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt.* Matth. 13. n. 16. Quam sententiam prolaturus Lucas cap. 10. num. 24. sic habet: *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis.* Diuerso quippe titulo idem significatur. Is solùm Rex, qui iustus: quia virtute duce regnum illustrissimum comparauit. Beda lib. 3. in Lucam, cap. 43. *Quos Lucas multos Prophetas, & Reges dicit, Matthæus apertiùs Prophetas, & iustos appellat: ipsi enim sunt Reges magni, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Nota particulam illam, *apertiùs*, haud dubiè conciliandis Euangelistis emphaticè à Doctore Venerabili propositam: quasi sit cælestis aulæ vox arcana, politicum ænigma, vt *Reges* propriè, & syncerè prolati iustos adsignificent: & sit licèt aliquis seruilis conditionis, si iustus est, eo ipso Rex intelligatur. Adhuc iterum in hanc rem pauca ex epist. 44. Senecæ delibanda: *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles: nec reiicit quenquam Philosophia, nec eligit, omnibus lucet. Patritius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quòd desperes, his te posse fieri parem? Omnes hi maiores tui sunt, si te illis egeris dignum.* Grauissima planè gnome. Omnes iustos habere maiores, progenitores numerare, si illorum æmuleris virtutes, poteris confidenter: & totidem nobilioris stemmatis gentilitij titulis te adornare, quot regna illorum sanctimonia acquisiuit. Sed de hac in regalem iustorum familiam adoptione, alibi fusè dixi: & hæc de regno nunc satis, quæ Marianæ purpuræ splendoribus explicandis proposui necessaria; minùs enim decenter putaueris Dæmonis tyrannide possessam aliquando, cuius ministerio non solùm tyrannidem miseram euasisti; sed etiam adhuc viuens regiam dignitatem comparasti.

972. Matth. 13.

Et Reges magni.

Luc. 10.

Beda.

Arcanà voce cælestis Curiæ, regnum dicitur pro sanctimonia.

Seneca.

ANTHO

ANTHOLOGIA XV.

Mariæ mors non pœnalis de culpa, gloriosissima.

§. I.

Iustorum mors per Christum felix properat, felix exoptatur.

973. *Maria mors gloriosa.* OCCASIONE illorum, quæ suprà in Examine n. 675. de Mariæ morte disserui, fusè iam de eadem disputandum. Discooperienda est facies mortis, si fortè non ita fœda videatur, vt illam innocentia nō fastidiat: nescias enim, quo fato, attentis etiam Christi meritis omninò mortis horrorem examinantibus, sic aliquibus scrupulosè exhorreatur, vt illius falcem, non nisi in peccati segetem, tanquàm in propriam immitti potuisse existimarent. Vnde eo ipso origine infectam prędicent Deiparam, quòd affectam mortalitate recognoscant. Falluntur egregiè: eleuant Christi gloriam morientis, mortis sæuis stimulis obtundendis, dum illam adhuc sic formidant aculeatam, & proinde sic horribilem, vt culpæ tantummodo decenter tribuatur. Benignior iam est mors, pulchrior apparet, quam etiam innocentia non abhorreat: sic inermis, vt quasi nihil habeat roboris, iam quodammodo pro mortua reputetur. Vnde, quæ timore sui angebat, nunc voto recreat: quæ præsens certissimè vitam eripiebat, nunc adueniens vitam portat felicissimam: quæ denique pro beneficio habebatur, vt maiorem timoris præuij pœnam euitaret, de quo fusè in Cant. Tropologico; nunc spectato non naturæ horrore, sed vero mentis iudicio, iam verè beneficium est: quia expectationis suæ vota dulcia, dulciori aduentu nouit cumulare.

974. *1. Cor. 15.* Ideò D. Paulus celebratâ mortis victoriâ à Christo reportatâ addit: *Absorpta est mors in victoria. Vbi est, mors, stimulus tuus.* 1. Cor. 15. n. 55. Apis quasi de stimulo viuat, illo erepto moritur: *Mors iustis per Christū facta dulcis.* sic mors in Christi carne, stimulum cum vitâ reliquit pariter. Vt, quemadmodum ape nihil foret suauius, si mel afferret, stimulum non inferret: sic iam nihil morte dulcius, quæ viuit ad fauos, moritur ad morsus. Sed neque in Christo patiente, nouella hæc victoria: quasi verò qui in temporis plenitudine venit, in temporis infantia non saluaret. Certè ab initio iusti vixerunt per Christum, nec in morte mortis acerbitatem degustarunt. Hinc clara lux obscuris aliàs verbis Ioannis, quibus describens monstrosam illius bestiæ immanitatem, sic concludit: *Et adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro Agni, qui occisus est ab origine mundi.* Apoc. 13. n. 8. *Apoc. 13.* vbi, ni ego fallor, aut gratâ verborum antithesi, aut certa rerum explicatione, liber vitæ per Agni occisionem declaratur, quasi tunc Agnus aptior scribendis viuentibus, cùm morti traditur: & propterea felices isti scripti, nunquam mortis nigerrimo albo essent adnumerandi; quia in Agni morte essent viuificati: Id autem *ab origine mundi*: vt nulla ætas huius beneficij expers notaretur. Hugo Vict. ibi apud Godefrid. *Agnus occisus est ab initio sæculi, id est, iis, qui fuerunt ab initio sæculi, hoc est, ad redemptionem, ad salutem, ad reconciliationem eorum, qui fuerunt ab initio: vt per hoc, quod dicitur, ab initio, determinetur non tempus occisionis, sed salu[illegible]. Etiam inconueniens nullum erit, si semel, & ab initio occisus esse dicatur: prius enim mors eius profuit, quàm fuit.* *Hugo Vict.* Non enim condigna Deo mors fuisset, nisi priusquàm foret, profuisset: vt qui mortis pœnâ, priusquàm forent, in Adamo primo damnabantur: melioris mortis vitâ nondum existente, in Adamo secundo fruerentur.

975. *Christi mors à quibus præfigurata.* Sed iam pressiùs titulum aggrediamur, prę̨missa eiusdem loci celebri aliâ explicatione ex Ambrosio, imò Ambrosiastro: *Agnus igitur ab origine mundi, quia eius mors ab exordio generis humani in sanctis Patribus præfigurata fuit: in primo nanque figurata, homine præfigurata est, quando eo dormiente, Eua de costa eius facta est: similiter & in Abel præfigurata est, quia à fratre Cain peremptus est: præfigurata est per Isaac, quem pater in holocausto obtulit Domino.* *Ambros.* Mihi ergo ad rem nostram non leuiter videtur prætereundum, omnes tres istas figuras, quæ primitùs Agni mortem referebant, omnes ius mortis pariter eneruasse: vt, quod certum in executione timebatur, in executionis stabilitate, infirmum probaretur: quo, dum qui mortem Agni vitalem in imagine exprimentes, morti insultasse videntur, manifestè ostendant, iustos omnes, quibus diuinæ mortis veritas applicatur, solùm quandam humanæ mortis imaginem stimulo amoto dulcem, & prostrato dolore suauem degustaturos. Nunc iam singulas latè percurramus.

976. *Iustorū mors, somnus suauis.* Præfigurat Adamus mortem Christi, non tam quando miserè mortis ictu fulminatur, quàm dum placidè somno permulcetur: vt dum post infaustæ mortis sententiam de applicando sibi diuinæ mortis remedio consolaretur, nosceret, se Christo cōmortuum non tam morte, quàm dulces somnos initurum. Quàm frequēs igitur iustorum mors in sacra Paginâ somnus appelletur; quasi in

in illa suauissimè conquiescant, ignorat nemo. Subdo vnum, vel alterum verbum, ne omninò sic celebri loco indormiisse videamur. Nondum quidem satis, meo iudicio, excussum illud propheticum: *Cùm dederis dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*. Ps. 126. n. 2. Hæres quidem, eo, quo adit hæreditatem, institutoris induit personam, illum repræsentat: vnde celebre apud Ethnicos olim, Imperatorem sibi hæredem instituere, vt mortui, in nobiliori capite quodammodo durarent, viuerent illustriores. Hoc ergo, ni fallor, voluit Propheta, dum iustos morti, siue somno immersos hæreditatem Domini appellat: tunc hæres Deus habetur, cùm moriuntur iusti: vnde cùm in hærede suo viuant excellentiùs, non tam mori, quàm dormire existimantur.

Psal. 126.

977. Lata tamen inter humanam, & diuinam hæreditatem differentia: ibi enim perit institutor, vt prosit hæreditas: hic, cùm hæreditas sit ipse institutor, non prodesset illa, si periret iste. Hinc ergo, erepto iam stimulo, iubetur mors accedere: quia non debet abesse institutori, vt vera hæreditatis ratio, quæ per mortem comparatur, interueniat: non potest tamen obesse, vt in ipso, hæreditas illæsa perseueret. Illustrat quidquid de hoc versiculo cogitaui D. Bern. Serm. de transitu D. Malach. vbi de morte à Christo victâ, & tamen viuâ adhuc, sic scribit: *Mors ipsa minime quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cùm dicetur: Vbi est, mors, victoria tua? Et ipsa siquidem inimica nouissimè destruetur: nunc vero moderante eo, qui imperium habet vitæ, & mortis, & mare ipsum certis littorum coercet metis, mors ipsa dilectis Domini, somnus refrigerii est, Propheta attestante, qui ait: Cùm dederis dilectis suis somnum; ecce hæreditas Domini*, &c. *Pessima quidem mors peccatorum, quorum & natiuitas mala, & vita peior: sed pretiosa est mors Sanctorum, pretiosa planè, tanquàm finis laborum, tanquàm victoriæ consummatio, tanquàm vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus*. Quidni securitas, si in hærede æterno viuunt, si vitâ iam diuinâ substituuntur? Nec aliter decebat obiisse, qui abiisse in pretiosissimam Deo hæreditatem victoriâ consummatâ noscebantur.

In illa viuūt, se hæreditatē Deo instituētes.

Bernard.

978. Sed, quoniam præcipua hæredis cura, qua pietas statim debita elucebat, in celebrandis defuncti institutoris exequiis impendebatur; videamus, quibus exequiis, diuinus hæres noster mortuos, vel potiùs dormientes suos prosequatur: vt inde magna sanctæ mortis felicitas comprobetur. Instabat iam diuina dextra, supremæ vindictæ iure instigata, nimborum fulmina, & flumina cataractarum eiaculatura, vt tam sæuo diluuio abominabilis caro obrueretur: ideò præcipit Noë, arcam statim ingrediatur, quam fecerat: *Ingredere tu*, &c. Genes. 7. n. 1. quasi vbi ille ingressus esset, statim egressura foret inundatio. Aliter tamen res euênit: additur enim n. 4. *Adhuc & post dies septē, ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Hæccine celeritas præcipiendi, vt arca adiretur? Ecquis septem hos dies pluuias clausit, vindictam retardauit? Respondet ibi Lyranus: *Isti septem dies, fuerunt dies luctus Mathusalem, vt dicunt Hebræi, de quo supra dictum est, quòd mortuus fuit anno diluuij: voluit enim Dominus eum honorare propter iustitiam suam: & ideò noluit quòd inundaret diluuium, donec transissent dies luctus eius*. Non ergo, vt malam, mortem amico intulit, qui hoc malum tanto fuit honore prosecutus; sed potiùs dulcem illi somnum porrexit, ne cognatorum excidio commoueretur.

Iustorū exequias Deus curat.

Genes. 7.

Lyran.

Illustrius tamen huius rei testimonium apparet in morte Moysis. Adducitur in montem, vbi dum pœnas Deo videtur dare, haud leue certè accipit beneficium. Audi textum: *Mortuus est ibi Moyses, seruus Domini, in terrâ Moab, iubente Domino: & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo sepulcrum eius vsque in præsentem diem*. Deuter. 34. à num. 5. Ecquis vnquam pollinctorem, vespillonémque sortitus gloriosiorem? Quis posset credere, Deum sepelitorem hominis futurum? Scilicet, tradebat eum sepulcro, vt lecto, non tam mortuum, quàm dormientem: quomodo enim poterant manus illæ diuinæ sepulcro sæuo amicum tradere, vnde perpetuò vita dimanauit? Intrat domum Archisynagogi, & ait: *Non est mortua puella, sed dormit*, &c. *& tenuit manum eius, & surrexit puella*. Matth. 9. num. 24. Certè enim somnus erat mors illa, quæ tactum diuinæ manus cuncta viuificantis sperabat. Benè D. Chrysost. in Cat. ibi: *Etenim eo accedente, iam mors, somnus erat*. Ergo ipsæ manus Moysem sepelientis, non morti illum dabant, sed somno commendabant. Philon lib. 3. de vit. Moys. ad finem: *Viuens adhuc prophetauit de se ipso, tanquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum, sepultúmque, inspectante nemine: videlicet, manibus non mortalium, sed virtute immortalium.* Vt inter immortales manus, immortalitatis spe conceptâ, dormire magis, quàm mori videretur. 979.

Et quàm decorè.

Deut. 34.

Matth. 9.

Christi tactus vitalis.

Chrysost.

Philo.

Singularissimum tamen adhuc aliquid in hac Moysis morte splendet: vbi enim nos legimus: *Mortuus est, iubente Domino*. vertitur ex Græco in Sixt. *Mortuus est per verbum Domini*. Scilicet, per illud verbum, per quod omnia facta sunt: per illud verbum, quod intimè operatorium, non destructorium vitam cunctis dedit: de quo benè prædictus Philon lib. de sacrif. Abel, initio ad hunc locum: *Ex verbi illius causalis authoritate migrat, per quod vniuersus mundus est conditus: vt discas, quòd sapientem illum, eodem, quo mundum honore, Deus dignatus est, per verbum, quod condidit omnia, perfectum virum ad se traducendo à terrestribus*. Ac si verbum illud, quo Moyses periit, non iacularetur mortem, sed vitam irrogaret: & vt mundum condidit, sic in illo meliorem pacatioris status conditionem innouauit, gratique somni comparauit irrigationem. Fuit verbum illud dulcissimum instar gratæ melodiæ, quod oculos non clausit morti, sed somno consopiuit. Nomini, cuius captas somnos, strepentem boatū, sed vocem suauissimam cōponis: quidni per hoc verbum Moyses non destruatur, sed stabiliatur, per quod non deficit iacens, sed reficitur soporatus? Ne verò, quæ hic de somno addo, putes insomnium meum: pende mihi, nō dici Moysem mortuū *secundùm verbum Domini*, quasi iuxta minas præteritas effectus impleretur: sed *per verbum Domini*: vbi instrumenti causalitas, quod acutè notat Philon, denotatur. Acutior tamen D. Ambros. lib. 1. de Caïn, cap. 2. Philonem explicauit: *Mortuus est per verbum Dei, non secundùm verbum: vt aduertas, non nuncium mortis, sed gratiæ munus expressum: qui translatus magis,* 980.

Sixtian.

Dei verba vitalia, his iustus moritur separandus.

Philo.

magis, quàm derelictus est, cuius nemo nouit sepulturam,&c. *Mortuus quidem legitur: sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia: verbo autem Dei cæli firmati sunt. Per verbum igitur Dei, non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione: sed tanquàm verbi cælestis operatione donatus, & munere: vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit.* Quid gratius iam iustis esse poterit, quàm sic felici somno recreari? Hæc mors etiam innocentiam non dedecoraret. Nec te celabo, quod alij legunt: *Mortuus est in ore Domini.* vt vnde spiraculum vitæ Adamo prodiit, inde mors vitalis iusto dimanaret.

Ambrof.

981. Hæc omnia, quamuis verissima de Christi meritis ab ipso mundi initio: tamen post eius aduentum, vt res meliùs intelligeretur, profusior ab effuso iam sanguine gratia dimanauit. Vox ista *somni* pro morte, quasi per somnium olim capiebatur:& quæ inter cælestis curiæ arcana habebatur, iam fidelium vulgo penetratur: scilicet, quia somnus iste dulcis visitatior. Dormientem Lazarum, id est, mortuum, Discipulis suis Christus nunciarat: ad quem tunc illi: *Domine, si dormit saluus erit.* Additque Ioannes: *Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.* Ioan. 11. num. 12. Tandiu cum Christo fuerant:& somnum pro morte sumi ignorabant: Erant illi adhuc rudes, & vox erat vsque tum ignota vulgo, & penitùs peregrina: vbi verò mortem Christus triumphauit, traducens illam in Cruce confidenter; iam iustis dulcior, iam passim appellari somnus deprehenditur. D. Chrysost. hom. 2. de Cruce apud Gretf. *Postquam Christus venit, & pro mundi vita mortem subiit, non ampliùs vocatur mors, mors; sed somnus, & dormitio: dormitionem appellari testantur illa verba Domini: Lazarus amicus noster dormit. Non enim dixit, mortuus est; quamuis reuera mortuus esset. Vt verò intelligas, nomen dormitionis peregrinum fuisse, considera, quomodo, hoc audito nomine dormitionis, Discipuli turbentur, & dicant. Adeò non intellexerunt, quod sibi dictum illud voluerit.* Hæc satis de prima figura Christi morientis, id est, de Adami somno: vt dum Christo commoriuntur iusti, suauissimum somnum inire intelligantur.

Somnus pro morte, olim vox arcana.

Ioan. 11.

Chrysost.

982. Venio ad secundam, scilicet, ad Abelem, qui reuerà irruentem in se mortem triumphauit, & verus Christi typus reddidit inermem. Peccat actu Adam; se, & posteros fœdat vniuersos: incurrit mortis sententiam, cuius tamen in plusquàm nongentos annos dilatat executionem. Nascitur Abel tantummodo originis labe fœdatus, paulò pòst mundatus, de cætero per totum vitæ curriculum innocentissimus, & in ipsâ vitæ herbâ, in ipso iuuentutis flore sæuâ mortis procellâ grandinatur. O quid pateris, dicat aliquis, Iudex integerrime? Cur non primus mortem incurrat, qui totius reatus tenuit principatum? Cur primus ictus candidissimum lilium detruncabit? Vt dum primum possessionis suæ actum mors videtur iniustè exercuisse; malâ fide regnum vitæ possidere, & proinde spolianda tandem agnoscatur. Meliùs D. Athanasius quæst. 94. *Quare, cùm peccasset Adam, Abel, qui iustus erat, mortuus est? Quia non voluit Deus mortis fundamentum esse firmum: nam, si Adam primus fuisset mortuus, firmam illa certè basim habuisset, tanquam quæ primum mortuum eum, qui peccasset, abripuisset: quia verò eum, qui iniustè fuit interemptus, primum recepit; lubricum habet, & debile fundamentum.* Ecquæ victoria pueri iusti potuit esse gloriosior, quàm illa, quâ cum morte propriâ, mortis ius defraudat; vitæ nostræ iura prisca potuit stabilire? Itaque vix erumpit mors misera fructu suo fruitura, cùm rumpitur, iuris sui rigorem amissura: vt quoties deinde iustos inualerit, non tam deferat in interitum, quàm transferat in vitam meliorem.

Mortis ius, vnde ab initio instabile.

Athanas.

Violat sororem patris filiam, & illam suauissimam, Amnon: cuius dum prostrat pudorem, magis regiam patris conculcat authoritatem. Occiditur tandem in vindictam ab Absalone: & tamen eius necem, quasi piissimi sibi erepti filij, tenerrimè deplorat Dauid: *Rex, & omnes serui eius fleuerunt planctu magno nimis.* 2. Reg. 13. n. 36. Maius est, quod dicam: occiditur posteà Absalom fratricida effectu, affectu parricida; ille, qui patris pacem turbarat, thronum inuaserat, macularat thorum: & tamen sic ploratur, quasi his omnibus patrem promeruisset: *Contristatus itaque Rex ascendit cœnaculum portæ, & fleuit, & sic loquebatur vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Absalom fili mi, fili mi Absalom.* Ibidem, cap. 18. num. 33. En tibi, quales filios, qualis plorauit pater. Aliunde ergo respice, qualem se gesserit in morte paruuli sui; rosæ, inquam, e semihulcâ vaginulâ erumpentis, cuius morbum dolore summo fuerat prosecutus. *Dixit ad seruos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est. Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, vnctúsque est. Cùmque mutasset vestem, ingressus est in domum Domini, & adorauit: & venit in domum suam, petiuitque, vt apponerent ei panem, & comedit.* Eodem lib. cap. 12. num. 19. Si conclamatum puerum, è morte sibi ad vitam restitutum gratularetur, quid vltrà faceret? Sed ploratus in aliorum, & lætitiæ in huius morte causam habet D. Ambros. de obitu Valent. *Dauid mortuurum filium flebat, mortuum non dolebat: flebat, ne sibi eriperetur; sed flere desinit ereptum, quem sciebat esse cum Christo. Et vt scias, verum esse quod assero, incestum Amnon filium fleuit occisum, parricidam Absalom doluit interemptum,*&c. *innocentem filium non putauit esse lugendum: quia sibi illos periisse pro scelere, hunc pro innocentia credidit esse victurum.* Non periit puer, qui iam Christo adhærebat, dum eis meritis abiit immaculatus, vnde non tam mortem, quàm melioris vitæ spem adiisse cognoscebat. 983.

Iustorum mors, non ploranda.

2. Reg. 13.

2. Reg. 18.

2. Reg. 12.

D. Ambros.

Hinc idem met Dauid Ps. 118. num. 176. *Erraui, sicut ouis, quæ periit: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Solent pastores putridum ouis cadauer, non tam requirere, quàm relinquere: quomodo ergo, si errore auio instar ouis non deerrasse, sed periisse se fatetur; adhuc audet se quærendum postulare? Quid hominis putridum cadauer, diuinus Pastor sollicitus inquirat? Typum gerit Dauid in hoc loco, humani, id est, mortalis generis: sciebat autem, quia, si quæreretur à Christo, iam mortem, vitæ vices habituram. Pecoris sui morticina relinquunt terreni pastores, vt desperata; cælestis Pastor mortuos suos habet pretiosos, 984.

Psal. 118.

Crux nobis vitalis.

quibus nouit meliorem vitam. D. Ambrof. ad hunc locum Serm. 22. *Porta me in Cruce, quæ* Ambrof. *salutaris errantibus est, in qua sola est requies fatigatis, in qua sola viuent, quicunque moriuntur.* Ideò sanè ex Græco non legitur in hoc loco, *quære*; sed, *viuifica seruum tuum*: de quo statim iterum Ambr. *Pulchre autem etiam, viuifica, potest dici: eo quòd mori non possit, quem humeris sua virtus portauerit.* Quia enim virtus corruere non potest, quæ mortis iura eludit; stabiles iam contra mortem perseuerant, quibus se illa basim præbuerit firmissimam.

985. Et quidem aptissimè iustus, qui se in Adamo primitùs periisse intelligebat, non tam in Adamo *Mors iustorũ cur lucrum.* iterum, quàm in Christo viuificari cupiebat: si enim in parente, abolito (demus id) originalis mortis iure vitam recuperaret: at poterat timere, ne aliunde mortis fauces sæuissimas incurreret. At si in Christo viueret, quæuis mors fugaretur: aut, quod est rarius, melioris vitæ gestatrix efficeretur. Hinc Apostolus: *Mihi viuere Christus* Philipp. 1. *est, & mors lucrum.* Philip. 1. num. 21. Non solùm nihil de morte amittit; sed aliquid lucratur, nimirum, viuentis in se Christi securitatem. Huius itaque vitam meliorem viuens dum retineat, mortem ridet, per quam nouit se neutiquam moriturum. D. Chrysost. ibi: *Etenim non ideo non moriar, eò quòd vitam habeo in me ipso: tunc verò* Chrysost. *demum me occiderint, si per metum, & terrorem animo meo fidem potuerint excutere: donec verò Christus in me fuerit, etiamsi mors ingruerit, viuam.* Sic nescit, qui in Christo viuit, mori: quia moritur in ipso, qui vita est, vnde necessariò beatus efficietur.

986. Triumphat Dæmonem Iob, & ad priscam felicitatem restitutus, imò maiorem: nam omnia, Iob 42. quæ amiserat spolia, duplicia recuperat: *Et addidit Deus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.* c. 42. *Iusti mortui cur inter viuos computentur.* num. 10. Exulta, felicissime senex, omnia tibi in duplum restituuntur: beatus fœcundiori prole circuncingêris: omnia in duplum dantur, quidni & filij? Septem masculos, tres fœminas amisisti: has sex, illos quatuordecim numerabis: duplicatis bonis hæredes duplicabuntur. At non ita: sed tantummodò dantur illi, *septem filij, & tres filiæ.* Ibid. num. 13. Quid ita? quia Iobo *omnia*, quæ amiserat, duplicantur: at filios, quos per mortem amisisse crederes, retinebat: non enim mortui fuerant, qui iusti, sub fide Christi venturi discesserunt: reuerà etiam filios duplices habuit, quia veteres retinuit, & nouos totidem comparauit. D. Basilius ibi in Catena Græca: *Sed quamobrem equos, mulos, oues, segetes, & quæ ad rem rusticam pertinent, denique affluentem rerum omnium voluptatem, binis partibus, quæ priorem sta-* Basil. *tum superarent, accepit: filiorum autem, qui deinde nati sunt, numerus, demortuorum numero par extitit? Nimirum, quòd pecora ratione carentia, ac cætera fortunarum possessio, quæ suapte naturâ interit, omninò perierat vniuersa: filij autem, quamuis migrassent è vitâ; naturâ tamen præstantissimâ parte viuebant: ergo, cùm rursus recente filiorum, filiarúmque prole ornatur diuinitùs; geminatam quoque liberorum possessionem assequitur.* Stat itaque diuinum verbum, quod illi omnia addita duplicia affirmat, quandoquidem geminato hinc mortalium, hinc immortalium natorum numero coronatur.

Neque habet parum ponderis in hanc rem, 987. quòd cùm Dominus hanc duplam restitutionem, tanquam sanctitatis indicem, & iustitiæ testimo- *Id aliunde* nium, quibus Iob florebat, proposuerit; voluerit *probatur.* nihilominùs, vt filij illi mortui, instar viuentium, velut præsentes testes paternam innocentiam confirmare crederentur: quia sic ratum apud fideles mansurum insinuabat, iustos mortuos morti insultare: dum non dubitarent æque iuratæ veritatis testes, defunctos iuxtà, & viuos filios aduenire. Probatur Iobi sanctimonia de tentationis prouentu duplicata, dum duplici bonorum congerie cumulatur: quot circunstant bona, tot testes congeruntur: eò tamen fideliores testes filij apud nos, quò apud patrem erant pretiosiores: in quibus tamen mortui cum viuis computantur; quia etiam viui, æquè fidei indices habentur. Idem Basilius citatus: *Qui antegressi fuerant liberi, et, à quo sati erant, præstolabantur, tunc illi coram adfuturi, cùm Iudex humanæ vitæ cœtum omnium collegerit: cùm tuba illa aduentus Domini* Basil. *nuncia, ad corporum exigenda deposita, ipsa sepulcra sonitu vehementiori concusserit: tunc enim ij, qui mortui videntur, celerius quàm viui vniuersalitatis Opificem circumsistent. Hanc igitur duco causam, cur altero tanto amplioribus bonis à Deo cumulatus, Iobus, filiorum numerum iustitiæ suæ indicem eundem habuerit.* Viuunt, viuunt iusti per Christum, morti insultant gloriosi: quia in primo Abele iusto, labile iuris sui posuerat fundamentum.

Sed neque minùs hæc infirmatio in tertiâ illâ 988. figurâ, quam vidimus, elucet: nunquam enim Isaac meliore iure viuus, quam postquam victi- *Mortu stamine, iam vita tela texitur.* ma mortis destinatur: nunquam lętior parentibus risus, quàm dum in holocausto lacrymas commouit. Si ergo ille, dum destinatæ morti insultat, Christi, & illorum proinde, qui cum Christo, & in Christo moriuntur, mortem repræsentat; horum mortem lætum esse risum, & hilarem quandam vitam, sequitur manifestè. Quis non hæsitauit ad illam vocem iustì exultantis: *Conuertisti planctum meum in gaudium: conscidisti saccum* Psal. 29. *meum, & circundedisti me lætitiâ.* Ps. 29. n. 12. E quo enim stamine tela hæc lætitiæ? vbi hæc tam noua vestimentorum conditio subtexitur? vnde sic pura lana, sic tenuis purpura, quæ disrupto sacci soloce, iustum circundat? Solet vulgo mortis administris Parcis stamen assignari; sed ibi vita texitur tandem proscindenda. Quid ergo? Christi meritis iam stamina mortis, raram hanc, & nouissimam telam elaborant: vt sit idem dura forfice vitam, & saccum carnis rumpere, quàm lætitiam in beatæ animæ consuere indumentum. Fauet Bernard. epist. 105. vbi ita: *Volo te mortem, etsi non effugere, certè vel non timere: iustus quippe mortem, etsi non cauet; tamen non pauet. Denique, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & iustus, sed securè:* Bernard. *quippe eius mors, vt præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors est, si peccato moriaris, vt iustitiæ viuas: hæc mors, necesse est, vt præcurrat, vt sequatur illa secura. In hac vita, quandiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. Dum viuis carne, morere mundo, vt post mortem carnis, Deo viuere incipias: quæ enim, si conscinderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circundat lætitia? O quàm beati mortui, qui in Domino moriuntur,*

riuntur, *audientes à spiritu, vt requiescant à laboribus suis.* Sic iam quisque iustorum, instar Isaac, sic ducitur ad mortem, vt in illâ felicior renasci videatur.

989. Mirum est sanè, etiam apud Ethnicos huiusmodi opinionē percrebuisse, vt, si quem viderent obire gloriosè, eum tunc temporis nasci acclamarent: ideò Epaminondas apud Valer. Max. lib. 3. cap. 2. *Non finis, commilitones, vitæ meæ; sed melius, & altius initium aduenit: nunc enim vester Epaminondas nascitur, quando sic moritur.* Gloriosè pro patria occubuit decertans, mortem illam, natalem existimabat. Talé est illud Tragici in Oetæo, vbi afflictæ matri, Herculis vmbra sic inducitur loquens:

Mors natalis, qua. *Valer. Max.* *Seneca.*

Proinde planctus pone, quos gnato paras,
Genitrix, in ortu: luctus, in turpes eat:
Virtus in astra tendit, in mortem timor.

Quasi obitus ille suus, meliori iure *ortus* esset appellandus, ideóque non funesto planctu prolequendus: nam, qui virtute egregius decedebat, astrorum æternitatem ascendebat: is verò tantummodo, qui timore, & socordiâ ignauescit, vile mortis spolium habebatur.

990. Nullum diem inuenit Herodes occidendo Baptistæ aptiorem, quàm genialem suum: *Die autem Natalis Herodis,* &c. Matth. cap. 14. n. 6. Solebant prisci hunc diem gemma notare, & libato vino Diis sacrificare: notum pueris Persianum illud Sat. 2.

Matth. 14. *Persius.*

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos:
Funde merum genio.

Ast Herodes, truncato capite, suum numerandum putat, & humano fuso cruore celebrandum. Et vnde tam dispar agitandæ conditio celebritatis? Fatebatur inuitè natalem suum morti destinari, quem sic ferali instruit apparatu. At Ioannis interim caput, non in durâ lanceâ, sed in lance gemmea circumfertur: pretiosè gestatur in disco, num. 11. qui in Christo resurrexisse olim ad vitam fuerat existimatus, num. 2. Nimirum in hac morte gloriosiorem inuenerat natalem. D. Chrysol. post multa Serm. 127. *Scire tamen nos conuenit, quia & Ioannes de morte sua natus est, & de natali suo mortuus est Herodes.* Vt iam possimus, quasi ab iniusto possessore, eripere Statianum illud, quod defuncto cecinit Lucano:

Natalis impiorum, mors; iustorum verò mors, natalis est. *Chrysol.* *Statius.*

Sint curæ procul hinc: abite mortes,
Hæc vita genialis est origo.

idque suo iure Baptistæ accommodare: in morte quippe non solùm formatur vita, sed etiam gloriosiùs reformatur: ideò D. Nilus apud Phot. cod. 276. ita de futurâ locutus resurrectione: *Neque enim Deus corpus hoc corruptibile, tanquàm quid superuacaneum, & inutili sumptu constans efformauit: sed tempore quodam illud dissoluit, vitiositatem vasis ex peccato admissam purgans, ac sanans: & putrefactum peccati mortalis re inueniens, fornace mortis dissoluet; & vbi soluit, de nouo format.* Ingressa est mors per culpam, cui fuerat fructus vitæ denegatus: melioris tamen vitæ fit ipsa mors iustorum administra: non reputabunt iusti mortem horribilem, quam fornacem immortalitatis reputant, & officinam.

Mors iustorū immortalitatis fornax. *Nilus.*

991. Exemplo Christi rem facilè percipies. Tollitur de Cruce Dominus ad sepulturam, & notat signatè Lucas, positum fuisse *in monumento excisō, in quo nondum quisquam positus fuerat.* cap. 23. num. 53. de quo benè D. Ambros. Serm. 48. alibi datus: *Tumulus illud venter concepit, nouus tumulus includit. Dominica ergo, & virgo vulua, & virgo est sepultura.* At, cur, inquis, tanta analogia quæsita, vt materno vtero tumulus respondeat? Quia, vt inde natus, sic hinc renatus. Parum id: gloriosior venit Isaac à sacrificio; gloriosior renascitur Christus à sepulcro. Quidni munditics sepulcri renouetur, si quæ mortis domus putabatur, fit iam immortalis vitæ administra? Pulchrè citatus Ambros. *Quin potiùs ipsam sepulturam, vuluam dixerim: est enim similitudo non parua: sicut enim Dominus de Matris vulvâ viuus exiuit: & de Ioseph viuus sepultura surrexit: & sicut tunc de vtero ad prædicandum natus est; ita & nunc ad euangelizandum renatus est de sepulcro. Nisi quòd gloriosior ista est, quàm illa natiuitas: illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortale: post illam natiuitatem ad Inferos descenditur; post hanc remeatur ad cælos.* Hoc ergo est, quod voluit D. Nilus, dum mortem iustorum, immortalitatis fornacem appellauit.

Id probatur vlterius. *Luc. 23.* *Ambros.*

992. Hæc de mortis aduentu felici: de felici eiusdem voto, subiungo pauca: cùm enim pateat iam, quàm dulcis mors veniat iustis; facile est conectare, tanquàm dulcem ab eisdem sperari. Hinc apud Matth. 6. n. 10. hanc præcipue petitionem discipulos suos docuit supremus Magister: *Adueniat regnum tuum.* Quod cùm nisi per mortem possit aduenire, necessariò tanquàm suauissima speranda, & suspiranda, per quam tanta possessio comparatur. Mors non solùm vitæ ductrix; sed regni baiula, dum finem exilio imponit, patriæ confert habitaculum: condit coronam, dum apparat sepulcrum. Sunt grauissima ad hanc rem verba D. Cypriani epist. vel tract. 9. *Meminisse debemus, voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundùm quod nos Deus quotidie iussit orare. Quàm præposterum est, quámque peruersum, vt cùm Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur, & reluctamur, & peruicacium more seruorum, ad conspectum Domini cum tristitia, & mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis: & volumus ab eo præmiis cælestibus honorari, ad quem venimus inuiti? Quid ergo oramus, & petimus, vt adueniat regnum cælorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poscimus, vt acceleret dies regni: si maiora desideria, & vota potiora sunt seruire hic Diabolo, quàm regnare cum Christo?* Hæc est aut peccatorum, aut ignauorum fidelium conditio: at iustus feruidus verè regnum suspirat, vnde & morti adspirat; & vehiculum, quo portandus concupiscit.

Mors cur auidè iustis speretur. *Matth. 6.* *Cyprian.*

993. Optabat quidem illam anxius Iob, & causam subdebat: *Ibi impij cessauerunt à tumultu: & ibi requieuerunt fessi robore.* cap. 3. num. 17. Aliter in Cat. Græcâ iuxta Septuaginta: *Illic impij cessauerunt à furore iracundiæ: & illic requieuerunt fatigati corpore.* Vt hinc videatur desumpta illa formula sepulcris aliquando inscribi solita ad finem epitaphij: *Cessant peccare improbi; quiescunt boni, mortui.* Vbi pende, iustos, *defatigatos corpore,* dici conquiescere, duplici ex causa, ni fallor: & quia solo corpore opprimebantur, dum spiritus hilaris,

Iob 3. *Septuag.* *Mors cur defessis suauis.*

laris, exultánsque Deo seruiebat: & quia vt fessus corpore, nihil dulcius habet quieto somno: vnde Poëta, suauissimum quid sibi, dixit: *quale sopor fessis in gramine*. Sic laboranti carni, nihil mortis somno venit optabilius, cui dulcissima ibi quies apparatur. Fauet ibi D. Basilius: *Fuerunt sane defatigati, qui arctam, & ærumnosam viam ambulauerunt, qui in hoc sæculo laborarunt, qui in lexcemis pro adipiscenda virtute susceptis certaminibus desudarunt: qui laboribus exercitii sunt vehementius. Talis fuit ille laboriosus, & calamitosus Lazarus: talis Iobus, ob tam multas cum hoste pugnatas pugnas defessus. Itaque hos, qui in bonis actionibus, & rectè factis laborauerunt, ad quietem Dominus inuitat.* Sed de bono mortis ad quietem laborum, plenas vbiuis paginas inuenies. Basil.

994. Primitias dulcedinis, mori cumulat. Rom. 8. Nouerat rem Apostolus, vnde sæpè in similia vota erumpebat. Celebris tamen mihi præ aliis, locus ille in Epist. ad Rom. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc: non solùm autem illa, sed & nos ipsi, primitias spiritus habentes: & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*. cap. 8. num. 22. Quorsum enim hic adducuntur hæ primitiæ, dum finis desiderium inculcatur? Imò, qui primitias habebant spiritus, vitam suauissimam, ac sine gemitu, sine mortis suspirio ducturi videbantur: cur igitur optandæ mortis causa, primitiarum acceptio prætenditur? Scilicet, nihil desideratur ardentiùs, quàm quod degustatum, deinceps prohibetur: nihil affectuosiùs ambitur, quàm bonum, quod latissimè patens, de minimâ sui parte possidetur. Dantur ergo iusto spiritus primitiæ, vt plenos eius fructus auidè suspiret: vt inescatus delibata dulcedine, saturitati adhinniet pleniori: quæ cùm non nisi per mortem irrogetur, mortis etiam votum dulcissimum intimatur. D. Chrysost. hom. 5. ad pop. Antioch. *Et quomodo non tibi turpe pro morte dolere? Paulus verò propter præsentem gemebat vitam, & Romanis scribens dicebat: quòd creatura ingemiscens, & nos ipsi spiritus primitias habentes gemimus: & hæc dicebat non condemnans præsentia, sed futura desiderans: Gustaui, inquit, gratiam, & non fero dilationem: spiritus primitias habeo, & ad integrum festino: ascendi in tertium cælum, & vidi gloriam illam ineffabilem, vidi aulas splendentes; didici quibus, hic immorans, bonis caream: propterea gemo.* Turpe ergo timere mortem, horribilem, & malam sic putare, quæ iustis omnium affert bonorum complementum. Chrysost.

995. Obscurius, sed tamen æquè verum, quod protulit Apostolus ibidem cap. 7. Querebatur ille, Rom. 7. Per mortem, mors deseritur. quòd cùm præceptum Dei in lege contineretur, lex autem spiritalis esset, (cuius videbat sanctimoniam, pulchritudinem laudabat, prædicabat formam,) tamen quia ipse carnalis erat, id est, in carne positus corruptibili, venúdatus sub peccato trahebatur, raptus ad culpam quodammodo inuitus, vbi mors erat: cuius quidem miseriæ non efficiens causa, sed occasionalis ministra fuerat lex ipsa: quia, dum obligationes manifestabat, neque gratiam ex se (quia per Christum) præbebat adimplendis, carnem fragilem, ad mortem deducebat. Tunc sic concludit: *Infelix homo ego, quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratia Dei, per Iesum Christum*. num. 24. Cupit, nimirum, dissolui, & esse cum Christo: vitam illam in carne rationi recalcitrante, & proinde morti destinatam iam fastidiens: vt nonnulli ibi explicarunt. Sed nodus est ad manum: cur enim, si mortem optat, mortis fugam sibi exhibet concupitam? Si *corpus mortis*. quia corpus mortale est, id est, morti destinatum cupit deserere; quomodo mortem ipsam irruere non formidat? Quis vnquam ab illo auet fugere aliquâ de causâ; vt eiusdem eandem causam arctiùs amplexetur? Quòd in mortem dilabatur, fastidit corpus: & quomodo non mortem ipsam fastidit vehementiùs; cùm huc veniat aptum natum axioma: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis?* Nimirum, quia, dum moritur in Christo, etiam per eius gratiam, vitam sperat, & corpus incorruptibile: vnde & mortem suspirat, in qua respirari suauiùs, intelligit: fastidit mortalem vitam, ante mortem: qui in morte vitam sperat immortalem. D. Ambros. licèt aliud intendens lib. 1. de Iacob, cap. 4. *Fiat et, licèt peccatum, quod latebat, id est, concupiscentia mea, quam non putabam esse peccatum, mortem mihi operata sit,* Ambros. *dum proditur, &c. mihi tamen mors non sit, cui promptum est ad Christum confugere, per quem soluimur omni mortis periculo.* Vbi multa de adducto loco Apostoli. Benè ergo mortem cum Christo, vt corpus mortis fugiat, adit Apostolus, hanc concupiscit: per quem omnia mortis iura iam infirmantur. Dedi, non quibus debui coloribus; sed quibus potui, iustorum mortem depictam: vt eam non in se talem putes, quam omninò Mariæ innocentia abhorreret. Talis mors, ni lignum vitæ daretur, naturam etiam integram terminaret. At, cur non expediret, vt Deiparæ lignum aliquod vitæ, aut quid simile mortis præseruatiuum porrigeretur: & qualis eius mors fieret; ex iis, quæ iam subdo, constabit apertissimè.

§. II.

Maria singularissimo modo rara Phœnix: non ex delicto moritur, sed ob Dilectum: concarnis Christi, expers corruptionis.



Nihil ab vtraque pagina notius, quàm Phœnicem in resurrectionis iustorum typum vsurpari: parco scriptissimo tantummodo nouum, 996. Phœnicis mors à Sole. & singularissimum modum, quo singularis hæc auis de morte viuens, vitali fine decedens exprimit Deiparam. Conscendit moriturus Phœnix cumulum aromatum, & iam exequiarum suarum cygnus musicus, orat à Sole mortem, qua renascatur felicior: mittit hic flammatum radium, flammam lucidissimam, incendit aromata Phœnicem renouandum combustura. Sic ferè omnes Authores, qui ratum habent hunc. Audiendus vnus sub poëtico acumine Claudianus:

Properè flauis è crinibus vnum Claudian.
Concussa ceruice iacit: missóque volentem
Vitali fulgore ferit: nam sponte crematur,
Vt redeat: gaudétque mori festinus in ortum.

Vbi

Vbi pulchrè, vt vides, immissos radios Phœnicem exusturos, *vitalem fulgorem* appellauit: quasi meritò non posset vitam eripere, qui vitam feriendo asportabat: ictus erat viuificus, qui dum rumpere visus, instaurabat: non potuit vulnus lædere, quod gladio vitali infligebatur. Habet in hanc rem locum aptissimum Apostolus, iam in Cantico nostro, si rectè memini, fusiùs dilatatum ex Chrysologo: sed iungam alia ab eodem.

997. Rogabat Paulus suos, vt Crucem Domini iugiter in suo corpore circumferentes Deo se immolarent, his verbis: *Obsecro itaque vos, Fratres, per misericordiam Dei nostri, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Rom. 12. num. 1. Ænigma putes. Si semper viuam hostiam cupit, cur immolandam prædicat, & occidendam? Si occiditur, vnde viuens postulatur? Pende huius sacrificij apparatum ex Chrysologo Serm. 108. *Accipe gladium spiritus: altare cor tuum pone: & sic corpus tuum admoue Dei securus ad victimam.* Itaque spiritus gladio, corpus suum iustus contrucidat, lancinat affectus: corpus ergo, quod ipsius vitæ principio feritur, quod ipso vitæ spiraculo iugulatur, nequit perire. Non moritur is, quem, vitam simul adducens, ictus perculit: hic ictus fouet, quod eripit, dum ereptum in melius reducit: ideò post multa Chrysol. *Non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi.* Nimirum, instar Phœnicis, qui vitali fulgore accenditur renasciturus. Exemplo ibidem rem confirmarat idem S. Doctor: *In tali victima mors expenditur, hostia permanet: viuit hostia, mors punitur. Hinc Martyres morte nascuntur, fine incohant, occisione viuunt, & in cælis lucent: qui in terris putabantur occisi.* Scilicet, non tam carnificis ferro violento, quàm volenti obedientis spiritus gladio iugulati, vitam æternant, æternitatem perennant; exultant Phœnices.

Roman. 12. *Mortificatio, gladius est vitalis.* Chrysol.

998. Adhuc tamen huiusce rei causa rarior, in aui rara: ideò enim, ni fallor, vitalis iste fulgor, Solis feruor, quo sponte crematur, feriens vitam affert: quia non poterat inferre mortem, qui vitæ priùs intulerat alimentum. Corruptibili escâ agræ conditionis animalia vitam tolerant, inde pathematis affecta, etiam in corruptionem propetantia: vnus Phœnix immortali cibo pastus toleratur. Ecquis ille? Idem Claudianus:

Phœnicis esca, à Sole.

Non epulis saturare famem, non fontibus vllis
Assuetus prohibere sitim: sed purior illum
Solis feruor alit.

Claudian.

Proinde meritò non potuit Solis radiis perire, quem priùs ipsi radij nutriebant. Redeat in hanc rem Moyses, de quo paulò antè num. 979. Moritur ille, *iubente Domino*, siue, *per verbum Domini.* Deut. 34. num. 5. Per verbum moritur, per quod facta sunt omnia: per verbum, quo, vt dixerat Ambrosius, non lapsus operi infertur, sed firmamentum. Ideò *non cognouit homo sepulcrum eius.* Noluit enim Deus, vt instar mortui cerneretur Moyses, & viso exteriori sepulcro, communi modo in cineres redactus crederetur. At, licèt diuinum verbum viuificandi habeat, & morem, & potestatem; nemo tamen negauerit sic operatorium esse, vt etiam miseram mortem possit afferre. Si Deus mortuo dicat, *viue:* subitò vita cadauer subsequetur. Si dicat viuo, *morere:* statim in cadauer collapsus ruat. Cur ergo hoc, *morere*, vel simile aliquod Dei verbum Moysi dictum: non illi miseram aliquam mortem, sed à morte fausta felicem, & phœniceam quandam vitam putetur attulisse? Dicam, quid cogitem.

Deut. 34. Ambros.

Ascendit Moyses in montem, à Deo instituendus: & addit Textus: *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: panem non comedit, & aquam non bibit.* Exodi 34. n. 28. Et tamen vixit? Vixit, & valentior. Vnde altus in tempore tam longo, vnde nutritus? Respondet D. Ambros. lib. 4. ad illud Christi: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Luc. 4. num. 4. post multa de diuini verbi efficacia: *Huic intentus Moyses panem non desiderauit, &c. Non enim potest, qui verbum sequitur, panem desiderare terrenum, cùm Panis substantiam cælestis accipiat: humanis enim diuina præstare, non dubium est, & corporalibus spiritalia: & ideò qui vitam veram desiderat, illum panem expetat, qui per insensibilem substantiam humana corda confirmat.* Nunc ad rem. Homo ille, qui moritur per verbum, quo ali solitus: qui à verbo veram vitam hausit, & penè diuinam, vultus ipsius splendoribus declaratam, & eodem verbo decedit: is sanè non tam dicendus mori, quàm vitam hanc corruptibilem, cum vita incorruptibili commutasse. Faustissimus quidem Phœnix iacet Moyses, indidem ictum capiens, vnde victum acceperat, licèt paululùm in cineribus suis immoretur. 999.

Exodi 34. *Iustus quandoquidem inde moritur, vnde viuebat.* Ambros.

Hæc tamen phœnicea iustorum prærogatiua singularissimo modo condecorat Deiparam: quidni si inde moritur, vnde semper vixit. Sub potentissimo quodam amoris tenerrimi affectu, sub lucidissima quadam Dei notitia occumbit Maria: scintillata vberioribus radiis cognitio, affectum mortalis vitæ incapacem excitauit: dissoluitur Virgo à cognitione maioribus anhelante: non eripitur violenter spiritus, volenter pergit altiùs commoraturus. Damascenus Orat. 2. de Dormit. Mar. *Visio apparuit angelica, & audita est psalmodia cælestium potestatum: & sic cum diuina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam.* Addit, quod nemo nescit, D. Birgitta lib. 6. cap. 26. *in ipsa consideratione.* Ipsa consideratio vitalem gladium adhibuit: non dicenda est mori, quę vitali gladio meruit occidi. Maius addo. Non potuit non esse vitalis iste considerationis gladius Phœnici nostræ, quæ de ipsa consideratione olim nutriebatur: mortem vitalem intulit, fœdam corruptionem amouit, dum ferit: quæ priùs semper vitam educauerat; ideò, ni fallor, idem Damascenus ibidem notis aliàs verbis, nec plenę ponderatis: *Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educata cogitationibus, non in terram reuersa est.* Inde moritur Maria, vnde fuerat educata: cogitati Solis splendoribus enutrita, eisdem cogitationibus splendidis decedit. O Virginem, raram Phœnicem, & magis raram! O mortem originalis innocentiæ testatricem? 1000.

Id in Maria probatur. Damascen. Birgitta. Damasc.

Sed, cur moritur, inquis, innocens, quæ potuit huius ictus immunis in Cælum reuolare? Vt respondeam, tu, quæso, mihi aliud, cur ex Patrum plusquàm viginti, opinione (quam, vt suprà dixi, probabilem etiam sentit D. Thomas) illi, qui authore Apostolo, ad extremum Iudicium in aëra rapiendi sunt obuiam Christo, cùm de communi fœditatis origine morti sint obnoxij: mortem tamen euitant? Nihil aliud afferes, nisi, quòd ob aliquod 1001.

Maria mors gloriosa.

aliquod mysterium, in communi lege dispensare, Christus Dominus congruum iudicabit. E contrà verò, vides Christum innocentissimum implendæ redemptioni, quæ mille aliis modis posset perfici cumulatissime, de summi amoris mysterio, morti traditum: vt iam maneat euidens, ob aliquam congruentiam, quandoque immortalitatem reis, & mortem innocentibus expedire. Quemadmodum ergo, si ponamus per impossibile, Mariam originaliter fœdatam, esse probabilius: & deinde a Deo in pœna mortis fuisse dispensatam, clarè sciremus: pessimè inferretur, tanquam clarum, fuisse à culpa præseruatam: sic è contra reuerà plusquàm pessimè infertur contra probabilissimam eiusdem innocentiam, (quæ ferè iam certissima habetur,) de morte clarè cognitâ, præiudicium. Quid ita? Quia potuit ob aliquod mysterium mori innocens instar Christi: vt poterat ob aliquod mysterium, si rea foret, mortem euitare.

1002. Agedum: videamus paucis, quod interfuit mysterium, vt Deipara moreretur. Mihi ratio, quæ ab omnibus fertur, bella est: hanc paucis foueo. Moritur solummodo Maria, vt per omnia nato Christo conformetur: vtque mors Christi non fuit propriæ culpæ pœna; sic in Matre, non tam fuit exactio delicti, quàm Dilecti imitatio: non decebat, vt Christo mortuo, Mater mortem non degustaret. Ambulat Enoch cum Deo, & totus virtuti assistens, sæculo non apparet, Genes. 5. n. 24. tunc rapuit eum Dominus, suo tempore cum Elia, incendium Antichristi proprio sanguine per mortem extincturus. Hæc ferme communis opinatio. Quærit ergo Alcuinus quæst. 18. *Cur Enoch moriturus est?* Et meritò: homo enim ille ab ipso mundi initio ereptus mundo, magno operi destinatus, vnus insultaturus optimo iure morti videbatur. Sed respondet idem Alcuinus aptissimè: *Vt debitum soluat humana natura: & quod Christus voluit nullus possit, id est, non mori.* Duplex est ratio: secunda tota ad rem nostram. Nullus potest mortem euitare, quam Christus gustare voluit. Quam causam sic absolutè protulit Alcuinus, vt satis de decentia innuat sentire, quòd, quamuis fœdatæ originis debitum non obligaret, satis foret nasci Christum moriturum, vt nemo mortis iuri eripiatur; ne quam Dominus pati voluit, seruus posset effugere.

Mors post Christũ impensius debita.

Genes. 5.

Alcuin.

1003. Multò id conuenientius in Deipara; quæ mortis suæ passibilitate, passibilitatem Christi, & redemptionem nostram verissimam fuisse asseruit. Quid ergo non expediat ad mysterium mors Mariana, quæ Redemptionis nostræ mysterium ab impiorum calumniis tuetur optimè. Insurrexêre Hæretici inter alia blasphemantes, Christum carnem phantasticam detulisse, nec illam verè passibilem fuisse: contra quos acutè Tertul. lib. 3. contra Marc cap. 8. ita: *Iam nunc cùm mendacium deprehenditur Christi caro, sequitur, vt & omnia, quæ per carnem Christi gesta sunt, mendacium sint: congressus, contactus, conuictus, ipsa quoque virtutes: si enim tangendo aliquem liberauit à vitio, vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum est, non potest verè actum credi; sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit: putatiuus habitus, putatiuus actus: imaginarius operator, imaginariæ operæ: sic nec passiones eius fidem merebuntur: nihil enim passus est, qui non verè est passus: verè autem pati phantasma non potest.* Vnde ergo errori tollendo veræ redemptioni asserendæ, aptiùs Christus carnem suam probaret, quàm à Matre passibili; aut vnde Mater clariùs se, quàm à morte passibilem exhiberet? Non erat Christi caro phantasticè, sed solidè passibilis, quàm à Matre passibili, concarnis traxit: nec potuit Mater manifestiùs aliunde se probare passibilem, quàm morti tradita. Maria cunctas hæreses interemptura, hoc dogma perfidum profligat interempta: minùs nobis proficeret, ni moreretur. An non plusquàm satis hæc conuenientia, vt non mortis immunis, licèt immunis culpæ haberetur?

Mors Mariæ, redemptionẽ nostram probat.

Tertull.

Dices: Hæc si vera forent, videri dicendam Mariam in sepulcro corruptam iri, cineresque abiisse: sic enim clariùs passibilitatem suam demonstraret. Nego sequelam: neque enim mysterio id fuit necessarium: imò contrarium, quod & euenit, omninò decens, & congruum reputandum: verè enim mortuum Filium, Mater mortua, sat corruptum, non fuerat corrupta demonstratura. Redemptio nostra Christi morte, non verò diuini corporis corruptione consummatur. Non dedit Deus *Sanctum suum videre corruptionem*: ideò decenter incorrupta etiam Mater perseuerat. Imò putarem, nullo argumento robustiùs probari posse Mariæ mortem de culpa non fuisse, quàm dum illius illæsam incorruptibilitatem veneramur: vt de vtroque innocentissimum filium æmularetur. Tritam materiam minùs tritis, ni fallor, elucidabo. Faciunt huc verba Mariæ ad Christum: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Cant. 1. num. 17. Celebrantur in his domibus vtriusque corpora pretiosissima: & cùm metaphora ab splendidis palatiis desumatur, quæ emblematis, & figuris lacunaria auro, & ebore renidentia solent variegare: tantummodò cedrus, & cypressus, quæ euitant cariem, corruptionem ignorant, commendantur. Benè Dionys. ibi art. 5. *Per domos istas possunt intelligi corpus virgineum Mariæ sanctæ, & corpus saluificum Vnigeniti eius, &c. Siquidem caro Christi non vidit corruptionem: nec ambigitur, quòd filius ille omnipotens, naturaliter bonus, ac pius amantissimam, ac fidelissimam matrem suam, cum corpore, & anima assumpserit in gloriam.* Dedi alibi priscum Auctorem asserentem, ideò nobilibus animabus pulchra corpora assignari, vt sibi dignum metarentur hospitium. Pulchrè ergo, sacra Christi, & Mariæ corpora maximè de incorruptibilitate celebrantur: quia non aliunde dignius tantarum animarum hospitium intelligitur. 1004.

Maria mortua cur non abit in cineres.

Cant. 1.

Dionys.

Illud tamen ponderandum in hoc loco, quàm sine discrimine Maria has domos cedrinas proferat: domos, inquit, nostras; quasi vtraque vtrique conueniret, quasi alterius ad alterum pertineret. Ita est: concarnes sunt Mater, & Filius: & quo iure istius caro non corrumpitur, eo quodammodo Mariæ incorrupta perseuerat. Neque mirum: si enim caro Mariæ corrumperetur, nescio quid in Christo per identitatem corrumpi aliqualiter videretur. Guillelmus ibi: *Domorum nostrarum: quia non tantùm domus Iesu, sed & domus Mariæ hoc priuilegium cõmune fuit: eo quòd Iesus os ex ossibus, & caro ex carne Mariæ fuit: ideò enim corpus Matris propter corpus Filij, cum corpore Filij, à generali lege corruptionis exceptum, perpetuæ imputribilitatis* 1005.

Maria, Christo concarnis, non corrumpitur.

Guillelm.

tribilitatis gratiâ cõseruatum fuit. Pende illud, *propter corpus filij*. Quasi dedeceret à carne corruptibili, incorruptibilem Christi carnem deriuari: aut dedecoraretur incorruptio Filij, si Mater corruptionem pateretur. Quo autem iure Guillelmus, cum agnoscat dispensationem in generali lege corruptionis, eandem in originis non admittat, ipse viderit. Plane vtrunque non scriptum, & prisca traditione, & Ecclesiæ Diplomate suscipitur. Et quidem cùm de innocentia Christus, non mortem, sed corruptionem euitarit: cur de incorruptione Mariæ, illius innocentia non arguatur?

1006. Hinc Petrus Cellensis lib. 1. de Tabern. spinis Sethim Christi corpus comparans, sic concludit: *Incorruptibile siquidem est corpus Christi, quod neque computruit aliquando in stercore humana concupiscentiæ corruptione peccati, nec in sepulcro pulvere mortis: vnde: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Leuis, quia nullatenus originalis, siue actualis peccati oppressus grauedine*. Dedecebat tantam innocentiam corruptio: certè, quia incorruptio innocentiam comitatur. Sit ergo caro Mariæ incorrupta, vt innocentis status conditionem retinuisse agnoscatur: ob Filium moriatur, sed cum Filio euadat corruptionem. Est aurea gnome illa Hesychij ad Christum Orat. 2. sæpe citata: *Quia Sol exstas, necessariò Virgo vocabitur cælum: cùm sis flos immarcescibilis, profectò Virgo erit planta incorruptionis, Paradisus immortalitatis*. Quasi non posset immarcescibilitas diuini floris stare, quin Maria incorruptibilis plantaretur: nec deberet incorruptionem hanc sortiri, nisi paradisiacam reduceret immortalitatem. Sic priscus, & egregius Author satis probatam supponit *Paradisi*, id est, innocentis status immortalitatem, si quantumuis mors properet de mysterio; corruptio tamen fœda non sequatur.

Maria, immortalitatis Paradisus. Cellens. Hesych.

1007. Et quidem meritò: neque enim mors, quæ breui confinio habet immortalitatem, quæ vel leuissimam euitat corruptionem, mors de peccato inflicta potest reputari. Audio Paulum: *Per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit; & per peccatum mors*. Rom. 5. num. 12. Ecquæ mors? An illa, quæ innocentissimum Agnum immolauit? Absit: hæc enim non à peccato proprio orta, sed diluendo peccato assumpta: solùmque intrasse quodammodo per peccatum dicenda, quia occasionaliter extinguendo peccato armata fuit. Qualis ergo mors, quæ à proprio peccato deriuatur? Certè illa, quæ per fœdam corruptionem corpus in puluerem redigit. Chrysologus Serm. 111. (loco satis deprauato in suo codice, qui tamen à Godefrido ex integro Archetypo in suis Alleg. prodiit illibatus) ibi: *Ecce, Fratres, ianua: per hominem peccatum, & per peccatum intrasse videmur in mortem. Peccatum! ô crudelis fera, & non vno capite in hominem sæuire contenta, quam videmus trino ore tota humana stirpis germina tam pretiosa deuorantem! Trino ore, Fratres: peccatum capit, mors deuorat, deglutit Infernus*. Est autem propriè deuoratio, illa cadauerum imminutio, & fœtida corruptio, quam eleganter describit Serm. 118. post multa de morte: *Germanam nequitia sua corruptionem tali atrigit cum furore, vt aspectus hominum inundat; attrahat, occupet per sepulcra, extremos ostendens carceres, suos iacere ibi demonstrat inuiolabiliter vinculatos: & vt homines, sensus hominis horrore toto, toto pauore conturbet, effundit putredinem, eructat saniem, spargit fœtores; atque ad vnum corpus hominis, innumeros carnifices ob se vermes accisse proclamat*. En tibi puram putam peccaminosæ mortis conditionem.

Roman 5. *Peccatoris mortem, sequitur corruptio.* Chrysol.

Quam alia mors Mariana! Vtriusque vitæ confinia, dulci, & breui vitæ separatione copulauit. Nimirum, non erat mors peccati: ideò quam peccatum non cepit instar immanis belluæ, nec Infernus potuit ad pœnam deglutire, nec mors ad corruptionem deuorare. Trino ore sæuit hoc peccatum: cogit iustitia duplex hoc à Maria credere conculcatum: cogat & pietas tertium etiam detriumphatum existimare. D. Damascenus suprà citatus: *Quonam modo mors deuoraret? quomodo Inferi susciperent? quomodo corruptio inuaderet corpus illud, in quo vita suscepta est?* Potuit itaque attingere mors Mariam; sed deuorare non potuit: potuit eò irrumpere; sed non corrumpere, sicut nec Inferi suscipere auderent: vtique, quia nec illam peccatum attrectaret. Quid enim talem ipsam non faceret ipsa vita, in quam postmodum per incarnationem erat illapsura? Aut, cur, si horreret maternæ carnis naturalem, vel etiam breuissimo tempore corruptionem; corruptionẽ peccati permisisset? Quantò hęc, illâ fœdior, quantò Christo probrosior? Quantò nasciturum Christum fœdaret magis materna peccati corruptio, quàm natum iam corruptibilis carnis dissolutio? Fecit ergo illam ab initio talem, vt de incorruptione culpæ, incorruptibilitatem carnis sortiretur. 1008.

Mariam corruptio quàm dedeceat. Damasc.

Est hoc illud Salomonis Cant. 3. n. 9. Mariam sub metaphorâ ferculi celebrantis: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*. Nosti ex omnibus Interpretibus, & ex Scripturâ, ligna Libani de cedris explicanda: quia ædificandæ Mariæ non nisi cedrina, id est, incorruptibilis materia erat eligenda. Ab ipsa itaque prima sui formatione, ab ipso facturæ initio, e manu tanti artificis opus incorruptibile sic euasit. Sed vnde, inquis, à corruptibili naturâ orta Maria, incorruptibilitatis sortitur conditionem? Ab eo, quòd simul facta; simul sanctificata: ideò, cui oliuarum mons pacem, Tabor gloriam, Bethel gratiarum obtulit aromata; Libanus etiam cedrinam incorruptionem communicauit. Dionys. ibi art. 12. *Hoc ferculum ipsemet Christus, secundum quod Deus, fecit, corpus benignissimæ Virginis per causas secundas formando, cuius & materiam, in exordio produxit ex nihilo: animam quoque felicissimam eius per se immediatè creando. Spiritualiter etiam fecit hoc ferculum sanctificando, ac decorando illud per gratiam copiosam, iuxta quod scriptum est Ps. 45 Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Fecit autem illud ex lignis Libani: quia corpus immaculatissima Virginis constat ex membris sanctis, & incorruptis, quibus Christus communicauit: quod de ipso fuit prædictum: Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Nisi simul fieret, simul sanctificaretur, nullatenus dici posset immaculatissima: sed, quia reuerà immaculatissima, ideò incorruptibile corpus tunc accepit. At, quando nouimus Tartareas aues, Infernas belluas, (vt est apud Prophetam,) cedri medullã, & gloriam Libani solitas de præsũptione violare; abstineamus incorruptibilis cedri nostrę medullã, id est, innocentiã corrodere, quò magis ab Infernis bestiis distare videamur. 1009.

Cant. 3. *Caro Mariæ in morte incorruptibilis.* Dionys.

Sed

1010. Sed ipse, inquis, te iugulat Dionysius, dum Mariam, vt incorruptibilis euaderet, tabernaculum dicit sanctificatum: sanctificatio autem, culpam denotat abolitam, deletam maculam. Sed pugnaui iam hanc pugnam in Examine art. 2. Nunc adde Euangelij illud, vbi Christus: *Quem Pater sanctificauit*, &c. Ioan. 10. num. 36. vbi Euthymius: *Sanctificauit, hoc est, separauit, & elegit.* Sic suo modo Maria, à fœdatis aliis separata, & electa in ipso suo exordio instar Christi; propriissime sanctificatum tabernaculum appellatur. Magis ad rem præsentem illud Christi ad Patrem: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quod ibi ita explicat D. August. *Id est, neque sanctificatum corpus, per quod & alij sanctificandi sunt, corrumpi patieris.* Aut ergo in sanctificato Christi corpore delendam maculam ab Augustino positam fatearis, necesse est: aut, præcisè, quòd Maria sanctificata dicatur, perperam peccato prius infectam reprehendis. Sanctificatio enim nihil est aliud, quàm sanctitatis vtcunque, & quandocunque communicatio. Vnde meritò Ecclesia hanc ab initio sanctificationem, immaculatæ Conceptionis nomine solet appellare.

Sanctificatio quid.

Ioan. 10. Euthymi.

§. III.

Pœna solummodo ob culpam infamatur: ideò nihil morienti Deiparæ derogatur.

1011. 
QVÆ hucusque dixi, inde maximè clarent, quòd pœna, tantummodo formaliter, vt dicunt, sumpta, infamis, apud prudentes. Crux, mors, cæteraque similia, si innocentibus adhibeantur, non formam pœnæ important, sed materiam: solùm culpæ pœna propriè venit, ideò infamatur: ideò eadem mors inflicta, quæ reo cedit ad dedecus, innocenti ad gloriam cumulatur. Perperam ergo Mariæ culpa de morte infertur, & ordine præpostero; cùm potiùs de culpa mors erat illa infamis exprobranda. Iactabat olim Iudæorum perfidia contra Christianos in Crucifixi nostri venerationem profusos, illud Deuter. 21. n. 23. *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Sed gens cæca non vidit, totum hunc locum eò tendere, vt clarissimè ob oculos proponeret, futurum aliquando aliquem, qui in ligno benedictionum apex haberetur. Quorsum enim tam distinctè inculcatur num. 22. antecedenti: *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non permanebit,* &c. nisi vt distinctio intimaretur inter damnatos alios peccantes, & innocentem Christum patibulo affigendum? Pulchrè Tertul. contra Iud. cap. 10. post multa: *Igitur non in hanc passionem Christum maledixit; sed distinctionem fecit: vt qui in aliquo delicto iudicium mortis habuisset, & moreretur suspensus ligno; hic maledictus à Deo esset: quia propter merita delictorum suorum, suspenderetur in ligno.* Vt non pœna vtcunque, sed ob delictum, infamis maledictio agnosceretur. Priùs probanda erat in Christo culpa, & inde mors probrosa obiicienda. Sic in re nostra: dum in pœnam irrogatur parentibus: *In quocunque die comederitis ex eo, morte morieris.* Genes. 2. n. 17. ideò mors infamis, quia comederunt. Quòd si non comedentibus, mors ex diuino alio decreto fortè adueniret; neutiquam ista ad infamiam formaliter pœnalis nosceretur. Proba mihi Mariam comedisse, (quod suprà falsum conatus sum probare;) & deinde originem fœdatam contraxisse: & habebis intentum: aliàs elumbe argumentum à morte sumis. Sed adhuc in idem, vlteriùs adductus locus explicandus.

Pœna, solùm ob culpam, infamis.

Deut. 21.

Tertull.

Genes. 2.

1012. Quinquaginta cubitorum crucem erexerat appendendo Mardochæo sanctissimo, Aman impius. Age, sodes: si innocens ibi, & piissimus ille senex appenderetur; nunquid statim maledictum, & infamem Iudæi existimarent? Nemo credidérit. At suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo, Esth. 7. n. 10. & nullus infamem, & abiectum illum non reputarit. Quidni? Alter à culpa, alter ab innocentia prouenerat. D. Hieron. lib. 2. in cap. 3. Epist. ad Galat. *Imm endenaum est, quod non quicunque in ligno pependerit, maledictus sit apud Deum: sed, qui peccauerit, & propter scelus mortis fuerit adiudicatus, subla tusque in Crucem*, &c. *Certè, si crucem, quam Aman parauerat Mardochæo, non ipse pro suo merito ascendisset; puto, Mardochæus in eam, non vt maledictus, sed vt vir sanctus ascenderet.* Neque gloriosior Mardochæus diuinis oculis in solio Assueri ob dignitatem; quàm in patibulo ob patientiam quidem exhiberetur. Sic gloriosior Maria, dum implendo prædicto mysterio fortiter mortem subit; quàm si illam ob aliquod priuilegium feliciter euitaret. Solum quippe delictum, pœnæ maculam solet irrogare.

Idem probatur.

Esther. 7.

D. Hieron.

1013. Cogebant quidam praui Doctores Galatas iam fideles ad circuncisionem, vt ita persecutionem, & ignominiam, quam de Crucis cultu apud impios sustinebant, dissimulata sub Iudaïcô ritu fide, euitarent: quos contra postquàm late disseruit Apostolus, sic concludit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* cap. 6. n. 14. Quasi dicat: Non solùm Christi Crucem, aut reiicio, aut dissimulo: sed etiam in illa glorior, illam iacto. Cur ita? Quia, si ego propterea infamis, & instar crucifixi abominabilis mundo reputer; hoc mihi gloriatio est: quia ipse mundus mihi reuerà infamis, & instar turpis cuiusdam crucifixi, abominabilis meritò reputatur. Occulta ratiocinatio, sed cultissima. Cur enim, quòd mundum despiciat, iam ignominiæ, despectus, persecutionis pœnas, imò instantis mortis supplicium non solùm non timet; sed etiam de his in Cruce Domini gloriatur? Quia, dum mundum reputat infamem, & instar de peccato crucifixum: ab illo fugit, & illius tactum, id est, culpæ contagium euitat: sic innocens, licèt à mundo vilipendij, imò & Crucis pœnam subeat, se decorum reputat: quasi in Cruce Christi, quam ob Domini innocentiam gloriosè colebat, gloriosiùs affigeretur. Grauissimè hîc Hugo Victorinus apud Godefr. *In Cruce Christi, gloriatio: in cruce dextri latronis, consolatio: in cruce sinistri, confusio. In prima, pœna sine culpa, & post gloriatio: in secunda, pœna pro culpa, & post remissio: in tertia, pœna pro culpa, & post damnatio.*

Crux, quàm varia iusta, & iniusta.

Galat. 6.

Hugo Vict.

Dicunt

Dicunt homines, quando pœnam sustinent: Si meruissemus, non erubesceremus: nunc autem iniustè pati, ignominiosum est nobis. Obloquium videtur: imò, si pro culpa pateris, erubesce: si sine culpa, gloriare. Latro magis esse vis, quam Christus? & fortè sinister blasphemator, non dexter confessor? tu enim, qui pro culpa pateris, nec agnoscis, nec Iudicem veneraris; si saltem dexter fuisses, culpam humiliter agnosceres, pœnam patienter perferres, & mox veniam inuenires. Benè ergo ruit in amplexus Crucis Paulus, nec de pœna innocens erubescit, quam pridem innocentia Christi decorarat: hæc enim tunc solùm fugienda, & instar infamiæ repellenda, cùm de culpæ turpitudine infamatur. Nullus mortalium tam auidè mortem subiit, quàm Maria: quia nullus ita innocens properauit. Nulla ibi ratio pœnæ; quia nulla culpa, ideò gloriosissima initur. Vide, quæ huc faciant in Cant. Tropol. n. 1277.

1014. Mira vbiuis zeli Moysis constantia, & anxia piissimè diuini honoris custodia: & tamen pro scelestissima populi idololatria intercedens, imminentem pœnam, iustissimum supplicium conatur retardare: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum*, &c. Exodi 32. n. 11. Et vbi zelus? vbi diuini potiùs honoris vindicta sollicitanda? nónne vacillat? Certè non tam vacillauit pietas in Deum, quàm fuit miserum populum miserata: timuit illi non tam pœnam, quam sempiternam infamiam de eadem, dum summam fuisse culpam recognoscebat. Non adhuc pœnituerat populum de tāto piaculo, non adhuc pœnitentia culpam purgarat, in sordibus iacebat idololatriæ: ideò intercedit, nequaquam intercessurus, si tanta pœna leuem, aut nullam culpam, aut quamuis grandem, plecteret abolitā. D. Chrysost. tom. 3. Serm. de Ascens. *Quid hoc est? Contumaciam vides, & pro impiorum suppliciis deprecaris? Ideò, inquit, doleo, ideò deprecor, quia dignè cruciantur, quia meritò puniuntur, quia ipsi sunt sui causa supplicij.* Deme culpam, aut saltem culpæ contumaciam: & iam pœnam pro nihilo reputaret: in Cruce Christi, aut saltem dextri latronis non doleret occisos, crucem illis sinistri latronis pertimebat. Omnia quippe pœnarum genera insontibus permissa, non tam conciliant dedecus, quàm cumulant honorem. Vnde in Maria priùs conditio culpæ ad infamiam, quàm pœnæ ratio erat exquirenda.

Pœna innocentis gloriosa.

Exodi 32.

Chrysost.

1015. Hinc benè D. Chrysol. Serm. 135. de D. Laurentio: *Oblata est torrenda, &, veriùs dicam, assanda martyrio nobilis illa Laurentij caruncula: sed ille craticulam supplicij, lectum quietis putabat. Supplicium dixi secundùm animum punientis, non secundùm conscientiam patientis: nullum est enim supplicium damnati, vbi non est pœna peccati.* Vt non solùm absente culpa, pœna infamia; sed etiam ab ipsa pœna, formalis pœnæ ratio abesse cognoscatur: vnde ad honorem potiùs ostentanda, quàm ob dedecoris metum abscondenda. Hinc iam capies, cur arbor illa virens Paradisi, quæ pomum veneno mortis infectum Adamo porrexit; eadem etiam, ex multorum sententia, eidem ad abscondendum se Genes. 3. n. 8. latebras præberet: cùm è contra arida Crucis arbor secundum Adamum manifestis vlnis sustinens, omnium oculis præberet conspiciendum. Nimirum, illa culpæ conscia, infamiam celare frondibus (crediderim magis, ac magis succrescentibus) cupiebat: hæc innocentiæ testis decussas sibi frondes gratulatur: vt pœnam culpæ immunem, & proinde decoram ostentaret. Philotheus Patriarcha Constantinop. Orat. de Cruce apud Grets. *Lignum Paradisi in seruitutem abduxit, nuditatémque Adamo induxit, & vt se occuleret, effecit: at lignum Crucis Christum in excelso situm omnibus spectandum exhibuit.* Sic fit, vt pœna absque culpa, non solùm non petat latibula; sed potiùs appetat ostentari. Vnde & Ecclesia, quæ in Maria nullam culpam fuisse summoperè studet comprobare, anniuersaria solennitate prædicat eius mortem; nec inde aliquid immaculatæ Conceptioni credit derogatum.

Pœna probatio.

Chrysol.

Genes. 3.

Crux Christi quàm decora.

Philoth.

1016. Iterum excutiendus Abel initio huius Anthol. iam adductus. Immolabat sæpiùs se Deo Agnum innocentissimum potiùs, quàm è grege agnos: & cum adipe victimæ, pingui deuotione, cordis ipsius telas offerebat: in æternum victurus videbatur, qui inter caduca, æternitatis Domino vni anhelabat: & tamen nihil illo dissolubilius, breue parentum delicium, à fratre impio Genes. 4. n. 8. trucidatur, primo & opimo spolio morti consecrato. Et cur ita? Cur rem nefariam sustines, æterne Iudex? Nullum beneficium grandius potuit accipere. Si suo fato moreretur, soluebat originalis culpæ pœnam: dum acerbè, & violenter eripitur, quòd Deum acceptatis sacrificiis honoret, iam mors minùs tunc debita, iustissimum manifestat. Eleganter D. Chrysost. homil. 4. ad Pop. Antioch. eos reprehendens, qui de iniustè illata sibi morte querebantur. *At non volenter, inquis, sed iniustè mori timemus: & quòd, ac si nihil eorum, quæ existimamur, cum sontibus pariter puniamur. Quid ais, dic mihi? Iniustè mori times? an iustè velles? Et quis tam miser, & ærumnosus, vt cùm iniustè mori immineat, iustè magis mori eligat? Si enim mortem metuere oportet, iustè nobis ingruentem timere conuenit: quoniam iniustè quidem moriens, per hoc ipsum cum Sanctis omnibus communicat: apud Deum enim, probatorum, & illustrium plures iniustam sustinuère mortem, & primus Abel: non enim in fratrem peccans, nec Cain lædens; sed, quoniam Deum honorabat, ideò iugulatus est.* Mors itaque sine culpa veniens, præmium honorati Numinis reputatur: & decorat Christus Matrem non debitricem, dum illam probando redemptionis mysterio, vt dixi, morti subiicit, sed gloriosissimæ, naturæ finem, non culpæ pœnam arbitratus.

Mors iustorū, si violenta, nobilior.

Genes. 4.

Chrysost.

1017. Nouit id etiam Ethnicus homo, Cicero Orat. pro Mil. qui hac ratione amicum describit constantissimum: *His lacrymis non mouetur Milo: est quod am incredibili animi robore septus: exilium ibi esse putat, vbi virtuti non sit locus: mortem, naturæ finem esse, non pœnam.* Innocens erat, morti insultabat, licèt oppressuræ. Rapiebatur ad supplicium Socrates innocentissimus impositi delicti, imò de vnius veri Numinis confessione commendabilis: de quo ita Tertul. lib. de anima, cap. 1. *Coniugi obuiæ, & muliebriter inclamanti: Iniustè damnatus es, Socrates! iam & de gratulatione responderat: Volebas autem iustè?* Nullus nisi hebes & tardus mortem absolutè infamat: priùs examinanda causa, vnde prouenit. Hoc, vt vides, ad caligans naturæ lumen viderunt Ethnici: quid, si Christum innocentissimum morti traditum, meliori fidei lumine penetrarent? Iniustè ergo infamamus Deiparam delicti, quòd moriatur: non poterat

Cicero.

Mors iustorū, naturæ finis, vix pœna.

Tertull.

poterat iustè mori de originali debito;non poterat iustè puniri de delicto,quæ ob dilectum iustissimè occumbit: quia, vt benè Damascenus citatus: *Ex qua omnibus vera vita manauit,quomodo illa mortem gustaret? Sed cedit legi lata ab eo, quem genuit, & vt filia veteris Adam veterem sententiam subiit; (nam & eius Filius, qui est vita ipsa, eam non recusauit:) vt autem Dei viuentis Mater, ad illum ipsum dignè assumitur.* Tu pende singula, videbis nihil clarius dici potuisse,vt mors Mariæ per omnia Christi simillima reputetur.

Maria mors de culpa esse non potuit.

1018. Et certè non aliter vitæ Mater,morti tradenda fuerat: nec mereretur talis esse,si de culpa aliqua mori mereretur. Videbat virginei ventris tumorem, Ioseph sponsus purissimus: & conceptus conscius,inscius mysterij,amatæ coniugis,si proderetur,periculum pertimebat:ad quem tunc Angelus timorem auersurus: *Ioseph fili Dauid,noli timere accipere Mariam coniugem tuam:quod enim in ea natum est,de Spiritu Sancto est.* Matth.1. n.20. Sed quid, si Christum concipiens, adhuc ab impiis Pharisæis, & cæcis, & mysterium blasphemantibus trucidaretur? an Matri parcerent,Filio non parcentes:Poterat fortasse à Pharisæis Maria occidi: sed ea occisio non erat deploranda, quia non veniebat de delicto:neque enim mater vitæ, licet occideretur, occisionem poterat promereri. D.Chrysol.Serm.145. *Quam vides,virtus est ista, non crimen: hîc non humanus lapsus,sed diuinus illapsus:hîc præmium est, non reatus:hîc incrementum cæli est, non corporis detrimentum:hîc non est proditio personæ,sed Iudicis est secretum: hîc palma cognitoris est, non supplicij pœna: hîc hominis furtum nõ est,thesaurus est Dei:hîc non est mortis causa,sed vitæ:& ideò noli timere: quia,quæ vitam parturit, non meretur occidi.* Equidem eadem de causa nec meretur mori:quid enim interest tantæ causæ derogandæ,vtrùm morte afficias,aut nece, si vtrunuis de culpa velis irrogatum?Non poterat peccare ad necem,quæ vitam parturit,quia nex de merito, cumulatis filij meritis derogabat: nec ergo peccauit ad mortem,quia sic Christus vita nostra inde editus infamaretur. Sin minùs,cedo discrimen, cur turpior mors ab homine necis titulo, quàm nex mortis cognomine, à causis naturalibus irrogetur? Vtranque certè aut culpa maculat,aut decorat innocentia.

Matth.1.

Chrysol.

Imitatio Christi iustis gloriosa.

1019. Moritur ergo Maria,non de culpa,instar Christi: vt hoc ipsum illi ad gloriam reputetur,ne in eo super Christum fuisse videretur, si destinatam humanæ conditioni mortem euitaret. Animabat Christus discipulos ad tormenta mortis durissimæ subeunda: deinde subdit: *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius; & seruo, sicut Dominus eius.* Matth.10.n.24.Si sermo esset de honoribus,& decore,nihil clarius dici potuisset: at in re mortis, & probri, cur seruis sufficiat esse sicut Dominus? cur non potiùs infelices de ignominiarum imitatione habeantur?Quia ipsa imitatio tanti Domini, in quacunque re foret, manebat gloriosa. Decorarat Christus necem indebitè inflictam: iam seruis eadem pro summo decore imputanda. Tertul. in Scorp. aduersùs Gnost.cap.3. *Quia cùm magister,& Dominus ipse perpessus sit persecutionem,& traditionem, & occisionem; multò magis serui, & discipuli eandem expendere debebunt:ne quasi superiores,exempti de iniquitate videantur: quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini,& Magistri.* Non sit Mater Filio superior,si morti eximatur: imò sufficiat illi ad gloriam, dum innocens,innocentissimi morti,quantùm fieri potest, adæquatur.

Matth.10.

Tertull.

1020. Hæc sunt, quæ mihi de Virgine gloriosè defuncta addere visum est, prout illi non de culpa, sed de mera naturæ conditione sibi relictæ, mors dicitur pertinere:si tamen pertinuisse dicenda est, quæ breuissimè Virgini adhæsit,subitò,de meliori vita, auolatura. Altare ligneum sic Deus iubebat sibi apparandum,vt haberet *tres cubitos in altitudine.* Exod.26.n.1. Vix Sacerdos super sic erectum altare posset ministrare,vt omnes fatebuntur,nisi gradus aliqui illi admouerentur.Sed quis iam non opponat illud Exodi eiusdem alibi: *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* cap.20.n.26.Nec respondeas hîc de altari lapideo,siue terreno sermonem esse:ibi verò de ligneo altari institui sermonem: nam vtrobique ratio militat, & gradus videntur altari indecentes. Sed audiendus ibi D. August. tom.4. quæst.113.qui, licèt non omninò dubium amoueat, verbis tamen pulcherrimis imminuit: *De altari quæritur, quomodo tribus cubitis altum esse voluerit,cùm tanta ferè sit statura hominis altitudo. Quomodo ergo ministrabatur altari,cùm gradus habere altare alio loco prohibeat? Ne pudenda tua, inquit,reueles super illud. Sed illud dicebat de altari, quod terra, vel lapidibus construendum erat, vbi gradus ipsi coædificati, ad corpus altaris vtique pertinerent. Nunc verò altare fieri de tabulis præcipit:quò si apponeretur ad horam administrationis aliquid,vbi staret minister altaris, & peracto ministerio tolleretur; ad corpus altaris vtique non pertineret.* Itaque ex mente Augustini gradus pertinentes de coædificatione ad altare prohibentur: nec pertinere visi,qui peracto ministerio, subitò amouentur.Sic in re nostra:pertinet ad nos mors, quia nobis ab origine polluta coædificatur de pathematis, & de imperio ad extremum vsque iudicium nobis immoratura. At non pertinet ad Christum,non ad Mariam,quibus tantùm ad horam ministerij, & mysterij admouetur, statim gloriosissimè remouenda: quia non ab origine illis de culpæ perpetuo iure coædificata. Iam ad articulum quartum accedamus.

Mors Mariæ vix mors dicenda.

Exod.26.

Exod.26.

D.August.

EX



EX QVÆST. XXVII. TERTIÆ PARTIS D. THOMÆ,

ARTICVLVS IV.

Vtrùm per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta, vt nunquam peccaret.



D quartum sic proceditur. Videtur, quòd per sanctificationem in vtero non fuerit Beata Virgo præseruata ab omni peccato actuali: quia, vt dictum est, post primam sanctificationem, fomes peccati remansit in Virgine: motus autem fomitis, etiamsi rationem præueniat, est peccatum veniale, licèt leuissimum: vt Augustinus dicit in librò de Trinitate: ergo in Beata Virgine fuit aliquando peccatum veniale. Præterea, super illud Lucæ: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* dicit Augustinus in quæstionibus veteris, & noui Testamenti, quòd Beata Virgo in morte Domini stupore quodam dubitauit: sed dubitare de fide peccatum est: ergo Beata Virgo non fuit præseruata immunis ab omni peccato. Præterea, Chrysostomus super Matthæum, exponens illud: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.* dicit: *Manifestum est, quòd solâ ex vanâ gloriâ hoc faciebant.* Et Ioan. 2. super illud: *Vinum non habent.* dicit idem Chrysostomus, quòd volebat illis ponere gratiam, & se ipsam clariorem facere per Filium: & fortassis quid humanum patiebatur: quemadmodum & fratres eius dicentes: *Manifesta te ipsum mundo.* Et post pauca, subdit: *Nondum enim, quam oportebat, de eo opinionem habebat.* Quod totum constat esse peccatum. Ergo Beata Virgo non fuit præseruata immunis ab omni peccato.

Sed contrà est, quod Augustinus dicit in libro de natura, & gratia: *De Sancta Virgine Maria propter honorem Christi, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum; quòd concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Respondeo dicendum, quòd illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundùm illud 2. ad Corinthios, 3. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa diuinitùs, vt esset Mater Dei: & ideò non est dubitandum, quòd Deus per suam gratiam, eam ad hoc idoneam reddiderit: secundùm quod Angelus ad eam dicit: *Inuenisti gratiam apud Deum, ecce concipies,* &c. Non autem esset idonea Mater, si peccasset aliquando: tum, quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prou. 17. *Gloria filiorum, patres eorum.* vnde, & per oppositum, ignominia matris ad filium redundasset: tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. ad Corinthios, 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* tum etiam, quia singula-

ri modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitauit, non solùm in anima, sed etiam in vtero: dicitur autem Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideò simpliciter fatendum est, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.*

Ad primum ergo dicendum, quòd in Beata Virgine post sanctificationem in vtero, remansit quidem fomes peccati, sed ligatus: ne, scilicet, prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem præueniret: & licèt ad hoc operaretur gratia sanctificationis; non tamen ad hoc sufficiebat: alioquin virtute illius gratiæ hoc ei fuisset præstitum, vt nullus motus posset esse in sensualitate eius, nisi ratione præuentus: & sic fomitem non habuisset, quod est contra supradicta. Vnde oportet dicere, quòd complementum illius ligationis, fuit ex diuina prouidentia, quæ non permittebat aliquem motum inordinatum ex fomite prouenire.

Ad secundum dicendum, quòd illud verbum Simeonis, Origenes, & quidam alij Doctores exponunt de dolore, quem passa est in Christi passione. Ambrosius autem, per gladium dicit significari prudentiam Mariæ, non ignaram mysterij cælestis: viuum est enim verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutissimo. Quidam verò per gladium, dubitationem intelligunt: quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis; sed admirationis, & discussionis: dicit enim Basilius in Epist. ad Optimum, quòd Beata Virgo assistens Cruci, & aspiciens singula post testimonium Gabrielis, post ineffabilem diuinæ Conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat: ex vna, scilicet, parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte considerans eius mirifica.

Ad tertium dicendum, quòd in verbis illis Chrysostomus excessit: possunt tamen exponi, vt intelligatur, in ea Dominum cohibuisse, non inordinatum inanis gloriæ motum, quantùm ad ipsam; sed id, quo ab aliis posset æstimari.

EXAMEN

EXAMEN TEXTVS D. THOMÆ.

1021. IHIL speciosius hoc Articulo, in tota hac quæstione scripsit D. Thom. nihil certius; ita tamen, vt nihil rationum congerat perpetuæ Virginis actuali innocentiæ comprobandæ, quod robustiùs illius præseruationem ab originali, non confirmet. Vnde ansa præbita illorum coniecturæ, (minùs leuis aliquibus reputata,) qui secundum articulum iniuriè interpolatum existimarunt: quasi vix ab eadem mente, hunc, & illum effluere potuisse videatur. Articuli materia plana est: tantummodo rationes D. Doctoris examinandæ in decus præseruatæ Mariæ: & prætermissis iis, quæ iam alij feliciter laborarunt, quæ denuò addidi, vt soleo, solummodo suggerenda.

1022. *Maria idonea Mater.* RESPONDEO DICENDVM.] Si, quos Deus eligit, præparat; Maria ad maiora electa, electiùs fuit præparata. Tunc sic: Præparatio præueniens electioni cõmensuratur: sed Maria ad maiorẽ dignitatẽ assumpta, quàm quæuis alia possibilis, vt secundùm D. Thomam infinitatem quandam de maternitate cõpararet: ergo præparatio, omnium possibilium extitit excellentior: sed possibilis fuit præparatio nobilissima ab originali, vt suprà multis paginis probaui: ergo de facto præparatio præseruans Virginẽ decorauit. Confirmatur: quia, vt habet hîc D. Thomas, Maria, si quouis peccato actuali inquinaretur, non esset idonea Mater: atqui longè deformior est originalis macula, quàm illa, quæ ex quouis veniali inuritur: vtpote, quæ inimicitiam grauissimam inter Creatorem constituit, & creaturam: ergo Maria originaliter infecta minùs idonea Mater haberetur. De hoc iam plenam Anthologiam supra dedi.

1023. *Imago Dei, honor hominis.* TVM QVIA HONOR PARENTVM.] Hæc est secunda ratio, qua D. Thomas supponit infamatum Christũ, & meritò, si à Matre vel leuissimè actualiter peccante nasceretur: sed magis infamis esset, si à Matre originaliter lapsa ortus foret: ergo præcauens Matrem præseruauit. Minorem latissimè iam ab aliis probatam, aliunde sic deduco. Honor creaturæ rationalis, per ordinẽ ad diuinam imaginem, & similitudinem desumitur: sed Maria per peccatum originale, (non per veniale,) omninò imaginis huius, & similitudinis amitteret rationem: ergo magis infamis filium dedecoraret. Probatur id apertè ex illo Dauidico toties repetito: *Psal. 48.* *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Pf. 48. n. 13. Vnde D. Amb. ibi: *Est autem honor, quia ad imaginem Dei factus est rationis capax.* *Ambrof.* Quod idem habent August. Euthym. ibidem: & Bern. serm. 35. in Cant. quasi solùm obnubiletur hic honor, de bestiali resumpta similitudine: sed per originale peccatum similitudo Dei amittitur, & bestialis, earumque conditio comparatur: ergo illud honorem detruncat in Matre filio infamando. Quòd autem in Adamo non intelligente, vniuersum humanum genus deformaretur, vt honore similitudinis perdito, præditum bestiali imagine totum sordesceret: innuit Bernard. citatus: *Væ misero! quid non fuit, cui non tunc diceret ei: Quid superbis, terra, & cinis? Hinc egregia creatura, gregi admixta est: hinc bestiali similitudine, Dei similitudo mutata est: hinc societas cum iumentis, pro consortio Angelorum inita est. Vides, quàm sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum vniuerso generi prouenerunt?* *Bernard.* Itaque ab Adami ignorantia, in vniuersum genus hæc mala amittendæ similitudinis redundarunt.

Pulchrè in hanc rem Vrbanus Pontifex IV. 1024. tom. 1. Bibliot. adductus, in Metaphrasi Psal. 50. de peccato originali locutus: *Anima infusa corpori taliter tabefacto, maculata polluitur, & fœdatur,* *Hic in Adamo perditum.* *sicut in vase non syncero vinum infusum, licèt optimum, inficitur, & acescit. Et in illa infusione, ipsa anima damnationis sententiã in se iustam excipiens, culpam contrahit, & reatum, & pœna perpetua obligatur. Et hæc recordatus sum, & effudi in me, coram* *Vrban. IV.* *te animam meum, Deus: vt intelligam miserabiliter in me factum, quòd ille primus homo, cùm in honore esset, in se non intellexit, à te iustissimè faciendum.* Non potuit ergo Maria in se, imò nec in Adamo, hunc honorẽ perdere, ne id Filio in dedecus verteretur. Habet in hanc rem optima verba D. Anastasius Sinaïta lib. 6. Hexam. quorum iam aliqua ad rem aliam libauit Salazar cap. 26. n. 6. quæ tamen maximè in rem præsentem scripta iures. Do *Salazar.* locũ auctiùs, & cumulatum. Ergo S. Doctor prædicto libro ad finem, vt probet illa ex cap. 1. & 2. Genes. de secundo Adamo Christo mysticè accipiẽda: *Qui præsit, & dominetur piscibus, volucribus, & omnibus iumẽtis.* quia vnicè imago, & similitudo inuisibilis Dei Patris, vtpote cuius figura, & splendor substantiæ est: cùm nos ad ipsius Christi Verbi imaginem & similitudinẽ produceremur, sic concludit: *Quòd si ad litteram progressi, illic maneamus; quomodo poteris ostendere, gloriosissimam illam Dei Matrem, esse ad Dei imaginem, & similitudinem? Vbi enim imperauit illa, aut est dominata* *Maria, imago illæsa.* *bestiis sensibilibus, aut piscibus, aut volucribus, aut vniuersa terra: quæ à facie Herodis migrauit in Ægyptũ? Et quis mihi, dic, quæso, aut ex hominibus,* *Anast. Sin.* *aut ex Dæmonibus audebit dicere, quòd ea, quæ est, eiusdem simul cum Deo essentia, quoad carnẽ attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsâ natus? Quomodo est enim Mater eiusmodi Filij, non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginem?* Quasi, ex mente Anastasij, ideò solus sensus litteralis, spreto mystico, hîc veniat minùs aptus: quia si cui hominum imperium materiale rerum esset concedendum, id maximè Mariæ tribueretur; quod tamen non euenit. Sed ad rem: in sensu mystico Maria non vtcunque, sed *integram, & illæsam* conseruauit Filij Verbi imaginem, quam cæteri corrupimus, & ex origine protocorrupti parentis trahimus, bestiali metamorphosi temeratam. Dum verò neque hominibus, neque Dæmonibus, negandæ huius imaginis audaciam permittit, quam deinde illæsam protestatur; ab hominum, & Dæmoniorum linguâ eiusdem integritatem fatendam supponebat. Sed quid mirum audeant homines, quod Dæmones

formidant: si hi innocentiam Mariæ trepidantes agnoscunt; illi non ita clarè penetrare possunt.

1025. TVM QVIA SINGVLORVM AFFINITATEM.] Ex carne, quam Christus Dominus à Matre accepit, vnde illi singularissime fuit coniunctus, probat Doctor Angelicus, non debuisse Mariam peccato aliquo actuali fœdari: tunc enim iam Christo aliquid foret commune cum Belial, quod est cõtra Apostolum 2.Cor.6. quam ratione probatâ identitate Carnis Christi, & Mariæ, originalisque culpæ fœditate, grauiter pressit, & retorsit Salazar c.26. à n.4. Rem aliter sic cõfirmo. Longè fœdiùs caro originis labe corrũpitur, quã quouis peccato actuali mortali, nedum veniali. Sed hæc ex D.Thom. repugnant Mariæ propter identitatẽ Carnis cum Christo: ergo à fortiori illud originis peccatum repugnabit. Maior probatur: quia ab originali, mortis debitum, fomitis incursio, affectus rebellatio est, etiam post gratiam: quæ tamen in statu innocentiæ condonatis actualibus non perdurarunt: ergo, &c. Id totum cõfirmat his verbis Vrbanus citatus: *Tu autem, Deus, qui diues es in misericordia, dimittens originalia, & actualia, non propter meritum nostrum, sed propter nimiam charitatem, qua dilexisti nos: cùm sic essemus mortui in peccatis, conuiuificasti nos per tuam gratiam in Baptismo, animam à vetustate culpæ mundando, reatum eius soluendo, ac ipsam a pœna perpetua liberando: & propterea tibi, Domine, semper in populis confitebor. Veruntamen adhuc in carne mea, Domine, sentio incessanter etiam post Baptismum concupiscentiam illam carnis, quæ est fomes peccati, languor naturæ, tyrannus carnis, stimulus mortis, lex membrorum, repugnans legi mentis meæ, & captiuans me in lege peccati.* Ne autem putares hæc mala carnis ab actualibus peccatis, quæ suprà etiam dixerat, deriuata fuisse; subdit statim: *In hoc autem considero, & suspiro iustissimam condemnationis sententiam tuam, Deus, quam in Adam, & in eius posteros, ratione illius inobedientiæ protulisti, quòd, videlicet, non est aliquis, si post Baptismum vixerit in sua carne, qui non ab huius hostili concupiscentiâ affligatur.* Sic caro ab originali, magis quàm à quouis actuali peccato sordidatur: vnde ab hoc Caro Christi fœdiùs cum Maria identificari videretur.

Peccati originalis effectus, etiã post condonationem.

Salazar.

Vrban. IV.

1026. Secundò, sic argumentor: Radix omnium actualium in nobis, vtplurimùm, est peccatum originis: sed peccatũ quoduis est corruptionis alicualis, & fœditatis causa: ergo magis originale peccatum fœditatẽ inducet, & corruptionem. Minorem dant omnes: probo cõsequentiam: quia id corrumpens, vnde cætera corrumpentia deriuantur, quasi in virtute illorum omniũ corruptelam videtur continere. Maiorem probat citatus Vrbanus ad illa verba: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* & efficaciter quidẽ, prout in subiecta materia dari potest: ergo ibi ita: *In iniquitatibus, id est, originalibus, & actualibus conceptus sum: ne intelligas, Deus meus, qui gallo intelligentiam contulisti, quòd ego intelligam dicere in parentum meorum originalibus, & actualibus me conceptum; cùm credam, quòd & eorum originalia deleueris in Baptismo; & ipsorũ actualia mihi tu, Domine iuste Iudex, imputare non velis, nisi ipsorum actualium fuero imitator: quoniam tu dixisti, quòd iniquitatem patris filius non portaret. Sed hæc est intentio mea, Deus: in iniquitatibus originalibus, & actualibus me conceptum; hoc est, in illa lege nostra originis vitiosa, in qua omnes corrumpimur, & nascimur in vtero, & ex vtero filij iræ tuæ: atque per traducem, libidinosâ carnis concupiscentiâ, etiam antequam peccemus, constituimur peccatores, atque ad actualia proniores. Sed, cùm non sit nisi vnum & solum originale peccatum, quod à parentibus trahitur, pro quo non baptizati paruuli damnabuntur, non me velis, Domine, arguere in furore, si plurali numero vsus sum in hac parte dicendo, quòd in originalibus, & actualibus sum conceptus: cùm dixerim hoc pro eo, quòd illud vnum originale peccatum plures habet effectus: & quia in illo vno originali peccato intelligi plura possunt, si quasi per membra singula diuidantur.* Nolui verissimam, licèt prolixam, tanti Pontificis sententiam intercidere: itaque Christus carnem magis infectam, & penitùs de radice vitiatam ad corruptionem, sumeret à Matre, si hæc origine praua afficeretur, quàm si pollueretur quouis actuali.

Est radix actualium.

Vrban. IV.

Tertiò: quia ideò Christus nullam habet conuentionem ad Belial, quia est segregatus à peccatoribus, & purior cælis factus: atqui si carnem assumeret in matre originaliter infectã, magis coniungeretur peccatoribus omnibus; quàm si quouis actuali fœdatam sumeret: ergo. Cætera patet, probo minorem: quia, qui contraxit originale, à fortiore peccauit in Adamo: sed in illo, cũ omnibus peccatoribus peccãdo coniunctus fuit, ita vt omnibus immixtus, & coagulatus videretur: (quod in actualibus non euenit:) ergo intentum. Acutè, & grauiter hoc scribit ibidem Sanctissimus Pontifex Vrbanus, sic supradictis subiungẽs: *Et maximè, quia in hoc plurali numero intelligo, sicut & tu ipse intelligis, singularẽ, &c. Ita & ego, Domine mi colende, dicendo pluraliter, in iniquitatibus originalibus, & actualibus me conceptum, intelligo dicere me conceptum de illo vno, & singulari originali peccato, in quo omnes in Adam peccauerunt, vt in materia, vel massa: nam in eo seminaliter omnes erant, quando ipse naturam corrupit humanam; & in illo vno homine, qui omnium nostrûm fuit materia, & origo, omnes concupiscentialiter descendunt; & per propagationis successionem, & carnis concupiscentiam, occultè illa corruptio in posteros demigrauit.* Itaque originale, in quo quisque concipitur, licèt sit vnum reipsâ; ideò ex mente doctissimi Pontificis multiplex dici potest: quia in protoparente omnes permixti, dum singuli ab Adamo illud trahunt: hoc vnũ, in quo omnes copulabantur, quasi multiplex, singuli aliorum participes quodãmodo trahere videntur. Et quidem si nulla alia ratio daretur, ne Maria in Adamo peccaret, quàm vt Christus magis à peccatoribus segregatus videretur, satis, superque illa esset existimanda. Non itaque Christus carnem à Matre originaliter accipit præfœdatam, ne plùs cum peccatoribus in communi massâ coniunctus, minùs à Belial seiungeretur. Quod optimè ex D.Paulo indecens putat Doctor Angelicus. 1027.

Per originalẽ culpam magis congregamur omnibus peccatoribus.

Vrban. IV.

Et fortasse ideò Dæmon in hoc loco vocatur *Belial*: quæ vox, vt cũ Hieronymo multi probant, significat, *absque iugo*: à particulâ בלי, id est, *absque*, & עול id est, *iugum*: quasi nihil magis ab obedientissimo Christo dissentiat, quàm rebellis inobedientia. Vnde, cùm nulla inobedientia fœdior appareat, quàm illa, qua Adam, & in illo omnes, preceptum pomi vetiti transgressus est; eò magis à Belial, & eius mẽbris Christus segregabitur, quò Maria, vnde carnem sumpsit, remotior ab Adami inobedientiâ cõstituatur. Inde ferè omnes Patres, 1028.

Belial quid sonet.

obedientiam

obedientiam Virginis oppositam inobedientiæ protoparentum summopere celebrarunt. Quòd si cũ aliis explices *Belial*, quasi בליאור, hoc est, *sine luce, tenebrosus*; vide, quę fusissimè supra dixi de luce Mariana, déque fugatis ab eius Cõceptione tenebris: & videbis, quãtò longiùs Christus distet à Belial, dũ radicem omniũ tenebrarũ, & totius cæcitatis causã, id est, peccatũ originale, vt ibi probaui, ab illa penitùs remouit. Sũt qui Belial explicẽt, quasi בליעל, id est, *inutilis, improiiciens*: vt dũ multa suprà dixi de vtilitatibus à pura Marię cõceptione nobis prouenientibus, intelligas, cò minùs Christo cum inutili Belial conuenire, quò de innocẽtia vtiliorem nobis Patronam apparauit.

1029. Oppones. Sicut de Mariæ sanguinibus, (sic ferè loquuntur Patres) id est, de eius carne, Christus est formatus: sic Maria de parentum sanguinibus formata fuit: ergo, sicut non obstat opinioni nostræ, quòd Maria in parentibus fœdaretur, vt illã modò præseruatam, & purissimã celebremus; sic nõ obstaret in sentẽtiã contrariã, quòd Caro Christi in Maria, originaliter saltem, præfœdaretur, vt ille à peccatoribus segregatus, & purissimus habeatur. Nego sequelã. Si enim hęc ratio aliquid cõcluderet, etiã probaret, non opus esse, vt Maria maiori sanctitate niteret, quã parentes: quod tamẽ est cõtra D. Thomam, & contra totã Ecclesiam, quę neque veniali culpa Virginẽ fatetur maculatã. Ratio ergo diuersitatis est: quia decuit, vt Caro Christi, purior niteret, quã Caro Mariæ: vnde hæc nũquã in se, sed solũ in parẽtibus fœda fuit: Christi verò Caro, nec in se, nec in parente debuit maculari.

Maria parẽtes cur saltem originaliter peccare permissi.

1030. Vrgebis. Si decor, & dignitas Christi augetur, quòd caro in Matre, cui singulariter erat coniungendus, non macularetur; dignior etiã foret, si in auis, abauis, & proauis nunquã fœdaretur: hoc est falsum; ideò enim reapse cautũ non est, & Christi maiores omnes sub originali macula, præter Mariam, constituimus: ergo & illũd. Et quidem in re simili, huc collimabat D. Bernard. epist. illã 174. vbi ita: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorãdum præiuit partum: quoniã, si ille non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur. Quid si alius propter eandem causam, vtrique Parenti eius festos honores asserat deferendos? Sed & de auis, & proauis id ipsũ posset pro simili causã quilibet flagitare: & sic tenderetur in infinitũ: & festorũ non esset numerus.* Hoc argumentũ, ni ego fallor, tacitè vt illuderent, putarunt aliqui in Adamo, illęsam quandã carnis particulam fuisse reseruatã, quæ per traducẽ, vsque ad Mariam, & Christum omnis labis immunis deduceretur. Vnde facilè responderent, neque Matrem, neque Filium à parentibus peccatoribus fœdari, nec ab illorum indignã conditione dependere: à quibus solam intemeratam particulam desumpsêre. Sed hoc insomnium est, & fictitium, planéque chimericum doctis existimatur.

Proponitur obiectio.

Bernard.

1031. Respondeo ergo, ad plenissimã Christi dignitatẽ, satis fuisse eius Matrem, & non auos præseruari: idque duplici ex causã, altera ex parte Christi, altera ex parte Mariæ. Prima: quia Christus illud debebat sumere, quod erat curaturus; sed tamẽ sine iniuria Diuinitatis: sumpsit ergo carnẽ ipsam in prioribus fœdatam, & sic peccatricem: sed in Matre iam purã, ne dedecus Matris in Filium, vt in simili fatetur D. Thomas, redundaret: infamia enim originis, quò proximior, maior: sicut nobilitas parentũ singularis clariùs videtur filios afficere, quàm nepotes. Hinc Ecclesia, vt obiter Bernardo respondeas, Mariæ cõdecorandæ iã nunc vtrũque illius parentem immediatum, Ioachimum, & Annam, annuã festiuitate putat celebrandũ, superiores alios gradus non ita curans. Secunda causa ex parte Mariæ est: quia sic Christus etiã respexit honori suo, vt Matris priuilegio attenderet, vnde illam, & nõ alios speciali prærogatiuã puræ conceptionis ex puris creaturis singulariter voluit decoratam: nec ita gloriosa Deipara, si hoc priuilegium aliis esset commune. Robur huius rationis peto à Bernardo citato, vbi ad rem aliam, sed in mẽtem meã sic scribit: *Dico peperisse Virginem, nõ tamen partã à Virgine: alioqui, vbi erat prærogatiua Matris Domini, qua singulariter creditur exultare, & munere prolis, & integritate carnis? Si tantundem dederis & Matri ipsius, nõ est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere.* Sic in re nostra: Maria in carne parentũ purã nõ decorabatur, sed singularis phœnicis honorẽ amittebat. Non itaque est infamia Christi, si carnẽ in atauis sumat ægrã, vtpote sanandam, de quo multa Chrysolog. Serm. 143. quem lege omninò: itẽ, vt singulare priuilegium Matri cõseruaret: at veniret minùs decẽs, si pariter ægrã sumeret in Matre: auitus enim morbus curationi expedit, sicut materna salus cõuenit honori.

Et dissoluitur.

Bernard.

Chrysol.

Qvia singvlari modo Dei Filivs.] Ex eo, quòd modo singularissimo Deus in Mariæ nõ solùm anima, sed carne habitasset; eruit D. Thomas, non potuisse actuali peccato subiacere: & sic vult interpretandũ illud Sap. 1. n. 4. *In maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Expende mihi, obiter, quã immeritò à contrariis sugillentur Authores nostri, quòd nonnulla sacra Oracula accõmodent Conceptioni, quæ illi apta nata videntur: cùm Doctor Angelicus ad rem suam, hoc & alia pluscula, in tota hac quæst. optimo iure putarit deducenda. Ad rem. Locus Salomonis, dum Mariæ fauet, ex mente D. Thomæ sic explicandus: in cæteris sedẽ amoris suam, magis ratione animæ iustificatæ, quã ratione corporis, Deus collocat: at in Maria, etiam ratione corporis, cuius vterum singulariter impleuit, præcipuum charitatis thronũ sibi visus erexisse. Hinc iã sic arguo: Deus non solũ anima, sed etiã in carne Mariæ specialiter habitauit: ergo Maria vtrobique sancta, & purissima proportionaliter esse debuit. Planũ id: tũc sic: Ergo peccatũ illud, quod carnẽ magis fœdauerit, alienus ab hac carne reputandũ: sed nullũ aliud id præstat turpiùs quàm originale, vt n. 1025. probaui: igitur hoc à Maria maximè amouendum. Maior patet: quia, si corporis mundities corporeæ Verbi habitationi exigitur, id ab illo præcipuè tollendum, quod magis illam munditiem inquinarit. Minorem, in qua sola est difficultas, iterum sic ostendo. 1032.

Sap. 1.

Originali culpã, plus quàm aliã caro fœdatur.

Peccatum originis, præterquàm quòd cum cęteris, propriam animæ inurat maculam, tamẽ priuato iure corporis, quoad potest, fœdat materiam, quod actualibus non ita conuenit: ergo intentum. Probatur hoc manifestè: quia labes hæc, è carne pręfœdatã, & pręcorruptã, animã in ortu suo, ex se naturaliter purã factã vnione coinquinat, & contaminat, vt omnes fatentur: ergo ipsa caro, quantùm res patitur, fœditatem habebat sibi inditam: ideò eleganter Vrbanus Papa toties citatus: *Quia concepti sumus illa vitiosa lege concipiendi, nobis ex* 1032.

Id probatur.

Vrban. IV. *peccato primi hominis occultè, & miserabiliter accidenti: ideò originalis peccati ex tua iustissima, Deus, sententia rei sumus. Nam, quemadmodum tu, Deus omnipotens, cognitor occultorum, occultissimam gratiam Spiritus Sancti tui latenter infundis tuis fidelibus, & etiã paruulis in Baptismo: sic & homo ille, per quem originale peccatũ hoc intrauit in mundum, in se omnes de stirpe sua venturos, occulta tabe, & fœditate sua libidinosæ concupiscentiæ adeò tabeficauit: quòd anima à te, Deus, creata* (sic legendum) *infusa corpori taliter tabefacto, maculatur, polluitur, & fœdatur: sicut in vase non syncero vinum infusum, licèt optimum, inficitur, & acescit.* Quod nõ ita capias, quasi peccatum originale, secundùm suam rationem formalem, sit subiectiuè in carne: id enim meritò negat D. Thom. 1. 2. q. 83. a. 1. vtpote falsissimum: sed, quia semen, & caro per modum cuiusdam contagij, maculam illam animæ imprimere videtur: vnde ibidem ab ipso Angelico Doctore, instrumẽtalis causa spiritualis maculæ, pleno ore præfœdata caro appellatur. Hoc ergo non leue est discrimen originalis culpæ ab actualibus: quòd in his ab anima in carnem macula videtur deriuata: contra verò in illa. Non itaque aliunde pleniùs fœdatur caro, quàm ab origine: ergo Deus singulari modo habitaturus non solùm in anima, sed etiam in carne Mariæ, iaiustiùs originis labẽ, quàm actualẽ quamlibet præcaueret.

D. Thom.

1034. Soluitur obiectio. Dices, multò magis ad libidines, v. g. fornicationem, carnem esse instrumentũ peccati actualis. Sed respondeo, vt modò innuebam, in his casibus ita esse carnem actualium peccatorum instrumentum, vt tota macula ab anima priùs liberè culpam volente deriuetur: at in peccato originis, ante animam caro sordida est in suo genere, animam deinde longè turpiùs fœdatura: vnde in actualibus, instrumentum motum; in originali, instrumentum mouens, quod longè est fœdius, videtur appellandum. Exemplo rem declaro. Adam integer in statu innocentiæ ore vsus est instrumento, ad pomum vetitum gulosè comedendum: hoc ipso ore si posteà, amissa iam originali iustitia, ad similes actus vteretur; id vtplurimùm nosceremus discriminis: quòd in primo, ipse gulam excitauit, & os: at in aliis, quòd rebellantibus iam appetitionibus, ab ore auido, & gula inhiante excitaretur. Ecquem oris concursum iudices fœdiorem? Ecquod gulę fœdius putes ministerium? dum mouent, an dum mouentur? Cæcus videat. Sic in re nostra. Iam verò de corpore, & anima Deiparæ à nulla vnquam labe præhabitata, fusissimè in superioribus disseruimus. Pluscula subiungemus.

1035. Et ita simpliciter.] Putat B. Thomas non posse constare elogium illud Marianum Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te,* si in Maria aliquod etiam peccatum veniale poneretur: vnde omninò ab illa remouendum seriò, & meritò asseuerat. Et certè nescio, cur hinc tam securè originali maculæ addicta credatur, quæ veniali maculæ vel leuissimæ tradi non præsumitur: cùm illa ad Incarnationis mysterij decentiam longè fœdior denotetur. In Græco pro *macula* est μῶμος: de qua voce grauiter, & falsè iam Salazar cap. 26. n. 15. Sic omnes Propugnatores Mariæ ab hoc maximè loco rem firmarunt, & fusissimè nuperrimus Perlin. Ego breuissimè, sed aliter locum examino. Suppono ergo ex mente absque dubio D. Thomæ, citata verba ex Cant. longè aliter Ecclesiæ, & cuiuis animæ, quàm Deiparæ venire accommodanda: illis enim in sensu mundatiuo, vt sic dicam; at Mariæ in sensu decantantur præseruatiuo. Probatur: quia anima, saltem originaliter fœdata, vel Ecclesia ex peccatoribus actualibus multis constans, tunc absque macula dicitur, quando à sordibus contractis per gratiam, & Christi Sanguinem mundatur, vt veniat absque macula, & ruga, desponsanda: alias nec munda esset, nec sine macula. At Maria hic munda, & sine macula appellatur: quia nunquam sordes passa: si enim hæc non esset mens Angelici Doctoris, frustrà hoc encomium Mariæ accommodaretur, ad ostendendam perpetuã illius ab omnibus actualibus innocentiam. Dicitur itaque Ecclesiæ: *Macula non est in te,* quia præhabitas iam delesti. Dicitur verò Mariæ: *Macula non est in te,* quia delendas nunquam habuisti. In sensu ergo præseruatiuo hæc verba à D. Thoma necessariò accipiuntur, aliunde nihil probaturus. His positis, iam sic argumentor.

Cant. 4. Maria quomodo sine maculâ dicatur.

Salazar.

Perlin.

1036. Idem probatur. In sensu præseruatiuo vt sic, Maria *tota pulchra,* & absque macula appellatur: ergo ex toto, etiam quoad originem fuit præseruata. Probo consequentiam. Ideò in sensu mundatiuo colligitur, Ecclesiam Christi Sanguine, non solùm ab originali, sed etiam ab actualibus aliquorum membrorum sui fuisse mundatam: quia aliàs non esset in hoc sensu tota pulchra, si quæuis macula originis, aut actus fœdata relinqueretur: ergo eadem verba in sensu præseruatiuo erga Mariam, perinde se habebunt. Antecedens probatur ex omnibus illis Patribus, qui hæc verba solummodo volunt dicta ad animam, vel Ecclesiam, quando iam in Cælo triumphat: quasi ibi solummodo *tota pulchra* possit appellari, vbi solùm datur plena mundities, & perfectissima purgatio à sordibus: quæ semper in hac vita, saltem leuissimè, solent commaculare. Hi sunt D. August. lib. 1. retract. cap. 29. lib. 2. cap. 18. D. Hier. lib. 3. aduersùs Pelagianos, D. Bern. Serm. 38. in Cant. Beda ad hunc locum propriis Commentariis: quia, nimirum, non potest intelligi perfectè mundata, vbi, dum viuit, aliquid sordis retinet, quod identidem de humana contrahitur fragilitate. Tunc sic: ergo nec Maria in sensu præseruatiuo, perfectè immaculata dici potuit, si quid vsquam originalis sordis contraxisset. Patet: quia, sicut plenam munditiem impedit næuus vel leuissimus: sic plenam præseruationem origo fœdata impediet omninò. Confirmatur totum ex Augustino tomo 4. lib. 3. quæst. 4. vbi ita: *Ab omni vitio purum, solet Scriptura* ἄμωμον *appellare.* Sed in hoc loco Maria à Septuaginta, ἄμωμος, id est, absque momo appellatur, dum dicunt: *Et momus non est in te.* Ergo in suo genere præseruante, sine vllo vitio intelligenda. Vide, quæ multa de hac re dixi in Cantico meo Dramatico.

August. Hieron. Bernard. Beda.

Periocha Examinis.

EX dictis in hoc Articulo, hæc nobis fusiùs veniunt elucidanda. Maria, in Matrem electa, condignè præparatur. Dei imaginem illæsam conseruauit. Eius vel honor, vel infamia in Christum deriuatur. Culpam originis, tanquàm vitiorum radicem, euitauit. Obedientiæ Princeps, in Adamo non rebellauit. Dei thronus est, purissimus ad delicias.

ANTHO

ANTHOLOGIA XVI.

Maria in Matrem electa condignè præparatur.

§. I.

Quàm aliter homo, & Deus soleant sibi instrumenta comparare: & quàm sedulò Deipara disponatur.

1037. Oc est humanæ, à diuinæ maiestatis conditione, in eligendis instrumentis, discrimen maximum, dum homo semper ex se aptissimum, Deus verò ineptum ex se apparat ministerium: quòd ille assumpti instrumenti indiget efficacia, hic verò efficaciam instrumento attribuit assumendo. Indiget homo adiutorio, & auxilium à ministris mutuatur; at Deus plusquàm satis sibi sufficiens, auxilium à ministris non requirit: ille ministros supponit; hic componit: ille parata comparat indigus; hic assumenda instrumenta præparat beneficus. Quæsiturus Abraham nuptias Isaaco suo, expedit seruum quendam in Mesopotamiam. Sed quem seruum? *Dixitque ad seruum seniorem domus suæ.* Genes. 24. num. 2. Difficilis erat via, longis, & laboriosis itineribus peragenda, cui robustus iuuenis, ætas integra aptior videbatur: cur ergo præmittatur vetulus fatigatus, ipso, etsi non alio, senectutis morbo affectus molestissimo? Quid, sanctissime Patriarcha, conseni tuo non parcis? Quid dilecto non consulis Procuratori? Mauellet, credo, Abraham florenti iuueni negotium committere, si posset, Elieserique suo adimere id laboris: non tamen iuueni poterat dare, quæ tantæ expeditioni erant necessaria, scilicet, mentem, consilium, rationem, quæ senem prudentissimum decorabant: homo erat, nec tam instrumenta negotiis apta facit, quàm facta eligit. Ferat senex laborem, quia de prudentia negotio efficacior. Oleaster ibi: *Docet, ardua negotia, non nisi senioribus, & præcipuis domus esse committenda, maximè ea, in quibus prudentia opus est: licèt enim ad iter conficiendum, aptiores iuuenes videantur; si tamen negotium discretione eget, eis dimissis, seniores mittendi sunt.* Aliunde ergo iam à Deo, & ab experientia edoctus senex, ministrat Abrahamo, qui has dotes iuueni alicui è suis indere non potuerat.

Homo cur instrumentis aptis indigeat.

Genes. 24.

Oleast.

1038. Percepta somnij sui explicatione, Pharao penè ad coronam euehit Iosephum, & alendæ Ægypti, moderandique imperij committit rationes: subditque causam: *Nunquid inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Genes. 41. num. 38. Non nouerat tunc Pharao verum Deum, nec immissi spiritus sanctitatem satis percallebat: Iosephum, quamuis excellentiorem; tamen quasi vnum ab Ægyptiis Magis, & somniorum coniectoribus reputabat. Vnde ergo Monarcha potentissimus, &, vt gentis illius ingenium ferebat, fastuosissimus; posse similem inuenire in propriis, aut in alienis prouinciis desperabat? Quia, licèt se Regem, hominem tamen agnoscebat: & quidquid illud erat spiritus, non tam fieri, quàm factum assumi posse ab ipso intelligebat. Meritò igitur de meliori alio inueniendo dubius, inuentum retinet: ne fortè impos condendi ministri apti, dimisso inuento, & quæsito non dato, ieiunaret. Nouerint Reges nullis suis viribus dotes ministro infundendas; vt prudenter aliunde dotatos eligant in officia: quod hodie minùs attendi, piè politicus hîc queritur Oleaster: *Quos Deus euehit, exaltet Princeps: multi enim sunt, quibus Deus optimas dotes dedit, quos Principes non curant, & inhabiles loco eorum subrogant.* Est, subrogent, subrogent ineptos: dum enim illos reddere non possunt aptiores, eisdem, sibique ruinam apparabunt. Sed de hoc alibi. Redeo ad scopum.

Genes. 41.

Rex aptos ministros eligat.

Oleast.

1039. Solus est Deus, qui inepta ex se sumens instrumenta, reddit aptissima: & aliunde inutilia, scopo destinato excolit efficacia: ipse dotes, ipse virtutem infundit, quibus ministerium optimè obeatur. Missurus Christus Apostolos Orbem conuersuros, ait illis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. num. 19. Quo non apparatu, qua non pompa apud gentes, falsæ sanctificationis ministeria apparabantur? Mirum est lectu. Cur ergo verissimam sanctificationem suam Christus, pauculis verbis, pauciori aquæ, & tam absque strepitu committit? Cur commouendis assuetarum superstitioni operosæ, gentium animis, operosum aliquod ministerium non assumitur? Cur simplex instrumentum, multiplici gratiæ negotio apparatur? Respondet elegantissimè Tertul. lib. de Baptismo, cap. 2. *Nihil adeò est, quod obduret mentes hominum, quàm simplicitas diuinorum operum, quæ in actu videntur; & magnificentia, quæ in effectu promittitur: vt hic quoque, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu nouo aliquo, denique sine sumptu, homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multò, vel nihilo mundior resurgit: eo incredibilis existimetur consecutio*

Deus instrumentis ineptis tribuit efficaciam.

Matth. 28.

Et inde verus Deus probatur.

laris, exultánsque Deo seruiebat: & quia vt fessus corpore, nihil dulcius habet quieto somno: vnde Poëta, suauissimum quid sibi, dixit: *quale sopor fessis in gramine*. Sic laboranti carni, nihil mortis somno venit optabilius, cui dulcissima ibi quies apparatur. Fauet ibi D. Basilius: *Fuerunt sane defatigati, qui arctam, & ærumnosam viam ambulauerunt, qui in hoc sæculo laborarunt, qui in excentis pro adipiscenda virtute susceptis certaminibus desudarunt: qui laboribus exerciti sunt vehementius. Talis fuit ille laboriosus, & calamitosus Lazarus: talis Iobus, ob tam multas cum hoste pugnatas pugnas defessus. Itaque hos, qui in bonis actionibus, & rectè factis laborauerunt, ad quietem Dominus inuitat.* Sed de bono mortis ad quietem laborum, plenas vbiuis paginas inuenies.

Basil.

994. Nouerat rem Apostolus, vnde sæpè in similia vota erumpebat. Celebris tamen mihi præ aliis, locus ille in Epist. ad Rom. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc: non solùm autem illa, sed & nos ipsi, primitias spiritus habentes: & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* cap. 8. num. 22. Quorsum enim hic adducuntur hæ primitiæ, dum finis desiderium inculcatur? Imò, qui primitias habebant spiritus, vitam suauissimam, ac sine gemitu, sine mortis suspirio ducturi videbantur: cur igitur optandæ mortis caussa, primitiarum acceptio prætenditur? Scilicet, nihil desideratur ardentiùs, quàm quod degustatum, deinceps prohibetur: nihil affectuosiùs ambitur, quàm bonum, quod latissimè patens, de minimâ sui parte possidetur. Dantur ergo iusto spiritus primitiæ, vt plenos eius fructus auidè suspiret: vt inescatus delibata dulcedine, saturitati adhinniet pleniori: quæ cùm non nisi per mortem irrogetur, mortis etiam votum dulcissimum intimatur. D. Chrysost. hom. 5. ad pop. Antioch. *Et quomodo non tibi turpe pro morte dolere? Paulus verò propter præsentem gemebat vitam, & Romanis scribens dicebat: quòd creatura ingemiscens, & nos ipsi spiritus primitias habentes gemimus: & hæc dicebat non condemnans præsentia, sed futura desiderans: Gustaui, inquit, gratiam, & non fero dilationem: spiritus primitias habeo, & ad integrum festino: ascendi in tertium cælum, & vidi gloriam illam ineffabilem, vidi aulas splendentes; didici quibus, hîc immorans, bonis caream: proptereà gemo.* Turpe ergo timere mortem, horribilem, & malam sic putare, quæ iustis omnium affert bonorum complementum.

Primitiæ dulcedinis, mors cumulat.

Rom. 8.

Chrysost.

995. Obscurius, sed tamen æquè verum, quod protulit Apostolus ibidem cap. 7. Querebatur ille, quòd cùm præceptum Dei in lege contineretur, lex autem spiritalis esset, (cuius videbat sanctimoniam, pulchritudinem laudabat, prædicabat formam,) tamen quia ipse carnalis erat, id est, in carne positus corruptibili, venũdatus sub peccato trahebatur, raptus ad culpam quodammodo inuitus, vbi mors erat: cuius quidem miseriæ non efficiens causa, sed occasionalis ministra fuerat lex ipsa: quia, dum obligationes manifestabat, neque gratiam ex se (quia per Christum) præbebat adimplendis, carnem fragilem, ad mortem deducebat. Tunc sic concludit: *Infelix homo ego, quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratia Dei, per Iesum Christum.* num. 24. Cupit, nimirum, dissolui, & esse cum Christo: vitam illam in carne rationi recalcitrante, & proinde morti destinatam iam fastidiens: vt nonnulli ibi explicarunt. Sed nodus est ad manum: cur enim, si mortem optat, mortis fugam sibi exhibet concupitam? Si *corpus mortis* quia corpus mortale est, id est, morti destinatum cupit deserere; quomodo mortem ipsam intuere non formidat? Quis vnquam ab illo auet fugere aliquâ de causâ; vt eiusdem eandem causam arctiùs amplexetur? Quòd in mortem dilabatur, fastidit corpus: & quomodo non mortem ipsam fastidit vehementius; cùm huc veniat aptum natum axioma: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis?* Nimirum, quia, dum moritur in Christo, etiam per eius gratiam, vitam sperat, & corpus incorruptibile: vnde & mortem suspirat, in qua respirari suauiùs, intelligit: fastidit mortalem vitam, ante mortem: qui in morte vitam sperat immortalem. D. Ambros. licet aliud intendens lib. 1. de Iacob, cap. 4. *Fiet, licèt peccatum, quod latebat, id est, concupiscentia mea, quam non putabam esse peccatum, mortem mihi operata sit, dum proditur, &c. mihi tamen mors non sit, cui promptum est ad Christum confugere, per quem soluimur omni mortis periculo.* Vbi multa de adducto loco Apostoli. Benè ergo mortem cum Christo, vt corpus mortis fugiat, adit Apostolus, hanc concupiscit: per quem omnia mortis iura iam infirmantur. Dedi, non quibus debui, coloribus; sed quibus potui, iustorum mortem depictam: vt eam non in se talem putes, quam omninò Mariæ innocentia abhorreret. Talis mors, ni lignum vitæ daretur, naturam etiam integram terminaret. At, cur non expediret, vt Deiparæ lignum aliquod vitæ, aut quid simile mortis præseruatiuum porrigeretur: & qualis eius mors fieret; ex iis, quæ iam subdo, constabit apertissimè.

Rom. 7. Per mortem, mors deseritur.

Ambros.

§. II.

Maria singularissimo modo rara Phœnix: non ex delicto moritur, sed ob Dilectum: concarnis Christi, expers corruptionis.



996. NIHIL ab vtraque pagina notius, quàm Phœnicem in resurrectionis iustorum typum vsurpari: parco scriptis: summo tantummodo nouum, & singularissimum modum, quo singularis hæc auis de morte viuens, vitali fine decedens exprimit Deiparam. Conscendit moriturus Phœnix cumulum aromatum, & iam exequiarum suarum cygnus musicus, orat à Sole mortem, qua renascatur felicior: mittit hic flammatum radium, flammam lucidissimam, incendit aromata Phœnicem renouandum combustura. Sic ferè omnes Authores, qui ratum habent hunc. Audiendus vnus sub poëtico acumine Claudianus:

Phœnicis mors à Sole.

Properè flauis è crinibus vnum
Concussa ceruice iacit: missóque volentem
Vitali fulgore ferit: nam sponte crematur,
Vt redeat: gaudétque mori festinus in ortum.

Claudian.

Vbi

Vbi pulchrè, vt vides, immissos radios Phœnicem exusturos, *vitalem fulgorem* appellauit: quasi meritò non posset vitam eripere, qui vitam feriendo asportabat: ictus erat viuificus, qui dum rumpere visus, instaurabat: non potuit vulnus lædere, quod gladio vitali infligebatur. Habet in hanc rem locum aptissimum Apostolus, iam in Cantico nostro, si rectè memini, fusiùs dilatatum ex Chrysologo: sed iungam alia ab eodem.

997. Rogabat Paulus suos, vt Crucem Domini iugiter in suo corpore circunferentes Deo se immolarent, his verbis: *Obsecro itaque vos, Fratres, per misericordiam Dei nostri, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Rom. 12. num. 1. Ænigma putes. Si semper viuam hostiam cupit, cur immolandam prædicat, & occidendam? Si occiditur, vnde viuens postulatur? Pende huius sacrificij apparatum ex Chrysologo Serm. 108. *Arripe gladium spiritus: altare cor tuum pone: & sic corpus tuum admoue Dei securus ad victimam.* Itaque spiritus gladio, corpus suum iustus contrucidat, lancinat affectus: corpus ergo, quod ipsius vitæ principio feritur, quod ipso vitæ spiraculo iugulatur, nequit perire. Non moritur is, quem, vitam simul adducens, ictus perculit: hic ictus fouet, quod eripit, dum ereptum in melius reducit: ideò post multa Chrysol. *Non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi.* Nimirum, instar Phœnicis, qui vitali fulgore accenditur renasciturus. Exemplo ibidem rem confirmarat idem S. Doctor: *In tali victima mors expenditur, hostia permanet: viuit hostia, mors punitur. Hinc Martyres morte nascuntur, fine inchoant, occisione viuunt, & in cælis lucent: qui in terris putabantur occisi.* Scilicet, non tam carnificis ferro violento, quàm volenti obedientis spiritus gladio iugulati, vitam æternant, æternitatem perennant; exultant Phœnices.

Roman. 12.

Mortificatio, gladius est vitalis.

Chrysol.

998. Adhuc tamen huiusce rei causa rarior, in aui rara: ideò enim, ni fallor, vitalis iste fulgor, Solis feruor, quo sponte crematur, feriens vitam affert: quia non poterat inferre mortem, qui vitæ priùs intulerat alimentum. Corruptibili escâ agræ conditionis animalia vitam tolerant, inde pathematis affecta, etiam in corruptionem properantia: vnus Phœnix immortali cibo pastus toleratur. Ecquis ille? Idem Claudianus:

Phœnicis esca, à Sole.

Non epulis saturare famem, non fontibus vllis
Assuetus prohibere sitim: sed purior illum
Solis feruor alit.

Claudian.

Proinde meritò non potuit Solis radiis perire, quem priùs ipsi radij nutriebant. Redeat in hanc rem Moyses, de quo paulò antè num. 979. Moritur ille, *iubente Domino,* siue, *per verbum Domini.* Deut. 34. num. 5. Per verbum moritur, per quod facta sunt omnia: per verbum, quo, vt dixerat Ambrosius, non lapsus operi infertur, sed firmamentum. Ideò *non cognouit homo sepulcrum eius.* Noluit enim Deus, vt instar mortui cerneretur Moyses, & viso exteriori sepulcro, communi modo in cineres redactus crederetur. At, licèt diuinum verbum viuificandi habeat, & morem, & potestatem; nemo tamen negauerit sic operatorium esse, vt etiam miseram mortem possit afferre. Si Deus mortuo dicat, *viue:* subitò vita cadauer subsequetur. Si dicat viuo, *morere:* statim in cadauer collapsus ruat. Cur ergo hoc, *morere,* vel simile aliquod Dei verbum Moysi dictum: non illi miseram aliquam mortem, sed à morte fausta felicem, & phœniceam quandam vitam putetur attulisse? Dicam, quid cogitem.

Deut. 34.

Ambros.

Ascendit Moyses in montem, à Deo instituendus: & addit Textus: *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: panem non comedit, & aquam non bibit.* Exodi 34. n. 28. Et tamen vixit? Vixit, & valentior. Vnde altus in tempore tam longo, vnde nutritus? Respondet D. Ambros. lib. 4. ad illud Christi: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Luc. 4. num. 4. post multa de diuini verbi efficacia: *Huic intentus Moyses panem non desiderauit,* &c. *Non enim potest, qui verbum sequitur, panem desiderare terrenum, cùm Panis substantiam cælestis accipiat: humanis enim diuina præstare, non dubium est, & corporalibus spiritalia: & ideò qui vitam veram desiderat, illum panem expetat, qui per insensibilem substantiam humana corda confirmat.* Nunc ad rem. Homo ille, qui moritur per verbum, quo ali solitus: qui à verbo veram vitam hausit, & penè diuinam, vultus ipsius splendoribus declaratam, & eodem verbo decedit: is sanè non tam dicendus mori, quàm vitam hanc corruptibilem, cum vita incorruptibili commutasse. Faustissimus quidem Phœnix iacet Moyses, indidem ictum capiens, vnde victum acceperat, licèt paululùm in cineribus suis immoretur.

999.

Exodi 34.

Iustus quandoquidem inde moritur, vnde viuebat.

Ambros.

Hæc tamen phœnicea iustorum prærogatiua singularissimo modo condecorat Deiparam: quidni si inde moritur, vnde semper vixit. Sub potentissimo quodam amoris tenerrimi affectu, sub lucidissima quadam Dei notitia occumbit Maria: scintillata vberioribus radiis cognitio, affectum mortalis vitæ incapacem excitauit: dissoluitur Virgo à cognitione maioribus anhelante: non eripitur violenter spiritus, volenter pergit altiùs commoraturus. Damascenus Orat. 2. de Dormit. Mar. *Visio apparuit angelica, & audita est psalmodia cælestium potestatum: & sic cum diuina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam.* Addit, quod nemo nescit, D. Birgitta lib. 6. cap. 26. *in ipsa consideratione.* Ipsa consideratio vitalem gladium adhibuit: non dicenda est mori, quę vitali gladio meruit occidi. Maius addo. Non potuit non esse vitalis iste considerationis gladius Phœnici nostræ, quæ de ipsa consideratione olim nutriebatur: mortem vitalem intulit, fœdam corruptionem amouit, dum ferit: quæ priùs semper vitam educauerat: ideò, ni fallor, idem Damascenus ibidem notis aliàs verbis, nec plenę ponderatis: *Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educata cogitationibus, non in terram reuersa est.* Inde moritur Maria, vnde fuerat educata: cogitati Solis splendoribus enutrita, eisdem cogitationibus splendidis decedit. O Virginem, raram Phœnicem, & magis raram! O mortem originalis innocentiæ testatricem?

1000.

Id in Maria probatur.

Damascen.

Birgitta.

Damasc.

Sed, cur moritur, inquis, innocens, quæ potuit huius ictus immunis in Cælum reuolare? Vt respondeam, tu, quæso, mihi aliud, cur ex Patrum plusquàm viginti, opinione (quam, vt suprà dixi, probabilem etiam sentit D. Thomas) illi, qui authore Apostolo, ad extremum Iudicium in aëra rapiendi sunt obuiam Christo, cùm de communi fœditatis origine morti sint obnoxij: mortem tamen euitant? Nihil aliud afferes, nisi, quòd ob aliquod

1001.

Maria mors gloriosa.

aliquod myſterium, in communi lege diſpenſare, Chriſtus Dominus congruum iudicabit. E contrà verò, vides Chriſtum innocentiſſimum implendæ redemptioni, quæ mille aliis modis poſſet perfici cumulatiſſimè, de ſummi amoris myſterio, morti traditum: vt iam maneat euidens, ob aliquam congruentiam, quandoque immortalitatem reis, & mortem innocentibus expedire. Quemadmodum ergo, ſi ponamus per impoſſibile, Mariam originaliter fœdatam, eſſe probabilius: & deinde à Deo in pœna mortis fuiſſe diſpenſatam, clarè ſciremus: peſſimè inferretur, tanquam clarum, fuiſſe à culpa præſeruatam: ſic è contra reuerà pluſquàm peſſimè infertur contra probabiliſſimam eiuſdem innocentiam, (quæ ferè iam certiſſima habetur,) de morte clarè cognitâ, præiudicium. Quid ita? Quia potuit ob aliquod myſterium mori innocens inſtar Chriſti: vt poterat ob aliquod myſterium, ſi rea foret, mortem euitare.

1002. Agedum: videamus paucis, quod interfuit myſterium, vt Deipara moreretur. Mihi ratio, quæ ab omnibus fertur, bella eſt: hanc paucis foueo. Moritur ſolummodo Maria, vt per omnia nato Chriſto conformetur: vtque mors Chriſti non fuit propriæ culpæ pœna; ſic in Matre, non tam fuit exactio delicti, quàm Dilecti imitatio: non decebat, vt Chriſto mortuo, Mater mortem non deguſtaret. Ambulat Enoch cum Deo, & totus virtuti aſſiſtens, ſæculo non apparet, Geneſ. 5. n. 24. tunc rapuit eum Dominus, ſuo tempore cum Elia, incendium Antichriſti proprio ſanguine per mortem extincturus. Hæc ferme communis opinatio. Quærit ergo Alcuinus quæſt. 18. *Cur Enoch moriturus eſt?* Et meritò: homo enim ille ab ipſo mundi initio ereptus mundo, magno operi deſtinatus, vnus inſultaturus optimo iure morti videbatur. Sed reſpondet idem Alcuinus aptiſſimè: *Vt debitum ſoluat humana natura: & quod Chriſtus voluit nullus poſſit, id eſt, non mori.* Duplex eſt ratio: ſecunda tota ad rem noſtram. Nullus poteſt mortem euitare, quam Chriſtus guſtare voluit. Quam cauſam ſic abſolutè protulit Alcuinus, vt ſatis de decentia innuat ſentire, quòd, quanuis fœdatæ originis debitum non obligaret, ſatis foret naſci Chriſtum moriturum, vt nemo mortis iuri eripiatur; ne quam Dominus pati voluit, ſeruus poſſet effugere.

Mors poſt Chriſtũ impenſius debita.

Geneſ. 5.

Alcuin.

1003. Multò id conuenientius in Deipara; quæ mortis ſuæ paſſibilitate, paſſibilitatem Chriſti, & redemptionem noſtram veriſſimam fuiſſe aſſeruit. Quid ergo non expediat ad myſterium mors Mariana, quæ Redemptionis noſtræ myſterium ab impiorum calumniis tuetur optimè. Inſurrexêre Hæretici inter alia blaſphemantes, Chriſtum carnem phantaſticam detuliſſe, nec illam verè paſſibilem fuiſſe: contra quos acutè Tertul. lib. 3. contra Marc cap. 8. ita: *Iam nunc cùm mendacium deprehenditur Chriſti caro, ſequitur, vt & omnia, quæ per carnem Chriſti geſta ſunt, mendacium ſint: congreſſus, contactus, conuictus, ipſæ quoque virtutes: ſi enim tangendo aliquem liberauit à vitio, vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum eſt, non poteſt verè actum credi, ſine corporis ipſius veritate. Nihil ſolidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit. putatiuus habitus, putatiuus actus: imaginarius operator, imaginaria opera: ſic nec paſſiones eius fidem merebuntur: nihil enim paſſus eſt, qui non verè eſt paſſus: verè autem pati phantaſma non poteſt.* Vnde ergo errori tollendo veræ redemptioni aſſerendæ, aptiùs Chriſtus carnem ſuam probaret, quàm à Matre paſſibili: aut vnde Mater clariùs ſe, quàm à morte paſſibilem exhiberet? Non erat Chriſti caro phantaſticè, ſed ſolidè paſſibilis, quàm à Matre paſſibili, concarnis traxit: nec potuit Mater manifeſtiùs aliunde ſe probare paſſibilem, quàm morti tradita. Maria cunctas hæreſes interemptura, hoc dogma perfidum profligat interempta: minùs nobis proficeret, ni moreretur. An non pluſquàm ſatis hæc conuenientia, vt non mortis immunis, licèt immunis culpæ haberetur?

Mors Mariæ, redemptionẽ noſtram probat.

Tertull.

Dices: Hæc ſi vera forent, videri dicendam Mariam in ſepulcro corruptam iri meruiſſe: 1004.
ſic enim clariùs paſſibilitatem ſuam demonſtraret. Nego ſequelam: neque enim myſterio id fuit neceſſarium: imò contrarium, quod & euenit, omninò decens, & congruum reputandum: verè enim mortuum Filium, Mater mortua, nat corruptum, non fuerat corrupta demonſtratura. Redemptio noſtra Chriſti morte, non verò diuini corporis corruptione conſummatur. Non dedit Deus *Sanctum ſuum videre corruptionem*: ideò decenter incorrupta etiam Mater perſeuerat. Imò putarem, nullo argumento robuſtiùs probari poſſe Mariæ mortem de culpa non fuiſſe, quàm dum illius illæſam incorruptibilitatem veneramur: vt de vtroque innocentiſſimum filium æmularetur. Tritam materiam minùs tritis, ni fallor, elucidabo. Faciunt huc verba Mariæ ad Chriſtum: *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Cant. 1. num. 17. Celebrantur in his domibus vtriuſque corpora pretioſiſſima: & cùm metaphora ab ſplendidis palatiis deſumatur, quæ emblematis, & figuris lacunaria auro, & ebore renidentia ſolent variegare: tantummodò cedrus, & cypreſſus, quæ euitant cariem, corruptionem ignorant, commendantur. Benè Dionyſ. ibi art. 5. *Per domos iſtas poſſunt intelligi corpus virgineum Mariæ ſanctæ, & corpus ſaluificum Vnigeniti eius, &c. Siquidem caro Chriſti non vidit corruptionem: nec ambigitur, quòd filius ille omnipotens, naturaliter bonus, ac pius amantiſſimam, ac ſ. deliſſimam matrem ſuam, cum corpore, & anima aſſumpſerit in gloriam.* Dedi alibi priſcum Auctorem aſſerentem, ideò nobilibus animabus pulchra corpora aſſignari, vt ſibi dignum metarentur hoſpitium. Pulchrè ergo, ſacra Chriſti, & Mariæ corpora maximè de incorruptibilitate celebrantur: quia non aliunde dignius tantarum animarum hoſpitium intelligitur.

Maria mortua cur non abit in cineres.

Cant. 1.

Dionyſ.

Illud tamen ponderandum in hoc loco, quàm 1005.
ſine diſcrimine Maria has domos cedrinas proferat: domos, inquit, noſtras; quaſi vtraque vtrique conueniret, quaſi alterius ad alterum pertineret. Ita eſt: concarnes ſunt Mater, & Filius: & quo iure iſtius caro non corrumpitur, eo quodammodo Mariæ incorrupta perſeuerat. Neque mirum: ſi enim caro Mariæ corrumperetur, neſcio quid in Chriſto per identitatem corrumpi aliqualiter videretur. Guillelmus ibi: *Domorum noſtrarum: quia non tantùm domus Ieſu, ſed & domus Mariæ hoc priuilegium cõmune fuit: eo quòd Ieſus os ex oſſibus, & caro ex carne Mariæ fuit: ideò enim corpus Matris propter corpus Filij, cum corpore Filij, à generalis lege corruptionis exceptum, perpetua imputribilitatis*

Maria, Chriſto concarnis, non corrumpitur.

Guillelm.

tribilitatis gratiâ cõseruatum fuit. Pende illud, *propter corpus filij*. Quasi dedeceret à carne corruptibili, incorruptibilem Christi carnem deriuari: aut dedecoraretur incorruptio Filij, si Mater corruptionem pateretur. Quo autem iure Guillelmus, cum agnoscat dispensationem in generali lege corruptionis, eandem in originis non admittat, ipse viderit. Planè vtrunque non scriptum, & prisca traditione, & Ecclesiæ Diplomate suscipitur. Et quidem cùm de innocentia Christus, non mortem, sed corruptionem euitarit: cur de incorruptione Mariæ, illius innocentia non arguatur?

1006. Hinc Petrus Cellensis lib. 1. de Tabern. spinis Sethim Christi corpus comparans, sic concludit: *Incorruptibile siquidem est corpus Christi, quod neque computruit aliquando in stercore humanæ commestionis corruptione peccati, nec in sepulcro puluere mortis: vnde: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Leuis, quia nullatenus originalis, siue actualis peccati oppressus grauedine.* Dedecebat tantam innocentiam corruptio: certè, quia incorruptio innocentiam comitatur. Sit ergo caro Mariæ incorrupta, vt innocentis status conditionem retinuisse agnoscatur: ob Filium moriatur, sed cum Filio euadat corruptionem. Est aurea gnome illa Hesychij ad Christum Orat. 2. sæpe citata: *Quia Sol existis, necessario Virgo vocabitur cælum: cùm sis flos immarcescibilis, profectò Virgo erit planta incorruptionis, Paradisus immortalitatis.* Quasi non posset immarcescibilitas diuini floris stare, quin Maria incorruptibilis plantaretur: nec deberet incorruptionem hanc sortiri, nisi paradisiacam reduceret immortalitatem. Sic priscus, & egregius Author satis probatam supponit *Paradisi*, id est, innocentis status immortalitatem, si quantumuis mors properet de mysterio; corruptio tamen fœda non sequatur.

Maria, immortalitatis Paradisus. Cellens.

Hesych.

1007. Et quidem meritò: neque enim mors, quæ breui confinio habet immortalitatem, quæ vel leuissimam euitat corruptionem, mors de peccato inflicta potest reputari. Audio Paulum: *Per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit; & per peccatum mors.* Rom. 5. num. 12. Ecquæ mors? An illa, quæ innocentissimum Agnum immolauit? Absit: hæc enim non à peccato proprio orta, sed diluendo peccato assumpta: solúmque intrasse quodammodo per peccatum dicenda, quia occasionaliter extinguendo peccato armata fuit. Qualis ergo mors, quæ à proprio peccato deriuatur? Certè illa, quæ per fœdam corruptionem corpus in puluerem redigit. Chrysologus Serm. 111. (loco satis deprauato in suo codice, qui tamen à Godefrido ex integro Archetypo in suis Alleg. prodiit illibatus) ibi: *Ecce, Fratres, ianua: per hominem peccatum, & per peccatum intrasse videmur in mortem. Peccatum! ò crudelis fera, & non vno capite in hominem sæuire contenta, quam videmus trino ore tota humanæ stirpis gemina tam pretiosa deuorantem! Trino ore, Fratres: peccatum capit, mors deuorat, deglutit Infernus.* Est autem propriè deuoratio, illa cadauerum imminutio, & fœtida corruptio, quam eleganter describit Serm. 118. post multa de morte: *Germanam nequitia suæ corruptionem tali dirigit cum furore, vt aspectus hominum inundat; attrahat, occupet per sepulcra, extremos ostendens carceres, suos iacere ibi demonstrat inuiolabiliter vinculatos: & vt homines, sensus hominis horrore toto, toto pauore conturbet, effundit putredinem, eructat saniem, spargit fætores; atque ad vnum corpus hominis, innumeros carnifices ob se vermes accisse proclamat.* En tibi puram putam peccaminosæ mortis conditionem.

Roman 5.

Peccatoris mortem: sequitur corruptio.

Chrysol.

Quam alia mors Mariana! Vtriusque vitæ confinia, dulci, & breui vitæ separatione copulauit. Nimirum, non erat mors peccati: ideò quam peccatum non cepit instar immanis belluæ, nec Infernus potuit ad pœnam deglutire, nec mors ad corruptionem deuorare. Trino ore sæuit hoc peccatum: cogit iustitia duplex hoc à Maria credere conculcatum: cogat & pietas tertium etiam detriumphatum existimare. D. Damascenus suprà citatus: *Quonam modo mors deuoraret? quomodo Inferi susciperent? quomodo corruptio inuaderet corpus illud, in quo vita suscepta est?* Potuit itaque attingere mors Mariam; sed deuorare non potuit: potuit eò irrumpere; sed non corrumpere, sicut nec Inferi suscipere auderent: vtique, quia nec illam peccatum attrectaret. Quid enim talem ipsam non faceret ipsa vita, in quam postmodum per incarnationem erat illapsura? Aut, cur, si horreret maternæ carnis naturalem, vel etiam breuissimo tempore corruptionem; corruptioné peccati permisisset? Quantò hęc, illâ fœdior, quantò Christo probrosior? Quantò nasciturum Christum fœdaret magis materna peccati corruptio, quàm natum iam corruptibilis carnis dissolutio? Fecit ergo illam ab initio talem, vt de incorruptione culpæ, incorruptibilitatem carnis sortiretur. 1008.

Mariam corruptio quàm dedeceat.

Damasc.

Est hoc illud Salomonis Cant. 3. n. 9. Mariam sub metaphorâ ferculi celebrantis: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.* Nosti ex omnibus Interpretibus, & ex Scripturâ, ligna Libani de cedris explicanda: quia ædificandæ Mariæ non nisi cedrina, id est, incorruptibilis materia erat eligenda. Ab ipsa itaque prima sui formatione, ab ipso facturæ initio, è manu tanti artificis opus incorruptibile sic euasit. Sed vnde, inquis, à corruptibili naturâ orta Maria, incorruptibilitatis sortitur conditionem? Ab eo, quòd simul facta; simul sanctificata: ideò, cui oliuarum mons pacem, Tabor gloriam, Bethel gratiarum obtulit aromata; Libanus etiam cedrinam incorruptionem communicauit. Dionys. ibi art. 12. *Hoc ferculum ipsemet Christus, secundum quod Deus, fecit, corpus benignissimæ Virginis per causas secundas formando, cuius & materiam, in exordio produxit ex nihilo: animam quoque felicissimam eius per se immediatè creando. Spiritualiter etiam fecit hoc ferculum sanctificando, ac decorando illud per gratiam copiosam, iuxta quod scriptum est Ps. 45 Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Fecit autem illud ex lignis Libani: quia corpus immaculatissimæ Virginis constat ex membris sanctis, & incorruptis, quibus Christus communicauit: quod de ipso fuit prædictum: Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Nisi simul fieret, simul sanctificaretur, nullatenus dici posset immaculatissima: sed, quia reuerà immaculatissima, ideò incorruptibile corpus tunc accepit. At, quando nouimus Tartareas aues, Infernas belluas, (vt est apud Prophetam,) cedri medullã, & gloriam Libani solitas de præsũptione violare; abstineamus incorruptibilis cedri nostrę medullã, id est, innocentiã corrodere, quò magis ab Infernis bestiis distare videamur. 1009.

Cant. 3.

Caro Mariæ in morte incorruptibilis.

Dionys.

Sed

1010. Sed ipse, inquis, te iugulat Dionysius, dum Mariam, vt incorruptibilis euaderet, tabernaculum dicit sanctificatum: sanctificatio autem, culpam denotat abolitam, deletam maculam. Sed pugnaui iam hanc pugnam in Examine art. 2. Nunc adde Euangelij illud, vbi Christus: *Quem Pater sanctificauit,* &c. Ioan. 10. num. 36. vbi Euthymius: *Sanctificauit, hoc est, separauit, & elegit.* Sic suo modo Maria, à fœdatis aliis separata, & electa in ipso suo exordio instar Christi; proprijssime sanctificatum tabernaculum appellatur. Magis ad rem præsentem illud Christi ad Patrem: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quod ibi ita explicat D. August. *Id est, neque sanctificatum corpus, per quod & alij sanctificandi sunt, corrumpi patieris.* Aut ergo in sanctificato Christi corpore delendam maculam ab Augustino positam fatearis, necesse est: aut, præcisè, quòd Maria sanctificata dicatur, perperam peccato priùs infectam reprehendis. Sanctificatio enim nihil est aliud, quam sanctitatis vtcunque, & quandocunque communicatio. Vnde meritò Ecclesia hanc ab initio sanctificationem, immaculatæ Conceptionis nomine solet appellare.

Sanctificatio quid.

Ioan. 10. *Euthym.*

§. III.

Pœna solummodo ob culpam infamatur: ideò nihil morienti Deiparæ derogatur.

1011. VÆ hucvsque dixi, inde maximè clarent, quòd pœna, tantummodo formaliter, vt dicunt, sumpta, infamis, apud prudentes. Crux, mors, cateráque similia, si innocentibus adhibeantur, non formam pœnæ important, sed materiam: solùm culpæ pœna propriè venit, ideò infamatur: ideò eadem mors inflicta, quæ reo cedit ad dedecus, innocenti ad gloriam cumulatur. Perperam ergo Mariæ culpa de morte infertur, & ordine præpostero; cùm potiùs de culpa mors erat illa infamis exprobranda. Iactabat olim Iudæorum perfidia contra Christianos in Crucifixi nostri venerationem profusos, illud Deuter. 21. n. 23. *Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno.* Sed gens cæca non vidit, totum hunc locum eò tendere, vt clarissimè ob oculos proponeret, futurum aliquando aliquem, qui in ligno benedictionum apex haberetur. Quorsum enim tam distinctè inculcatur num. 22. antecedenti: *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non permanebit,* &c. nisi vt distinctio intimaretur inter damnatos alios peccantes, & innocentem Christum patibulo affigendum? Pulchrè Tertul. contra Iud. cap. 10. post multa: *Igitur non in hanc passionem Christum maledixit; sed distinctionem fecit: vt qui in aliquo delicto iudicium mortis habuisset, & moreretur suspensus in ligno; hic maledictus à Deo esset: quia propter merita delictorum suorum, suspenderetur in ligno.* Vt non pœna vtcunque, sed ob delictum, infamis maledictio agnosceretur. Priùs probanda erat in Christo culpa, & inde mors probrosa obiicienda. Sic in re nostra: dum in pœnam irrogatur parentibus: *In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Genes. 2. n. 17. ideò mors infamis, quia comederunt. Quòd si non comedentibus, mors ex diuino alio decreto fortè adueniret; neutiquam ista ad infamiam formaliter pœnalis nosceretur. Proba mihi Mariam comedisse, (quod supra falsum conatus sum probare;) & deinde originem fœdatam contraxisse: & habebis intentum: alias elumbe argumentum à morte sumis. Sed adhuc in idem, vlteriùs adductus locus explicandus.

Pœna, solum ob culpam, infamis.

Deut. 21.

Tertull.

Genes. 2.

1012. Quinquaginta cubitorum crucem erexerat appendendo Mardochæo sanctissimo, Aman impius. Age, sodes: si innocens ibi, & piissimus ille senex appenderetur; nunquid statim maledictum, & infamem Iudæi existimarent? Nemo credidérit. At suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo, Esth. 7. n. 10. & nullus infamem, & abiectum illum non reputarit. Quidni? Alter à culpa, alter ab innocentia prouenerat. D. Hieron. lib. 2. in cap. 3. Epist. ad Galat. *Intendendum est, quòd non quicunque in ligno pependerit, maledictus sit apud Deum: sed, qui peccauerit, & propter scelus morti fuerit adiudicatus, subla[tus]que in Crucem,* &c. *Certe, si crucem, quam Aman parauerat Mardochæo, non ipse pro suo merito ascendisset; puto, Mardochæus in eam, non vt maledictus, sed vt vir sanctus ascenderet.* Neque gloriosior Mardochæus diuinis oculis in solio Assueri ob dignitatem; quàm in patibulo ob patientiam quidem exhiberetur. Sic gloriosior Maria, dum implendo prædicto mysterio fortiter mortem subit; quàm si illam ob aliquod priuilegium feliciter euitaret. Solum quippe delictum, pœnæ maculam solet irrogare.

Idem probatur.

Esther. 7.

D. Hieron.

1013. Cogebant quidam praui Doctores Galatas iam fideles ad circuncisionem, vt ita persecutionem, & ignominiam, quam de Crucis cultu apud impios sustinebant, dissimulata sub Iudaicó ritu fide, euitarent: quos contra postquàm late disseruit Apostolus, sic concludit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* cap. 6. n. 14. Quasi dicat: Non solùm Christi Crucem, aut reiicio, aut dissimulo: sed etiam in illa glorior, illam iacto. Cur ita? Quia, si ego proptereà infamis, & instar crucifixi abominabilis mundo reputer; hoc mihi gloriatio est: quia ipse mundus mihi reuerà infamis, & instar turpis cuiusdam crucifixi, abominabilis meritò reputatur. Occulta ratiocinatio, sed cultissima. Cur enim, quòd mundum despiciat, iam ignominiæ, despectus, persecutionis pœnas, imò instantis mortis supplicium non solùm non timet; sed etiam de his in Cruce Domini gloriatur? Quia, dum mundum reputat infamem, & instar de peccato crucifixum: ab illo fugit, & illius tactum, id est, culpæ contagium euitat: sic innocens, licèt à mundo vilipendij, imò & Crucis pœnam subeat, se decorum reputat: quasi in Cruce Christi, quam ob Domini innocentiam gloriosè colebat, gloriosiùs affigeretur. Grauissimè hic Hugo Victorinus apud Godefr. *In Cruce Christi, gloriatio: in cruce dextri latronis, consolatio: in cruce sinistri, confusio. In prima, pœna sine culpa, & post gloriatio: in secunda, pœna pro culpa, & post remissio: in tertia, pœna pro culpa, & post damnatio.*

Crux, quàm varia iusta, & iniusta.

Galat. 6.

Hugo Vict.

Dicunt

Dicunt homines, quando pœnam sustinent: Si meruissemus, non erubesceremus: nunc autem iniustè pati, ignominiosum est nobis. Obloquium videtur: imò, si pro culpa pateris, erubesce: si sine culpa, gloriare. Latro magis esse vis, quàm Christus? & fortè sinister blasphemator, non dexter confessor? tu enim, qui pro culpa pateris, nec agnoscis, nec Iudicem veneraris; si saltem dexter fuisses, culpam humiliter agnosceres, pœnam patienter perferres, & mox veniam inuenires. Benè ergo ruit in amplexus Crucis Paulus, nec de pœna innocens erubescit, quam pridem innocentia Christi decorarat: hæc enim tunc solùm fugienda, & instar infamiæ repellenda, cùm de culpæ turpitudine infamatur. Nullus mortalium tam auide mortem subiit, quàm Maria: quia nullus ita innocens properauit. Nulla ibi ratio pœnæ; quia nulla culpa, ideò gloriosissimà initur. Vide, quæ huc faciant in Cant. Tropol. n. 1277.

1014. *Pœna innocentis gloriosa.* Mira vbiuis zeli Moysis constantia, & anxia piissimè diuini honoris custodia: & tamen pro scelestissima populi idololatria intercedens, imminentem pœnam, iustissimum supplicium conatur retardare: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum*, &c. Exodi 32. n. 11. Et vbi zelus? vbi diuini potiùs honoris vindicta sollicitanda? nónne vacillat? Certè non tam vacillauit pietas in Deum, quàm fuit miserum populum miserata: timuit illi non tam pœnam, quàm sempiternam infamiam de eadem, dum summam fuisse culpam recognoscebat. Non adhuc pœnituerat populum de tāto piaculo, non adhuc pœnitentia culpam purgarat, in sordibus iacebat idololatriæ: ideò intercedit, nequaquam intercessurus, si tanta pœna leuem, aut nullam culpam, aut quamuis grandem, plecteret abolitā. D. Chrysost. tom. 3. Serm. de Ascens. *Quid hoc est? Contumaciam vides, & pro impiorum suppliciis deprecaris? Ideò, inquit, doleo, ideò deprecor, quia dignè cruciantur, quia meritò puniuntur, quia ipsi sunt sui causa supplicij.* Deme culpam, aut saltem culpæ contumaciam: & iam pœnam pro nihilo reputaret: in Cruce Christi, aut saltem dextri latronis non doleret occisos, crucem illis sinistri latronis pertimebat. Omnia quippe pœnarum genera insontibus permissa, non tam conciliant dedecus, quàm cumulant honorem. Vnde in Maria priùs conditio culpæ ad infamiam, quàm pœnæ ratio erat exquirenda.

Exodi 32.

Chrysost.

1015. *Pœna probatur.* Hinc benè D. Chrysol. Serm. 135. de D. Laurentio: *Oblata est torrenda, & verius dicam, assanda martyrio nobilis illa Laurentij caruncula: sed ille craticulam supplicij, lectum quietis putabat. Supplicium dixi secundùm animum punientis, non secundùm conscientiam patientis: nullum est enim supplicium damnati, vbi non est pœna peccati.* Vt non solùm absente culpa, pœna infamia; sed etiam ab ipsa pœna, formalis pœnæ ratio abesse cognoscatur: vnde ad honorem potiùs ostentanda, quàm ob dedecoris metum abscondenda. Hinc iam capies, cur arbor illa virens Paradisi, quæ pomum veneno mortis infectum Adamo porrexit; eadem etiam, ex multorum sententia, eidem ad abscondendum se Genes. 3. n. 8. latebras præberet: cùm è contra arida Crucis arbor secundum Adamum manifestis vlnis sustinens, omnium oculis præberet conspiciendum. Nimirum, illa culpæ conscia, infamiam celare frondibus (crediderim magis, ac magis succrescentibus) cupiebat: hæc innocentiæ testis decussas sibi frondes gratulatur: vt pœnam culpæ immunem, & proinde decoram ostentaret. Philotheus Patriarcha Constantinop. Orat. de Cruce apud Gretf. *Lignum Paradisi in seruitutem abduxit, nuditatémque Adamo induxit, & vt se occuleret, effecit: at lignum Crucis Christum in excelso situm omnibus spectandum exhibuit.* Sic fit, vt pœna absque culpa, non solùm non petat latibula; sed potiùs appetat ostentari. Vnde & Ecclesia, quæ in Maria nullam culpam fuisse summoperè studet comprobare, anniuersaria solennitate prædicat eius mortem; nec inde aliquid immaculatæ Conceptioni credit derogatum.

Chrysol.

Genes. 3. *Crux Christi quàm decora.*

Philoth.

Iterum excutiendus Abel initio huius Anthol. iam adductus. Immolabat sæpiùs se Deo Agnum innocentissimum potiùs, quàm è grege agnos: & cum adipe victimæ, pingui deuotione, cordis ipsius telas offerebat: in æternum victurus videbatur, qui inter caduca, æternitatis Domino vni anhelabat: & tamen nihil illo dissolubilius, breue parentum delicium, à fratre impio Genes. 4. n. 8. trucidatur, primo & opimo spolio morti consecrato. Et cur ita? Cur rem nefariam sustines, æterne Iudex? Nullum beneficium grandius potuit accipere. Si suo fato moreretur, soluebat originalis culpæ pœnam: dum acerbe, & violenter eripitur, quòd Deum acceptatis sacrificiis honoret, iam mors minùs tunc debita, iustissimum manifestat. Eleganter D. Chrysost. homil. 4. ad Pop. Antioch. eos reprehendens, qui de iniustè illata sibi morte querebantur. *At non violenter, inquis, sed iniustè mori timemus: & quòd, ac si nihil eorum, quæ existimamur, cum sontibus pariter puniamur. Quid ais, dic mihi? Iniustè mori times? an iustè velles? Et quis tam miser, & ærumnosus, vt cùm iniustè mori immineat, iustè magis mori eligat? Si enim mortem metuere oportet, iustè nobis ingruentem timere conuenit: quoniam iniustè quidem mortuus, per hoc ipsum cum Sanctis omnibus communicat: apud Deum enim, probatorum, & illustrium plures iniustam sustinuère mortem, & primus Abel: non enim in fratrem peccans, nec Cain lædens; sed, quoniam Deum honorabat, ideò iugulatus est.* Mors itaque sine culpa veniens, præmium honorati Numinis reputatur: & decorat Christus Matrem non debitricem, dum illam probando redemptionis mysterio, vt dixi, morti subiicit, sed gloriosissimæ, naturæ finem, non culpæ pœnam arbitratus.

1016. *Mors iustorū, si violenta, nobilior.*

Genes. 4.

Chrysost.

Nouit id etiam Ethnicus homo, Cicero Orat. pro Mil. qui hac ratione amicum describit constantissimum: *His lacrymis non mouetur Milo: est quod incredibili animi robore septus: exilium ibi esse putat, vbi virtuti non sit locus: mortem, naturæ finem esse, non pœnam.* Innocens erat, morti insultabat, licèt oppressuræ. Rapiebatur ad supplicium Socrates innocentissimus impositi delicti, imò de vnius veri Numinis confessione commendabilis: de quo ita Tertul. lib. de anima, cap. 1. *Coniugi obuiæ, & muliebriter inclamanti: Iniustè damnatus es, Socrates! iam & de gratulatione responderat: Volebas autem iustè?* Nullus nisi hebes & tardus mortem absolutè infamat: priùs examinanda causa, vnde prouenit. Hoc, vt vides, ad caligans naturæ lumen viderunt Ethnici: quid, si Christum innocentissimum morti traditum, meliori fidei lumine penetrarent? Iniustè ergo infamamus Deiparam delicti, quòd moriatur: non

1017. Cicero. *Mors iustorū, naturæ finis, vix pœna.*

Tertull.


poterat iustè mori de originali debito; non poterat iustè puniri de delicto, quæ ob dilectum iustissimè occumbit: quia, vt benè Damascenus citatus: *Ex qua omnibus vera vita manauit, quomodo illa mortem gustaret? Sed cedit legi latæ ab eo, quem genuit, & vt filia veteris Adam veterem sententiam subit; (nam & eius Filius, qui est vita ipsa, eam non recusauit:) vt autem Dei viuentis Mater, ad illum ipsum dignè assumitur.* Tu pende singula, videbis nihil clarius dici potuisse, vt mors Mariæ per omnia Christi simillima reputetur.

1018. Et certè non aliter vitæ Mater, morti tradenda fuerat: nec mereretur talis esse, si de culpa aliqua
Maria mors de culpa esse non potuit. mori mereretur. Videbat virginei ventris tumorem, Ioseph sponsus purissimus: & conceptus conscius, inscius mysterij, amatæ coniugis, si proderetur, periculum pertimebat: ad quem tunc Angelus timorem auersurus: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in*
Matth. 1. *ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Matth. 1. n. 20. Sed quid, si Christum concipiens, adhuc ab impiis Pharisæis, & cæcis, & mysterium blasphemantibus trucidaretur? an Matri parcerent, Filio non parcentes: Poterat fortassè à Pharisæis Maria occidi: sed ea occisio non erat deploranda, quia non veniebat de delicto: neque enim mater vitæ, licet occideretur, occisionem poterat promereri. D. Chrysol. Serm. 145. *Quam vides, virtus est ista,*
Chrysol. *non crimen: hic non humanus lapsus, sed diuinus illapsus: hic præmium est, non reatus: hic incrementum cæli est, non corporis detrimentum: hic non est proditio personæ, sed Iudicis est secretum: hic palma cognitoris est, non supplicij pœna: hic hominis furtum nō est, thesaurus est Dei: hic non est mortis causa, sed vitæ: & ideò noli timere: quia, quæ vitam parturit, non meretur occidi.* Equidem eadem de causa nec meretur mori: quid enim interest tantæ causæ derogandæ, vtrùm morte afficias, aut nece, si vtrunuis de culpa velis irrogatum? Non poterat peccare ad necem, quæ vitam parturit, quia nex de merito, cumulatis filij meritis derogabat: nec ergo peccauit ad mortem, quia sic Christus vita nostra inde editus infamaretur. Sin minùs, cedo discrimen, cur turpior mors ab homine necis titulo, quàm nex mortis cognomine, à causis naturalibus irrogetur? Vtranque certè aut culpa maculat, aut decorat innocentia.

1019. Moritur ergo Maria, non de culpa, instar Christi: vt hoc ipsum illi ad gloriam reputetur, ne in
Imitatio Christi iusta gloriosa. eo super Christum fuisse videretur, si destinatam humanæ conditioni mortem euitaret. Animabat Christus discipulos ad tormenta mortis durissimæ subeunda: deinde subdit: *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum:*
Matth. 10. *sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius; & seruo, sicut Dominus eius.* Matth. 10. n. 24. Si sermo esset de honoribus, & decore, nihil clarius dici potuisset: at in re mortis, & probri, cur seruis sufficiat esse sicut Dominus? cur non potiùs infelices de ignominiarum imitatione habeantur: Quia ipsa imitatio tanti Domini, in quacunque re foret, manebat gloriosa. Decorarat Christus necem indebitè inflictam: iam seruis eadem pro summo decore imputanda. Tertul. in Scorp. aduersùs Gnost. cap. 3. *Quia cum magister, & Dominus ipse perpessus sit persecutionem, & traditionem, & occisionem; multò magis serui, & discipuli eandem expendere debebunt: ne quasi superiores, exempti de iniquitate videantur: quando hoc ipsum sufficere eis ad* Tertull.
gloriam debeat, æquari passionibus Domini, & Magistri. Non sit Mater Filio superior, si morti eximatur: imò sufficiat illi ad gloriam, dum innocens, innocentissimi morti, quantùm fieri potest, adæquatur.

Hæc sunt, quæ mihi de Virgine gloriosè defuncta addere visum est, provt illi non de culpa, 1020.
sed de mera naturæ conditione sibi relictæ, mors *Mors Mariæ*
dicitur pertinere: si tamen pertinuisse dicenda est, *vix mors dicenda.*
quæ breuissimè Virgini adhæsit, subitò, de meliori vita, auolatura. Altare ligneum sic Deus iubebat sibi apparandum, vt haberet *tres cubitos in altitudine.* Exod. 26. n. 11 Vix Sacerdos super sic erectum altare posset ministrare, vt omnes fatebuntur, nisi gradus aliqui illi admouerentur. Sed quis Exod. 26.
iam non opponat illud Exodi eiusdem alibi: *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur* Exod. 26.
turpitudo tua. cap. 20. n. 26. Nec respondeas hîc de altari lapideo, siue terreno sermonem esse: ibi verò de ligneo altari institui sermonem: nam vtrobique ratio militat, & gradus videntur altari indecentes. Sed audiendus ibi D. August. tom. 4. quæst. 113. qui, licèt non omninò dubium amoueat, verbis tamen pulcherrimis imminuit: *De altari quæritur, quomodo tribus cubitis altum esse volue it, cum tanta ferè sit statura hominis altitudo.* D. August.
Quomodo ergo ministrabatur altari, cùm gradus habere altare alio loco prohibeat? Ne pudenda tua, inquit, reueles super illud. Sed illud dicebat de altari, quod terra, vel lapidibus construendum erat, vbi gradus ipsi coædificati, ad corpus altaris vtique pertinerent. Nunc verò altare fieri de tabulis præcipit: quo si apponeretur ad horam administrationis aliquid, vbi staret minister altaris, & peracto ministerio tolleretur; ad corpus altaris vtique non pertineret. Itaque ex mente Augustini gradus pertinentes de coædificatione ad altare prohibentur: nec pertinere visi, qui peracto ministerio, subitò amouentur. Sic in re nostra: pertinet ad nos mors, quia nobis ab origine polluta coædificatur de pathematis, & de imperio ad extremum vsque iudicium nobis immoratura. At non pertinet ad Christum, non ad Mariam, quibus tantùm ad horam ministerij, & mysterij admouetur, statim gloriosissimè remouenda: quia non ab origine illis de culpæ perpetuo iure coædificata. Iam ad articulum quartum accedamus.

EX



EX QVÆST. XXVII. TERTIÆ PARTIS D. THOMÆ,

ARTICVLVS IV.

Vtrùm per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta, vt nunquam peccaret.



AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd per sanctificationem in vtero non fuerit Beata Virgo præseruata ab omni peccato actuali: quia, vt dictum est, post primam sanctificationem, fomes peccati remansit in Virgine: motus autem fomitis, etiamsi rationem præueniat, est peccatum veniale, licèt leuissimum: vt Augustinus dicit in libro de Trinitate: ergo in Beata Virgine fuit aliquando peccatum veniale. Præterea, super illud Lucæ: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* dicit Augustinus in quæstionibus veteris, & noui Testamenti, quòd Beata Virgo in morte Domini stupore quodam dubitauit: sed dubitare de fide peccatum est: ergo Beata Virgo non fuit præseruata immunis ab omni peccato. Præterea, Chrysostomus super Matthæum, exponens illud: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.* dicit: *Manifestum est, quòd solà ex vanâ gloriâ hoc faciebant.* Et Ioan. 2. super illud: *Vinum non habent.* dicit idem Chrysostomus, quòd volebat illis ponere gratiam, & se ipsam clariorem facere per Filium: & fortassis quid humanum patiebatur: quemadmodum & fratres eius dicentes: *Manifesta te ipsum mundo.* Et post pauca, subdit: *Nondum enim, quam oportebat, de eo opinionem habebat.* Quod totum constat esse peccatum. Ergo Beata Virgo non fuit præseruata immunis ab omni peccato.

Sed contrà est, quod Augustinus dicit in libro de natura, & gratia: *De Sancta Virgine Maria propter honorem Christi, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum; quòd concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Respondeo dicendum, quòd illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundùm illud 2. ad Corinthios, 3. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa diuinitùs, vt esset Mater Dei: & ideò non est dubitandum, quòd Deus per suam gratiam, eam ad hoc idoneam reddiderit: secundùm quod Angelus ad eam dicit: *Inuenisti gratiam apud Deum, ecce concipies,* &c. Non autem esset idonea Mater, si peccasset aliquando: tum, quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prou. 17. *Gloria filiorum, patres eorum.* vnde, & per oppositum, ignominia matris ad filium redundasset: tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. ad Corinthios, 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* tum etiam, quia singula-

ri modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitauit, non solùm in anima, sed etiam in vtero: dicitur autem Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideò simpliciter fatendum est, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.*

Ad primum ergo dicendum, quòd in Beata Virgine post sanctificationem in vtero, remansit quidem fomes peccati, sed ligatus: ne, scilicet, prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem præueniret: & licèt ad hoc operaretur gratia sanctificationis; non tamen ad hoc sufficiebat: alioquin virtute illius gratiæ hoc ei fuisset præstitum, vt nullus motus posset esse in sensualitate eius, nisi ratione præuentus: & sic fomitem non habuisset, quod est contra supradicta. Vnde oportet dicere, quòd complementum illius ligationis, fuit ex diuina prouidentia, quæ non permittebat aliquem motum inordinatum ex fomite prouenire.

Ad secundum dicendum, quòd illud verbum Simeonis, Origenes, & quidam alij Doctores exponunt de dolore, quem passa est in Christi passione. Ambrosius autem, per gladium dicit significari prudentiam Mariæ, non ignaram mysterij cælestis: viuum est enim verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutissimo. Quidam verò per gladium, dubitationem intelligunt: quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis; sed admirationis, & discussionis: dicit enim Basilius in Epist. ad Optimum, quòd Beata Virgo assistens Cruci, & aspiciens singula post testimonium Gabrielis, post ineffabilem diuinæ Conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat: ex vna, scilicet, parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte considerans eius mirifica.

Ad tertium dicendum, quòd in verbis illis Chrysostomus excessit: possunt tamen exponi, vt intelligatur, in ea Dominum cohibuisse, non inordinatum inanis gloriæ motum, quantùm ad ipsam; sed id, quo ab aliis posset æstimari.

EXAMEN

EXAMEN TEXTVS D. THOMÆ.



1021. NIHIL speciosius hoc Articulo, in tota hac quæstione scripsit D. Thom. nihil certius; ita tamen, vt nihil rationum congerat perpetuæ Virginis actuali innocentiæ comprobandæ, quod robustiùs illius præseruationem ab originali, non confirmet. Vnde ansa præbita illorum cōiecturæ, (minùs leuis aliquibus reputata,) qui secundum articulum iniuriè interpolatum existimarunt: quasi vix ab eadem mente, hunc, & illum effluere potuisse videatur. Articuli materia plana est: tantummodo rationes D. Doctoris examinandæ in decus præseruatæ Mariæ: & prætermissis iis, quæ iam alij feliciter laborarunt, quæ denuò addidi, vt soleo, solummodo suggerenda.

1022. RESPONDEO DICENDVM.] Si, quos Deus eligit, præparat; Maria ad maiora electa, electiùs fuit præparata. Tunc sic: Præparatio præueniens electioni cōmensuratur: sed Maria ad maiorē dignitatē assumpta, quàm quæuis alia possibilis, vt secundùm D. Thomam infinitatem quandam de maternitate cōpararet: ergo præparatio, omnium possibilium extitit excellentior: sed possibilis fuit præparatio nobilissima ab originali, vt suprà multis paginis probaui: ergo de facto præparatio præseruans Virginē decorauit. Confirmatur: quia, vt habet hîc D. Thomas, Maria, si quouis peccato actuali inquinaretur, non esset idonea Mater: atqui longè deformior est originalis macula, quàm illa, quæ ex quouis veniali inuritur: vtpote, quæ inimicitiam grauissimam inter Creatorem constituit, & creaturam: ergo Maria originaliter infecta minùs idonea Mater haberetur. De hoc iam plenam Anthologiam suprà dedi.

Maria idonea Mater.

1023. TVM QVIA HONOR PARENTVM.] Hæc est secunda ratio, qua D. Thomas supponit infamatum Christū, & meritò, si à Matre vel leuissimè actualiter peccante nasceretur: sed magis infamis esset, si à Matrē originaliter lapsa ortus foret: ergo præcauens Matrem præseruauit. Minorem latissimè iam ab aliis probatam, aliunde sic deduco. Honor creaturæ rationalis, per ordinē ad diuinam imaginem, & similitudinem desumitur: sed Maria per peccatum originale, (non per veniale,) omninò imaginis huius, & similitudinis amitteret rationem: ergo magis infamis filium dedecoraret. Probatur id apertè ex illo Dauidico toties repetito: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ps. 48. n. 13. Vide D. Amb. ibi: *Est autem honor, quia ad imaginem Dei factus est rationis capax.* Quod idem habent August. Euthym. ibidem: & Bern. serm. 35. in Cant. quasi solùm obnubiletur hîc honor, de bestiali resumpta similitudine: sed per originale peccatum similitudo Dei amittitur, & bestialis, eorumque conditio comparatur: ergo illud honorem detruncat in Matre filio infamando. Quòd autem in Adamo non intelligente, vniuersum humanum genus deformaretur, vt honore similitudinis perdito, præditum bestiali imagine totum sordesceret: innuit Bernard. citatus: *Væ misero! quid non fuit, cui iam tunc diceret ei: Quid superbis, terra, & cinis? Hinc egregia creatura, gregi admixta est: hinc bestiali similitudine, Dei similitudo mutata est: hinc societas cum iumentis, pro consortio Angelorum inita est. Vides, quàm sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum vniuerso generi prouenerunt?* Itaque ab Adami ignorantia, in vniuersum genus hæc mala amittendæ similitudinis redundarunt.

Imago Dei, honor hominis. Psal. 48. Ambros. Bernard.

Pulchrè in hanc rem Vrbanus Pontifex IV. tom. 1. Bibliot. adductus, in Metaphrasi Psal. 50. de peccato originali locutus: *Anima infusa corpori taliter tabefacto, maculata polluitur, & fœdatur, sicut in vase non syncero vinum infusum, licèt optimum, inficitur, & acescit. Et in illa infusione, ipsa anima damnationis sententiā in se iustam excipiens, culpam contrahit, & reatum, & pœna perpetua obligatur. Et hæc recordatus sum, & effudi in me, coram te animam meum, Deus: vt intelligam miserabiliter in me factum, quòd ille primus homo, cùm in honore esset, in se non intellexit, à te iustissimè faciendum.* Non potuit ergo Maria in se, imò nec in Adamo, hunc honorē perdere, ne id Filio in dedecus verteretur. Habet in hanc rem optima verba D. Anastasius Sinaïta lib. 6. Hexam. quorum iam aliqua ad rem aliam libauit Salazar cap. 26. n. 6. quæ tamen maximè in rem præsentem scripta iures. Do locū auctiùs, & cumulatum. Ergo S. Doctor prædicto libro ad finem, vt probet illa ex cap. 1. & 2. Genes. de secundo Adamo Christo mysticè accipiēda: *Qui præsit, & dominetur piscibus, volucribus, & omnibus iumētis.* quia vnicè imago, & similitudo inuisibilis Dei Patris, vtpote cuius figura, & splendor substantiæ est: cùm nos ad ipsius Christi Verbi imaginem & similitudinē produceremur, sic concludit: *Quòd si ad litteram progressi, illic maneamus: quomodo poteris ostendere, gloriosissimam illam Dei Matrem, esse ad Dei imaginem, & similitudinem? Vbi enim imperauit illa, aut est dominata bestiis sensibilibus, aut piscibus, aut volucribus, aut vniuersa terra: quæ à facie Herodis migrauit in Ægyptū? Et quis mihi, dic, quæso, aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus audebit dicere, quòd ea, quæ est, eiusdem simul cum Deo essentiæ, quoad carnē attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim Mater eiusmodi Filij, non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginem?* Quasi, ex mente Anastasij, ideò solus sensus litteralis, spreto mystico, hîc veniat minùs aptus: quia si cui hominum imperium materiale rerum esset concedendum, id maximè Mariæ tribueretur; quod tamen non euenit. Sed ad rem: in sensu mystico Maria non vtcunque, sed *integram, & illæsam* conseruauit Filij Verbi imaginem, quam cæteri corrupimus, & ex origine protocorrupti parentis trahimus, bestiali metamorphosi temeratam. Dum verò neque hominibus, neque Dæmonibus, negandæ huius imaginis audaciam permittit, quam deinde illæsam protestatur; ab hominum, & Dęmoniorum linguâ eiusdem integritatem fatendam supponebat. Sed quid mirum audeant homines, quod Dæmones

1024. *Hic in Adamo perditus.* Vrban. IV. Salazar. *Maria, imago illæsa.* Anast. Sin.

formidant: si hi innocentiam Mariæ trepidantes agnoscunt; illi non ita clarè penetrare possunt.

1025. TVM-QVIA SINGVLORVM AFFINITATEM.] Ex carne, quam Christus Dominus à Matre accepit, vnde illi singularissimè fuit coniunctus, probat Doctor Angelicus, non debuisse Mariam peccato aliquo actuali fœdari: tunc enim iam Christo aliquid foret commune cum Belial, quod est cõtra Apostolum 2.Cor.6. quam rationẽ probatã identitate Carnis Christi, & Mariæ, originalisque culpæ fœditate, grauiter pressit, & retorsit Salazar c.26. à n.4. Rem aliter sic cõfirmo. Longè fœdiùs caro originis labe corrũpitur, quã quouis peccato actuali mortali, nedum veniali. Sed hæc ex D.Thom. repugnant Mariç propter identitatẽ Carnis cum Christo: ergo à fortiori illud originis peccatum repugnabit. Maior probatur: quia ab originali, mortis debitum, fomitis incursio, affectus rebellatio est, etiam post gratiam: quæ tamen in statu innocentiæ condonatis actualibus non perdurarunt: ergo, &c. Id totum cõfirmat his verbis Vrbanus citatus: *Tu autem, Deus, qui diues es in misericordia, dimittens originalia, & actualia, non propter meritum nostrum, sed propter nimiam charitatem, qua dilexisti nos: cùm sic essemus mortui in peccatis, conuiuificasti nos per tuam gratiam in Baptismo, animam à vetustate culpæ mundando, reatum eius soluendo, ac ipsam a pœna perpetua liberando: & propterea tibi, Domine, semper in populis confitebor. Veruntamen adhuc in carne mea, Domine, sentio incessanter etiam post Baptismum concupiscentiam illam carnis, quæ est fomes peccati, languor naturæ, tyrannus carnis, stimulus mortis, lex membrorum, repugnans legi mentis meæ, & captiuans me in lege peccati.* Ne autem putares hæc mala carnis ab actualibus peccatis, quæ suprà etiam dixerat, deriuata fuisse; subdit statim: *In hoc autem considero, & suspiro iustissimam condemnationis sententiam tuam, Deus, quam in Adam, & in eius posteros, ratione illius inobedientiæ protulisti, quòd, videlicet, non est aliquis, si post Baptismum vixerit in sua carne, qui non ab huius hostilis concupiscentiâ affligatur.* Sic caro ab originali, magis quàm à quouis actuali peccato sordidatur: vnde ab hoc Caro Christi fœdiùs cum Maria identificari videretur.

Peccati originalis effectus, etiã post condonationem.

Salazar.

Vrban. IV.

1026. Secundò, sic argumentor: Radix omnium actualium in nobis, vt plurimùm, est peccatum originis: sed peccatũ quoduis est corruptionis aliqualis, & fœditatis causa: ergo magis originale peccatum fœditatẽ inducet, & corruptionem. Minorem dant omnes: probo cõsequentiam: quia id corrumpens, vnde cætera corrumpentia deriuantur, quasi in virtute illorum omniũ corruptelam videtur continere. Maiorem probat citatus Vrbanus ad illa verba: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* & efficaciter quidẽ, prout in subiecta materia dari potest: ergo ibi ita: *in iniquitatibus, id est, originalibus, & actualibus conceptus sum: ne intelligas, Deus meus, qui gallo intelligentiam contulisti, quòd ego intelligam dicere in parentum meorum originalibus, & actualibus me conceptum; cùm credam, quòd & eorum originalia deleueris in Baptismo; & ipsorũ actualia mihi tu, Domine iuste Iudex, imputare non velis, nisi ipsorum actualium fuero imitator: quoniam tu dixisti, quòd iniquitatem patris filius non portaret. Sed hæc est intentio mea, Deus: in iniquitatibus originalibus, & actualibus me conceptum; hoc est, in illa lege nostræ originis vitiosa, in qua omnes corrumpimur, & nascimur in vtero, & ex vtero filij iræ tuæ: atque per traducem, libidinosâ carnis concupiscentiâ, etiam antequàm peccemus, constituimur peccatores, atque ad actualia proniores. Sed, cùm non sit nisi vnum, & solum originale peccatum, quod à parentibus trahitur, pro quo non baptizati paruuli damnabuntur, non me velis, Domine, arguere in furore, si plurali numero vsus sum in hac parte dicendo, quòd in originalibus, & actualibus sum conceptus: cùm dixerim hoc pro eo, quòd illud vnum originale peccatum plures habet effectus: & quia in illo vno originali peccato intelligi plura possunt, si quasi per membra singula diuidantur.* Nolui verissimam, licèt prolixam, tanti Pontificis sententiam intercidere: itaque Christus carnem magis infectam, & penitùs de radice vitiatam ad corruptionem, sumeret à Matre, si hæc origine praua afficeretur, quàm si pollueretur quouis actuali.

Est radix actualium.

Vrban. IV.

Tertiò: quia ideò Christus nullam habet conuentionem ad Belial, quia est segregatus à peccatoribus, & purior cælis factus: atqui si carnem assumeret in matre originaliter infectã, magis coniungeretur peccatoribus omnibus; quàm si quouis actuali fœdatam sumeret: ergo. Cætera patet, probo minorem: quia, qui contraxit originale, à fortiore peccauit in Adamo: sed in illo, cũ omnibus peccatoribus peccãdo coniunctus fuit, ita vt omnibus immixtus, & coagulatus videretur: (quod in actualibus non euenit:) ergo intentum. Acutè, & grauiter hoc scribit ibidem Sanctissimus Pontifex Vrbanus, sic supradictis subiungẽs: *Et maximè, quia in hoc plurali numero intelligo, sicut & tu ipse intelligis, singulare, &c. Ita & ego, Domine mi colende, dicendo pluraliter, in iniquitatibus originalibus, & actualibus me conceptum, intelligo dicere me conceptum de illo vno, & singulari originali peccato, in quo omnes in Adam peccauerunt, vt in materia, vel massa: nam in eo seminaliter omnes erant, quando ipse naturam corrupit humanam; & in illo vno homine, qui omnium nostrûm fuit materia, & origo, omnes concupiscentialiter descendunt; & per propagationis successionem, & carnis concupiscentiam, occultè illa corruptio in posteros demigrauit.* Itaque originale, in quo quisque concipitur, licèt sit vnum reipsâ; ideò ex mente doctissimi Pontificis multiplex dici potest: quia in protoparente omnes permixti, dum singuli ab Adamo illud trahunt: hoc vnũ, in quo omnes copulabantur, quasi multiplex, singuli aliorum participes quodãmodo trahere videntur. Et quidem si nulla alia ratio daretur, ne Maria in Adamo peccaret, quàm vt Christus magis à peccatoribus segregatus videretur, satis, superque illa esset existimanda. Non itaque Christus carnem à Matre originaliter accipit præfœdatam, ne plùs cum peccatoribus in communi massâ coniunctus, minùs à Belial sciungeretur. Quod optimè ex D.Paulo indecens putat Doctor Angelicus. 1027.

Per originalẽ culpam magis congregamur omnibus peccatoribus.

Vrban. IV.

Et fortasse ideò Dæmon in hoc loco vocatur *Belial*: quæ vox, vt cũ Hieronymo multi probant, significat, *absque iugo*: à particulâ בלי, id est, *absque*, & עול id est, *iugum*: quasi nihil magis ab obedientissimo Christo dissentiat, quàm rebellis inobedientia. Vnde, cùm nulla inobedientia fœdior appareat, quàm illa, qua Adam, & in illo omnes, preceptum pomi vetiti transgressus est; eò magis à Belial, & eius mẽbris Christus segregabitur, quò Maria, vnde carnem sumpsit, remotior ab Adami inobedientiá cõstituatur. Inde ferè omnes Patres, 1028.

Belial quid sonet.

obedientiam

obedientiam Virginis oppositam inobedientiæ protoparentum summoperè celebrarunt. Quòd si cũ aliis explices *Belial*, quasi בְּלִי אוֹר, hoc est, *sine luce, tenebrosus*; vide, quę fusissimè supra dixi de luce Mariana, déque fugatis ab eius Cõceptione tenebris: & videbis, quãtò longiùs Christus distet à Belial, dũ radicem omniũ tenebrarũ, & totius cæcitatis causã, id est, peccatũ originale, vt ibi probaui, ab illa penitùs remouit. Sũt qui Belial explicẽt, quasi בְּלִיַּעַל, id est, *inutilis, improficiens*: vt dũ multa suprà dixi de vtilitatibus à pura Marię cõceptione nobis prouenientibus, intelligas, eò minùs Christo cum inutili Belial conuenire, quò de innocẽtia vtiliorem nobis Patronam apparauit.

1029. *Maria parẽtes cur saltem originaliter peccare permissi.* Oppones. Sicut de Mariæ sanguinibus, (sic ferè loquuntur Patres) id est, de eius carne, Christus est formatus: sic Maria de parentum sanguinibus formata fuit: ergo, sicut non obstat opinioni nostræ, quòd Maria in parentibus fœdaretur, vt illã modò præseruatam, & purissimã celebremus; sic nõ obstaret in sentẽtiã contrariã, quòd Caro Christi in Maria, originaliter saltem, præfœdaretur, vt ille à peccatoribus segregatus, & purissimus habeatur. Nego sequelã. Si enim hęc ratio aliquid cõcluderet, etiã probaret, non opus esse, vt Maria maiori sanctitate niteret, quã parentes: quod tamẽ est cõtra D. Thomam, & contra totã Ecclesiam, quę neque veniali culpa Virginẽ fatetur maculatã. Ratio ergo diuersitatis est: quia decuit, vt Caro Christi, purior niteret, quã Caro Mariæ: vnde hæc nũquã in se, sed solũ in parẽtibus fœda fuit: Christi verò Caro, nec in se, nec in parente debuit maculari.

1030. *Proponitur obiectio.* Vrgebis. Si decor, & dignitas Christi augetur, quòd caro in Matre, cui singulariter erat coniungendus, non macularetur; dignior etiã foret, si in auis, abauis, & proauis nunquã fœdaretur: hoc est falsum; ideò enim reapse cautũ non est, & Christi maiores omnes sub originali macula, præter Mariam, constituimus: ergo & illud. Et quidem in re simili, huc collimabat D. Bernard. epist. illã 174. vbi ita: *Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorãdum præiuit partum: quoniã, si ille non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur. Quid si alius propter eandem causam, vtrique Parenti eius festos honores asserat deferendos? Sed & de auis, & proauis id ipsũ posset pro simili causâ quilibet flagitare: & sic tenderetur in infinitũ: & festorũ non esset numerus.* Hoc argumentũ, ni ego fallor, tacitè vt illuderent, putarunt aliqui in Adamo, illęsam quandã carnis particulam fuisse reseruatã, quæ per traducẽ, vsque ad Mariam, & Christum omnis labis immunis deduceretur. Vnde facilè responderent, neque Matrem, neque Filium à parentibus peccatoribus fœdari, nec ab illorum indignâ conditione dependere: à quibus solam intemeratam particulam desumpsêre. Sed hoc insomnium est, & fictitium, planéque chimericum doctis existimatur.

Bernard.

1031. *Et dissoluitur.* Respondeo ergo, ad plenissimã Christi dignitatẽ, satis fuisse eius Matrem, & non auos præseruari: idque duplici ex causâ, altera ex parte Christi, altera ex parte Mariæ. Prima: quia Christus illud debebat sumere, quod erat curaturus; sed tamẽ sine iniuria Diuinitatis: sumpsit ergo carnẽ ipsam in prioribus fœdatam, & sic peccatricem: sed in Matre iam purã, ne dedecus Matris in Filium, vt in simili fatetur D. Thomas, redundaret: infamia enim originis, quò proximior, maior: sicut nobilitas parentũ singularis clariùs videtur filios afficere, quàm nepotes. Hinc Ecclesia, vt obiter Bernardo respondeas, Mariæ cõdecorandæ iã nunc vtrũque illius parentem immediatum, Ioachimum, & Annam, annuâ festiuitate putat celebrandũ, superiores alios gradus non ita curans. Secunda causa ex parte Mariæ est: quia sic Christus etiã respexit honori suo, vt Matris priuilegio attenderet, vnde illam, & nõ alios speciali prærogatiuâ puræ conceptionis ex puris creaturis singulariter voluit decoratam: nec ita gloriosa Deipara, si hoc priuilegium aliis esset commune. Robur huius rationis peto à Bernardo citato, vbi ad rem aliam, sed in mẽtem meã sic scribit: *Dico peperisse Virginem, nõ tamen partã à Virgine: alioqui, vbi erat prærogatiua Matris Domini, qua singulariter creditur exultare, & munere prolis, & integritate carnis? Si tantundem dederis & Matri ipsius, nõ est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere.* Sic in re nostra: Maria in carne parentũ purâ nõ decorabatur, sed singularis phœnicis honorẽ amittebat. Non itaque est infamia Christi, si carnẽ in atauis sumat ægrã, vtpote sanandam, de quo multa Chrysolog. Serm. 143. quem lege omninò: itẽ, vt singulare priuilegium Matri cõseruaret: at veniret minùs decẽs, si pariter ægrã sumeret in Matre: auitus enim morbus curationi expedit, sicut materna salus cõuenit honori. Bernard. Chrysol.

Qvia singvlari modo Dei Filivs.] Ex eo, quòd modo singularissimo Deus in Mariæ nõ solùm anima, sed carne habitasset; eruit D. Thomas, non potuisse actuali peccato subiacere: & sic vult interpretandũ illud Sap. 1. n. 4. *In maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Expende mihi, obiter, quã immeritò à contrariis sugillentur Authores nostri, quòd nonnulla sacra Oracula accõmodent Conceptioni, quæ illi apta nata videntur: cùm Doctor Angelicus ad rem suam, hoc & alia pluscula, in tota hac quæst. optimo iure putarit deducenda. Ad rem. Locus Salomonis, dum Mariæ fauet, ex mente D. Thomæ sic explicandus: in cæteris sedẽ amoris suam, magis ratione animæ iustificatæ, quã ratione corporis, Deus collocat: at in Maria, etiam ratione corporis, cuius vterum singulariter impleuit, præcipuum charitatis thronũ sibi visus erexisse. Hinc iã sic arguo: Deus non solũ anima, sed etiã in carne Mariæ specialiter habitauit: ergo Maria vtrobique sancta, & purissima proportionaliter esse debuit. Planũ id: tũc sic: Ergo peccatũ illud, quod carnẽ magis fœdauerit, alienus ab hac carne reputandũ: sed nullũ aliud id præstat turpiùs quàm originale, vt n. 1025. probaui: igitur hoc à Maria maximè amouendum. Maior patet: quia, si corporis mundities corporeæ Verbi habitationi exigitur, id ab illo præcipuè tollendum, quod magis illam munditiem inquinarit. Minorem, in qua sola est difficultas, iterum sic ostendo. 1032. Sap. 1. *Originali culpâ, plus quàm aliã caro fœdatur.*

Peccatum originis, præterquàm quòd cum cęteris, propriam animæ inurat maculam, tamẽ priuato iure corporis, quoad potest, fœdat materiam, quod actualibus non ita conuenit: ergo intentum. Probatur hoc manifestè: quia labes hæc, è carne pręfœdatã, & pręcorruptã, animã in ortu suo, ex se naturaliter purã factã vnione coinquinat, & contaminat, vt omnes fatentur: ergo ipsa caro, quantùm res patitur, fœditatem habebat sibi inditam: ideò eleganter Vrbanus Papa toties citatus: *Quia concepti sumus illa vitiosa lege concipiendi, nobis ex* 1032. *Id probatur.*

Vrban.IV. *peccato primi hominis occultè, & miserabiliter accidenti: ideò originalis peccati ex tua iustissima, Deus, sententia rei sumus. Nam, quemadmodum tu, Deus omnipotens, cognitor occultorum, occultissimam gratiam Spiritus Sancti tui latenter infundis tuis fidelibus, & etiā paruulis in Baptismo: sic & homo ille, per quem originale peccatū hoc intrauit in mundum, in se omnes de stirpe sua vēturos, occulta tabe, & fœditate suæ libidinosæ concupiscentiæ adeò tabeficauit: quòd anima à te, Deus, creata* (sic legendum) *infusa corpori taliter tabefacto, maculatur, polluitur, & fœdatur: sicut in vase non syncero vinum infusum, licèt optimum, inficitur, & acescit.* Quod nō ita capias, quasi peccatum originale, secundùm suam rationem formalem, sit subiectiuè in carne: id enim meritò negat D.Thom. 1.2.q.83.a.1. vtpote falsissimum: sed, quia semen, & caro per modum cuiusdam contagij, maculam illam animæ imprimere videtur: vnde ibidem ab ipso Angelico Doctore, instrumētalis causa spiritualis maculæ, pleno ore præfœdata caro appellatur. Hoc ergo non leue est discrimen originalis culpæ ab actualibus: quòd in his ab anima in carnem macula videtur deriuata: contra verò in illa. Non itaque aliunde pleniùs fœdatur caro, quàm ab origine: ergo Deus singulari modo habitaturus non solùm in anima, sed etiam, in carne Mariæ, naiustiùs originis labē, quàm actualē quanlibet præcaueret.

D.Thom.

1034. Dices, multò magis ad libidines, v.g. fornicationem, carnem esse instrumentū peccati actualis. Sed respondeo, vt modò innuebam, in his casibus ita esse carnem actualium peccatorum instrumentum, vt tota macula ab anima priùs liberè culpam volente deriuetur: at in peccato originis, ante animam caro sordida est in suo genere, animam deinde longè turpiùs fœdatura: vnde in actualibus, instrumentum motum; in originali, instrumentum mouens, quod longè est fœdius, videtur appellandum. Exemplo rem declaro. Adam integer in statu innocentiæ ore visus est instrumento, ad pomum vetitum gulosè comedendum: hoc ipso ore si posteà, amissa iam originali iustitia, ad similes actus vteretur; id vtplurimùm nosceremus discriminis: quòd in primo, ipse gulam excitauit, & os: at in aliis, quòd rebellantibus iam appetitionibus, ab ore auido, & gula inhiante excitaretur. Ecquem oris concursum iudices fœdiorem? Ecquod gulę fœdius putes ministerium? dum mouent, an dum mouentur? Cæcus videat. Sic in re nostra. Iam verò de corpore, & anima Deiparæ à nulla vnquam labe præhabitata, fusissimè in superioribus disseruimus. Pluscula subiungemus.

Soluitur obiectio.

1035. Et ita simpliciter.] Putat B.Thomas non posse constare elogium illud Marianum Cant.4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* si in Maria aliquod etiam peccatum veniale poneretur: vnde omninò ab illa remouendum seriò, & meritò asseuerat. Et certè nescio, cur hinc tam securè originali maculæ addicta credatur, quæ veniali maculæ vel leuissimæ tradi non præsumitur: cùm illa ad Incarnationis mysterij decentiam longè fœdior denotetur. In Græco pro *macula* est μῶμος: de qua voce grauiter, & falsè iam Salazar cap.26.n.15. Sic omnes Propugnatores Mariæ ab hoc maximè loco rem firmarunt, & fusissimè nuperrimus Perlin. Ego breuissimè, sed aliter locum examino. Suppono ergo ex mente absque dubio D.Thomæ, citata verba ex Cant. longè aliter Ecclesiæ, & cuiuis animæ, quàm Deiparæ venire accommodanda: illis enim in sensu mundatiuo, vt sic dicam; at Mariæ in sensu decantantur præseruatiuo. Probatur: quia anima, saltem originaliter fœdata, vel Ecclesia ex peccatoribus actualibus multis constans, tunc absque macula dicitur, quando à sordibus contractis per gratiam, & Christi Sanguinem mundatur, vt veniat absque macula, & ruga, desponsanda: alias nec munda esset, nec sine macula. At Maria hic munda, & sine macula appellatur: quia nunquam sordes passa: si enim hæc non esset mens Angelici Doctoris, frustrà hoc encomium Mariæ accommodaretur, ad ostendendam perpetuā illius ab omnibus actualibus innocentiam. Dicitur itaque Ecclesiæ: *Macula non est in te*, quia præhabitas iam delesti. Dicitur verò Mariæ: *Macula non est in te.* quia delendas nunquam habuisti. In sensu ergo præseruatiuo hæc verba à D. Thoma necessariò accipiuntur, aliunde nihil probaturus. His positis, iam sic argumentor.

Cant.4.

Maria quomodo sine maculà dicatur.

Salazar.

Perlin.

In sensu præseruatiuo vt sic, Maria *tota pulchra*, & absque macula appellatur: ergo ex toto, etiam quoad originem fuit præseruata. Probo consequentiam. Ideò in sensu mundatiuo colligitur, Ecclesiam Christi Sanguine, non solùm ab originali, sed etiam ab actualibus aliquorum membrorum sui fuisse mundatam: quia alias non esset in hoc sensu tota pulchra, si quauis macula originis, aut actus fœdata relinqueretur: ergo eadem verba in sensu præseruatiuo erga Mariam, perinde se habebunt. Antecedens probatur ex omnibus illis Patribus, qui hæc verba solummodo volunt dicta ad animam, vel Ecclesiam, quando iam in Cælo triumphat: quasi ibi solummodo *tota pulchra* possit appellari, vbi solùm datur plena mundities, & perfectissima purgatio à sordibus: quæ semper in hac vita, saltem leuissimè, solent commaculare. Hi sunt D.August.lib.1.retract.cap.29. lib.2.cap.18. D.Hier.lib.3. aduersùs Pelagianos, D. Bern. Serm.38. in Cant. Beda ad hunc locum propriis Commentariis: quia, nimirum, non potest intelligi perfectè mundata, vbi, dum viuit, aliquid sordis retinet, quod identidem de humana contrahitur fragilitate. Tunc sic: ergo nec Maria in sensu præseruatiuo, perfectè immaculata dici potuit, si quid vsquam originalis sordis contraxisset. Patet: quia, sicut plenam munditiem impedit næuus vel leuissimus: sic plenam præseruationem origo fœdata impediet omninò. Confirmatur totum ex Augustino tomo 4. lib.3. quæst. 4. vbi ita: *Ab omni vitio purum, solet Scriptura* ἄμωμον *appellare.* Sed in hoc loco Maria à Septuaginta, ἄμωμος, id est, absque momo appellatur, dum dicunt: *Et momus non est in te.* Ergo in suo genere præseruante, sine vllo vitio intelligenda. Vide, quæ multa de hac re dixi in Cantico meo Dramatico.

1036. *Idem probatur.*

August. Hieron. Bernard. Beda.

Periocha Examinis.

Ex dictis in hoc Articulo, hæc nobis fusiùs veniunt elucidanda. Maria, in Matrem electa, condignè præparatur. Dei imaginem illæsam conseruauit. Eius vel honor, vel infamia in Christum deriuatur. Culpam originis, tanquàm vitiorum radicem, euitauit. Obedientiæ Princeps, in Adamo non rebellauit. Dei thronus est, purissimus ad delicias.

ANTHO

ANTHOLOGIA XVI.

Maria in Matrem electa condignè præparatur.

§. I.

Quàm aliter homo, & Deus soleant sibi instrumenta comparare: & quàm sedulò Deipara disponatur.

1037. Oc est humanæ, à diuinæ maiestatis conditione, in eligendis instrumentis, discrimen maximum, dum homo semper ex se aptissimum, Deus verò ineptum ex se apparat ministerium: quòd ille assumpti instrumenti indiget efficacia; hic verò efficaciam instrumento attribuit assumendo. Indiget homo adiutorio, & auxilium à ministris mutuatur; at Deus plusquàm satis sibi sufficiens, auxilium à ministris non requirit.: ille ministros supponit; hic componit: ille parata comparat indigus; hic assumenda instrumenta præparat beneficus. Quæsiturus Abraham nuptias Isaaco suo, expedit seruum quendam in Mesopotamiam. Sed quem seruum? *Dixitque ad seruum seniorem domus suæ.* Genes. 24. num. 1. Difficilis erat via, longis, & laboriosis itineribus peragenda, cui robustus iuuenis, ætas integra aptior videbatur: cur ergo præmittatur vetulus fatigatus, ipso, etsi non alio, senectutis morbo affectus molestissimo? Quid, sanctissime Patriarcha, conseni tuo non parcis? Quid dilecto non consulis Procuratori? Mauellet, credo, Abraham florenti iuueni negotium committere, si posset, Elieserique suo adimere id laboris: non tamen iuueni poterat dare, quæ tantæ expeditioni erant necessaria, scilicet, mentem, consilium, rationem, quæ senem prudentissimum decorabant.: homo erat, nec tam instrumenta negotiis apta facit, quàm facta eligit. Ferat senex laborem, quia de prudentia negotio efficacior. Oleaster ibi: *Docet, ardua negotia, non nisi senioribus, & præcipuis domus esse committenda, maximè ea, in quibus prudentia opus est: licèt enim ad iter conficiendum, aptiores iuuenes videantur; si tamen negotium discretione eget, eis dimissis, seniores mittendi sunt.* Aliunde ergo iam à Deo, & ab experientia edoctus senex, ministrat Abrahamo, qui has dotes iuueni alicui è suis indere non potuerat.

Homo cur instrumentis aptis indigeat.

Genes. 24.

Oleast.

1038. Percepta somnij sui explicatione, Pharao penè ad coronam euehit Iosephum, & alendæ Ægypti, moderandique imperij committit rationes: subditque causam: *Nunquid inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* Genes. 41. num. 38. Non nouerat tunc Pharao verum Deum, nec immissi spiritus sanctitatem satis percallebat: Iosephum, quanuis excellentiorem; tamen quasi vnum ab Ægyptiis Magis, & somniorum coniectoribus reputabat. Vnde ergo Monarcha potentissimus, &, vt gentis illius ingenium ferebat, fastuosissimus; posse similem inuenire in propriis, aut in alienis prouinciis desperabat? Quia, licèt se Regem, hominem tamen agnoscebat: & quidquid illud erat spiritus, non tam fieri, quàm factum assumi posse ab ipso intelligebat. Meritò igitur de meliori alio inueniendo dubius, inuentum retinet: ne fortè impos condendi ministri apti, dimisso inuento, & quæsito non dato, ieiunaret. Nouerint Reges nullis suis viribus dotes ministro infundendas; vt prudenter aliunde dotatos eligant in officia: quod hodie minùs attendi, piè politicus hîc queritur Oleaster: *Quos Deus euehit, exaltet Princeps: multi enim sunt, quibus Deus optimas dotes dedit, quos Principes non curant, & inhabiles loco eorum subrogant.* Est, subrogent, subrogent ineptos: dum enim illos reddere non possunt aptiores, eisdem, sibique ruinam apparabunt. Sed de hoc alibi. Redeo ad scopum.

Genes. 41.

Rex aptos ministros eligat.

Oleast.

Solus est Deus, qui inepta ex se sumens instrumenta, reddit aptissima: & aliunde inutilia, scopo destinato excolit efficacia: ipse dotes, ipse virtutem infundit, quibus ministerium optimè obeatur. Missurus Christus Apostolos Orbem conuersuros, ait illis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. num. 19. Quo non apparatu, qua non pompa apud gentes, falsæ sanctificationis ministeria apparabantur? Mirum est lectu. Cur ergo verissimam sanctificationem suam Christus, pauculis verbis, pauciori aquæ, & tam absque strepitu committit? Cur commouendis assuetarum superstitioni operosæ, gentium animis, operosum aliquod ministerium non assumitur? Cur simplex instrumentum, multiplici gratiæ negotio apparatur? Respondet elegantissimè Tertul. lib. de Baptismo, cap. 2. *Nihil adeò est, quod obduret mentes hominum, quàm simplicitas diuinorum operum, quæ in actu videntur; & magnificentia, quæ in effectu promittitur: vt hîc quoque, quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu nouo aliquo, denique sine sumptu, homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multò, vel nihilo mundior resurgit: eo incredibilis existimetur consecutio* 1039.

Deus instrumentis ineptis tribuit efficaciam.

Matth. 8.

Et inde verus Deus probatur.

consecutio æternitatis. Mentior, si non è contrario Idolorum solennia, vel arcana, de suggestu, & apparatu, déque sumptu, fidem, & authoritatem sibi extruunt. Proh misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem, & potestatem. Hæc est enim Dei proprietas, vt simplici instrumento mira possit, vtpote cui inepto aliunde virtutem & efficaciam communicat, non tam dotes eius supponens, quàm has illi apponens, vt electum ministerio adaptetur.

1040. Hinc Apostolus: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* 1. Corinth. 1. n. 27. Verba intellectu facilia visa cæteris, quæ tamen mihi aliquid adhuc ingerunt difficultatis: si enim fortia sunt, si sapientia, quomodo per stultitiam, & infirmitatem superantur? Quid stultus, quid infirmus in illa poterunt, tanquam excellentiores: quibus necessariò cedunt de excellentia? An non est implicatio in terminis, si mala bonis præstare asseuerentur: Certè foret, si mala permanerent, si in longè meliora non mutarentur: sed, dum à Deo in instrumenta assumuntur, iam fit fragilitas, fortissima: iam prudentissima redditur stultitia; vt meritò fortia, & sapientia omnia humana ab illis confundantur. Hæc est agentis summa potentia, vt ignauum aliàs instrumentum corroboret, & aptet: vnde culex vltra elephantem proueniat formidabilior. Tertull. citatus: *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam eius; & prædifficilia penes homines, facilia penes Deum: nam, si Deus, & sapiens, & potens, quod etiam prætereuntes eum non negant; meritò in aduersariis sapientiæ, potentiæq́; , id est, in stultitiâ, & impossibilitate, materias operationis suæ instituit: quoniam virtus omnis, ex his causam accipit, à quibus prouocatur.* Pende vltima verba, quæ alibi paulò aliter explicabo. Virtus, & potentia inde causam asserit, & robustius ius ostentat: vnde impotentiæ, & fragilitatis argui, & oppugnari videbatur. Arguitur ab incredulis Dei potentia, quòd debile sibi apparet instrumentum: at inde potentior comprobatur, quòd illud sic roboret, vt peragendo cernatur efficacissimum.

1. Cor. 1. Id explicatur.

Tertull.

1041. Colaphizantem spiritum, id est, vel morbidos affectus, vel irruentes, & penè obruentes hominum persecutiones passus Paulus, enixè à Deo rogat medicinam: à quo tamen audit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Corinth. 12. num. 9. Quo deinde sic contentus degit Apostolus, vt subdat: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum.* num. 10. Illa *virtus*, quæ in infirmitate perficitur, non erat virtus Pauli, sed virtus Dei: ideò expresè aliqui ex Græco legunt: *Nam virtus mea.* &c. Ast vnde, inquis, diuina virtus ab Apostoli laboribus perficitur? Quomodo Deus ab hominum infirmitate roboratur? Non perficitur quidem intrinsecè: sed ideò perfici dicitur, quia extrinsecè perfectior quodammodo exhibetur: nimirum, ex his causam accipit, vnde prouocatur: nam, quò debiliora sunt instrumenta, quæ roborat; robustiorem suam virtutem, & potentiam manifestat, quæ non egeat paratis, sed præparet instrumenta: vnde & Apostolus tunc magis potentior, cùm infirmior magis: quia præparantes se dotes agnoscebat. D. Chrysost. homil. 1. ad pop. Antioch. *Cùm dixisset: Datus est mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizat, &c. & continuas propterea tentationes demonstrasset, intulit: Propter quod ter Dominum rogaui, vt à me discederet, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur. Tunc mea, inquit, potentia demonstratur, quando vos in imbecillitate estis: & per vos, qui videmini esse debiles, prædicationis verbum augetur, & vbique dispergitur.* Et oculatissimè, non tam dicuntur esse, quàm videri debiles: videbantur enim tales de innata conditionis fragilitate: at non tales reapse erant, de occultis gratiæ dotibus fragilitatem insitam roborantibus.

Et confirmatur.

2. Cor. 12.

Chrysost.

Madianitas euersurus Gedeon, audit à Deo, vt maiorem partem exercitus dimittat: quo facto, iubentur deinde milites ad fluuium, de potus tenore indolem propalaturi: eliguntur, qui instar canum, linguâ lambebant aquas: iis dimissis iterum, qui aquas curuatis genibus bibebant: subditque Dominus: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos.* Iud. 7. num. item 7. Et cur ita? Quia trecenti isti ignauissimam indolem, & animos degeneres ostendebant: sicut enim canes Nili metu crocodilorum raptim ad aquas properant, fugientes lambunt, ne paululùm immorati, aquatilibus monstris præda fiant: sic isti pauido animo, corde trepido, ingruentium hostium impetum cauentes, aquam lambebant: qui verò curuatis genibus fluuio insidebant, siti de hostium despectu placidè seruientes, eo ipso virtutem generosiorem ostentabant. Maluit ergo Deus vilia assumere instrumenta, quæ ipse deinde robore addito præpararet; quàm aliunde assumere præparata. Iosephus lib. 5. Antiq. cap. 8. *Cùm fecisset Gedeon secundùm præceptum Dei; trecenti viri inuenti sunt manibus præ metu aquam sumentes confusè.* Debeo hanc explicationem erudito Ramirezio in suo Pentacontarcho. Ergo manu ad os proiiciente aquam lambentes num. 6. idque præ metu, à Deo deinde ita roborantur, vt certamini se darent, gladio etiam peracturi, si præciperentur, quod facibus, & tubis peregerunt. Ideò Dominus ad Iobum cap. 38. n. 13. *Nunquid, &c. tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?* Cur enim extrema maximè concutiuntur, vt ab omni terra impij excutiantur: nisi, quia extremos & viliores homines roborauit Deus, per quos iniqua Orbis potentia exularet? Benè D. Anthon. de Padua Dom. 13. post Trinit. *Dominus extrema terræ tenuit, cùm infirma, & abiecta elegit, vt fortia per ipsa confunderet.* 1042.

Ignauos milites Deus roborat.

Iud. 7.

Ioseph.

Ramirez.

Iob 38.

Anth. Pad.

Mittebant in mare retia Petrus, & Andreas, cùm à Domino vocantur dicente: *Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4. num. 19. Sic vtplurimùm ferè omnes Apostoli è piscatura, ad piscandum assumuntur: quasi verò aliquid congrueret piscium piscatura hominibus expiscandis: cùm tamen alterum ab altero exercitio, plusquàm cælum à terra differre videatur: nihilque ineptius tractandis hominum animis dari queat, quàm mores illi tractandis semper brutis occupati. Cur ergo piscatura piscium explicatur, cùm ad piscandos homines euehuntur? Credo, non tam proportionem instrumenti, quàm eiusdem ineptitudinem commendari: quasi diceret Christus: Nulla brutorum, piscibus stolidiora: his tantùm tractandis indocti, & stulti sufficitis 1043.

Matth. 4.

Quò ineptius instrumentum è se; eò à Deo aptius.

citis piscatores : è vobis ergo in egregiam potentiæ meæ pompam hominum piscatores efformabo : vt quò de se ineptius, eò sit mihi gloriosius instrumentum : qui operibus meis non tam Patronos requiro, quàm ministros, & eos, quibus ipsemet proportionatam electioni tribuam virtutem. Ideò aptè Hesychius Ierosol. apud Photium cod. 269. de vocatione Apostolorum: *Mendicos, & indoctos Christus elegit : ipsa sapientia Patronis non quærit, sed ministros : nemo dat quidquam illi : ab ipsa autem omnes omnia accipimus.* Sic potentiam suam manifestat, dum ineptissimis efficacissimam expedit aptitudinem.

Hesych.

1044. Idipsum in gestis suis, inque propriis passionibus ostendit Dominus. Sunt grauia iuxtà, & obscura in hanc rem verba Tertulliani lib. de Car. Christi, cap. 5. *Natus est Dei Filius, non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius, prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile est.* Quasi dicat: Humana natiuitas, quæ ex se ruborem Diuinitati posse conciliare videbatur, eo ipso mihi non est pudori, dum illam profiteor, quòd sciam de charitate susceptam. Credo Deum mortuum vitæ nobis irrogandæ : quia, quò de se ineptius instrumentum mors ad vitam, eò credibiliùs veniat vsurpatum. Sicut inde diuina resurrectio certa cōprobatur: quia illa humanis viribus venit impossibilis. Neque enim credibile est, operari Deum, nisi roborans, & præparans sibi inepta instrumenta ; nec aliquid magis dignum pro certo illi tribuendum, quàm quod humanæ industriæ putatur impossibile. Meritò Didymus in Catena Græca, ad cap. 3. Iob, de Verbo incarnato Dæmonem superante sic concludit : *Neque enim decebat, sola Diuinitate, eum, qui mortis imperium habebat, Diabolum debellari : sed operâ templi Verbi, quod ex semine factum est eius, quem decepit Diabolus : insolenter enim improbus Dæmon gloriatus esset, si à nuda Diuinitate captus, & superatus fuisset.* Quasi id maximè doleat Dæmon, quòd imbelle aliàs carnis instrumentum, contra Tartareas potestates sic armaret Deus, sic roboraret electum, vt ipsæ ignominiosiùs iam contererentur.

Id in se ostendit Christus.

Didym.

1045. Ex his omnibus apertè ostenditur, quàm soleat prouide Deus instrumenta sibi præparare, & quàm magnam ostendendæ gloriæ suę partem in eo collocet: cùm propterea vilia vtplurimùm assumat, vt potentiam, & maiestatem suam, in hoc præparationis genere exhibeat manifestiùs. Vide ergo, quàm ineptum ex se fœmina instrumentum Verbo struendo in carne, peccato destruendo: & agnosces necessariò, eò excellentiùs per gratiam præparatam Mariam, quò degebat abiectiùs per conditionem naturalem. In summum opus electa Virgo, idque solùm per gratiam attingendum; summam, quæ sub Christo capi potest, gratiam requirebat. Gloriatur Deus in eo, quòd ipse sibi condigna præparet instrumenta: quàm condignè igitur præparauit Mariam, quæ in gloriæ pompam, ad instrumentum eligitur illius operis, quod possibilibus omnibus supereminet ? Do tantùm D. Thom. Valen. Conc. 3. de Nat. Virg. vbi ita de Deo : *Et licèt omnia velit, vel agat conformiter ad suam sapientiam, sicut scriptum est : Omnia in sapientia fecisti Domine: non tamen sapientia regulatur, sed in se ipsa recta est, sicut ait Ps. Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa. Vnde propter hoc Apostolus ait : Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: nos autem non sic, sed secundum voluntatem consilij nostri, id est, nostro consilio regulatam. Hæc est summa illa libertas diuinæ voluntatis, vt quidquid velit, eo ipso, quòd ab ipsa volitum est, iustum sit & bonum. Vnde Deus non vult aliquid, quia bonum; sed ideò bonum, quia volitum. Hæc secunda differentia, quia nos cùm eligimus, attendimus perfectionem, & sufficientiam rei, quam eligimus ad officium, vel dignitatem : exemplum in Duce, & in Episcopo : sed Deus non sic ; sed eligendo, facit illum idoneum, & dignum, & capacem officij, &c. Ex istis colligitur, quòd sicut Deus eligendo aliquem ad Apostolatum, vel prophetiam, fecit dignum Apostolum, & idoneum Prophetam: sic & eligendo Virginem, fecit eam idoneam Matrem suam.* Vbi deinde fusissimè Deiparæ innocentiam, & non solùm ab originis culpa, sed etiam à fomite celebrat præseruatam : quasi hoc redemptionis nostræ instrumentum è se inhabile ; minùs tamen decenter à Deo credatur præparatum ; nisi sub originali iustitia conderetur.

Maria cōdignè præparata.

Thom. Val.

§. II.

Gloriosa Dei instrumenta penè deificata condecorantur.



NON dotibus vtcunque, sed illis planè eximiis, apparat Deus instrumenta illa, quæ excellentibus operibus eligit peragendis : inde est, vt cùm creaturam rationalem assumit in opus aliquod excellens, illam non vtcunque comat ; sed penè ad Diuinitatem euehere videatur : quasi vicario instrumento tribuens per gratiam, quod ipse principalis Author retinet per naturam. Cæcus ergo, qui non viderit possibilem omnem Diuinitatis participationem Deiparæ communicatam, quam fatemur ad opus possibilium omnium præcellentius electam peragendum. Sed, quoniam de Diuinitate participata in Cantico Tropologico non semel, fusè dixi : hìc tantummodo pauca aptiora in rem præsentem congerenda. Formatur è luto Adam, & vitam accepturus à Deo, in facie perflatur: *Et inspirauit in faciem eius inspiraculum vitæ.* Genes. 2. num. 7. Sed, cur animandus totus Adam, in sola facie diuinum illum spiritum participat? Cur non vbique perfunditur, qui vitam erat vndique exhibiturus? Respondet Philo lib. 1. Allegor. *Quemadmodum principalis pars corporis est facies: ita animæ pars principalis est mens: hanc solam inspirat Deus: alias hoc honore non dignatur; sensum, ratiocinationem, gignendique vim: nam hæ secundum locum obtinent. A quo igitur hæ quoque inspirantur ? Dubio procul à mente : quidquid enim hæc accipit à Deo, brutis animæ partibus cōmunicat: quo fit, vt mēs animetur à Deo; brutū verò, quod inest animæ, à mente: est enim mēs tanquā Deus partis brutæ: & ideò Moysem quoque, Scriptura nō grauatur Deum Pharaonis dicere.* Itaque foris in facie exprimitur, quod intus in mēte peragitur: voluitque Dominus, vt homo, qua ratione posset, Deus etiā foret: & aliquid illi 1046.

Iusti quodāmodo Diuinitatis participes.

Genes. 2.

Hominis dignitas.

Philo.

illi inesset, quod cætera, tanquàm diuinum, aspicerent, & suspicerent: mentémque eius, quo instrumento cætera gubernat, diuino quodam corroborat honore. At qua non pretiosiori gratia Matrem bearet, qua, tanquàm instrumento, Redemptorem edente, omnibus nobis gratiam communicat?

1047. Genes. 2. Producto, & animato iam homini traduntur omnia, vno tantummodo *scientiæ boni, & mali* ligno interdicto, Genes. 2. n. 17. Nimirum, symbolum erat hæc arbor visibilis creaturæ, qua ad bonum, & malum vti possumus, quæ si sensum delectat, corrumpit mentem. Sed, quis non addubitet, cur visibilis creaturæ vsus homini interdicatur, qui à Deo, tanquàm Vicarius, & visibilium omnium Proconsul cōstituitur? Cur si visibilium omnium conditur instrumentum gubernandorum, in ipso statim initio, à visibilium commercio separatur? Scilicet, vt bonis operibus in Diuinitate participata corroboratus, posteà sine periculo easdem posset creaturas visibiles, in rebus quidem licitis pertractare. D. Maximus Monachus apud Phot. cod. 192. post multa, in hanc mentem, alibi danda, in rem præsentem sic concludit: *Vt prius (quod par erat) per gratiæ participationem, propriam suam imaginem cognoscens, & impertitam gratis immortalitatem ad incorruptionem, & immutabilitatem firmatus, ac velut Deus iam per Deificationem factus, Dei opera cum ipso Deo contemplaretur; nulloque ab eis accepto detrimento, earundem notitiam consequeretur: per gratiam quidem Deus potiùs, quàm homo existimandus.* Miserum Adamum! nam, dum affectat per superbam impudentiam rapere Diuinitatem, vltrò datam amisit; & Dei piissimè eundem deificare affectantis iram excitauit: dúmque thronum super omnia præsumit ponere, dominatum, quem habuit inter omnia, iugulauit. Sed tu considera, an, qui gubernandis visibilibus Adamum sub intimæ Diuinitatis participatione creauit; Mariam imperandis Angelis sub peccato voluerit conceptam.

Homo penè Deus creatur.

Maxim.

1048. Loquebatur de Iudæis Paulus ad Romanos, subdens: *Quorum Patres, ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* cap. 9. n. 5. Sed, quorsum, inquis, qui expresè Deus prædicatur, quòd sit *super omnia*, tanquàm nouo additamento commendatur? Quis Deum audiret, qui non super omnia esse tacitus intelligeret? Voluit Apostolus stupendam Diuinitatis subdiuisionem inculcare: id enim affectat Deus, vt ipse super omnia, & super hominem Deus; at homo non super, sed inter omnia Deus habeatur. Quasi non posset homo condignus creaturarum omnium præses, & imperij minister subrogari: nisi à Deo sic decoratus, vt Diuinitatis particeps videretur. D. Gregorius Magnus homil. 8. in Ezechiel. *Qui nuncupatiuè dicitur, Deus inter omnia: qui verò essentialiter Deus super omnia est: vt ergo ostenderet, Christum naturaliter Deum; non hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memorauit: quia & electus quisque, sicut præmisimus, vel in exemplo iustitiæ porrigendo positus, dici Deus potest; sed inter omnia, quoniam nuncupatiuè Deus: Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus. Quem ergo Paulus Deum super omnia; hunc Ezechiel Propheta Deum sublimem nominat* Pul-

Roman. 9.

Iustus, si non super omnes, at inter omnes, Deus:

Greg. Mag.

Reges vnde humilitatem discere debeant.

chra gnome: vt & Dei liberalitas in communicanda, vt expedit, Diuinitate; & iusti Magistratus, humilitas declaretur: sic enim iste Deus, vt alios homines, quos tanquàm supremi Numinis instrumentum gubernat, æqualis sibi conditionis recognoscere teneatur. Recole nunc, quod suprà per plures paginas de Maria, *non inter omnes*, disputaui: & inferes necessariò excellentissimam Diuinitatis participationem ab ipsa origine comparasse: quæ indidem in Deiparam, & redemptionis instrumentum formabatur.

Nihil magis similius, nihil magis idem cum alio, quàm filius cum patre. Hinc dubitaui aliquando, cur inter beatas illas virtutum dotes, quas Christus apud Matthæum celebrauit, pacificis maximoperè diuina filiatio concedatur? *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* cap. 5. n. 9. Quid enim habet hæc pax, plusquàm beatitudines cæteræ, quo tantam filiationem promeretur? Nimirum, per hanc pacem conamur in nobis vtrunque hominem interiorem, scilicet, & exteriorem ad vnitatem reducere: indéque simplicitatem quandam, quæ Dei præcipua est notio, sortiri. Quidni ergo iam penè Dij, Deóque simillimi, eiusdem optimo iure filij appellemur? D. Gregorius Nicænus tract. de Beat. fusus de hac re: deinde sic subdit: *Vbi interstitium vitiositatis ex ea, quæ in nobis est, sæpè exemptum fuerit; duo illi, contemperatione meliori coalescentes, vnus existunt. Quoniam igitur simplex, & non compositum esse diuinum Numen, & effingi, atque simulari non posse creditur: cùm humanum quoque genus duplæ compositioni per talem pacificationem exemptum fuerit, &c. tunc verè conformatur, ac rata beatitudo fit: ac talei propriè filij Dei dicuntur.* Quia penè diuinæ virtutis est interior homo, qui vt Deo ministret, exteriorem sibi subiiciens copulauit. Et non prodiret Maria penè Dea, absque vitiositatis interstitio, absque fomitis rebellione, vtroque homine originali iustitia colligato: quæ amouendæ inimicitiarum maceriæ, & copulando humanitati Verbo edebatur. 1049.

Pacis internæ dignitas.

Matth. 5.

Greg. Nic.

De Verbo diuino, quod per incarnationem peculiari quodam titulo nostrum est, locutus Propheta, sic faustus euangelizat: *Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus.* Psal. 45. n. 2. Vocatur hìc Deus noster, id est, Christus, passim in sacris Literis, (vt ferè omnes adnotarunt,) brachium, dextera, & virtus Dei Patris: vnde ergo hominum non solùm adiutor, sed virtus appellatur? Vt, nimirum, hac ratione iustos suos, quos egregiis eligit facinoribus faciendis, communicata quodammodo Diuinitate condecoraret: nec enim poterant non haberi Dij, qui virtutem Dei habere dicebantur. Innuebat rem acutè D. Paulinus epist. 4. *Sic honori suo implicans suos, propè omnia nobis, etiam nomina sua communicauit: vt virtus Dei dicitur, ita & nobis virtus esse dignatur: Deus enim noster, refugium, & virtus.* Implicamur, & connectimur cum Christo in honoris participatione: ipse Deus est, quia virtus est Dei: nos Dij erimus, quia ipsummet, tanquàm virtutem nostram, possidemus: dedecet enim virtutem Dei dari instrumento, cui Diuinitatis iura, quoad fieri possit, non concedantur. Denique, dum sit virtus nostra, etiam nobis visus nomen suum communicare, vt deinde virtutes Dei, & robustissima eius instrumenta 1050.

Psal. 45.

Christus nomina sua iustis tribuit.

Paulin.

instrumenta appellemur: quam mentem latiùs fui in Cantico prosecutus. Addo vnum verbum de nominis communicatione.

1051. Matth. 16. Idem probatur. Ob eximiam fidei contestationem audit Petrus à Christo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. num. 18. Sed, si Christus petra est, & Ecclesiæ totius fundamentum; cur Petrus pariter fundamentalis petra nuncupabitur? Sit instrumentum præcipuum tanti ædificij, qui supremi Architecti Vicarius designatur: sed, cur in tantum honoris euehatur, vt quasi ad æqualitatem eiusdem nominis particeps decoretur? Quia, nimirum, humilis piscator, & de se, vt dixi, ineptissimus minister in tantum opus, dum à Deo eligitur, sic promouetur: vt cum principali agente Christo Deo, de operis efficacia, déque nominis gloria componi videatur. D. Ambrosius Serm. 47. ad hunc locum: Ambros. Petri laus. *Petra dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile, totius operis Christiani compagem, molémque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra per virtutem Dominus nuncupatur,* &c. *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis.* Sic gloriosè à Christo Petrus apparatur Ecclesiæ construendæ: vide, quantò gloriosiùs Maria à Deo pararetur, quæ construendo Christo emittebatur. Subdo verba Anastasij Biblioth. de morte S. Martini, vbi eius sepulcrum sic describit: Anast. Bibl. *Positus est autem in tumulis Sanctorum extra muros Chersonitarum ciuitatis, quasi stadio vno; in pretiosissimo & reuerentissimo templo sanctissimæ, & præ omnibus Sanctis colendæ, castissimæ, & immaculatæ, perbenedictæq́; gloriosissimæ, & excellentissimæ omnium creaturarum, gratia plenissimæ, gaudium facientis, & tribuentis Dominæ nostræ, propriè natura, & veritate solius Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ.* Affert hunc Cerda Aduers. 7. num. 3. & subdit: Cerda. *Videant cum hoc elogio, stare non posse peccatum originis.* Et meritò: neque enim Conceptio illa tanti gaudij instrumentum, quæque gaudium nunciauit, & tribuit vniuerso Orbi, sub peccati mœstitia oriri potuit: neque gratiis plenissima, & omnium creaturarum excellentissima, Angelis, & Protoparentibus deterior in origine iudicanda.* Sed immoremur adhuc in Petro.

1052. De eodem Petro. Immissam ab Eucharistia, id est, Christo sacramentato nobis soliditatem commendaui in Cantico, quòd Prophetæ Elias, & Eliseus aquas scinderent, vt transitus per siccum præberetur: at Christus aquas calcaret instabilem elementi conditionem corroborans, quò meliùs sic redditum soliditatem ponderis gestare posset. Pulchrè ibi adductus Iobius apud Photium cod. 222. Iobius. *Iordanes, & mare rubrum Moyse quidem, atque Elia, & Eliseo transeuntibus, diuiduntur, tunc præceptum Domini illis impositum reuerita: natura enim opus est pondere iniecto aquam scindi, ac discedere, vt sic per miraculum ab ipsis patratam, nihilo præstantior natura redderetur. Dominico verò pede calcante, iam non ampliùs pelagus naturæ sua seruiens diuiditur: sed supra naturam sui, continuatione seruata subseruit Domino se ipso validius effectum. Igitur mare imbecillitatis suæ oblitum, naturam non abnegat, verùm miraculo retenta continuationis, Domini tantùm eam esse ambulationem manifestè declarat.* Certè Domini tantùm est ea ambulatio, si propriam virtutem consideres: sed, si communicatam gratiam attendis, Petrus etiam diuinum istum ambulandi tenorem participauit: & meretur diuinæ dotis consortium, qui diuini operis consortium promeretur. Etiam ad tactum Petri, se ipso melius efficitur elementum: vt Apostolus, qui Vicarius, & præcipuum Christi eligitur instrumentum, deificatus per omnia conspiciatur. Ambrosius supra citatus: *Credit fide etiam inter vndas solidum inuenire vestigium; iactetur licèt fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur: non tamen turbatur Petri semita, quæ ducit ad Dominum. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub pedibus eius mollis vnda non cedit.* Ambros. *Legimus in veteri Testamento, filios Israël per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium, ne laberetur vnda, in soliditatem quandam eam fuisse mutatam. Quantò hic melius, vbi ambulante Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit? Melius, inquam, est, vbi eadem vnda, quæ fluctuat, & sustentat: vbi idem gurges, qui mergitur, & famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Israel, meatum suum natura perdiderat: hic portatur in aquis Petrus, cursum suum fluenta non perdunt.* Non potuit in tantum ministerium electus Diuinitatis dotes non participare.

Audi nunc quàm grauiter D. Thomas Valentinus in fine superioris tituli citatus Mariæ electionem expendat, ad illud Prouerb. 8. num. 23. *Ab æterno ordinata sum.* vbi ita planè theologicè: 1053. Mariæ electio. Thom. Val. *Non videtur ad magnam Virginis laudem pertinere, quod dicitur in themate: hoc enim omnibus non modò Sanctis; sed omnibus creaturis commune est: quidquid enim in tempore factum est, ab æterno, in illo exemplari, & prototypo, Verbo diuino, ordinatum est: & sicut ordinatum est ab æterno, sic ad extra in tempore formatum,* &c. *Quid ergo magnum dicitur de Virgine: Ab æterno ordinata sum? Hoc ex dicendis magis patebit. Sed pro nunc breuiter dicimus, quòd, licèt in Dei electione non sit ordo temporis; quia omnia ab æterno sunt electa: est tamen ordo dignitatis: nam quidam electi sunt ad maiorem gradum, & dignitatem, quàm alij. Vnde Virgo dicitur singulariter ordinata, & electa: non, quia sola, non quia priùs fuit electa: sed, quia electa est ad maximum, & singularem dignitatem: propter quod de illa canit Ecclesia: Elegit eam Deus, & prælegit eam.* Vbi deinde fusè, vt dixi, originalem innocentiam, & fomitis præseruationem, huic tantæ electioni respondisse apertè probat. Et meritò: qui enim ordinaria instrumenta sua solet deificare, maximum hoc, & optimum instrumentum tale condidit, vt excellentissimo modo, id est, ab origine Diuinitatem spirare videretur.

* * *

§. III.

Peccatum ad nihilum nos redigit: etiam condonatum relinquit ignauiores.

1054. *Peccator ad nihilum reducitur.* SED aliunde ex hoc Prouerbiorum loco, qui ex totius Ecclesiæ consensu tribuitur Mariæ, efformo in rem præsentem argumentum. Virgo ab æterno in Matrem Dei eligitur, &, vt suprà probaui, non aliter futura in id producitur. Pende ergo, nihil maioris excellentiæ, nihil operationis excellentioris puræ creaturæ posse conuenire: an non dedeceat hoc pondus immensum honoris, in quodam abiectissimo nihilo fundari? An non dedeceat hanc tantam efficientiam ibi inchoari, vnde posteà ad generosa quæuis opera ignauior redderetur? Certè per culpam primam ad nihilum quoddam infame Deipara redigeretur: & licet statim condonaretur culpa per gratiam; adhuc tamen non solùm indigniorem, sed etiam ignauiorem redderet, ad excellentia quæuis ministeria. Vtrunque peccati effectum confirmo breuiter, vt inde præsens ratiuncula neruosior intelligatur. Vt autem membrum prius paulò speciosiùs pertractetur, nota, hinc maximè peccatoris perditionem miserabilem, quòd termini, *à quo*, scilicet, & *ad quem*, inter quos illa exercetur, vltimam infaustæ alicuius perditionis lineam attingunt. *Sibi extrahitur.* Cætera perdita, aliis pereunt: peccator ipse sibimetipsi perit: cætera aliis extrahuntur, sibi ipsi extrahitur peccator: id est, cætera ponuntur extra id, cui coniungebantur; at extra seipsum ponitur peccator: ecquis terminus, *à quo*, ratior in perditione potest inueniri? Sed non minùs nouus terminus *ad quem*: cætera enim dum huic pereunt, eunt alij; dum hac desistunt, alibi subsistunt: at peccator sibi perit, neminem adit; & dum gratus Deo esse desinit, incipit esse nihil. Quid infaustius? quid ab illa alienius in primo sui esse, quæ ab æterno electa, in rerum omnium apicem edebatur? Iam ad rem.

1055. *Id ostēditur.* Quàm perfidè à peccatoribus deseratur, dum ad culpam declinant, questus Deus, sub figura Israëlis increpati; tandem piè inuitans ad veniam, multa congerens sic subiungit: *Mementote istud, & confundamini: redite, præuaricatores ad cor.* Isai. 46. num. 8. *Isaiæ 46.* An ad cor Dei vnde exulabant? Neutiquam: sed ad cor suum. Sicut enim furore percitos homines, & amentia correptos extra se esse dicimus: sic peccati impetus hominem extra se rapit, illum à semetipso visus alienare. D. Hieron. ibi *: Redite ad cor, id est, ad mentem vestram: qui simulacra venerantes, velut furiosi ad ligna impingebatis, & lapides.* *Hieron.* Quàm misera perditio, extra se fieri, vt ad culti ligni, vel lapidis ictum ferirentur. Simile aliquid significatum voluit Dauid Psalm. 94. num. 1. *Psal. 94.* *Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.* Qui enim sæpè non tam in holocaustis, quàm in corde contrito, & humiliato placandum Deum edocuerat, non modò duceret tanquàm vnicè necessarium, vt gressu pedum fideles iubilando Domino aduenirent. Quid ergo? Certè id in hoc loco voluit, quod Psal. 84. num. 9. nimirum, vt homines ad cor conuerterentur: & qui extra se erant perditi, ad semetipsos venirent. D. Chrysol. ibi Serm. 46. *Venite. Quò, & vnde? Ex te homo, in te: vbi non locorum mutatio, sed conuersio sensuum, aduersa depellit, mærores fugat, desperationes abiicit,* Chrysol. *excludit angustias, & intra domicilium synceri pectoris, lætitiæ diuinæ æternam præparat mansionem.* Reddat igitur se sibi, & in se redeat deliciis æternis inueniendis, qui dum gratiam amisit, se ipsum extra se perditè misit.

Prodigum suum exultans pater excipit subdens causam? *Perierat, & inuentus est.* Luc. 15. num. 32. 1056. Luc. 15. *Et confirmatur.* Et cui perierat? cui inuentus? patrine? Puto. Cur ergo id pater non accumulat, cur non explicat? Cur absolutè profert inuentum, & pereuntem? Nimirum, quia non solùm patri perierat, sed sibi: non solùm extra patris domum, sed etiam extra seipsum miserè exularat. Id planè nouerat adolescens, de quo ituro ad patrem dicitur num. 17. *In se autem reuersus*, &c. Patrem cogitat, patrem suspirat, iturit ad patrem: & tamen ad se ire priùs exponitur: non enim poterat ad patrem reuerti, nisi in se reuersus; qui vt patrem desereret, se deseruit. Chrysologus Sermone 2. *In se antè redit, vt rediret ad patrem: qui à se antè recesserat, cùm recessit à patre.* Chrysol. Hinc fortasse explicabitur locus Canticorum. Sollicitudine inquieta, quietam Sponsi sui stationem inuestigabat Sponsa dicens: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* cap. 1. num. 6. ad quem tunc ille: *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum.* num. 7. De quo D. Bern. serm. 39. *Hoc verbum serui audire solent à valdè irascentibus, & indignantibus dominis: ancillæ à dominabus suis, cùm grauiter illas offenderint: Exi hinc, exi à me, egredere è conspectu meo, è domo ista.* Bernard. Vnde, dicat aliquis, tam austera reprehensio, tam dira comminatio ad Sponsam? Fortasse, quia ipsamet imprudenti interrogatione fœdatam se peccato significauit, dum se extra semetipsam esse propalauit: quia, si innocens foret, intra se esset: ibique videret Dominum, qui nullibi, nisi in corde iustorum, vbi delicias suas posuit, requiescit. Quidni ergo exeat cum prodigo è domo Dei, qui è se ipsa cum illo iam exierat. Hæc pauca dicta volui, de termino, à quo perditur peccator, vt terminus, ad quem ruit, pro scopo præsenti meliùs intelligatur.

Sexcenta passim loca sacra inuenies, vbi peccator ad nihilum redactus, & habitus pro nihilo, deploratur: tu legeris apertissima. Sed sunt nonnulla, vnde gratiùs bibitur hæc sententia, quòd minùs ibi latere videbatur. Tale est illud Salomonis: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* vel, vt clariùs habetur in Sixtianis: *Omnia opera operatus est Dominus propter seipsum.* Prou. 16. num. 4. Quia insensibilia cuncta, quo tenore possunt, diuinæ gloriæ irrequietâ laborant voluptate: hâc mare fluctuat, tellus fructescit, rarescit aër, splendescit ignis, 1057. *Peccator cur nihil fit.* Prou. 16. Sixtian.

ignis, cæli voluuntur, sydera scintillant: hâc animalia bruta pro viribus eidem allaborant, inde auium cantus funditur in elogia, cursus ferarum in spectaculum exhibetur, in choreas natatus piscium ordinatur. Taceo Beatos Angelos, mortales iustos. Omnes igitur creaturæ Deo seruiunt: omnia, quotquot sunt, Deo sunt, Deo ministrant. Sed quid tunc? An non infers euidenter, peccatorem, qui non Deo, sed sibi laborat, iam inter creaturas non ponendum; iam inter ea, quæ sunt non numerandum? Omnia Deo seruiunt: non ergo inter omnia est, qui Deo displicet: & dum inter vniuersa opera non est, quò, nisi ad merum nihil, reducetur? D. Bernard. ibi apud Godefr. *Vniuersa propter semetipsum fecit Dominus: alibi dicitur: Quia omnia propter electos. Aliter tamen propter se, aliter propter suos: in eo enim, quòd omnia propter se, praueniens commendatur origo: in eo autem, quòd dicitur, omnia propter suos, magis exprimitur fructus sequens: omnia propter semetipsum gratuita bonitate, propter suos, pro eorum vtilitate: vt illa efficiens causa sit, hæc finalis. Omnia ergo propter temetipsum fecisti, Deus: vnde, qui esse vult sibi, non Deo, nihil incipit esse inter omnia.* Aduerte penè omnia hæc verba reperiri apud Bernard. Serm. 3. in Pentec. Vltima tamen, vbi pulchrior gnome ponitur, ibi non esse; sed in alio Bernardi loco, quem iam dabo: Godefridus tamen vtpote concatenator, suo iure ex variis locis sententiam solet concinnare. Bernard.

1058. Huc facit monitum illud pulcherrimum Ecclesiastis: *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* cap. 12. n. 13. En tibi nouam à cælesti Metaphysico hominis definitionem: Omnis homo non tam animal rationale dicendus, quàm timor Dei, & mandatorum eius obseruatio. Cùm ergo essentia rerum maneat immutabilis, dum omnis homo hoc est, & aliud esse non potest, iam quidem si hoc non fuerit, nihil erit. Vt enim in esse naturæ, aut animal rationale est homo, aut nihil est: sic in esse moris, aut sanctus incipit esse, aut recidit in nihil. Sic acutè theologizat D. Bern. Serm. 20. in Cant. *Dignus planè est morte, qui tibi, Domine Iesu, recusat viuere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse non propter te, pro nihilo est, & nihil est. Denique, quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia; & qui vult esse sibi, non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est, inquit, omnis homo. Ergo, si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est omnis homo.* Argutus ad rem præsentem syllogismus.

Ecclef. 12. *Idem ostenditur.* Bernard.

Nunc capies illas Dei querelas apud Isaiam: *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat, qui audiret.* cap. 50. num. 1. Sed, si omniscius erat, cur venerat, vbi nullus aderat inueniendus? Cur clamabat, vbi aderat nullus responsurus? Non dixit, *non adesse*, sed *non esse*: aderant certè innumeri, sed non erant: & cùm in rerum statu naturali, priùs necessariò intelligatur esse, quàm adesse; nec istud sine illo possit dari: in statu tamen spirituali (ænigma mirum dictu) adstat quandoque res, nec tamen est: quia, licèt sit præsens alicubi per substantiam: per culpam tamen nihil reputatur. Vnde, licèt adesse possit,

Isaiæ 50. *Et iterum.*

imò videatur adesse; interim tamen non esse existimatur. Grauiter D. Chrysostomus hom. 23. in Genes. postquam latè ostendit, peccatorem quandoque carnem vocari, quandoque terram, tandem sic concludit: *Alio autem loco, neque terram, neque carnem nominat; sed neque eos esse putat in præsenti hac vita, eò quòd virtute careant. Audi Prophetam clamantem, & dicentem in media Ierosolymitanorum metropoli, vbi tot millia millium, & tot multitudines innumeræ: Veni, & non erat homo: vocaui, & non erat, qui audiret. Non dicit: Quia non aderant: sed, quia præsentes nihil meliores erant, quàm si non fuissent præsentes.* Quia in esse naturæ permanentes, in esse gratiæ ad nihil effluxerunt, pro nihilo à Deo existimantur: qui enim ad rem, de qua agitur, nihil meliores, id est, vtiliores sunt, quàm si non essent; iam quod ad illam attinet, nihil sunt.

Peccator ænigma est: adest, quin sit. Chrysost.

Loquebatur Dauid de sana iusti cuiusuis existimatione, déque prudenti rerum omnium iudicio, quod formabat, sic scribens: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius, malignus: timentes autem Dominum glorificat.* Ps. 14. num. 4. Sed, cur ita? An, quia iustus malignum pro nihilo pendit? Planè. At vnde pro nihilo pendit eum, qui sæpè de honorum, déque diuitiarum cumulo reapse apud alios adoratur? Quia homo, qui de animæ substantia Dei imago prosiliit; dum per gratiam huic conuertitur, qui solùm verè est, qui est, in quodam perfectiori esse eidem assimilatur: si autem sensualitate ductus, ad sensibilia miserè deperditus conuertatur, cùm in his sit mera vanitas, & ferè nihil, iam per similitudinem in nihil transformatur. D. August. ibi: *Ista perfectio est, vt nihil in hominem valeat malignus: & vt hoc sit in conspectu eius, id est, certissimè nouerit malignum non esse, nisi cùm animus à specie sui Creatoris æterna & incommutabili, ad creaturæ speciem conuertitur, quæ de nihilo facta est.* Duo itaque vult Augustinus in illo prophetico nihilo explicari erga hominem iustum: primum, pro nihilo, & inualido reputare contrarium sibi malignum, siue is homo sit, siue Dæmon: secundum, id euenire, quia malignus similitudine Dei amissa per culpam, & vanitatis specie admissa, cum hoc nihilo pro nihilo reputatur: non enim fit malignus aliquis, nisi cùm ad hoc nihil vanissimum conuertitur. Et meritò: sicut enim in esse naturæ, qui partes suas non implet, pro nullo habetur; sic in esse moris, qui non vacat virtutibus, pro nihilo habendus.

1059. Psal. 14. *Omnia mũdi sensibilia nihil sunt.* August.

Ad hanc rem in vtroque sensu absque dubio, allusum voluit Salomon Prou. 4. num. 6. *Nam & ego filius fui patris mei tenellus: & vnigenitus coram matre mea.* Sed quis Salomoni, se matris vnigenitum prædicantem, illum alium puerulum, quem priorem peperit Bethsabee, non obiiciat? Vnde vnigenitus, qui fratrem vterinum, & illum primogenitum fuerat sortitus? An ignorabat Salomon matris violationem, patris furtum, & in vtriusque pœnam fratris interitum? At certè nihil non dicam Salomoni, sed etiam cuiuis obuio manifestius. Quid ergo? Respondet ibi Beda: *Quare Salomon se vnigenitum coram matre nominat, quem fratrem vterinum Scri-*

1060. Prou. 4. *Peccator etiã dum fuit, non fuisse reputandus.*

ptura præcessisse testatur? nisi, quia ille mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, vita decessit. Ac si qui in esse naturæ perfecto naturalis vitæ munere functus non fuerit: etiam dum fuit, pro nihilo reputetur; esset que quasi non foret, penè ab vtero translatus in tumulum. Hoc quidem longè verius in re moris, vt vix fuisse putandus, etiam dum luxit, qui lucem illam tenuem extinxit. Sed de hoc alibi. Propterea ipse Ecclesiastes cap. 1. n. 15.

Quia nihil est, n. quit reputari. Eccles. 1. *Peruè si difficilè corriguntur: & stultorum infinitus est numerus.* Ex Græco legitur: *Peruè sum non poterit adornari, & imminutio non poterit numerari.* Nullam quippe talem capitis imminutionem Iurisconsulti vnquam inuenerũt, qualem subeunt peccatores, siue stulti, qui ideò antonomasticè *imminuti* dicuntur, quia ad nihilum vsque deducuntur.

Septuag. Et fortasse ideò Septuag. non tam illorum numerum infinitum dixerunt, quam non posse numerari: quia de nihilo, numerus esse nequit. De quo etiam alibi plura dico.

1061. Concludo primum hoc membrum loco Ioannis cap. 14. num. 30. apud quem Christus Dominus proximum sui discessum annunciaturus Discipulis, hæc subiunxit: *Venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Græca habent, οὐκ ἔχει οὐδέν. id est: *In me non habet nihil.* de quo D. Ambros. lib. de fuga sæc. cap. 4. ita scribit: *Nihil, hoc est, malitiam, quia malitia nihil est.* Quæ explicatio probabilis satis in sensu scholastico, in tropologico quidem plusquàm certissima est.

Ioan. 14. *Ambros.* *Peccatum est quoddam nihil.*

In Christo ergo non erat hoc *nihil* culpæ, nec esse poterat: quia erat totius sanctitatis essentialis plenitudo. In peccatore autem, vbi nec stilla virtutis, totum hoc *nihil* sic apparet: vt ille ab eodem absorptus iam pro nihilo veniat arbitrandus. En tibi, quid culpa, quid gratiæ defectus soleat asportare. Æquitatis tuæ fuerit adiudicare, an satis decens hæc basis ei constituatur, quæ in solidum naturæ, & gratiæ ornamentum, id est, in Matrem Dei tantummodo condebatur. Eligitur Maria in totum, quidquid est decoris singularissimè inter omnes creaturas: & huic infami nihilo, quod nec Angelis, nec protoparentibus substernitur, innitatur ipsa Domina infaustissimè? Logi. Careat ergo Maria hoc infausto nihilo, vt longè confidentiùs dicat Christus, qui ipsissimammet carnem Matris tulit, in illo nec vestigium huius nihili reperiri.

1062. Venio ad secundum membrum præpositæ rationis, quo ostendi, quàm incongrue Maria in optimum, & efficacissimum electa instrumentum, inque id tantùm producta, in ipso statim initio præfœdata peccato intelligatur; cùm culpa etiam condonata ignauius ex se reliquerit subiectum.

Peccatũ etiã condonatum, ignauiores relinquit.

Planè ita est: habet hanc miseriam insitam sibi culpa, vt quantum est ex se, semper peccatorem non solùm indigniorem; sed etiam ignauiorem, & debiliorem relinquat, iis, quæ ante lapsum facilè peragebat, difficiliùs post pœnitentiam peragendis. Dixi cautè, *quantum est ex se:* quia quandoque id gratiæ peccatori communicatur, vt feruidior exsurgat, quàm ceciderat: de quo fusè, si rectè memini, in Cant. Tropol. disserui. Videtur ergo absque dubio minùs congruum, vt id instrumentum, quod ab æterno efficacissimũ eligitur, culpæ statim committatur, à qua ex huius genio, debilius necessariò redderetur. Neque poteris aptè respondere, tantùm posteà gratiæ accepisse, vt præteriti lapsus mollitiem relictam suppleret fœnerantiùs: nã (præterquàm quòd dignius & honorificentius sit Angelis beatis, Christi merito semper stetisse, quàm post lapsum, vberrimũ hoc fœnus comparasse; ac proinde Angelorum Reginæ, & in excellentius ministerium electæ id denegandum neutiquam videatur:) si nullus humanus artifex instrumentum destinatum, & cupitum, quod ipse format, cùm possit ab initio tale parare, vt sit numeris omnibus absolutum; priùs ineptum fingit, vt aptius refingat posteà: cur id diuino Artifici obtrudemus? Tota vis argumenti ex eo pendet, quòd Maria sic electa, vt nisi in Matrem Dei non esset futura: de quo plenis paginis ad Articulum primum disputaui. Repete. Nunc iam ad intentum.

Percutitur Pastor, Christus; & disperguntur Oues, Apostoli: alij grauissimè peccantes, leuiùs 1063.
alij: quibus tandem resurgens ille ignoscit culpã, *Id probatur.*
iniuriam condonat: apparens tamen illis aliquot pòst diebus, & iubens retia mittere, homines iam prouectos ætate, *pueros* appellauit Ioan. 21. n. 5. obediunt illi, miserúntque rete in dexteram, vt Ioan. 21.
iussi fuerant: additque Textus: *Et iam non valebãt illud trahere præ multitudine piscium.* De quo aptè Chrysol. Serm. 78. *Miserant in dexteram, miserant in virilem partem: sed vt pueri adhuc trahere nõ valebant.* Chrysol. Nimirum, vt benè ponderat ibi Chrysol. alibi dandus, erat ibi negator Petrus, dubitator Thomas, Ioannes qui fugerat: & licèt iam condonata, præterita tamẽ culpa, eosdem sic reddiderat fragiliores. Consonat quidem, quod statim subdit Ioannes n. 12. *Dicit eis Iesus: Venite, prãdete.* Itáne? tam delicatè Crucis amator Christus milites suos habet, quos pariter ad Crucem destinabat? Prandiũ suaue parat, quibus erat paulò pòst amarum passionis calicem propinaturus: Sed respondet acutè citatus Chrysol. *Non, vt fortissimos, milites: sed pueros compellat, vt timidos: & quos idoneos nec dum deprehendit ad prælium, vt teneros inuitat ad mensam.* Sic illi, qui si in fortitudine debita perstarẽt, milites appellarẽtur: de timiditate pueri denotantur: quibus ob præteritam culpam adhuc fragilibus, non tam arma, vt decertent; quàm vt conualescant, edulia porriguntur. Tu vide, quæ de Maria ab ipsa Conceptione faustissimè præliante suprà disserui, & inferes necessariò, nunquam huic conualescenti languori subiacuisse.

Crediderim simili mysterio innuendo Marcum post narratum celebre illud miraculum filiæ 1064.
Archisynagogæ suscitatę: *Confestim surrexit puel-* *Et iterum.*
la, & ambulauit. cap. 5. n. 42. statim de Christo ad- Marc. 5.
didisse: *Dixit illi dari manducare.* n. 43. Quasi verò, quæ iacens surrexerat, noua faciendæ fidei indigeret ambulatione: aut, qui potuit sine medicina mortem illiminare, non posset etiam sine cibo famem expellere. Ergo planè res altiùs collimabat. Peccator, scilicet, cui cõdonatur culpa, mors animę abigitur: fragilior quidem, & refectionis indignus exsurgit: ambulet, necesse est, proficiẽs paulatim: manducet, doctrina, & cælestibus monitis roborandus. Beda ibi in Cat. *Benè surrexit, & am-* Beda.
bulat: quia anima à peccatis resuscitata, non solùm à sordibus scelerum exsurgere, sed & bonis proficere debet operibus: & mox necesse est, vt cælesti Pane satietur, diuini, scilicet, verbi, & altaris particeps effecta. Præterita quippe mortis fragilitas relicta, nouis, ac nouis indiget fomentis. Plura quæ huc faciant,

faciant, de oculis Marianis suprà dixi: hæc nunc satis, ne tantum instrumentum aliquando ex se hebetius putaretur. Neque hæc obstant illis, quę initio dicebam de Deo inepta instrumenta eligente: aliud enim est inepta ex genio suo esse: aliud, iam sub ratione instrumenti, ineptè inchoatura vsurpari.

§. IV.

Peccator apud Deum, etiam præsens, abest; inde ignoratus, & innominatus.

1065. Æ sunt aliæ miseriæ peccatoris, vt Deo intimè rebus omnibus commoranti, abesse, cùm præsens adsit, videatur: ac si apud eundem eius memoria periret, nomen aboleretur: vt iam deinde fusiùs ostẽdam. Interim quæso, Lector, mihi considera: an illa, quæ ab æterno in Matrem ordinatur, & in id tantummodo producitur: quæ ab Ecclesia in sensu, aut litterali, aut saltem accommodatitio sic semper Deo præsens celebratur, vt cum ipso *cuncta componens*, Prou.8. ludens, & exultans apud eum *omni tempore* decantetur: in ipso suo ingressu decenter sic emittatur, vt à Deo omninò absens reputetur. Considera, an singularissima illa prædestinationis cura, (quam toties commendant Patres, vt latè variis locis suprà vidisti,) qua Virgo in Deiparam eligitur, quasi ibi tota mens diuina impenderetur; congruè in ipso statim ignorandam initio produceret. Considera tandem, an, quæ in nomen gloriosissimum ab initio viarum Domini eligitur, de cuius prærogatiuis tot suprà ex Patribus vidisti cumulata; aptè sic edatur, vt viæ suæ initio nomen omninò amittere comprobetur. Quorsum tam eximia in electione præsentia, quę in executione, reapse ab infami absentia foret inchoanda? Quorsum tam sedula, & præuia mittendæ cura, vt subitò atque missa, ignoraretur? Quorsum tam diligens designandi nominis exquisitio: cui erat statim nomen ab æterno illo albo expungendum? Atqui, inquis, breuiter iterum hæc omnia sanctificante gratiâ recuperauit: næ qui ita putas, quodammodo negas, quæ sunt Dei, Deo; quæ sunt Cæsaris, Cæsari: imò videris Deum ipsum cum Cæsare confundere. Audi, sodes.

Maria qualis apud Deum.

Prouerb.8.

1066. Destinauit sibi Cæsar villam quandam pulcherrimam ad delicias fabricare: ideauit situm amœnissimum, saltus nemoribus, vineis colles, planitiem viridariis, vmbrosa veri, hyemi aprica, & congruam prætoriis stationem. Iam exemplar deducitur in opus, stat villa: de qua ita Suetonius in eius Vita, cap.46. *Villam in Nemorensi à fundamentis inchoatam, magnóque sumptu absolutam: quia non tam ad animum ei responderet, totam diruisse, quanquam tenuem adhuc, & obseratum.* Nimirum, quia electionem præuiam, & conceptum animo exemplar, de artificum impotentia, aut socordia, executio subsequi nõ valuit. Si ergo vera sunt, (sunt autem verissima,) quæ de Virginis prælectæ prædestinatione Patres scripserunt: si vera sunt, quæ suprà de exemplari Mariano disputaui, si Maria peccato fœda crearetur: iam non ex animo Deo respondisse possemus imaginari, & Deum penè cum Cæsare cõfunderemus: cum hoc tamen discrimine; quòd Cæsar artificis alieni incuria ideas suas inutili executioni doluit mandatas: at Deus se ipsum quereretur artificem incuriosum. Non putauit Cæsar vlla arte, vlla superueniente industria defectus illos villæ posse corrigi, ideò prorsus diruit, vt denuò perfecta inchoaretur: nec putaret Deus vlla gratia originem Mariæ vitiatam pro decentia posse inaurari: ideò longè quàm Cæsar prouidentior, & potentior, hunc Paradisum perfectissimum suum, nec diruendum, nec corrigendum, primitùs produxit. Robur, quod huc aduoco de electione præuia Mariæ, suprà confirmaui. Nunc ad rem tituli suo ordine accedamus.

Maria cur perfecta creatur.

Sueton.

Igitur solâ gratiâ, solis virtutibus Deo adsumus, prope Deum sumus: quos culpa, quanuis præsentes, ab eodem quidem constituit absentes: quanuis adhærentes, ab eodem designat remotissimos. Medius quidem Iudæorum stabat Christus Ioan. 1. quem tamen ipsi nesciebant, quia ab eodem per scelera absentabantur. Quis audiret Christum in Synagogam intrantem: (*Et introiuit Iesus in Synagogam*, inquit Marc. 3.n.1.) qui non speraret adstantes sub tanto hospite felicitandos? Et tamen, vt ibi legis, tunc maximè Christo oblatrant, de illorum dolenda cæcitate, contristato. Sed, quid intras, suauissime Iesu, consuetum gratiæ tuæ rorem, effusum salutis oleum non infusurus? Quia, licèt intraret domum; domus tamen habitatores, de cordis sui pertinacia non intrauit: qui, licèt corpore adessent; corde tamen absentes excipere non valuerunt. Chrysol. ibi Serm. 32. *Christus quidem ingreditur Synagogam: sed Iudæus nec recipit intrantem, nec agnoscit præsentem, nec operantem cæcatus intelligit. Cernite, quàm nihil sit præsentia corporalis, vbi fuerit mentis miseranda separatio: sicut contrà nihil officit absentia corporalis, vbi corda fuerint sociata per fidem.* Sic præsentes, nihil meliùs tantæ salutis participant effusionem, quàm si omninò absentes ponerentur. 1067.

Culpa à Deo nos absentat.

Ioan.1.

Marc.3.

Chrysol.

Pergebat Christus insitæ misericordiæ affectibus adductus, vt à mortis faucibus puellã Archisynagogi filiam eriperet; vtque florem vix è calyculo erumpentem, pestilenti afflatum Austro, viuificanti Zephyro restitueret. Insequebatur illum immensa turba, curiosiùs spectaculo, vt sperabat, adfutura; duello inter Authorẽ vitæ, atque mortis potentiam applausura. Interim fœmella misera, languens sanguinis fluxu, feruore fidei robusta, quæ rãtùm de tactu fimbriæ sanandã se confidebat: irrepens inter obstantes, ad Christum sic accedere satagebat. Accessit, tetigit, cõualuit. Penè dicere potuit: Veni, vidi, vici. Quęrit tũc Christus de mysterio, à quonam tangeretur: ad quẽ deinde mirati Discipuli interrogationis nouitatẽ: *Vides turbã comprimentẽ te, & dicis, quis me tetigit?* Marc.5.n.31. Scilicet, nondum Spiritus Sanctus Apostolorũ mentes repleuerat; ideò diuinæ illius sententiæ pondus ignorabant. Turba illa, quantumuis Christum visa comprimere, quanuis ipsi inter eundum illicebatur: ab illo tamen quodammodo absens, Domino neutiquam appropinquasse existimanda: sola, sola fœmina fidelis Christo aderat, sola eum tetigisse reputatur. D.Chrysolog.Serm. 36. *Inter Dominum, & mulierem* 1068.

Virtus præsentes Deo nos reddit.

Marc.5.

lierem furtiua ſalutis agitur tam grande commercium: & dum publica petitione viam facit rogatus, fidei cogitatio diuinum penetrat, & peruenit ad ſecretum. Felix mulier, quæ in tanta multitudine eſt ſola cum Chriſto, vt ſola ſit conſcia, & ſalutis reddita, & virtutis exceſſ. Abſit ergo, vt tantam Matrem aliquando à tam prouido Filio abſentem exiſtimemus: imò inter omnem illam turbam futurorum, qui iam à Patre infecti, quodammodo à Deo abſentes repræſentabantur; Mariam feliciſſimam agnoſcamus, quæ ſemper *coram eo, cuncta componens*, quaſi ſola adeſſet Domino, celebratur.

Chryſol.

1069. Deſcripturus Lucas Phariſæi epulum, obſequium Magdalenæ, ſic incepit: *Rogabat autem illum quidam Phariſæus, vt manducaret cum illo: & ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit.* Luc. 7. n. 36. An ſolus? Abſit: ſed eandem menſam, & fortè in eodem lecto cum Phariſæo, & aliis conuiuis. Cur ergo rogatus, vt manducaret cum illo, cum eodem diſcubuiſſe non narratur? Quia faſtu via Phariſæi nobilitas, quanuis propè Chriſtum eſſet, cum Chriſto non erat: quanuis adeſſet corpore, corde aberat. Non ergo cum Phariſæo ſic abſente diſcumbit Chriſtus, licèt apud illum manducaret: cui tantummodo Sancta Pœnitens in tanta conuiuarum turba adfuiſſe exiſtimanda. Tale aliquid cogitabat D. Paulinus epiſt. 4. de hoc geſto, vbi ita: *Mala peccatricis, & pauperis noſtræ diuitias in lacrymis, & affectu, quàm tuas in impietate, & littera: illius ieiunium, quàm tuum conuiuium: malo inter capillos illius, Chriſti pedibus alligari, quàm inter dapes tuas, tecum iuxta Chriſtum, ſine Chriſto diſcumbere.* Diſcumbit ſine Chriſto, quanuis eidem menſæ accumbat iuxta illum, quia culpæ reus, à Deo abeſſe miſerè intelligitur. Adeſt ſola Magdalena, affectu durante, etiamſi longiſſimè diſtaret corpore, adfutura.

Luc. 7. *Magdalena laus.* *Superbia Deũ remouet.* Paulin.

1070. Sed immoremur paululùm in Magdalena. Properat tota auida reſurgentem iam Dominum amplexura: & audit: *Noli me tangere.* Ioan. 20. n. 17. Et vnde affectus ſic vehemens cupito ſtipendio defraudatur? Quia, licèt feruidus, nondum tamen à perfectiori ortus lumine. Caligarat paululùm Mariæ fides, friguerat ſpes, dum Chriſtum inter mortuos quæritabat; ideò quanuis præſentẽ Chriſtum non agnoſcit. Meritò ergo pietatis tactu tangere prohibetur, quæ tanquàm abſens tunc Domino reputatur, ad quem non de corporis propinquitate, ſed de fidei lumine acceditur. Ambroſ. Serm. 58. comparans hic Stephanũ Magdalenam: *Intelligite ergo, quanta deuotionis eſt gloria. Maria iuxta Dominum conſtituta, eum tangere non meretur: Stephanus in terris poſitus Chriſtum tangit in cælo. Illa inter Angelos præſentem non videt Saluatorem: Stephanus intra cælos, Dominum cernit abſentem.* Præſentiſſima eſt abſentia per virtutem, cùm ſit per culpam præſentia abſentiſſima: proximus adeſt, vt tangat iuſtus, quantumuis diſtans; remotiſſimus eſt, vt tangat peccator, licèt intimè proximus: ille ſemper propè adeſt; abeſt hic ſemper longiſſimè.

Ioan. 20. *Stephani encomium.* Ambroſ.

1071. Aſcenderunt oraturi Phariſæus tumidus, & timidus Publicanus: ille ſic deſcribitur à Luca: *Stans hæc apud ſe orabat*, cap. 18. n. 11. De hoc verò ſic dicitur: *A longè ſtans nolebat nec oculos ad cælum leuare.* num. 13. Cùm inter hos antitheſis quæratur, manifeſtum relinquitur, Phariſæum iuxta velum Sanctuarij conſtitiſſe: cum longè ab adytis ſubſtitiſſe Publicanus declaretur. Cur ergo illius approximatio ſubticetur, cùm ſic huius longinquitas exprimatur? Subticetur, credo, primum, ne ſi quis imprudens eum propè fuiſſe audiret, reuerà Dei proximum exiſtimaret: exprimitur ſecundum; quia nemo ita imprudens, qui audita eius confeſſione, eundem Deo appropinquantem non agnoſceret. Ergo in Phariſaïca virtutum enarratione, & gratiarum actione ſic occultabatur ſuperbia, vt foret periculum Sanctus crederetur, ſi propè aſſiſtens diceretur: in publica Publicani confeſſione ſic elucet humilitas, vt iam non ſit periculum, quin iuſtificatus intelligatur, quanuis longe ſubſiſtens ſcribatur. Quid ita? Quia publicanus è longè appropinquabat: in proximo Phariſæus abſentabatur. Hinc benè D. Anthonius de Padua Dom. 11. poſt Trinit. ad hunc locum: *A longè ſtetit, ipſo templi ingreſſu indignum ſe exiſtimans: Phariſæus autem credebat, ſe eſſe propè; ſed fuit longè: Publicanus è conuerſo, credebat ſe eſſe longè, & erat propè.*

Luc. 18. *Superbia Deũ remouet: humilitas hunc ſibi approximat.* Anth. Pad.

Pulſanti Chriſto Domino Sponſæ oſtium, reſpondet illa: *Expolíaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Cant. 5. num. 3. Erat iam de ſpretis carnis affectibus, penè nudus ſpiritus, quæ, quidquid erat carnale, iam exuerat: timebat cauta magis, quàm prudens, ne ab hac vocatione turbulentis proximorum negotiis iterum immiſceretur, vnde de humana fragilitate aliquid iterum carnis contrahere cogeretur: ideò tantùm cum Chriſto in interioribus cupiebat conuerſari. Sed, ſi tantùm Chriſto adeſſe cupis, ô anima, quid moraris? En ipſe Chriſtus adeſt, Chriſtus vocat: quid vltra optes? At concepta iam ſemel licèt falsò opinione illa, quod ſibi aliquid foret carnis induendum, meritiſſimò timet: quanuis enim vocanti Chriſto in carne adeſſet: illi tamen ſe abſentiorem reputabat, quàm ſi in nudo ſpiritu compareret. D. Ambroſ. lib. de Iſaac, cap. 6. ad hunc locum: *Cùm aduerteret, in carne ſe Chriſto adeſſe non poſſe, ſed tunc adeſſe, ſi adeſſet in ſpiritu, conformans ſe ad eius voluntatem, vt eſſet & ipſa conformis imagini Chriſti: iam non ſentit carnis exuuias, iam quaſi ſpiritus, exuens ſe corporis coniunctione: iam quaſi oblita, & quæ ſi velit, copulæ illius meminiſſe non poſſit, ait: Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Exuit tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam, & Eua poſt culpam, tunicam corruptelæ, tunicam paſſionum.* Ageſis, indue Mariam hac tunica, vt abſit Deo: quæ in id eligitur, vt tunica carnis ſuæ Deum induat: credo, quia nec in Adamo peccans, ſemper adfuiſſe Domino intelligitur. Sed lubet pendere paucula de Adamo.

1072. Cant. 5. *Iuſtus cur in ſpiritũ transformandus.* Ambroſ.

Peccat ille, & ecce in diſtrictum iudicium Deus properat, ingreditur deliciarum locum olim, iam tunc de hominis culpa miſeriæ domicilium: carcer erat, qui fuerat Paradiſus: tunc addit Textus: *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit: Vbi es?* Geneſ. 3. n. 9. Sed, cur in Paradiſum deſcendit, tanquàm de inueniendo reo certus, qui an ibi eſſet, videtur dubitare? Cur vocar, tanquàm incertus, quem certò nouerat ibi delitere? cur tanquàm abſentem compellat, quem præſentem cernit? Quia Adam in Paradiſo apud Deum

1073. Geneſ. 3. *Peccator cur longè, & propè Deum eſſe dicatur.*

Deum erat, sed non cum Deo: absens aderat, præsens absentabatur: corpore propè erat, spiritu longissimè. Hugo Victor. ibi apud Tilm. *Vbi es, Adam? Adam, vbi es? Audiui, inquit, vocem*
Hug.Vict. *tuam, & abscondi me. Absconditè, vbi es? quàm longè es, & quàm propè es! quàm longè es ab illo, & quàm propè illi!* Benè ergo in Paradisum Iudex descendit: quia ibi adesse reum agnoscebat: & benè quasi longinquum compellat, quia inde & à se spiritu absentem denotabat: vt hinc Adamum miserè periisse intelligamus. Aptius huc D. Ambrosius, licèt in rem aliam Serm. 40. *Oportet proximos nos fieri Deo, quoniam dicit Pro-*
Ambros. *pheta Psal.72. Ecce qui elongant se à te, peribunt. Quòd si à Deo qui longè sunt, peribunt; vtique, qui sunt proximi, saluabuntur.* Meminerit autem Lector, verba illa Cantic. cap.2. num.10. *Surge, propera, amica mea*, &c. quæ ex communi totius
Cant.2. Ecclesiæ consensu Mariæ adaptantur, in Græco legi: *Surge, proxima mea.* Quasi Maria per antonomasiam talis appelletur: nimirum, non periit elongans à Deo cum Adamo: sed semper salua, quia semper proxima: quidni si in Matrem Saluatoris eligebatur? Hine optimè Bernardus de Virgine Sole induta, Serm. de verbis Apocal. *Quam familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti, quantam inue-*
Bernard. *nisti gratiam apud Deum! in te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis, vestit ille te gloria suæ maiestatis: vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris.* Et quidem in tam intima approximatione nihil mediet, necesse est: intercederet autem, in re puritatis, angelica innocentia, si Deipara quandoque culpa fœdaretur.

1074. Adhuc tamen non exhausta dubitatio dubitationis istius diuinæ, de loco, vbi Adam absconderetur: nec enim solùm miseri peccatoris
Peccator ignoratur à Deo. absentia insinuatur: huic enim significandæ aptiùs dicendum videbatur: Veni, Adam: compare, miser. Illud, illud, *vbi es*; vbi scit, ignorari ab omniscio præsumitur. D. Eucherius ibi qu. 14. apud Cerdam Aduersar. cap.115. *Adam, vbi*
Eucher. *es? Ostendit, quòd omnis ille, qui peccat, velut iam erroribus suis deuius, & per delictum recedens à conspectu Dei, notitia eius efficitur indignus.* Erat ista secunda pars tituli, ex qua coniectabam, minùs congruè summam illam in disponenda, & apparanda Deipara à Deo curam, ab eiusdem ignoratione inchoari. Cur enim ignoraret Deus per fastidium, quam, amouendo sibi concepto ex hominibus fastidio, electam destinabat? Cur ignoraretur illa, cuius ministerio iam pridem ignorati recognoscimur? Cur detur obliuioni, per cuius fructum, inolitam nostri obliuionem Deus deponere disponebat? De hoc suprà num. 834. Libo inde verbum.

1075. Hinc Propheta: *Nunquid cognoscentur in te-*
Psal.87. *nebris mirabilia tua: & iustitia tua in terra obliuionis?* Psal.87. num.13. Sicut enim viam illam,
Id confirmatur. quam rectè aliàs callemus, si noctu, & in tenebris iacentem percurramus, penitùs ignorare videmur, & quasi eiusdem obliti non agnoscimus: sic à Deo, dum in tenebricosis culpæ sordibus iacemus, videmur ignorari, & quasi in obliuione sepulti derelinqui. D. Eucherius citatus quæst.
Eucher. 107. *Rectissimè appellatur obliuionis terra, impiorum caro à Domino derelicta.* Deum per culpam expellimus, inde ab eo derelinquimur, & statim quasi obliuionis obscuro amandamur. Dicebat Salomon: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri* Prou.30.
super terram, viam nauis in medio maris, & viam iuuenis in adolescentia. Prouerb. 30. num. 18. Sed mihi penè difficilior Salomonis ignorantia; quàm ipsi obiecta hæc ignorata difficilia. Cur enim, vt de aliis taceam, viam adolescentis ignoret Salomon, qui tunc sacro enthusiasmo plenus, Deo refertus? Parum id: plùs difficultatis augetur à Dauidis verbis, qui ita Ps.118. n. 9. *In quo corrigit adolescentior viam suam: In* Psal.118.
custodiendo sermones tuos. Nemo corrigit, quod Adolescentia
ignorat. Sciebat ergo adolescens iste viam suam. sancta quàm
Cur ergo illam prudentissimus Salomon ignora- pretiosa.
ret? Cur illi Deus hanc viam non edocuit? At pende, Dauidem de iuuene benè morato sermonem instituisse: at Salomon de iuuene adolescentiæ libidinibus immerso loquebatur: nullus, huius sapientiæ, nævus irrogatur, dum praui iuuenis viam non agnoscit, imò inde diuina sapientia præditus commendatur, quòd illa ignoret, quorum obliuiosa ignorantia in Deo, summa perfectio est. Fauet D. Ambros. in locum Ps. his verbis: *Quis potest cognoscere viam suam iunior, vt* Ambros
corrigat eam, cùm Propheta dicat: Tria sunt, &c. Et Salomon fatetur, quòd non cognoscat vias viri in iuuentute; quomodo potest iunior cognoscere? Cui respondebitur, quòd illæ viæ viri in iuuentute non cognoscantur; quæ sunt secus vias serpentis in petra, & secus semitas nauis fluctuantis, & vestigia volantis aquilæ, quæ vngues asperos habet, & supra nubes volat, in aëre errat, in mari piscem interficit: & tamen impossibile non est quartum, sicut illa tria: cognoscit enim Dominus, qui sunt ipsius, & vult, vt sciat se vnusquisque, sciat se populus Dei. Sed esto, non cognoscantur errantium viæ, sicut dicit Dominus: Non noui vos. Discedite à me, operarij iniquitatis. Hic autem iunior, qui potest corrigere viam suam, fortasse iunior sit ætate, non moribus. Non noscendus omninò, & discessurus absens, tanquàm cæteri iniquitatis operarij, si iunior etiam moribus fuisset.

Pulsarunt fatuæ illæ virgines ostium iam 1076.
clausum, & audiunt à Christo: *Amen dico vo-* Matth.25.
bis, nescio vos. Matth. 25. num. 12. Nimirum, peccatrices erant: quidni ignorarentur? Sed iam Impiorũ no-
quærendum, cur ita peccatores à Dei amicitia mina pereunt
deponantur, vt etiam à diuina notitia depositi apud Deum.
existimentur? vnde enim mens illa omniscia, horum decenter deposuisse memoriam præsumetur? Quia, cùm nihil ignotius alicui videatur, quàm illud, cuius vel etiam ignoratur nomen: cùm impij apud Deum nomina perdant, quid mirum ignorationem sortiantur? Meritò verò à memoria diuina abolita horum nomina dicuntur, qui à cælesti albo, à libro vitæ deleti existimantur. Eusebius Gallic. homil. in Natal. Virg. ad hunc locum: *Deus enim, qui omnia scit, fatuas virgines se nescire dicit, quoniam eorum nomina non sunt scripta in libro vitæ.* Est hoc, quod ferè omnes notarunt de diuite epulone anonymo, & Lazaro mendico nominato: do vnum D. Anthon. de Padua Dom. 1. post Trinit. Ser. 1. *Diues quasi ignotus apud Deum, nomine non designatur: dignum* Anth.Pad.
vtique est, vt nomen eius non scriberetur in hoc Euangelio, quod nunquam erat scribendum in vi-

ta æterna libro: ideò ad eius exprobationem dicitur, homo quidam: de eo enim, quem reprobamus, vel nescimus, solemus dicere, homo quidam. Recurrat Lector ad ea, quæ suprà dixi de Maria sic vitæ libro affixa, vt tanquam Mater Verbi, ipsamet liber vitæ à Patribus appelletur: inde inferet non illam ab hoc albo deletam, ac proinde nunquam in Deo illius aut nomen, aut notitiam periisse.

1077. Progredienti iam exercitui suo contra impium Absalonem, imperat Dauid: *Seruate mihi*
2.Reg.18. *puerum Absalom.* 2.Reg.18.5. Sed dat iste iustas pœnas, confossus moritur, & lapide durior, sub
Idq; in æternum. lapidum aceruo sepelitur: & ecce Dauidis fletus in hunc tenorem: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* n.33. Viuum alieno vocabulo vocarat puerum, quem iam mortuum proprio, & tenerrimo vocabulo filium compellat: & cur ita? Respondet grauiter, & acutè Ambrosius in Psalmum 118. Serm. 17. num. 5. *Quærendum, qua ratione ante puerum dixit, postea filium nominauit: cur non in vtroque, aut*
Ambros. *puerum dixit, aut filium? Si viueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis: ideóque vir iustus, quod religionis fuit, tacuit; quod infirmitatis, aspersit: vbi verò est mortuus, apud pium patrem personæ crimen defecit; naturæ nomen remansit.* Meritò ergo apud Deum quæuis pia nomina impiorum, etiam mortuorum, abolentur, cùm etiam post mortem, indelebilis horũ culpa perseueret. Et quidem cùm omnis peccator, quantùm est ex se, cælestis Patris intentet parricidium; meritò illi interim quiuis pietatis titulus denegatur: quem Dauid parricidæ suo negauit sanctissimè. Dele ergo à diuina memoria Mariæ nomen per culpam: & illam interim Deicidam iurabis necessariò: & an id cum tanta in Matrem electione satis conueniat, tute videris.

1078. Post illud gloriosum gestum, quo Abraham filium aris destinat, affectu factus religiosus carnifex, pius parricida, & nescias, an magis victima, quam Sacerdos; diuinum tunc oraculum à Deo concipit dicente: *Multiplicabo semen tuum, sicut*
Genes.22. *stellas cæli; & velut arenam, quæ est in littore maris.* Genes. 22. num. 17. Scio, in stellis his nitidissi-
Iustorum nomina suauiter nouit Deus. mis iustos ab Abrahamo; & in arena vilissima, eiusdem propaginis peccatores designari. Adhuc tamen est difficultas, licèt tam longum discrimen intercedat, (imò & quia tam longum discrimen intercedit,) cur in eadem serie iusti, atque peccatores copulentur? Vnde quasi in dedecus iustorum sub eodem promisso miscentur peccatores, qui, quamuis pro familiæ amplitudine designanda meritò assumantur; videbantur tamen extra iustorum mixturam collocandi? Sed tu pende, quid de his iustis, siue stellis scripserit Dauid: *Numerat multitudinem stellarum: & om-*
Psal.146. *nibus eis nomina vocat.* Psal. 146. num. 4. Deus, nimirum. Nihil ergo derogat iustis hæc mixtura: quando in eadem, ipsi decorè apud Dominum nomina sortiuntur: dum peccatores, velut obliuioni dediti, amissis nominibus probrosè ignorantur. Galfridus apud Tilman. ad cap. 24. Numer. ad Christum: *In se reconcilians ima summis, vt cælum homines, & terra habeat stellas: nónne*
Galfrid. *enim semen Abrahæ, sicut stellæ cæli? Sed heu! & sicut arena maris. Grauis mixtura: sed Deus illas discernit, & vocat nominatim.* Per Mariam Matrem cælestes nos ortos, & in sydeream formatos conditionem, supra latè probaui. Vix ergo capitur, vt stelliferæ dignitatis fons, à quo nominis Deo noti sortimur excellentiam, aliquando sine nomine, inter arenæ sordes deliteret. Multa ibi de Virgine Galfridus suprà adducta, qui concludit: *Quæ sola Solem iustitiæ genuit, non humanas tantum, sed angelicas stellas supergressa est vniuersas.* O supergressum diminutum, si ab originis innocentia claudicaret.

Tandem faciunt huc illa Exodi 1. num. 1. *Hæc* 1079.
sunt nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Exodi 1.
Ægyptum. Aptissimum, nimirum, est tanti libri principium: quasi inter Ægyptias tenebras san- *Súntque illi gloriosa.*
cti filij Iacob sic in suo ingressu rutilarent, vt instar syderum, nomen apud Deum perenne retinerent. Mixtura grauis erat; sed tamen de nominum decoro titulo discreta. Stephanus Cantuariensis ibi apud Godefrid. *Nomina filiorum Israël, id est, bonorum: soli enim boni habent nomi-* Steph.Cant.
na. Vnde diues non nominatur, quasi ignotus Domino: pauper verò, tanquam familiaris, Lazarus nominatur. De malis dicitur: Vocauerunt nomina sua in terris suis. è contrario de bonis: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Vbi enim *Nomen soli virtuti dandum.*
stellæ gloriosa nomina, nisi in cælis collocarent? Aut vbi sabulosi peccatores, omni arena abiectiores, titulos suos Deo ignotos, nisi in terris vilissimis describerent? Hinc factum, vt sicut hodie in Baptismo, sic olim in circumcisione, pueris sua nomina imponerentur, Luc. 2. n. 21. de quo citatus Stephanus: *In Confirmatione, & Baptismo, & circumcisione puero nomen imponitur: ac si dicat: Soli mundi interius nomen habent.* Nihil prius videbatur natis pueris, quàm nomina adscribenda: & tamen tandiu meritò cessatur à nomine, quandiu per culpam originis abstinetur à gratia. Recurre ergo ad illa, quæ de nomine Mariano suprà disserui: & videbis, dedecere tantam excellentiam nominis, vt aliquando ab originis macula aboleretur.

§. V.

Maria in Matrem electa, si sub culpa oriretur, ridiculum spectaculum exhiberet.

ERTISSIMVM est, ab illis ver- 1080.
bis Dei minantis Serpenti de Maria: Genes.3.
Ipsa conteret caput tuum. expressam notitiam concepisse Dæmones, An- *Maria sub culpa ridiculum spectaculum.*
gelos, atque homines, electæ Virginis in Matrem edendæ aliquando: inde Dæmonibus terror, Angelis gaudium, hominibus spes salutis concipitur. Omnes spectaculum istud edendum, sed diuerso tenore expectabant. Deus interim, quasi parturiens, destinato tempori fœtum asseruabat. Hoc est, quod ex totius Ecclesiæ mente, hæc verba illi tribuentis, canit Maria: *Ante omnes colles*
parturiebar. Prou. 8. n. 25. Papæ! quid vsquam Prou.8.
audisti mirabilius? Deum parturientem quis non stupet? aut quis eò deueniat inscitiæ, vt edendo fœtu, qui ipsi Deo, parturitionis dolori-
bus

bus quodammodo stetit, aliquid grandius cogitet, credat excellentius? Insaniam putabant veteres parturientium montium apparatum, si partus degeneraret: Vnde Horatius in Arte poëtica:

Horat. *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.*

Nos verò stultitiam non putemus parturire Deum, & peccati labe infectam sobolem, offusam tenebris filiam, in lucem mittere? Libet paululùm cum ineptis, si fortè, Lectoribus ineptire, vt loquitur D. Cyrillus lib. contra Anthropomorph. Adeste animis. Fingamus cæleste Concilium, quasi diuiniori tunc modo illud eueniret, de quo ille alius:

Virgil. *Panditur interea domus Omnipotentis Olympo,*
Conciliúmque vocat Diuûm, atque hominum Rex
Sydeream ad sedem.

Occurrunt ergo cælestes Dynastæ, Supremi Principis imperio conuocati: aperit ipse causam, & frequentissimi Senatus rationem: instare, scilicet, tempus, quo cælestis ille fœtus tandiu ab æternitate conceptus, & à mundi ortu à iustis suspiratus tandem oriatur: quo Maria Deipara humani producatur generis reparatrix: dulce munus, quo Dæmonis imperium contrito eiusdē capite conteratur. Applauditur vndique, & dandam cælis Reginam, terræ salutis instrumentum, terrorem Inferno, diuino Senatus ille Numini gratulatur. Fingamus inde in Limbo Patriarchis, & in Tartaro Dæmonibus, tanti spectaculi nuncia percrebuisse: intendunt omnes immotis palpebris, defixo vultu, anhelitu suspenso.

1081. *Id ostenditur.* Ecce tibi in hoc medio apparatu Maria oritur: & Angeli, qui puri puriorem expectabant Reginam, despiciunt fœdatam. Aspiciunt homines peccatricem, quam peccati remedium sitiebant. Dæmones, qui iugum formidabant, & terrorem, insultant captiuæ:

Horat. *Spectatum admissi, risum teneatis amici?*

Tot apparatus, Deus ab æternitate parturiens: Angeli sperantes: suspirantes homines: Dæmones desperati: omnes inusitatum miraculum conspecturi: & demum plusquàm ridiculus mus, peccati quædam ancillula progerminat!

O turpiter atrum
Desinens in piscem, mulier formosa supernè.

O turpius, inquam ego, desinens in originis labem, opus tandiu promissum, cupitum, expectatum! O montem superridiculè parturientem! Parturiebat aliquando Iupiter: (nosti de hac re festiuissimum Dialogum Luciani:) & accedit obstetricaturus Vulcanus: ferit Patris cerebrum, & prodit perpulchra, & adulta subitò, scientiis armata, armis decora Pallas: & ea, quæ inter omnes Deos, post Iouem primas tenet. Lyricus lib. 1. oda 12. de Ioue:

Horat. *Vnde nil maius generatur ipso,*
Nec viget quidquam simile, aut secundum:
Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.

Quia nihil inter Iouem, & Palladem decenter posse intercedere putabant, quam ipse longis doloribus parturiens effudit tandem. Et tu audis Deum parturientem, editam Mariam: & omnes angelicos Spiritus, Dei, & eiusdem Deiparæ administros, Deo ipsi facis de innocentiæ puritate proximiores, Deipara in hac re honoratiores. Et audes? Quod ergo, si ita spectaretur, aliis deridiculum absque dubio videretur; etiam in se sumptum, à Dei prouidentia, tanquàm omninò ridiculum amouendum: nisi dixeris, minùs decori suo, quàm spectatorum oculis, Deum solitum attendere: quasi se quærat extrà, examénve improbum in creaturarum trutina castiget. Satis lusimus, ad seria veniamus.

Videamus in primis, quàm Deus piè anxius Mariam parturiret. Vocat Sponsus dilectam, suauissimum illud Canticum insusurrans: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Cant. 2. n. 10. id est, vocat Deus Mariam, vt oriatur. At, si tam auidus erat, cur eam non producit? Si destinatum verò tempus sperat producendæ, cur tam anxiè tot illam ante sæcula suspirat? quia quantùm est ex se Deus mauellet, vt iusti per congrua merita Incarnationis tempus accelerarent: ideò dum differebatur, quasi ardentissimo desiderio tortus (de quo fusè in Cant. litterallegorico) suspirabat. Ergo Incarnationi peragendæ, quasi parturiens, Mariam cupit, Mariæ vocis omnibus anhelat. Rupertus ibi, ex ore Virginis: *Verba ista profectò desiderantis verba sunt*, &c. *Sic accipite quasi verba desiderantis, tanquàm festinantis, & optantis iam adesse materiam tantæ salutis, scilicet, me: cuius caro illi materia foret assumendæ carnis. Tanquàm præsentem loquebatur mihi, méque iubebat surgere, & properare, id est, nasci, & hospitium venturis mei, sibi citò præparare.* Et putares, orituram sub peccato sic vocari, vt salutis materia, sub eiusdem morbi contagio rideretur? Putares peragendæ statim Incarnationi suspirari maculatam Mariam, quæ ipsâ maculâ Incarnationem pro parte retardaret? Attende, sodes.

1082. Cant. 2. *Deus Mariam ab æterno parturiens.* *Deus Incarnationem cupiebat.* Rupert.

Præmittuntur adductis verbis hæc alia plenissima mysterio: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera*, &c. n. 8. Miraris immensam celeritatem, qua transuolantur montes, colles transiliuntur: at miror ego magis, parietem festinos impetus retardantem: cur enim ad parietem subsistat moratus quasi rumpendi impotens, qui præruptissimos colles, iuga inaccessa valuit transilire? Quia, licèt desiderio sic festinaret, vt nihil non perrumpere videretur: adhuc tamen peccatorum nostrorum obice retardatus, tanti voti implementum non consequitur. Festinantia itaque desideria, obiecta culparum mole impediuntur. Rupertus ibidem: *Non parua est res, quam dico, parietem nostrum, propter quem tam morosè venit iste, qui & antequàm veniret, festinus, & celer vocatus est: & cùm venisset, illud, propter quod venerat, tam citò, tam velociter operatus est*, &c. *Nimirum, propter parietem inimicitiarum, qui non de vno tantùm originali peccato; verùm etiam de multis actualibus peccatis congestus est*, &c. *Post huiusmodi parietem nostrum en ipse stat; id est, propter hæc, & alia peccata generis nostri, cui repromissus fuerat, ipse iustas fecit moras.* Agedum, infice Mariam culpa originali, & immeritò sic vocatam asseuerabis. Quorsum enim rupturus has moras *materiam salutis*, siue Marianam carnem suspiraret; si in eadem materiâ, nouæ de originis peccato

1083. Cant. 2. *Peccati murus noster, Deúmque intromissus.* Rupert.

catq

cato moræ nectebantur? O ridiculi ſpectaculi exhibitorem, ſi dum parietem cupias diſſoluere, nouam illi calcem, & lapides adminiſtres! Imò ideò Maria materia ſalutis, ideò hac editâ peragitur Incarnatio: quia caro illa abſque peccato, non veterem parietem adſtruit, ſed oſtium aperit: meritò proinde toties ab Eccleſia, cæli, & lucis ianua appellata.

1084. Premamus paululùm integrum iam locum, quo ipſe Rupertus ad hominem conuincitur. Ex originali, & actuali peccato conflatus erat, & condenſatus paries, qui feſtinantem Dominum retardabat: eligitur Maria in Matrem, & ſuſpiratur, quæ inſtrumentum impedimento amouendo adhiberet. Si ergo hæc originali ſua culpa, miſerum illum parietem pro parte obdurabat; quid aliud hoc erat, quàm in ipſa expeditione afferre obſtaculum, immiſcere venenum medicamini, & auxilium vulnere temerare? Feſtinabat Deus ſalutem hominibus ſpoliato Dæmone allaturus: Maria Mater cooperatrix eligebatur: ſi hæc ſpolium Dæmonis fiebat, quid hoc erat aliud, quàm in libertatis geſtatorio, captiuitatis vincula oſtentare; triumphum gloriæ dedecoris opprobrio veſtire; applauſum victoriæ de turpis ſubiectionis fletu conſpurcare? Benè Euſebius Gallicanus hom. 2. in Natiu. Dom. ad Mariam: *Medicum dolorum noſtrorum, ſine dolore partus, Saluatorem deprauati ſæculi, atque corrupti, ſine vlla pudoris contagione progeneras: nec enim decebat, vt, qui ad hoc veneras, vt violata in integrum reſtitueret, aliquid de materna integritate violaret.* At, quantò minùs decebat, vt matris ſpiritus per culpam inuſtam, quàm caro per clauſtrum reſignatum violationem pateretur? Sed de hoc ſuprà fusè. Amoue ergo à Maria culpam, ne indecens, & proinde ridiculum Dei deſiderantis, & parturientis exhibeas ſpectaculum: crede non violatum eius ſpiritum, ne incuriæ notam, violatorum omnium inuras reparatori. Quòd autem Maria *par noſtrum* dicat; pietatis eſt, non conditionis.

Chriſtus qualis Medicus.

Euſeb. Gal.

1085. Ideò meritò ad hunc locum Cantic. ſic ſcribit Dionyſius ibi, art. 8. *O amica mea ſingularis, & vnica, cuius reſpectu aliæ ſunt ancillæ, quamuis & ſuo modo amicæ ſint. Columba mea, in qua nunquam fuit radix amaritudinis, felliave auſteritas; ſed ſimplicitas ſapientialis inuiolata.* Tot ante ſæcula iam vocatur Maria, vt ſurgat, vt properet tanquam amica, tanquàm columba: (ſequor Rupertum:) & quàm ridicula ſurgeret, ſi ſtatim non ſolùm non amica Dei, imò nec familiaris ancilla; ſed Dæmonis ancilla oriretur? Si columba in cornicem, & coruinam fœditatem degeneraret? en mel ſub felleo ſapore: en radicem dulcem amaritudinis auſteritate interpolatam. Et benè, dum properare iubetur, *columba* appellatur: cuius rei vt aperiam myſterium, audiendus Ambroſius Serm. mihi 71. *Volare non poteſt, niſi quod purum, leue, atque ſubtile eſt, cuius nec ſynceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole grauatur. Grauari autem volatum dico non tam mole membrorum, quam delictorum. Vnde puto, etiam in ipſis auibus, ideò velocius columbam penè præ omnibus volitare, quia alacritatem & innocentia comitetur. Denique Sanctus Dauid, cùm puritate mentis volare concupiſceret, non alterius animantis, niſi columbæ optauit alas*

Dionyſ.

Maria cur columba.

Ambroſ.

Pſal. 54. Meritò igitur columba interim appellatur Maria, vt dum inuiolata, & innocens producitur, ſic breui ſanctitatis volatum acceleraret, vt in primo adoleſcentiæ flore, eum excellentiæ gradum aſſequeretur, quo Verbum ipſum incarnandum acceleraret; & è ſinu Patris, in vterum ſuum feliciter tranſmitteret.

Sed adhuc in his votis, & diuinis deſideriis exhibendæ Orbi Mariæ in ſalutis materiam, in ſpectaculum quoddam ſibi iucundiſſimum, eleganter pergit citatus Rupertus, ſic ſubiungens: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & in his omnibus Euæ oppoſita. Eua namque quaſi inimica, Eua quaſi vipera, Eua quaſi deformis, & ignominioſa. Mihi inimica, viro ſuo vipera, ſibimet confuſa ignominia: inimica per ſuperbiam, quâ intus tumuit: vipera per malitiam, quâ ex ſerpente concipiens, foris tentata facilè ceſſit: ignominioſa per pruritum libidinis, quâ ſtatim ſcaturire cœpit. Tu, amica mea, per humilitatem; columba mea, per charitatem; formoſa mea, per caſtitatem: tu contra Deum non tumuiſti, imò mente humili Altiſſimo complacuiſti: & ecce amica es. Tu ſerpenti autem non præbuiſti, imò inimicitias inter te, & ſerpentem ego poſui, & ecce columba es: tu nuditatem libidinis non incurriſti, imò Spiritus Sanctus obumbrauit tibi, & ecce formoſa es. Veni ergo, Maria, veni: nam Eua ad latebras fugit.* Quid vſquam clarius pro Deiparæ innocentia dici pótuit? In Antieuam eligitur Maria, taliſque à deſiderante Deo enunciatur: annon ſolùm autem dolo inficiendam, ſed & ſpiritum morſu lacerandum exhiberet Serpenti concors & ſubiecta, quæ ideò vocatur, vt perpetuas inimicitias ab origine mundi deſtinatas cum illo exerceret? Apage. Lepidè quidem vocaretur in lucem, tanquàm Euæ per culpam, in tenebras, & latibulum fugientis, oppoſita; quæ eiuſdem culpæ particeps edebatur. Benè eſt: abſconditur Eua, & tanquàm turpe ſpectaculum ab huius Solis, & Paradiſi oculis remouetur: editur in theatrum illi opponenda Maria, & ſub eodem turpitudinis habitu exhibetur.

1086.

Maria Antieua.

Rupert.

Spectatum admiſſi, riſum teneatis, amici.

Quiſquis certè, aut non teneret riſum, aut cieret dolorem. At non talem fœtum iſtum, & ſingulariſſimam filiam produxit Deus; ſed ſub ea pulchritudine, vt dignus parturientis Domini partus, & filia per antonomaſiam diceretur. Benè Alanus ad illud Cantic. 7. num. 1. vbi *Filia Principis* dicitur Maria, ſic ſcribit: *Tu autem principalis Filia Principis, Dei, videlicet, qui eſt Princeps Principum, & Dominus dominantium: qui te ſpecialiter per gratiam genuit, ſpecialiter informauit: ita tamen Dei Filia, quòd & Mater intacta.* Alia ex Guillelmo, quæ huc facerent, iam ſuprà dedi. Non poterat itaque in Matrem eligi, niſi ea Filia, quæ ſpecialiter talis diceretur: neque magis propriè *ſpecialis* dici poterat, quàm quòd fœdatam originem euitaret. Sed iam hæc ſatis de parturiente Deo: iam ſuo ordine ad Angelos ſperantes, ad ſuſpirantes iuſtos, ad Dæmones frementes veniamus: & omnes quaſi huic ſpectaculo intendentes imaginemur, & electam illam Matrem, ſtatim atque oritur, contemplantes.

Maria antonomaſticè Dei Filia.

Alan.

Deſcribebat Salomon inſtans illud feliciſſimum, quo Deus humanam ſumpſit carnem, quem deinde ſic inducit loquentem: *Veni in* 1087.

Cant. 5.

hortum

hortum meum, soror mea Sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, &c. *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini, charissimi.* Cant. 5. num. 1. Sub epuli, & solennis sibi gaudij titulo designat Incarnationem, de quo ibi grauiter Guillelmus: *Quia in messione myrrhæ, in assumptione mortalis naturæ pro mortalium salute delectatus est, sicut in omnibus diuitiis suis, iucundari sibi visus præ omnibus deliciis: quia præcipuæ eius deliciæ sunt, esse cum filiis hominum.* Sed, si de Incarnatione deliciatur Deus, si festiuum apponit epulum, cùm ipse tantùm incarnetur: sibi etiam tantum hoc condere mysterium, has condire dapes visus: cùm enim epulum sit Incarnatio, illi tantùm epulum est, qui carnem sumit. Cur ergo ad hoc epulum amici, & charissimi inuitantur? aut, quinam sic amici, vt licèt non incarnentur, tamen de exultatione, & plausu, conuiuæ, & epuli quasi participes celebrentur? Respondet idem Guillelmus: *Angelos ad communis lætitiæ epulas inuitat: Comedite, amici, & inebriamini, charissimi. Amici, quia multùm amant: charissimi, quia multùm amantur. Hi, nimirum, de humani generis, quod in Adam perierat, restauratione, piè & sollicitè satagentes, Conditorē, cui assistebant, iugiter interpellantes, quodā sancto familiaritatis ausu, sic cōpellabant: Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ: diminutionis nostræ? En inter nos tot loca vacua: sed da gloriam nomini tuo: & secundùm æternum propositum tuum, quod mutari nequit, imple tot locis indecenter dehiscentem numerum nostrum. Ecce cùm venit plenitudo temporis, impletum est desiderium illorum: incarnatus Dei Filius Sponsus fit, & inuitat eos ad noua gaudia*, &c. En tibi ab Adami lapsu Angelos Incarnationis ardentissimo desiderio compunctos. Finge ergo, (& fortasse ita factum,) leuando piissimo ardori, reuelatam illis magnæ Matris, electæ Genitricis Conceptionem, tanquàm sacrum approximantis iam mysterij vestibulum; putares decens, & gratum spectaculum, vt Mariam Adamitico contagio infectam cernerent; quam in Adami remedium, tanquàm ministram redemptionis præcipuam, sperabant? Germanæ gerræ: imò dolerent quodammodo videre sibi destinatam Reginam, quam Dæmonis tunc ancillam abhorrerent. Exemplis rem illustro.

Angeli bene nostro exultant.

Guillelm.

Incarnatio Deo epulum fuit.

Guillelm.

1088. Excipiente Iosepho fratres suos, addit Textus: *Auditùmque est, & celebri sermone vulgatum in aula Regis: Venerunt fratres Ioseph. Et gauisus est Pharao, atque omnis familia eius.* Genes. 45. n. 16. Nihil inter peruersos aulæ mores insuetatius, aut insolentius dici potest. Quòd Princeps de amici priuati, déque purpurati sui gaudio sibi complaceat, nihil mirum: at, quis non miretur aulicos, qui semper, licèt occulto, infenso tamen odio, priuatum illum inuidi prosequuntur, in hoc loco Iosephi gaudio collætatos? At, inquis, iustissimus erat Ioseph, neque priuatorum more superbiens, in omnes beneficus, omnium sibi amorem conciliabat. Sed planè nouimus priuatos alios, & iustos, & beneficos, qui tamen nullis pietatis infulis sic aulicorum animos trahere potuerunt, vt in illis inuidiam, inolitum aulæ morbum, possint extinguere. Quid ergo? Putarem hanc Ministrorum Pharaonis de hilari Iosepho conceptam lætitiam, non solùm de Iosephi bono, sed etiam de aliquo suo commodo ortam fuisse. Ecquod illud? Pulchrè ibi Lyranus: *Licèt diligerent Ioseph, propter bona, quæ eis fecerat: tamen erat eis turpe, quòd homo, qui fuerat seruus emptitius, & eductus de carcere, haberet tantum dominium in regno: & ideò quando sciuerunt, quòd haberet tot fratres, & taliter formatos, quòd benè videbantur nobiles, & de bono loco; fuerunt super hoc consolati.* Ad quod non dignitatis fastigium euectus erat Ioseph? qua non purpura, quo non auro, nobilitatis regiæ insignibus decoratus? deinde quibus non beneficiis Pharaonem, & Ægyptios omnes promeruerat; quo illum lætis mentibus colerent, cultu debito venerarentur? Et tamen, vt vides, reverà subtristis procedebat Pharao, ciues tristiores? nam, nec ille ferebat secundum, nec isti primum eum iuuenem, quem, licèt de se optimè meritum, at seruum fuisse emptitium condolebant: nullius enim dignitatis purpura, nullum nobilitatis aurum videbatur satis, ad seruilem Iosephi maculam abolendam: hac verò non abolita, durissimum aulicis, maculato obtemperare domino videbatur: quem tamen vt vident ipso naturæ iure ingenuis natalibus fruentem, hilariter excipiunt imperantem. Sic suo modo, spectatâ maculatâ Reginâ, si fas dicere, Angeli se haberent: quam nulla posterior gratia infamiam, modo suprà dicto decenter aboleret.

Genes. 45.

Rex, si fortè priuatū eligat, eligat præstantissimum.

Seruilis conditio quàm vilis.

Lyran.

Facit huc illud Germani Archiepiscopi Constantinopolitani Orat. de Cruce apud Gretser. 1089.
dum Crucem ligno vetito opponens, inter multa sic subiungit, Angelos iustis familiares commendans: *Omninò in osculo sancto eos excipient, propter fidem, & charitatem erga communem Dominum. Sunt & cæteroquin amantes hominum angelici Ordines, & ex peccatorum pœnitentia, festi, & gaudij occasionem sumunt: & licèt ex inedia, ciborúmque abstinentia, ora malè oleant: non secùs id reputant, ac suaueolens thymiama: quod ex contrario colligere licet. Accidit aliquando, vt primis parentibus occurreret Angelus, ore adhuc præuaricationis cibo commanducante: & quanuis fructus grati odoris esset, attamen os inconditum quiddam, & fœtidum exhalabat, iámque corruptionis pignus ferebat.* Quasi qui in osculo sancto iustos excipit suaueolentes, fœtidos peccatores deuiaret. Hæc historia, quanuis simili exemplo ex Vitis Patrum petito firmari possit; mihi tamen inter apocryphas, & Rabbinorum fabulas videtur numeranda: quam tamen affero, vt ex mente Germani videas, quàm Angeli peccatoris halitum soleant euitare, eundémque, tanquàm turpissimum spectaculum, abhorrere. Pone ergo prodiisse Mariam originali culpa infectam, & ab ore odores pestilentos vetiti pomi exhalantem: an non esset ridiculum spectaculum, vt quam cælesti perfusam nectare, & tanquàm virgulam fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij sperabant: hâc de peccato fœtidissimam intuerentur? Vt quæ fructum vitæ germinatura edebatur, pomum mortis eructans ostenderetur? Certè non tale vnquam Angelis Maria præbere de se potuit spectaculum: ideò ad illam Ioann. Geometra sæpè citatus hymno 4.

Angeli iustis quàm familiares.

German.

Maria quale Angelis spectaculum.

Χαῖρε, θέαμα Χερέβιμ δυσθέατον, μέγα χαῖρε
Θαῦμα δ' ὑπερτρόθεον τῶν Σεράφιμ σοφίῃ.

Geomet.

Salue,

Salue, spectaculum Cherubinis difficile cognitu, magnum salue
Miraculum, & superans Seraphinorum scientiam.

Quocunque respicias, semper tale sui exhibuit spectaculum Deipara, vt præ maiestate gloriæ, præ diuino pene fulgore oculos Cherubicos, & Seraphicos præstringeret.

1090. Hinc idem paulò antè ad eandem hymno 3. (vbi Maria dicitur, ἡμετέρης κακίης οὐδὲν ἀφελκομένη, *iniquitatis nostræ nihil contrahens*,) sic præmittit:

Idem.

Χαῖρε, θέαμα κόρη φοβερὸν, περιηγερὸν, πανάϋλον,
Ἡδὺ, καὶ φοβερὸν, οὐδὲ θεατὸν ὅλον.
Salue, spectaculum puella terribile, ardens,
Dulce pariter, & terribile, nec cognoscibile totum.

Quasi nulli creati oculi Mariam plenè possint contemplari, quæ instar Dei, terribili dulcedine, dulci terribilitate spectantibus amorem pariter ingerit, & reuerentiam: non talis futura, si iniquitatis nostræ aliquid contraheret, nisi à Conceptione purissima oriretur. Vnde enim terribilis de maiestate, cuius collum calcatum Dæmoni ostendebatur? Planè hinc oculos Angeli, non tam de reuerentia, quàm de nauseæ fastidio amouerent.

1091. Hæc de Angelis: nunc ad homines post longæ expectationis suspiria Mariam spectantes, recurrendum. Mariam specialissima quadam ratione Redemptricis gratiæ filiam celebraturus Salomon (ex mente Guillelmi alibi adducti) sic intonuit: imò sic Christum introducit decantantem: *Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matris suæ electa genitrici suæ.* Cant. 6. num. 8. Et subdit statim: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt; Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.* Ideò laudantes prædicant, vt habet ibi Guillelmus: quia à Genitrice omnium gratia, in diuinam destinatur maternitatem. Sed quæ filiæ? Respondet idem: *Propter hoc tam sacrum, & tam insigne ministerium, quo diuinæ circa salutem nostram dispensationi pia Mater pro tempore seruiuit: antiquis Sanctis, qui futuram gratiam sagaci spiritu prouidebant, mirabilis, & laudabilis, desiderabilis, & venerabilis fuisse dignoscitur: vnde sequitur: Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, &c.* Vbi mihi pende illam particulam, *Sion*, additam vulgari à Guillelmo, nec in originalibus, nec alibi, quod sciuerim, reperiri: quam tamen ille, alicubi absque dubio repertam, sic ponderat in rem meam eleganter: *Sion interpretatur speculatio: per filias ergo Sion, animæ illæ sub veteri Testamento speculatiuæ prophetice, non incongruè figurantur: re enim vera huiusmodi animæ, filiæ speculationis erant; excellenti, nimirum, gratia eleuatæ in sublimem quandam speculam propheticæ sagacitatis: vt prospicerent eminus, quæ facturus erat Deus magnalia super terram. Siquidem magnum illud pietatis Sacramentum, quod suo tempore manifestandum erat in carne, spiritalis obtutus acumine longè antè viderunt, & sacris vocibus prænunciauerunt: quamuis in prouidendo sagaces, tantum in prænunciando veraces. Viderunt, inquam, futurum Virginis conceptum, & partum: viderunt Filium Dei in plenitudine temporis factum iri ex muliere, & dixerunt: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suget Emmanuel. Beata, quæ credet euangelizanti Angelo, atque eo ipso expiabit antiquum illud primæ mulieris elogium, quæ credidit mentienti Diabolo.*

Maria Prophetis, & Patriarchis suspirata.

Cant. 6.

Guillelm.

Agedum, Lector, & tu mentis tuæ speculam conscende, & Patriarchas, atque Prophetas istos in specula illa sua constitutos mihi considera: pende in suspiria erumpentes, defixos in desideria magnam illam, mirabilem, laudabilem, desiderabilem, & venerabilem Redemptoris Matrem sperantes. Finge (si fictio est) illis huius tunc Conceptionem reuelatam, & hanc fœdatam: poterat aliquod fingi magis vnquam ridiculum spectaculum? O pulchrum indicem tantæ prærogatiuæ, culpam originalem! O plenè specialissimam gratiæ filiam, quæ in prima sui origine vacuatur! O decenter abolendo Euæ elogio exertam, quæ, dum exoritur, turpissimo Euæ subiacet elogio, non solùm Diabolo credens, sed illi credita! Certè non illam talem cernerent Prophetæ, qui illam gratia plenam conspexerunt. Idem Guillelmus: *Viderunt, inquam, filiæ speculationis, Matrem luminis à longè: viderunt eam de specula Prophetæ, & cum debita reuerentia de longè salutauerunt eam dicentes: Aue, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ profectò salutatio adeò Sanctos oblectauit Angelos: vt magnus ille Gabriel suo tempore posteà, quasi cælestis quidam Paranymphus missus ad eam, non aliter duceret salutandam.* Vide, quæ fusissimè suprà dixi de hac gratiæ plenitudine, nullibi vacuata: vnde arguatur ad hominem Guillelmus, qui, vt nosti, vix sibi constans, Marianam innocentiam condemnauit. Sed hunc Authorem, cum Ruperto passim sui feliciter oblitos, suprà, & infrà suismet verbis identidem impugno. Pergo. 1092.

Et qualis visa.

Guillelm.

Veni mecum ad Abrahamum illum, qui diem Christi vidit, & gauisus est, vbi absque dubio Matrem eius Mariam, generosam feminis sui stirpem recognouit. Mittebat ille seruum suum, vt coniugem Isaac filio spei tantæ deposito asportaret: hunc ergo adiuraturus sic ait: *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te.* Genes. 24. num. 2. Ad aram quidem adiurantur mortales, & tanquàm sacratius quid, carnem suam interponit Abraham: rara ara, sed rarior adhuc modus adiurandi. Super aram, licèt sanctissimam, solent homines manum imponere iuraturi: quid non super, sed *subter femur*; hic deponitur manus iuratura? Interlinearis ibi: *Non super, quia caro Christi inde descensura, quæ super omnes est.* Clariùs apud Gloss. ibi D. Gregorius: *Manum sub femore iubet ponere, & per Deum cæli iurare: quia illius caro per illud membrum descensura erat, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, & diuinus ex Diuinitate: quasi, tange filium meum, & iura per Deum meum. Vnde non super femur, sed sub femore manum ponere iubet: quia inde descensurus erat, qui homo, sed super homines esset. Vnde dignum non fuit, vt manum super femur poneret, quia nulla caro super illam est.* Tot sæculis pòst oriturus Christus remotissimi aui carnem, non solùm ab impuro, sed etiam à minùs reuerenti sanctæ manus tactu præseruabat, & Mariæ carnem, ipsissimam sibimet breuiter vniendam, non solùm iusti manibus tractandam, sed etiam Dæmonis pedibus subderet conculcandam? Putes, turpe hoc spectaculum præuidit Abraham? Putas, putaret, Mariam condignam Christi matrem à Dæmone conculcatam: 1093.

Maria caro in Christo quàm venerabilis.

Genes. 24.

Interlin.

D. Gregor.

catam: qui se irreuerenter ab homine pio tangi, putauit indignissimum? Vah nimis religiosum, scrupulosum vane: qui carnem in Maria Dæmoni subditam, homini subdendam recusauit. Quid faceret, qui tanti futuram Christi carnem faciebat, si præsentem Christi carnem in Matre præfœdatam cerneret spectator? Aut doleret, aut in ipso spectaculo, reuerentiam suam præteritam, tanquàm inanes scrupulos irrideret.

1094. Propero ad Dauidem, cui cum Abrahamo specialiùs Christi propago tribuitur; & Incarnationis negotium, clariùs penetratum. Deducebatur Arca Domini in eius domum, & addit Textus: *Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus ante Dominum.* 2. Reg. 6. num. 13. Quàm multa alia à Domino acceperat beneficia Dauid: Certè ingentia: & tamen, quanuis redderet psalmos, saltus denegauit. Quid ergo in hac deducendæ Arcæ gratia denuò recognouit, vt tanquàm in rarius quoddam benefici Domini, & diuinæ misericordiæ spectaculum, in tam nouum obsequij genus prodire, putaret necessarium: quod quidem, si humana trutina pensitetur, vile & scurrile Micholi videatur? Respondet D. Ambros. Serm. mihi 81. vbi de nuptiis Verbis: *Propter has ergo nuptias saltare non conuenit: siquidem Dauid Rex pariter, & Propheta, dum multa cecinerit ante Arcam testamenti, etiam saltasse dicatur: elatus enim gaudio in saltationem prorupit: prauideb at enim in spiritu Mariam Christi thalamo sociandam*, &c. *Ergo saltauit Propheta Dauid ante Arcam: Arcam autem, quid nisi Sanctam Mariam dixerimus? Siquidem Arca intrinsecus portabat testamenti tabulas: Maria autem ipsius testamenti portabat heredem. Illa intra semet legem: hæc Euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat; hæc Verbum. Veruntamen Arca intus, forisque auri nitore radiabat: sed & Sancta Maria intus, forisque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro; ista cælesti.* Quæro, mi Lector, possetne Dauid è limbo ridiculum magis cernere spectaculum, quàm illud, quod in veritate, ab vmbra propheticæ olim visionis deuiaret? At quidem, si Maria orta, Dauidi sub peccato exoriretur, credo haud vanus, vmbram omninò à veritate cerneret deuiantem; quomodo enim illam, quam intus, forisque Virginem in Arca venerabatur saltans; in se ipsa intùs spiritualiter à Dæmone constupratam non horreret? Vnde quam cælesti auro coluerat radiantem, Inferno plumbo agnosceret liuescentem? Aut iniquus fueris rerum omnium æquitatis æstimator, aut indecens hoc spectaculum profiteberis.

2. Reg. 6.

Maria, melior Arca Testamenti.

Ambros.

§. VI.

In idem pergitur.

1095. IAM suo ordine Dæmones ab Orbis incunabulis rabidos, & Deiparam timentes si contemplemur; quales se erga prædictum spectaculum haberent, agnoscemus. Laudauerat apud Salomonem Deus futuram Matrem, quam instar amœnissimi horti omnibus referti deliciis descripsit: deinde sic subiungit: *Surge, Aquilo, & veni, Auster: persla hortum meum.* c. 4. 16. Sequor nunc illorum sententiam, quæ putat, in hoc loco non tam demitti Aquilonem, quàm admitti, & auocari. At, si in Aquilone isto (de quo passim in Litteris inspiratis) Dæmon intelligitur: cur contra hortum surrecturus, id est, Marianam innocentiam inuasurus prouocatur? Respondet Rupertus ex ore Christi, neque vsquam feliciùs ad rem meam: *Aquilo ipse est serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas. Vnde iste talis Aquilo surget? quomodo surget? Surget de occultis insidiis, vbi iacebat olim, & serpebat lubricus anguis, quando primam mulierem decepit, quemadmodum illa dixit: Serpens decepit me, & comedi. Non ibi surrexit, vt impugnaret, sed serpendo sibilauit, vt deciperet: vires quippe non habebat, priusquàm assensum voluntarium præberet ei mulier, quam Deus innocentem fecerat. Inter te, & illum, soror mea Sponsa, Deus inimicitias posuit; & idcircò de te omninò desperauit: imò de fraude sua, de dolo, siue artibus suis, nihil habet spei, vt decipere possit.* Serpens quidem serpendo, sibilando, insidias Euæ construxit, vomuit ad pedes venenum, deinde supplantauit. Contra Mariam his artibus non profecit: quia caput suum, originale, scilicet, peccatum, vt nosti, quo mordere sperabat, ab eadem suspirat detruncatum. Meritò ergo iubetur assurgere, & palàm pugnare: vt in aperto Marte debelletur gloriosè, qui in occultis insidiis gloriosissimè fuerat debellatus. Per serpentis insidias peccatum à protoparentibus deriuandum, intrauit in mundum: his insidiis in Mariam nihil potuit Dæmon, certè quia in protoparentibus non aderat Deipara, quoad rationem culpæ transfundendæ.

Dæmon Mariam horruit à principio.

Cant. 4.

Rupert.

Sed pergat Christus ad Matrem apud Rupertum: *Dico ergo illi: Surge, Aquilo, quid taces terra? quid insidiaris calcaneo nostro? Nihil proficis insidiando. Potiùs surge: viribus vtere, & toto malignitatis impetu debacchare. Fuisti, sicut serpens: age nunc, vt draco magnus, draco rufus, habens capita decem Apocal. 12. Non quasi imperans dico, sed permittentis animo loquor: tu enim iam dudum surgere cœpisti: nec aliud est, nisi ac si dicam: Age, quod agis: surge, quod surgis: debacchare, quod debaccharis. Quando enim surgere cœpisti? Nimirum, antequàm fieret hæc altera mulier, contra quam decipiendo, nihil poteris: vbi verbum promissionis, quod nunc impletur, audisti, quod ad Abraham dictum est: In semine tuo*, &c. *Genes.* 22. *statim insurrexisti: quia prædictas inter te, & mulierem; inter semen tuum, & semen illius inimicitias adesse præsensisti: Surrexisti, caput erexisti, primum regnum Ægyptiorum: dixisti enim loquens in Pharaone Exodi 1. Quidquid masculini generis natum fuerit, occidite.* En tibi, quæ Dæmon, optimus Metaphysicus, & optimus Scripturarum Interpres, ex hoc Canticorum loco sibi dictum à tempore Salomonis intelligeret absque dubio, si credimus Ruperto. Nunc ergo finge eidem Mariam in sua Conceptione reuelatam. Puto omninò, deriso oraculo, spectaculo vilipenso, hæc, aut similia exprobrans dictitaret: O falsam prophetiam! ô minas lepidas! hæc illa erat, quæ in inimicitias ponenda; & mihi sic amicissima 1096.

Semper ab illa debellatus.

Rupert.

oritur, & coniunctissima: Hæc erat, ob quam occultas insidias deponere iubebar, aperto deinde conflictu insurrecturus: quæ tamen ab Adamo, cui per vxorem sum insidiatus, insidiarum mearum damnum affert, combibit venenum? Hæc mihi spem vnquam præualendi præcidebat, cui ipso actu præualeo iugulandæ? Proh inanem, & iactabundam Dei fiduciam, dum quasi securus me prouocat contra illam tot ante sæcula ad certamen, dum insurgentem permittit: quam tamen dum emittit, videt prostratam! Proh vanam anxietatem meam, inutilem sollicitudinem, dum per Pharaonem masculos Abrahamici seminis extinguere conabar, ne vnquam inde fœmina illa mihi caput contritura oriretur, vnde Christus oriturus! Frustrà, ne veniret, satagebam, quam, vbi venit, contero faustissimus. Putabam, nihil in illam actualium culparum iaculis valiturum; quia originale superatura; omnium, nimirū, radicem: en sub infecta radice est: quidni inde mihi gratos aliarum noxarum fructus sperem decerpendos? Apertæ surrectionis meæ impetus spernebatur: quia insidiis validioribus contra genus humanum Adamo vnitum, pro Maria nihil valerem: at ecce insidiator valeo: quid præualeam insurgens, desperabo? Næ, meo iudicio, iniustus hostis viso hoc spectaculo, sic & superbiens rideret, & ridens superbiret.

1097. *Maria qualε omnibus spectaculum.* At quàm aliter diuinum hoc spectaculum cerneretur, si appareret Angelis, & hominibus, & Dæmonibus, vidit D. Thomas Valent. Conc. 3. de Natiu. Virg. vbi ita: *O Virgo, in hoc natali mundum illuminasti, cælos lætificasti, Infernū exterruisti, lapsos subleuasti, infirmos, & tristes in salutem, & lætitiam erexisti. Dicite, obsecro, ô Astrologi sapientes, qui cælestia contemplamini: dicite nobis, ô Prophetæ, quænam puella ista erit, quæ talis, & tam clara prodiit in Orbem, & annunciate nobis eius natiuitatem.* Vbi deindę oracula sacra in Mariæ laudem plura congerens sic concludit: *Decuit & Matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato: vnde non solùm quando puella, sed quando paruula, sanctissima; & in vtero sanctissima; & in Conceptione sanctissima, &c. & anima cùm infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati.* Quasi inde maximè nascens mundum illuminaret, cælum lætificaret, Infernum exterreret diuinum hoc spectaculum: quod absque originalis peccati macula prodiret. Si ergo non solùm in ortu; sed etiam in Conceptione cerneretur, hominibus lumini, Angelis lætitiæ, Dæmonibus foret terrori: aliter indecens Dei Mater haberetur. *Thom. Val.*

1098. De concepta Virgine iam plures ex Neotericis, vt suprà vidisti, explicarunt illud Cantic. cap. 6. num. 9. *Quæ est ista, quæ progeditur, quasi Aurora consurgens; pulchra, vt Luna; electa, vt Sol; terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Vbi viderint, quàm venustè cum grata dotium pulchritudine, terribilis castrorum seueritas coniungatur. Meritò enim inter tot suauitatis allectamenta, castrorum horror, strepitus armorum commiscetur: quia Maria alliciens homines, & Angelos in sua Conceptione, Dæmones terrefecit. Guillelmus ibi, licèt Conceptionem prætererit: *Nimirum, quantùm Angelis, hominibúsque amabilis, tantùm etiam Spiritibus malignis terribilis.* Etiam in Conceptione, inquam ego, ne non talis, indecenter in Matrem electa aspiceretur. Mutuor in hanc rem exemplum à Cellensi, lib. de Conf. cap. 2. vbi, postquàm alia congerit de apparatu nuptiarum, quo Conscientia pura Deo copulatur, sic scribit: *Quid plura? Dispositissima ordinatione ornata omnia, vt nihil desit ad cultum, aut supersit ad tadium: vacet tamen interim locus præ aliis spatiosus, & speciosus Reginæ, & Matrisfamiliás singulariter præparatus. Fortè occupatione à diuersorio occupata, solennia Regis, morâ sui aduentus Regina illa differat: omnium interim, & vultus, & singultus sedis illius repletionem exoptent.* Si in hoc medio apparatu, attentis omnium vultibus, & singultibus anhelantibus, expectata tandiu Regina turpis appareret, & conscientia maculata spectaretur; decentérne, credis, tantis expectantibus spectatoribus, theatrum ridiculâ illâ personâ occuparetur? Absit. Ideò benè idem Cellensis: *Tandem veniens mulier, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, & residens claudat ianuas, & impleantur nuptiæ discumbentium: scrinia mystica ad vltimum quæsita, & reserata nomen edicant in aula, & Conscientia appelletur hæc Dominapotente autem sedem à sæculo paratam Conscientia, & residente; vox Sponsi auditur satisfaciens vniuersæ Curiæ de Sponsa: Vna est, inquit, columba mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Quæ omnia aptiùs ad rem nostram venire existimarem. Erant iam omnia disposita, impletæ Scripturæ de tempore producendæ Mariæ destinato, & inter Angelorum attentos vultus, iustorum singultus auidos, speratur Maria, & suspiratur, singularissimam in sui productione sedem occupatura: quæ ea prodiit, quam Sol, & Luna meritò mirarentur: quam Deus vnam, & electam inter mortales omnes colūbam absque amaricantis originis felle appellaret: non aliter vniuersæ Curiæ satisfacturus; nec aliter æternam Matris electionem decenter executurus. *Cant. 6.* *Idem ostenditur.* *Guillelm.* *Cellens.*

Contra ea, quæ in tota hac spectaculi huius expectatione, imò & in tota Anthol. disseruimus, illud tantummodo opponi posse videbatur, quod in gloria maternitatis fundentur: quam tamen Maria, ante conceptum Christum non acquisiuit: vnde, quæ indecens foret Mater cum peccato, non incongruè ante maternitatem in peccato concepta spectaretur. Veruntamen, si rectè attendisti, non ad gloriam maternitatis præhabitæ, sed ad electionem futuræ maternitatis recurrebam: eodémque modo ob hanc electionem, indecēs Virgini originis peccatū ducebam, quo Doctor Angelicus ob candem, indecens veniale quoduis reputauit: de quo adhuc suo loco latiùs disserendum. Adde in mea sententia, quæ suprà latè probaui, Mariam absque Christo nullatenus futuram, necessariò dicendum, Mariam tantummodo vt esset Mater, fuisse electam: vnde meritò ante conceptum Christum, & in suæ Conceptionis instanti, iam quodammodo maternitatis titulo gaudebat. Premo in hanc rem verba Chrysologi, quæ in rem suam pressit feliciter magnus Salazar cap. 23. num. 4. Christi ergo Incarnationem descripturus D. Matthæus, sic habet: *Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata Mater eius, Maria, Ioseph, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* cap. 1. p. 18. 1099. *Maria cur semper Mater.* *Salazar.* *Matth. 1.*

n.18.de quo Chrysol. Ser.146. *Suffecerat dixisse: Cum desponsata esset Maria. Quid sibi vult sponsa Mater, si sponsa non adhuc Mater? Virginitate sponsa, fœcunditate Mater: Mater viri nescia, partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater? aut Genitrix quomodo non, quæ sæculorum generauit Authorem, initium dedit rebus?* Intendit Chrysologus Mariæ maternitatem virginitati eiusdem comparandam: vt, quæ post partum Virgo est, & dicitur, etiam ante conceptum Mater intelligatur, & appelletur. Et meritò: si enim naturæ denominationes attenderes, non minùs repugnat, post partum dici Virginem, quàm ante conceptum Matrem appellari. Vnde necessariò inferendum in denominationibus gratiæ sic Mariam à primo suæ Conceptionis instanti ante conceptum Christum, Matrem appellandam: vt post eundem editum, Virgo in totas æternitates permanens appellabitur. Ideò post alia subdit Chrysologus ibidem: *Maria Mater vocatur: & quando non Maria Mater?* Deinde subdit exemplum, & figuram Deiparæ; mare, scilicet, olim Israëlis populum regenerans. Quasi dicat: Nullum instans assignabis, quo Maria, siue in se, siue in figuris præuiis, Mater non fuerit, id est, maternis priuilegiis non fruatur. Mater est, dum eligitur à Deo, dum repræsentatur à figuris, dum concipitur, dum paritur: dum concipit, dum parit, dum fuerit; quæ erit in æternum. Itaque nullus status, nulla futuritio præuidetur in Maria, (quidquid hinc contrà velit Salazar:) vbi sub maternitatis titulo non sit colenda, quæ aliter non futura. An igitur ab æterno sic electa, & sub hoc concepta titulo decenter originaliter fœda spectaretur: iam vidisti.

Chrysol.

Illustro hanc mentem, quam credo Chrysologi germanam, breui, sed non vulgari testimonio. 1100
Mundi originem, rerum omnium genesim, sic Moyses inchoauit: *In principio creauit Deus cælum, & terrã.* Genes.1.n.1. At, quis nesciat, in ipso principio cælum non creatum, quod sub firmamenti nomine, secundo die factum prædicatur? Imò fortè nec terra in illo principio producta fuit, quæ die tertio, dum apparuit, aut facta, aut saltem creditur perfecta. Cur ergo cælum, & terra adhuc ante lucem creari prædicantur: cùm lux primi diei pompam vindicarit? Respondet Alcuinus quæst.28. *Informis illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primò cælum, & terra: non, quia iam hoc erat: sed, quia iam hoc esse poterat: nam secunda die cælum istud sydereum factum esse legitur: & tertia die terram apparuisse, & vestiri floribus cœpisse.* Non examino modò hanc sententiam, sed arripio. Informis itaque illa materia tantummodo producta, vt ex illa cælum, & terra formarentur, iam in gratiam futuræ prolis, saltem quo potest titulo, decoratur: & Maria tantummodo educta, vt Mater sit Christi, non meritò ab initio Mater appelletur? Quomodo non à principio, decoro hoc titulo, & prærogatiuis eum subsequentibus decoretur, quæ sæculorum generauit Authorem, principium dedit rebus? Sed iam ad alia.

Genes.1.

Exemplo ostenditur.

Alcuin.



ANTHOLOGIA XVII.

Maria illæsam Dei imaginem conseruauit.

§. I.

Quàm sacrilegè diuina in nobis imago per culpam profanetur.

1101.

Maria illæsa Dei imago.



OSTENDI in Examine, per culpam quamuis, qua gratia aboleatur, diuinam in nobis imaginem deleri, & profanari, idque maximè in originali peccato apparere: vnde contra D.Thomam concludebam, indecentiùs Mariam in Deiparam electam originali subditam, quàm omnibus venialibus culpis prædicari: indéque meritò ab Anastasio Sinaïta dictum, in Maria illæsam Dei imaginem fuisse conseruatam. Id ergo iam fusiùs, vt soleo, ex Patribus confirmandum, priùs turpissimo hoc peccati effectu declarato, quem deinde longissimè à Virgine remouebo. Producitur homo creaturarum omnium Princeps; sed post omnes, quia, vt alibi dixi, necessariò tãquàm Regi, priùs erat hospitium condignum apparandum. Sed vnde Rex visibilium, nisi quòd in gratia conditus, immortalis, & inuisibilis Regis expressam similitudinem referebat, Genes.1.n.26. Id innuit D.Athanas. quæst.87. his verbis: *Cùm præstantior, & mirabilior factura Dei sit homo: (Regem enim ipsum, super terram fecit: & secundùm imaginem, similitudinémque suam creauit ipsum:) cur omnium postremum creauit eum Deus? Quemadmodum Rex, quando in aliquam vrbem aduenturus dicitur, primùm omnem eius apparatum instruunt, parantes dona, quæ conferant, & totum satellitium, & hospitium: ac tunc demum aduenit Rex: ad eundem modum cum homine quoque factum est.* Vbi penderes, vellem, quodammodo apparantem dona Deum describi creando homini sibi simili, quasi huic tantæ hominis dignitati, diuinum suum amorem tributarium paterno plusquàm affectu Deus destinaret: vt clientes excipiendo Regi solent tributare.

Genes.1.

Homo ideò Rex visibilium, quia Dei imago.

Athanas.

Sed nota adhuc tenorem, quo hæc imago constituitur: *Faciamus*, inquit Deus, *hominẽ ad imaginem, & similitudinem nostram.* loco proximè citato: quorsum enim hoc hortamentum diuinarum Personarum, nisi, vt dum quodammodo ad exactiorem 1102.

Genes.1.

ctiorem laborem se prouocant, pro tanta condenda imagine; homo ipse ad laborem se cohortetur, ne ipsam in se imaginem violaret. D. Ambr. ibi Ser. 10. in Ps. 118. *Cætera dixit, & facta sunt: mãdauit, & creata sunt: vt homo fiat, specialis Dei accedit hortatus, vt tanquã laborantis Dei, in huius munere creatura significetur operatio. Deus quidem expers laboris est: sed tamẽ Scripturæ verba, quid aliud nisi studiosam, tui ob gratiam, operationem eius ostẽdunt? Ergo, si Deus maiori quodã studio te creauit, cur ipse tuũ studium relinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris?* Nihil ergo magis sacrilegũ, quàm per culpam hoc opus, hãc imaginem euertere. Bene Euseb. Gall. hom. 2. de Symb. *Quid ergo te, ô homo, erubescendis cupiditatibus exhonoras? Nobilem vult esse vitã tuam, qui tibi commisit imaginem suam. Quam pretiosus sis, si factorem fortè nõ credis, interroga Redemptorem.* Et meritò: neque enim aliunde melius tãtæ imaginis pretiositas pensitatur, quam quòd, vt iterum assereretur, diuina vita in pretiũ profundatur. Et fortasse propterea hæc verba Dei: *Faciamus*, &c. sic ab aliquibus explicãtur, quasi adhortatio fuerint Personarum, se inuicem quodammodo animantium: quasi præuidens Trinitas peccatũ hominis alicui Personarum mortem cõstituturum; nihilominùs ad hominem formandum, ni fallor, animaretur: quia tam illustris imaginis, aut constructio, aut reparatio, decenter diuino Sanguine stare poterat: eòque ipso homo indignũ dignitatem tantam nouis culpis fœdãdo recognosceret. Benè de redemptionis pretio subdit Gallicanus citat. *Vt homini, qui ab statu suo degenerauerat, naturæ suæ dignitatem vel ipsa ostenderet pretij magnitudo.*

Hominis dignitas à creatione, & redemptione.

Ambros.

Euseb. Gall.

1103. In more olim positum, (quod à sæculis nostris non abhorret,) vt Principum maiestas, & gloria erectis sibi statuis ostentaretur. Inde erat, vt cùm eiecto Principe legitimo, tyrãnus regni thronum obtineret; nihil haberet prius, quàm priscis legitimi domini statuis caput truncare, aut in imaginibus delere, suúmque eisdẽ caput superponere, vt tacita imaginũ variatione tyrannidem suam, tanquàm legitimi iuris dominium, prædicaret, & tyrannidis labe, deiecti Principis imperium infamaret. Temerarius magis Caligula, de quo c. 22. Sueton. *Admonitus, & Principum, & Regum se excessisse fastigium, diuinam ex eo maiestatem asserere sibi cœpit: datoq́; negotio, vt simulacra Numinũ religione, & arte præclara, inter quæ Olympici Iouis, apportarentur: quibus capite dẽpto suũ imponeretur.* Neque enim aliunde præsumptæ Diuinitatis suæ titulos clariores assumere sperabat, quàm dũ variato vultu, Numinum suorum profanatas imagines vindicabat. Innuens tyrannicum fuisse ius, quo in eisdem sibi Iupiter cultum deposcebat: iustus quidem, dum hanc iniuriam reapse Dæmonibus irrogabat: interim tamen impius, & iniustus, dum se Deum legitimum venditabat.

Imaginum in statuis variatio.

Sueton.

1104. Sed, proh dolor! longè sunt impudentiores homines per peccatum. Formauit illos Deus, vt vidisti, ad imaginẽ, & similitudinem suam, vt tanquàm spirantia simulacra supremum Diuinitatis dominium, & titulos legitimos exhiberent. Peccant, & tyrannũ Infernum throno subrogant temerarij, qui statim detrũcatis statuis, & deletis diuini Regis imaginibus, eisdẽ caput suum ingerit: quasi trophæũ erigat iuris sui, Deo tyranni instar publicato. Ascendit Moyses in montem cũ Deo acturus, moratus, vtpote apud hospitẽ iucundissimum, vltra infamis populi vota, & spem. Percrebrescit interim murmur, & querela in Deũ, quasi tanquàm tyrannus per dolũ educeret eos ex Ægypto, vt in deserto miserè trucidaret, itineris duce dempto. Adeunt Aaronem, iubent fieri sibi Deos: funditur aurum, & caput vituli emergit: sic enim explicant multi illud Exod. 32. n. 4. *Fecit vitulum conflatilem.* Ac si per tropum in hoc loco, totum pro parte præcipua ponatur. Sed admissa hac sententia, iam si inquiras, cur solũmodo caput efformarent, facilè ex dictis respõderem: quia illud satis, vt rebellionem suã testarentur: dum enim Dæmonem tyrannum admittunt, iam diuinæ imaginis caput à se amputant, & caput sibi Dæmonis, seu vituli Dæmoniaci substituunt. Fauet D. Chrysol. Ser. 29. vbi multa cõgerens contra auaritiam, sic concludit: *Aurum Iudaicũ populum sic suo captiuauit aspectu, vicit illecebris, specie perdecepit, vt hoc esse Deum crederent: & Deum verum, Deum tot beneficiis creditum denegarent. Sic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput suũ crederent, & omnium rerum Capiti caput pecudis anteferrent.*

Homo per culpam imago Dæmonis.

Exod. 32.

Chrysol.

Capies hinc obscurum aliàs locum ex Habac. c. 3. vbi ita de Christo venturo: *Egressus in salutem populi tui cum Christo tuo, percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius, vsque ad collum.* n. 13. Fundamentum huius mysticæ domus, erant dona illa, quæ Deus Christi meritis in homine plantauerat: quibus cùm superponere deberent homines pretiosos virtutum cumulos, vilissima peccatorũ fomenta congesserunt. Nunc ad rem. Nónne domus fundamentũ iacet depressius, in imo profundiori constituitur? Planè. Cur ergo in domo ista mystica, siue homine, denudari dicitur fundamentum, cùm ad collum peruenitur: quasi non in imo, sed in collo fundamentum sterneretur? Quia, vt homo fieret domus impij, seu Dæmonis habitaculum; nihil aliud fecit, quàm vultum, & caput Dei, quod gerebat, deturbare; & sibi vultum, siue caput Dæmoniacũ substituere. Benè ergo in collo ponitur totius huius machinæ fundamentum, vtpote capiti subditum, cũ tota machina è capitis variatione pensaretur. Pulchrè ibi D. Hier. *Caput, principem huius mundi accipiamus: & domum ipsius, mundũ, omnémque animam peccatoris, in qua Diabolus habebat hospitium. Idcircò autem percutitur caput in domo impij, vt illo percusso, atque eiecto, fiat domus Dei, & habitet ibi iustitia, & ambulet in ea. Et hoc dignũ est sentire de Deo, qui egressus est in salutem populi sui, cum Christo suo: vt percusso huiuscemodi capite, ille fiat in nobis caput, qui est omnis viri caput, & Ecclesiæ suæ.* Pulchriùs adhuc ibidem, explicans illud eiusdem Prophetæ paulò pòst: *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius.* n. 14. sic addit: *Quasi corpus decollet à capite, & vbi caput pessimum fuerat: ibi caput optimum reponatur. Ponamus exemplũ, vt quod dicimus, manifestius fiat. Si quando tyrannus detrũcatur, imagines quoque eius deponuntur, & statuæ: & vultu tãtummodo commutato, ablatóque capite, eius, qui vicerit, facies superponitur.* Nihil à culpa fœdius poterat perpetrari, quàm statuas, & imagines diuinas decollasse. Nihil nobis Christus attulit vtilius, quàm assumptas Dæmoniacas, vt se nobis restitueret, deturbasse. 1105.

Habac. 3.

De eodem fusius.

Hieron.

Habac. 14.

Huc intendunt musica illa suspiria, & prophetica desideria Vatis coronati, de Deo euertẽte impios 1106.

Et iterum,

pios loquente: *Quomodo facti sunt in desolationem! subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.* Ps.72.n.19. Speres iam reportatæ victoriæ trophæa Deo erecta decantanda: sed pende, quod subdat: *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* n. 20. Omnia stemmata in abolendis iniquorum, id est, Dæmonum imaginibus impenduntur: & quidem meritò: quot enim in ciuitate sua, Dæmoni deturbat imagines, tot sibi restituit simulacra: nam variatâ formâ peccatores, diuinam præferunt, qui miserè prætulerant terrenam. Ideò D. Paulin. epist. 7. *Huius imaginem in me, quæso, Deus conterat: & ad nihilum redigat imaginem nostram, id est, terrenam: & instauret in nobis, atque perficiat imaginem suam, in qua nobis pingi non pudet.* Contriuit certè, & ad nihilum redegit misso Christo, qui sibi suas imagines restituit.

Psal.72. Paulin.

1107. Et quidem (quod ex Iobio Monacho in Cantico Tropol. puto adnotasse) ideò è tribus diuinis Personis Verbum vnicè carnem sumit: quia cùm solùm intrinsecè sit imago Patris, aptissimè imaginem sacrilegè deletam potuit reformare. Acutius tamen est illud Bernardi Sermone 2. de Vigilia Natiuit. vbi ita de Dæmone protoparentes sollicitè in ipsis statim creationis incunabulis decipiente: *Accedens pessimus ille latro recens adhuc sigillum fregit: & sic mutata similitudine diuina comparatus est miser homo iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* &c. *Superuenit falsarius, qui indoctus sigillum promittens melius; va, va fregit, quod erat in manu Diuinitatis impressum.* Ecce damnum: pende remedij congruentiam ex ore ipsius Dei ibidem: *Nouam ego faciam mixturam, vbi expressius & robustius pono sigillum, eum, qui non ad imaginem meam factus, sed est ipsa imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ: non factus; sed genitus ante sæcula.* Sic iam absolutè homo, non solùm ad imaginem Dei factus est; sed est ipsa essentialis imago: intrinsece, & necessario in Capite nostro Christo indelebilis: & in membris eius, quodammodo idem participans priuilegium: id enim verbum piissimè affectauit, dum sibi visum totam humanam naturam in Christo copulasse: vt plusquàm sacrilegi habeamur, si adhuc indelebilem de se imaginem, in nobis deleamus: si adhuc Inferni tyranni imagines conseruemus.

Cur Verbum, & non alia Persona incarnetur. Bernard.

1108. Optimè, sed obscuriusculè id expressit Dauid: *Veruntamen in imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur.* Psal. 38. num. 7. Pende illud, *sed*: est enim aduersatiuum: quasi sit nouum, & mirum, vt qui in imagine ambulat, adhuc inanibus conturbetur, adhuc ridiculis terreatur: cùm è contra dicendum videretur, vt, quia non in solido, sed in imagine versabatur, etiam imaginariis succumberet terriculamentis. At meritissimò stuporem nostrum demiratur: illa enim imagine, in qua iam homo versatur, nihil solidius, nihil substantialius. D. Ambrosius totus ad rem meam ibi: *In qua imagine? In ea vtique ambulat, ad cuius similitudinem factus est, id est, ad imaginem Dei: imago autem Dei Christus, qui est splendor gloriæ, & imago substantiæ eius. Christus ergo imago Sancti.* An, qui sic firmam de se, & stabilem gerit imaginem, non mirandus, si frustrà conturbetur? an non omni pœna dignus, si post firmiorem hanc imaginem restitutam, adhuc tyranni imaginem retineat? Acutè idem D. Doctor: *Ad imaginem, hæc imago tenus ad terras.* Scilicet, vt se in nobis collocato, tyrannicas perderemus. Tunc post multa sic concludit: *Hic si quis tyranni imagines habeat, qui iam victus interiit, iure damnetur. Quomodo tu hostis, & aduersarij imaginem in ciuitate veri Imperatoris inducis, nisi, vt ipse te damnes?* Alludens ad illud Ps.72. suprà citati, de imaginibus tyranni in ciuitate Domini ad nihilum redigendis.

Psal.38. *A Verbo, & imagine diuina, quàm roboretur natura nostra.* Ambros.

1109. At, neque solùm dignitas humana in Verbo essentialiter imagine reformatur: sed in hac reformatione id curauit Deus, ne homo de remedio suscepto, aliquid obiter pati dispendij videretur. Quærunt Theologi, an posset Deus homini redimendo aliam sibi creaturam vnire hypostaticè: de Angelo non est dubium ferè: de alia creatura visibili, præter hominem, variant Authores. Demus nunc tanquàm possibilem, (est enim probabile,) agni, columbæ, vel alterius animalis hypostaticam assumptionem: tunc si dubites vlteriùs, cur, præterquàm quòd Angelus repellitur, Agnus mitis, innocens columba, aut leo generosus non assumatur; respondet grauissimè Chrysol. Serm. 147. *Vnde se visibilem faceret, hoc elegit, quod esset & terrenis magnum, & non minimum supernis: nam quod in terra à Deo sibi simile factum est, in cælo poterat honorificum non haberi? Faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Perfecta deuotio hoc debet imagini, quod debet & Regi. Si de cælo sumpsisset Angelum, nihilominus inuisibilis haberetur: si de terra minùs homine, & Diuinitatis esset iniuria, & deiecisset hominem, non leuasset.* Quàm bonus Dominus, qui honorem suum humanæ dignitati, & vtilitati commensurauit! Noluit assumere Angelum, ne de inuisibili conditione nobis minùs familiaris videretur. Noluit aliam merè corpoream assumere creaturam, ne quod sibi minùs decens videbatur, reapse in hominis illam adoraturi cederet abiectionem. Reformaturus ergo seipso, imagine indelebili, imaginem suam miserè deperditam: imago imaginem sibi vnit, hominem facit Deum: quem colere in cælo, nec etiam Angelis indecens esse poterat: cùm vbique imagini regiæ, regius honor à Magnatibus soleat adhiberi.

Incarnatio quàm ad hominis decentiam. Chrysol.

1110. In eo ergo, quòd homo à principio ad imaginem Dei crearetur, præuias arrhas quodammodo accepit, quòd is reapse aliquando futurus, quo tunc tantùm in ratione imaginis gaudebat. Portabat natura humana Deum in imagine, vt in realitate, eundem quandoque portatura crederetur. Id facilè coniectes ex sacro Textu: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq; terræ.* Quorsum enim tam latum imperium huic tribuatur imagini, vt propter illam omnia conderentur; nisi, vt de tanti imperij excellentia, excellentius aliquid auguraremur? Non tantùm daretur imagini, nisi illa quandoque in realitatem euehenda. Imperator quandoque humanus in regnum venturus, simulacrum suum solet præmittere: quod tamen dum venit, maiestate præsentiæ sic obumbrat; vt iam imago præ ipso vix colatur. At Imperator æternus tanti imaginem suam fecit, vt veniens non obumbraret, sed vniret: quo in singularitate personæ, tanquàm idem cum ipso impensiùs coleretur. Sunt non

Conditio hominis, futuræ redemptionis dignitatem augurabatur. Genes.1.

non solùm aurea, sed gemmea in hanc rem verba Chrysologi, Serm. 148. contra illos, qui, quòd se è luto, & carne viderent compositos, non credebant se ad diuinam dignitatem in Christo ascendisse. *Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? Quare sic honoratus à Deo, te ipsum taliter inhonoras? Quare quæris, vnde factus sis, & ad quid factus sis, non requiris? nonne tota ista, quam vides, tibi facta est mundi domus? tibi infusa lux, circumfusas remouet tenebras: tibi est separata nox: tibi dimensus est dies: tibi cælum, Solis, Lunæ, stellarum vario fulgore, radiatum est: tibi terra floribus, nemoribus, fructibus est depicta: tibi creata est in aëre, in campis, in aquâ, speciosa, continens, mirabilis animantium multitudo, ne gaudium noui sæculi tristis solitudo confunderet*, &c. *Et si ista ita sunt, quare modò putatur iniuria, quando Deus, quæ per se fecit in te, in se clementer excepit: & in homine se verè videri voluit, in quo antè imaginariè voluit se videri: deditque, vt proprietas esset ipse, qui antè, vt similitudo esset, acceperat?* Sic pulchra gnome respuit glossemata, quibus inculcem, quàm sacrilegè tanta dignitas violetur. Chrysol.

1111. Id vlteriùs probatur verbis Christi Matth. 5. num. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vt enim alibi dixi, ideò his priuato quodam iure, id mercedis tribuitur, quod etiam iustis aliis communicandum: quia iusti omnes, licèt ob alias virtutes Deum in futuro sæculo sint visuri: at in hoc sæculo, solùm, quatenus mundi sunt corde, Deum vident: dum hunc in semetipsis, tanquàm in mundissimo speculo intuetur. Sed, cur ita? Grauiter D. Gregor. Nicænus tract. de Beatitud. *Si beati sunt, qui puro corde præditi sunt: miserabiles omninò sunt, qui mentem sordidatam habent, quoniam faciem aduersarij intuebuntur. Itémque, si ipsa diuina effigies imprimitur vita cum virtute coniuncta; perspicuum est, quod vitiosa vita, forma, ac facies aduersarij existit.* Meritò quippe, dum beati prædicantur iusti, impij, tanquàm infelices, & miserabiles excluduntur, qui nihil horribilius agere, nihil turpius poterant committere, quàm tanta legitimi Domini imagine deturbata, tyranni in semetipsis imaginem collocare.

Matth. 5. *Peccator, imago Dæmonis.* Greg. Nic.

1112. Inter reliqua monita Ecclesiastici, est illud ad rem præsentem præstantissimum: *Ne accipias faciem aduersus faciem tuam: nec aduersus animam tuam, mendacium.* cap. 4. num. 26. Benè enim quęuis facies assumatur, faciei nostræ dicitur aduersaria: ecquæ enim alia nisi dæmoniaca, nostram, id est, diuinam nobis inditam imaginem deturbabit? Hinc iterum noua Dauidis vota: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Ps. 66. n. 2. Totus Deus lux est, & tenebræ in illo non sunt vllæ: & tamen ab vndique luminoso, solius vultus radios exoptat. Quid ita? Vt hinc in fulmina vibrati, Dæmonis imaginem extinguant: inde in penicillos apparati restituant diuinam, diuinum illum vultum in nobis depingentes. Sed præstat hîc audire D. Anthonium de Padua Dom. 6. post Pascha: *Vultus Domini est illa imago, secundùm quam ad ipsius similitudinem, & imaginem creati sumus: quam tunc perdimus, cùm peccatum mortale incurrimus: faciei enim diuinæ faciem Diaboli superscribimus. Quod prohibetur Eccles. 4. Ne accipias faciem aduersus faciem tuam. Quot mortalia committis; tot facies Diaboli, diuinæ faciei superponis.* Nec poteris excusari, si dicas, te non tam Deum, quàm illius imaginem, in temetipso, vel in proximis per culpam violare: respondit enim grauiter D. Chrysost. hom. 3. ad pop. Antioch. *Si verò dicas, quod non est eiusdem substantiæ homo, cum Deo: quid hoc? neque enim statua eiusdem est cum Rege substantiæ: sed tamen hanc ausi lædere, pœnas dederunt. Sic & in hominibus: etsi non eiusdem substantiæ cum Deo sint homines, sicut neque reuerà sunt: vocati tamen imago sunt, & propter appellationem, ipsos honorem recipere oportebat.* Et quid, postquàm homo per Incarnationem Verbi, in vnitate personæ essentialis Dei imago est, & appellatur? Et pende non solùm nefas esse lædere, sed etiam hanc imaginem honorificentissimè non habere: vt intelligas, quantum piaculum committis, dum per culpam, hanc imaginem in te ob literas, vt vix ipsi Deo venias agnoscendus.

Eccli. 4. Psal. 66. *Idem probatur.* Anth. Pad. Chrysost.

Nec temerè illud profero: timeo enim, ne fortè hodiernis fœminis, quæ tot fucatas facies, faciei à Deo acceptæ superponunt, dicatur illud, quod parabolicis virginibus dictum legitur: *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. num. 12. Asseueranter enim, & cum iuramento non agnitę dicuntur: credo, quia de culpa faciem mutarant. Quomodo ergo agnoscuntur illæ, quæ adhibito etiam fuco exteriori, interioris mutationis vt plurimùm præbent testimonium? Eleganter D. Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 8. *Pictus es, ô homo, & pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes pictorem, atque artificem: noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem; non cera expressam, sed gratia. Deles picturam, mulier, si vultum materiali candore oblineas; si acquisititio rubore perfundas: illa pictura vitij, non decoris est. Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est 1. Cor. 6. Tollam ergo membra Christi, & faciam membra meretricis? Absit. Quòd si quis adulterat opus Dei, graue crimen admittit: graue est enim crimen, vt putes, quòd meliùs te homo, quàm Deus pingat. Graue est, quod dicat de te Deus: Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum, quem ipse formaui. Reiicio ergo, quod meum non est: illum quære, qui te pinxit: cum illo habeto consortium, ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti. Quid respondebit?* Equidem nullus esset, qui non indignaretur contra illum, qui spreta aut Apellææ tabulæ, aut Phidiacæ statuæ excellentia, vilioris manus operam illis obduceret. Quis ergo Dei operibus pręstantissimis, hominis, imò Dæmonis artem addere, sacrilegum non putabit? Ideò addit Ambros. *Dic mihi, si supra artificem aliquem, inducas alterum, qui opus illius superioris nouis operibus obducat; nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognouerit?* Quid ergo erit, vbi adulter Dæmon formatur, & formatus pridem Deus adulteratur? 1113.

Matth. 25. *Peccator est Deo ignotus.* Ambrof. *Fœmina faciem pingentes, quales.*

Instituebat Tobias senior iuniorem suum dicens: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum.* cap. 4. num. 6. At, dicat aliquis, si initium virtutis, & perfectionis, in propria cuiusuismet fundatur cognitione; cur prudentissimus senex, vt seipsummet coram se, filius gereret, quo deinde Deo attenderet, non præmisit? Allucet ex dictis. Nemo Deum coram se gerit, nisi qui semetipsum gerit coram se: si enim viuam Dei imaginem, 1114.

Tob. 4. *Iustus sibi ipsi Deum repræsentat.*

ginem, & talem qualis à Deo formatus est, intueatur; nónne, vt dixi suprà, Deum ipsum intuetur? Benè ergo gestator coram se Dei, suimetipsius coram se gestator intelligitur. Eleganter D. Anthonius de Padua Dom. 15. post Trinit. *Vis Deum semper habere in mente? Habe semper te coram te: vbi oculus, ibi rationes: habe semper oculum in te. Tria pono, mentem, oculum, & te: Deus est in mente, mens in oculo, oculus in te. Si ergo vides te, habes Deum in te. Vis semper habere Deum in mente? Habeto te, qualem te fecit. Noli ire ad quendam alium: noli te facere alium ab illo, quem ipse fecit: & sic semper Deum in te habebis.* Heu miserum peccatorem! ecquam aliam imaginem gestes gloriosiorem, quàm quæ Deum in temetipso tibi repræsentet? quid huius violatione magis temerarium?

Anth. Pad.

1115. Sed crescit in immensum huius imaginis dignitas, de reuerentia, qua, si fas est dicere, habetur ab ipso Deo: quod expendo, vt inde sacrilegus violatoris ausus videatur atrocior; quò eiusdem prestantia, etiam apud Deum fulget excellentior. Hinc Sapiens ad Deum: *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Sap. 12. num. 18. Est tranquilla hæc reuerentia, & reuerens tranquillitas, morosa quædam examinatio, quasi ad causas hominum iudicandas, tanquàm ad rem summi ponderis totus attendat Iudex, sedulus inuigilet: ideò subditur num. 20. *Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, &c. cum quanta diligentia cruciasti filios tuos?* Nihil illustrius excogitari potest humanę dignitati propalandæ. Iudices, cùm Dynastæ alicuius capitalem causam agunt, attendunt sedulò, ne quid, vnde illius ius possit foueri, prætermittatur. At à Deo nostro, mortalium quiuis, etiam de conuicto scelere, morti debitus hanc impetrat attentionem: nimirum, quia apud illum, vulgaris quisque Dynastæ loco, per summam reuerentiam decoratur. Meritò igitur Saluianus lib. 2. de Prouid. ad hunc locum: *In isto Scripturarum loco, non gubernatio tantùm sacra, sed etiam dignitas declaratur humana: in hoc enim, quòd ait: Disponit nos. vis diuinæ gubernationis: in hoc autem, quod, cum magna reuerentia; culmen humanæ ostenditur dignitatis.* Mirum planè? Exauditur à Patre Christus post longas preces, clamores validos, lacrymas profusas: & tamen, solùm, *pro sua reuerentia exauditus dicitur:* Hebr. 5. num. 7. qui tamen, dum nos tranquillè iudicat pro nostra reuerentia, hæc non simpliciter talis, sed cum additamenti honore *magna* appellatur. Audis reuerentiam? audis iudicis attentionem? Totum hoc nobis ob imaginis prærogatiuam irrogari, iam audito.

Homo reuerenter habitus, apud Deum.

Sap. 12.

Saluian.

Hebr. 5.

1116. Sunt in hanc rem emphatica verba Iobi, dum sic querulus visus expostulare: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me?* cap. 10. num. 9. Non enim tam se dolet præcipitari; quàm repentina, & præcipiti quodammodo sententia puniri: maximè cùm is esset, qui ab ipsomet Deo formatus fuisset. Sed hæc ratio, dicat aliquis, vnde vim comparat? Attende, quæso, ad verba sæpè citata, quibus Deus ad faciendum hominem se accingit: *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* vbi Alcuinus quæst. 36. *Quare de solo homine dictum est: Faciamus, &c. de aliis autem creaturis legitur, dixit Deus? Vt, videlicet, quæ rationalis creatura condebatur, cum consilio facta videretur: & vt eius nobilitas ostenderetur.* Crescit itaque rationalis huius imaginis dignitas, quòd cum consilio, per diuinam dignationem producatur: & ideò cum summo consilio, cum magna reuerentia à Deo euertitur, si quandoque puniendus: vt punitoris consilium, consilio respondeat Conditoris: & vtrobique sibi, præstantissimæ imaginis excellentia. Hoc ergo erat, quod nouerat S. Iob, ideóque miratus dolebat, quòd non paulatim, sed repentè, & consilio quodammodo non tam ratione moto, quàm vi doloris percito, præter vsum diuinum euerti videretur. Grauissimè D. Greg. Moral. cap. 27. *Quasi per studium de terra plasmatur: & inspiratione Conditoris, in virtute spiritus vitalis erigitur: vt, scilicet, non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad Conditoris imaginem fiebat. Quod igitur per conditionem homo elegantius in terra, creaturis cæteris accepit: hoc in flagello positus, pietati sui opificis opponit, dicens: Manus tuæ, &c. Ac si apertè dicat: Cur tanta vilitate despicis, quem cum tanta dignitate condidisti? Et quem ratione, rebus cæteris præfers, cur ex dolore supponis?* Exigebat enim tantæ imaginis dignitas, vt, dum per rationem, & consilium adhibitum, omnibus præfertur in conditione; etiam in condemnatione, consultò, & reuerenter tractaretur.

Iob 10.
Id autem vnde.

Alcuin.

Greg.

1117. Et benè Deo ipsi, tanquàm Iudici, preces admouet: neque enim has iudicandi hominis partes, creaturæ alicui committendas præcipuè intelligebat. Summi ponderis, vtplurimùm, erant negotia, à Consule apud Romanos examinanda: cętera, licèt grauia, per Prętores, & Quęstores dirimebantur. Quis hodie Principum plures causas non delegat, indignum authoritatis supremæ iudicans, vilioribus litibus immisceri? Nosti in hanc rem consilium Iethro ad Moysem. Quanti ergo ponderis, quantæ dignitatis putabis illam causam, ad quam, deserto cælo, erecto extra propriam curiam theatro, Princeps Deus accedit iudicandam? Talia est humana causa dirimenda: vnde Lucas 21. num. 27. *Videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate.* Vbi adhuc expende maiestatem hanc, & potestatem Iudicis, in iudicandi honorem penitùs cedere. Sic terrenus Princeps, quando delegatum expedit, quò plùs illi potestatis concedit, & maiestatis: eò maiorem causæ testatur splendorem. Sic in præsenti: Pater, dum iudicium Christo concedit, quodammodo eius adauget authoritatem, vt iudicandæ causæ dignitas, & splendor cognoscatur. Et quidem non potest non mirabile videri, vt is, qui in cælo sedet super Cherubim, & Seraphinos habet satellites; potestatem, & maiestatem nouam in terras afferre dicatur, dum ad iudicandos homines expeditur. Acutè Eusebius Gallican. hom. 2. de Symb. *Potuit Deus delegare Angelis suis discutiendi homines potestatem. Sed agnosce, homo, nobilitatem tuam: nulli etiam vel cælesti creaturæ esse te subiectum voluit: nulli de te iudicare permisit: agnosce nobilitatem tuam, soli Deo competit de te ferre sententiam, ipsa necessitas veniendi ingentem contestatur sollicitudinem iudicaturi: per se definiuit exigere, quod per se dedit.* Quid autem sit illud, quod *per se dedit* Deus homini: sæpè expendit idem Eusebius. Audiendus hom. 6. de

Hominis dignitas, quòd à solo Deo iudicetur.

Exod. 18.

Luc. 21.

de Pascha, vbi ita: *Maximum quidem circa hominem diuini amoris insigne est, quod inter ipsa mundi principia imaginem ac similitudinem Dei sui homo acceperit. Sed penè amplius est, quod nunc personam, & formam serui Deus author assumpsit. Grandi quidem dignatione primo homini spiraculum vitæ, de suo pius formator infudit: sed nunc penè maiori charitate pro eodem homine, non iam sua dedit, sed seipsum impendit, ac tradidit. Magnum quidem mihi est de Deo, quòd esse me sentio opus suum: sed multò plus est, quòd transisse ipsum video in pretium meum: quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur.* Quomodo ergo non sacrilegè gratis venundaris sub peccato, Isai. 52. num. 3. quouis veneas pretio, qui Deum ipsum, cuius imago es, valere existimaris?

Et quòd eius sanguine redimatur. — Euseb. — Isaiæ 52.

1118. Prodigalitatem Cæsaris in imaginibus pretiosis, & seruis emendis enarraturus Suetonius, sic habet cap. 47. *Gemmas, toreumata, signa, tabulas operis antiqui, semper animosissimè comparasse: seruitia recentiora, polítioráque, immenso pretio, & cuius ipsum etiam puderet: sic vt in rationibus vetaret inferri?* Ne fortè si quis accepti, expensíque euolueret rationarios libros, prodigum eius ingenium subnotaret. Aliter Princeps noster Christus: cætera sua breuissimè in libris suis scripta voluit: Passionem verò, & redimentis pretij tractationem, minutissimè scribi curauit, quasi illum emptionis non suppuderet, qui talem imaginum, seruorúmque suorum dignitatem agnoscebat, vt digni tanto pretio putarentur: ideò se vendidit, ne tam pulchra possessione fraudaretur. Benè Theodotus Ancyranus in Concil. Ephes. in festo D. Ioan. Euangel. de peccatore locutus: *Neque oculos in Dominum conijciebat: sed voluptatis sensu deorsum mersus peccato seruiebat, eiúsque dominio subiacebat. Agnitum est humanam mentem ad Deum erigere se non posse. Quid ergo? Nunquid mea tarditas, pulcherrima huius possessionis, quæ homo est, iactura Deum afficiet? Absit. Nequaquam enim vniuersorum Deus istud patietur.* Itaque, ne patiatur iacturam possessionis pulcherrimæ, quam ad sui imaginem conformarat, vitæ iacturam patiatur: idque in rationibus non tam vetat inferri, quàm cupit propalari.

Idem ostenditur. — Sueton. — Theodot.

1119. Iam verò quàm dignas æstimatione gemmas haberet Cæsar, inde coniectat ibidem, quòd ferant, *Britanniam petiisse spe margaritarũ, quarum amplitudinem conferentem, interdum exegisse pondus.* Quasi tanti Imperatoris manus, bilances margaritarum exigendo ponderi, sustinere non dignaretur; nisi in illis summæ æstimationis poneret rationem: qua motus, *toto diuisos Orbe Britannos* ausus penetrare. Atqui de Deo dicitur Prou. 21. n. 2. *Omnis via viri, recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus.* Ipse appendit, ipse examinat: quidni si toto diuisos cælo homines penetrauit, vt impēsis omnibus suis, pulcherrimas Ecclesiæ margaritas compararet? Neque mirum, illarum manu propria pondus exigat, cum quibus, quòd imago eius sint, appendi voluit: quasi in altera bilancium se pretium condignum, in altera homines redimendos collocaret. Huc facit iterum Eusebius Gallican. hom. 2. de Pascha: *Perspice, ô homo, quantum valeas: & perpende, quid debeas. Perspice, quantùm valeas, vt tandem vilis esse tibi desinas, vt vel per hoc erubescendo, subiacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam, de Creatoris, ac reparatoris tui dignitate metiris. Habet causas, quibus se homo confundat: cur indignis dominis victo corde subdatur, cui gloria æterna promittitur? Ac sic gemino priuilegio, qui dudum diuinæ imaginis participatione videbaris honoratus efficeris etiam commercij nobilitate pretiosus.* Volui obiter mores formarentur.

Et iterum. — Sueton. — Prou. 21. — Euseb.

§. II.

Prædicta omnia, breuiter pro Deipara recudo.

1120. HVCVSQVE cusa fusiùs, breuiter iam in honorem Deiparæ recudamus. Vidisti, per culpam, imaginem in nobis præstantissimam deleri, idque maxime in peccato originali euenire probaui in Examine: adde diuinum Dionysium de ecclesiast. Hierarch. cap. 4. in Contempl. de Episcopo baptizante: *Eum, qui accedit, quasi superiori vita exuit, & ad extremos vsque illius habitus expoliauit. Tunc nudum eum, nudisque pedibus collocat occasum aspicientem, manuúmque depulsione, obscuri vitij commercium, consuetudinémque respuentem, & sibi insitum dissimilitudinis statum, quasi exsufflantem: profiténtemque, se nuncium remittere ei, qui Deo est contrarius.* Vide ergo, an deceat istiusmodi mutationem subiisse Mariam, quæ meritò à Bernardo, imago Dei expressissima, & nunquam variabilis commendatur. Eius verba in Deprecat. ad Virg. sic habent: *Tu pulchra vt Luna diceris, eique non immeritò compararis: illa enim omnium astrorum sola Soli simillima comparatione, & candore venusta argenteo, cæteris in cælo præmicat syderibus: tu vero Solis imago expressissima, inter millia astrorum Deo assistentium, virginali puritate in cælo gloriosa præfulges,* &c. *Tu ergo pulchra vt Luna, imò pulchrior Luna: quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio.* Nulla macula, nulla vicissitudo potuit hanc imaginem violare: alias inter angelica astra, non posset diuinam puritatem expressior repræsentare. Ideò pulchrè subdit Bernardus: *Tu electa, vt Sol: ille, inquam, Sol Solis Conditor: ille enim electus est ex millibus virorum, tu electa es ex millibus fœminarum: ille electus ex omnibus, quæ sunt; tu electa ex omnibus, quæ per illum sunt.* Nisi dixeris, per hunc diuinum Solem Solis Conditorem, non fuisse Angelos, quibus proinde Maria prælecta ad modum Christi non dicatur.

Peccatũ originis diuinā delet imaginem. — Dionys. Ar. — *Maria imago Dei expressissima.* — Bernard.

Vidisti factos homines ad essentialis imaginis imaginem; quam deinde, quoniam miserè corrupēre assumptâ Inferni tyranni imagine; ipse Christus essentialis imago, venit imagines suas reformaturus. Sed, ô Prototypum, si fas dicere, adulteratum: quando illa ipsa caro, in qua reformandi eramus, imaginem tyranni gestare potuit! Non certè id voluit Anastasius Sinaïta verbis iam in Examine adductis. Pende solùm illa postrema: *Et quis mihi, dic, quæso, aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus audebit dicere, quòd illa, quæ est eiusdem simul cum Deo essentia, quoad carnem attinet;* 1121.

De eodem.

tinet; non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim mater eiusmodi filij, non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginem? Quasi non posset Concarnis Christi Maria illi carnem subdere, nisi semper illæsam, & integram eius imaginem conseruaret. Et meritò: qui enim detruncato tyranni capite, se nobis erat caput, gloriosissimo de triumpho restitutus, (idque per carnem à Maria acceptam, de quo fusissimè suprà disputaui) nullum vestigium deturbati tyranni, in carne triumphali decenter pateretur.

Anast. Sin.

1122. Videt mysterium pulchrè Ioannes Geometra hymno 3. vbi ita ad Mariam:

Geomet. *Maria, perfecta Dei imago.*

Χαῖρε, κόρη, φύσεως ἄυχημα, ἄγαλμα Πλαστοῦ
Δεξάμενον τέχνην πᾶσαν Ἀριστοτέχνου.
Salue, puella, naturæ gloria, imago Plasmatoris,
Demonstrans totam artem summi Artificis.

Et interim subdit illa, quæ dedi alibi:

Ἡμερίης κακίης οὐδὲν ἀφελκομένη.
Diurna culpa nihil contrahens.

Aut diurnam posuit pro mortali, terrena, & ordinaria: aut loco, ἡμερίης, absque dubio legendum est ἡμετέρης. Vtcunque sit, imago est Maria, quæ nihil culpæ contraxit, cùm plasmaretur; ideò sic perfecta prouenìens, vt quodammodo totam Dei artem exhausisse videretur, de quo suprà variis locis non pauca cumulaui. Et fortassè ideò in hoc loco dicitur Maria imago demonstrans totam Dei artem: quia Maria in intentione, tanquàm Prototypon, post Christum, omnium saluandorum concepta est quodammodo, ita vt illa tantùm, gratiam, & imaginis rationem ob Christi merita sortiretur: reliqui (de quo alibi non pauca dixi) id à Christo, sed media Matris intercessione acciperent, aut saltem Matris intuitu, de quo Perlinus dist. 4. cap. 14.

Et aliarum idea. Perlin.

1123. Exemplo Adami res clarebit, de quo ita Philo Iudæus lib. de opif. Mundi: *Ille autem primus homo terrigena, Princeps totius nostri generis: vtraque parte præstantissimus, & anima & corpore factus mihi videtur: longéque posteros suos antecellere vtraque præstantia: hic enim ipse erat, reuerà pulcher, & bonus.* Tunc post alias huiusce rei causas, subiungit aptè: *Nos enim ex hominibus gignimur; illum verò Deus condidit: quantò autem melior author, tantò etiam opus melius. Quemadmodum sanè, quidquid viget, senescente melius est, siue animal, siue planta, siue fructus, siue aliud quid ex his, quæ natura continet. Itaque par est illum recèns creatum hominem, robur fuisse vniuersi nostri generis: posteros verò eius non ita viguisse, degenerantibus vsque formarum, & virium successionibus.* Quasi quò successiua serie longius quodammodo à primo artifice, eò magis humanum opus degeneraret. Aptissimè deinde sic concludit: *Quod quidem & in Plastarum, & in Pictorum arte vidi fieri: deteriora enim sunt, quæ exprimuntur ad Exemplar propositum: quòd si hæc ipsa imitetur Plastes, Pictórve, multò magis degenerant: quippe longè remota à principio.* Sic suo modo Maria rationem imaginis, & gratiæ à Principio, Christo, scilicet, accepit, qui illum Prototypon, & artis suæ plenissimum ostentamentum perfecit: reliqui ab hac idea, iam, vt ita dicam, remotiùs, has dotes participarunt: vt Maria Christi illæsa, & integra imago; cæteri iusti imagines Mariæ videantur.

Philo.

1124. Et habet quidem vim maiorem in Deo, exemplum istud Plastæ, siue Pictoris. Homines quippe, licèt plasmandi, atque pingendi artifices peritissimi sint; cùm seipsos non videant, nunquam (licèt conentur) se poterunt ita perfectè exprimere ad viuum, vt possunt alios: alios enim exprimendos in propria persona aspiciunt: vultus verò suos, non nisi in imagine, aut speculo, possunt intueri. At Deus, cùm semetipsum perfectissimè aspiciat, quam voluit ad extra imaginem innocentis suæ producere sanctitatis, potuit exactissimam exhibere: vt in hoc excellenti Prototypo nihil medium, sed ipsemet artifex plenissimè exprimatur. Hinc capies, cur Maria *Pulcherrima inter mulieres* dicatur, Cant. 1. num. 7. id est, inter omnes iustos singularissima: reliqui enim per Marianam ideam videntur ad perfectionem regulari: vna est Maria, quæ immediatè ad Authoris sui normā regulatur: vt Virginis pulchritudo, ipsemet eius Author, & Filius esse videatur. Rupertus ibi: *O pulcherrima mulierum, ò benedicta inter mulieres: cuius pulchritudo, benedictio est: cuius pulchritudo, ipse benedictus fructus ventris tui est.* Non quòd Maria per gratiam, sicut cæteri iusti, non pulchrescat; sed quòd etiam prætereà singulariter, sic authorem suum exprimat, & combibat, vt eodemmet pulchrescere intelligatur.

Id autem vnde.

Cant. 1.

Rupert.

1125. Postulabat anxiè Moyses diuinum ducatum: ad quem tunc benignè Deus: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Exodi 33. num. 14. Nihil populo illi optabilius promitti posse crederes: & tamen sagacissimè prudens reclamat Moyses: *Si non tu ipse præcedas, non educas nos de loco isto.* num. 15. Ecquid aliud, dicat aliquis, facies Dei, quàm ipse Deus? Vtplurimùm sanè pro eodem sumuntur: cauit tamen prudentissimè Moyses, ne fortè Deus faciem suam appellaret, tertium aliquem, qui ipsum sic ad viuum exprimeret, vt facies Dei dici mereretur: licèt enim talis esset, meritò repudiatur: ne populus ad ducem hunc, & exemplar conformatus, iam intermisso medio, minùs similis Deo cerneretur. Fauet ibi Hugo Cardinal. *In facie intellexit Moysei aliquem simillimum Deo mitti: & non ipsum Deum venire cum eo: & ideò, si non tu ipse,* &c. Sic in præsenti: dedecebat Corredemptricem adhibito medio aliquo digniori, Redemptori assimilari: nullam innocentiam angelicam æmulatur Maria: quinimò Angelorum præseruatiua redemptio, seruata puritas, Mariano, vt suprà dixi, prototypo conformatur. Inde meritò August. Serm. de Natiuit. Mariam *Deiformam* appellauit, id est, ni fallor, Prototypum cæterorum, & totius diuinæ artis ostentamentum.

Exodi 33.

Et confirmatur.

Hugo.

August.

***

§. III.

§. III.

Peccator imagine Dei perdita, brutis peior: horum pœnâ punitur. Quæ damni causa: quæ medicina.

1126. DIXI in Examine, per peccatum, & maximè originale, homines amisso honore, miserrimè iumentis similes prodiisse: id modò venerat latiùs confirmandum. Sed quoniam de hac re fusè, per singulas etiam vitiorum classes in Cant. Tropol. differui, iis omissis, id addo, vnde neruosius assumatur argumentum: scilicet, non solùm in bestias degenerare peccatores; sed etiam bestiis peiores conformari: vnde non mirum, si bestiarum pœna puniantur, sicut suprà in hoc Opere, brutorum pastu nutritos illustraui. Subdam deinde tanti damni causam, apponam medicinam: ex quibus omnibus Deiparæ immunitas eruatur. Parum ergo videbatur, si homines per *Peccator bestiis peior.* peccatum, brutorum ingenium, & formam miserè sortitos diceremus: nisi etiam bestiis ipsis desformiores formatos ostendamus: quantò est turpius culpæ, quàm naturæ defectus tolerare. Creat *Genes.1.* hominem, cui & feras subdit Genes. 1. vt ipse, scilicet, soli Deo subdatur. Perseuerant adhuc multa brutorum, in obsequio hominibus præstando, dum hi contumaces præstare Deo obsequium recusant: quid hoc est aliud, quàm accusari tacitè à brutis, & stolidioris agnitionis insimulari? Tertull. lib. de Patient. cap. 4. *Etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris, eas à Domino prouisas, traditásque.* *Tertull.* *Meliora ergo nobis erunt in obsequij disciplina, quæ nobis Deus subdit? Agnoscunt denique, quæ obediunt; nos, cui solùm subditi sumus, Domino, scilicet, auscultare dubitamus? at, quàm iniustum est, quàm etiam ingratum, quòd per alterius indulgentiam de alio cõsequaris; idem illi, per quem consequeris, de temetipso non rependere?* Neque enim immanius potest nefas excogitari, quàm per illudmet idem, ingratitudinis meritò accusari, quod gratitudinis stimulus esse deberet: nihil stolidius, quàm per Deum bestiis dominari, & ipsi Domino bestiis væcordiores non obedire.

1127. Terribilis planè ad rem, in qua versamur, visio illa Danielis cap. 7. vbi primam è quatuor illis *Dan.7.* bestiis, sic describit: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam, donec euulsæ sunt alæ* *Carnale cor bruto sæuius.* *eius, & sublata est de terra: & super pedes quasi homo stetit* num. 7. Alij ad eundem sensum legunt: *Cor eius datum est ei.* Et quidem in bestia ista, peccator, quicunque ille describatur, de malo in peius ruens declaratur. Patet: ideò enim statim num. 12. tanquàm in extremæ malitiæ supplicium extremum, eidem à Deo potestas ablata dicitur. Nunc attende. Si ruit in peius, cur, amoto bellvino, datur illi cor humanum. Cur humano iam corde non resipuit? Visus respondere Ricardus Victor. ibi apud Godefr. *Cor eius da-* *Ric.Vict.* *tum est ei. Cuius eius? Non leænæ, sed hominis; id est, carnaliter sapientis.* Quasi dicat: Longè sæuiùs, longè immaniùs cor humanum, si deprauatur, si carnaliter sapit, quàm quoduis belluinum. Vnde homo, qui initio culpæ in væcordem bestiam transit; tunc habendus turpissimus, dum sic persistens, corde humano, sed illo deprauatissimo viuere intelligitur: capacius quippe istud omnis turpitudinis. Vnde abiectior homo, dum in carnalem vertitur, quàm si in bestialem carnem verteretur: vt iam non mirer gestum Atheniensium, de quo omnis penè loquitur vetustas: do tantùm Lactantium lib.1.cap.20. *Leænam cum tyrannum occidisset, quia nefas erat simulacrum constitui meretricis in templo; animalis effigiem posuerunt, cuius nomen gerebat.* *Lactant.* Nam, cùm hæc fœmina ob facinus decoranda videretur, satius duxerunt eiusdem nominis bestiæ, quàm illiusmet imaginem dedicare: vtpote quam ipsâ bestiâ putabant turpiorem.

Ex Dæmoniaco illo Gerasenorum eiicienda legio inferna, orat in porcos mitti, paruũ discrimen inter peccatoris pectus, & porcinam fœditatem inuentura: & cui satis iam capax hospitium vnus homo, vix in idem duo porcorum millia sufficiebant. Sed mirum, quod additur: nam, vbi primùm Dæmones inuadendi porcos facultatem impetrarunt, statim, *magno impetu grex præcipitatus est in mare, & ad duo millia suffocati sunt.* Marc. 5. num. 13. Ecquæ causa miseras bestias, in horridum natura ipsa impulit præcipitium? Respondit Chrysol. serm. 17. *Sic est odor eius Tartareus, & crudelis, vt eum nec porcorum natura sufficeret sustinere. Denique demergi in mare, & fluctibus maluit deperire, quàm eius immunditiam pati, & putredinem tolerare.* Itaque, nec breuissimum tempus tolerant bestiæ, quos miser homo diutiùs tolerauerat: vtique quòd de peccato porcos ipsos stoliditate, & immunditia superaret: vnde nec sibi nimis alienam Dæmoniacam habet fœditatem: & eò cor cuiuis immunditiæ exhibet capacius, quò redditur per culpam stolidior. 1128. *Peccator porcis immundior.* *Marc.5.* *Chrysol.*

Pergit Balaam maledicturus Israëlem, & retardatur ab asina retardata. Et quis retardat asinam? Certè Angelus: *Cernens asina Angelum stantem in via, euaginato gladio,* &c. Num. 22. num. 23. At, si hominem redarguturus venis, Spiritus beate, cur te illi non exhibes præsentem? Nunquid melius illo, bestia capiet legationem? Ita est: longè sæuiùs Pseudopropheta ab Angelo redarguitur, dum asinæ exhibetur: postponitur sic enim homo iumento, quasi minùs hebeti, ad Angeli commercium. D. Prosper Aquitan. de Promis. diu. Prom. 2. cap. 12. *Vadit auaritia iam corde captiuus: obuius ei Angelus, iumento ipsius, quo vehebatur, se potiùs manifestare voluit, quàm illi. Quia homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insensatis: & non similis, sed peior factus est illis.* Vnde meritò D. Petrus epist. 2. cap. 2. n. 16. argumenti energiam inde desumit (notauit ibidem Prosper) illis verbis: *Correptionem habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* Vt sapientiam disceret à bestiis, qui per culpam bestiis insipientior reddebatur. 1129. *Asinis stolidior.* *Num.22.* *Prosp.Aq.* *2.Petr.2.*

Centaurum effinxit vetustas, animal superiori parte humanam referens figuram: inferiori verò in equinam formam desinens: quò (sic ferunt Mythologi) 1130.

thologi) ostenderent; rationalem animam carni superequitantem, hanc frænatam, & illam gubernantem. Allusit D. Basilius Magnus lib. de vera virg. sic scribens: *Ex rationali, & irrationali parte iuxta gentilis Physiologia rationem, hominem veluti Centaurum quendam Creator effingens: superiori parti, à capite vsque ad pectus humanâ formâ insignita, reliquum corpus, ab vmbilico, & lumbis equina subiecit effigie: qua ad ventris voluptates, brutorum instar, prona, atque ad concubitus effrenatè proclinis est.* Quid tunc homo? Deum superbus corrigere conatur: commutat formas: spretóque naturali illo situ, suppositæ rationali parti imponit bestialem: fitque bestiis omnibus horribilior. Et quidem naturales Centauros (si qui forent) Poëtæ sic formidabiles iudicarunt, vt cum cæteris monstris, & Tartari terriculamentis, ad Inferni vestibulum eos collocarent. Virgil. 6. Æneid.

Peccator Centaurus inuersus. *Basil. Mag.* *Virg.*

Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes.

At, quantò, quæso, monstrosius quid, Centaurus inuersus? quantò fœdius vt superiori parte equus degat, & miserè homo degat inferiori? Certè hinc totus bestia, sed deformior apparebit.

1131. Cape hinc Ieremiam cap. 5. num. 8. *Equi amatorij, & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Homines quidem erant, sed turpes: Centauri inuersi, imò peruersi: ideò illorum actiones quasi tantummodo equis tribuuntur: quia solùm hæc pars belluina, quam, contra naturam, fecêre superiorem, eisdem dominatur: pars verò humana, siue rationalis, quia supposita, iam in irrationabilitatem prolapsa, cum virtute perdidit nomen: & proinde mysticus Centaurus semihomo, totus bestia appellatur. Idem Basilius superioribus sic connectit: *Neque enim ab irrationabili parte per luxum rapi, ratione præditam voluit: sed à rationali potius, rationis expertem ad vsus necessarios regi sapientissimè statuit. Huius denique indulta sibi diuinitùs potestatis gratia, si quando rationalis pars peruerso ordine ipsa non regit, sed ab irrationali potiùs regitur; improperat auriga sermo diuinus, cur ad irrationalis voluptatem, pessimè à sua dignitate deiecerit, dicens: Equi insanientes in fœminas facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi adhinniuit.* Sequitur Basilius Græcam lectionem: Septuaginta enim habent, θηλυμανεῖς, id est, *equi insano furore fœminam adamantes:* vt notes obiter, furorem ab amore non discerni, nec absque insania turpem amorem vnquam inueniri. Exclamat ergo in rem nostram meritò Eusebius Gallic. hom. de Ascens. 2. *Ordinemus, & custodiamus in nobis statum vtriusque substantiæ: ne animam, nobiliorem vnà hominis portionem, Tartaro pars deuoluat inferior; sed secum potiùs cælo, sanctificatum corpus acquirat natura gloriosior.* Sed de hoc ordine præpostero loquar alibi. Pergo.

Ierem. 5. *Id probatur.* *Basil. Mag.* *Amor turpis, insanus.* *Euseb. Gal.*

1132. Persistit Dauid in obsequiis Saüli adhibendis, regnum à Goliath liberat, Regem à Dæmone: nec tamen vnquam ferus, & ferreus ille animus mansuescit. Quidni? Inuidebat gloriæ Dauidicæ, &, vt inquit Textus: *Non rectis oculis Saül aspiciebat Dauid.* 1. Reg. 18. num. 9. Inuidus autem, & maleuolus Spiritus cunctis feris sæuior, non solùm non mansuescit beneficiis; sed etiam tunc crudelior intumescit. D. Zeno Veron. Serm. de Inuid. *Si beneficia conferantur, multò ampliùs inflammantur: & quanto plura fuerit consecutus, tantò maioribus incendiis conflagrabit: magis enim irascitur, & dolet, quod ab eo aliquid consequitur, quem nollet quidquam boni, vel habere, vel posse præstare. Quam feram belluam, quos venenatos serpentes mores isti non superant? Canes beneficij memores videas: leones, cæteraq; feræ mitescunt: soli inuidi beneficiis grauiùs inflammantur.* Et iustam obiter nota sententiam, vt ipsismet intestinis flammis crucientur: & quod alienæ felicitati optant incendium, patiantur.

Inuidus feris sæuior. *1. Reg. 18.* *Zeno Ver.*

Iacet ad portas auaritiæ infamis, sacra mendicitas, & licèt iaceat, trophæum planè erigit, in perpetuum patientiæ suæ, & duritiæ illius monumentum. Quàm ferum erat, claudi in diuite viscera pietatis, quam ieiuna Lazari viscera tot oribus, quot vulneribus exigebant! *Erat Lazarus vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Luc. 16. num. 21. Quasi dicat: Nullus hominum vel etiam amissas micas porrigebat durus: sed & canes ipsis longè teneriores, quam poterant, saltem medicæ linguæ operam adhibebant. Chrysol. ad diuitem Serm. 121. *Mitiores te canes tui: imò tu sæuior canibus tuis: nam, te sæuiente, illi parcunt: qui non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium sic producunt, vt in modum spongiæ non vexent vulnera, sed detergant.* Quæ tanta durities, quam nec ipsorum canum exemplum mitigabat? 1133.

Peccator, canibus dirior. *Luc. 16.* *Chrysol.*

Venerat Christus Dominus *ad oues, quæ perierunt de Israël,* Matth. 15. num. 24. & qui tot amoribus, tot miraculis easdem prouocarat, ab ipsis laniatur tandem. Veruntamen, si laniaturæ præuidentur, cur oues vocantur? Si oues erant, vnde, luporum more, benefici Pastoris Sanguini inhiarunt? Quia oues, sed contagio rabidæ & efferatæ; vt iam ipsis lupis ferocius ingenium illud, pestilénsque morbus: quo ouina aliàs indoles potuit in tantam immanitatem corrupta desæuire. Chrysol. Serm. 100. *Oues luporum contagione iam rabidæ, & ipsis bestiis propria feritate sæuiores; laniare, & violare suum semper voluêre Pastorem.* Sic iam infausta metamorphosi ouis in lupum vertitur: & concepto veneno, fit lupis ipsis de feritate propria longè sæuior. Et benè interim ouis de stoliditate, qui de feritate lupus nuncupatur: re enim vera ferum patitur peccator stuporem, stupidæ se subiicit feritati, voluptates solidas deserens, & dolores sibi ex hac ipsa transformatione afferens durissimos. 1134.

Matth. 15. *Lupina contagione rabidus.* *Chrysol.*

Inuitatur ad opiparum Regis conuiuium ille alius: & vocatori respondet miser: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum.* Luc. 14. num. 19. In Græco est, ζεύγη βοῶν ἠγόρασα πέντε. Fateórque vtrobique, *iuga*, pro paribus boum capi posse: sed nihilominùs in vtroque idiomate, de ipsismet iugis, quæ bestiis imponuntur, vocem capi posse, nemo negauerit. It ergo iste probare iuga ista, & imponere: sed cui impositurus? Certè non tam bobus iungendis, quàm sibi grauando: ideò miserior, quòd sub hoc iugo, à cælesti conuiuio impeditur. Non auidior quidem Princeps, aut Sponsus aliquis, pompam agitaturus gloriosam, ornatum sibi splendidum probat, quàm iste iuga: rogat haberi se excusatum à tanti epuli ingressu: quasi ambitiosus summum beneficium, & honorem in subeundo iugo affectaret. 1135.

Luc. 14. *Cur bestiis bestialior.*

ctaret. Hoc qui extremæ ſtoliditati non tribuat, eſto ſtolidior. Audiendus D. Bern. in Serm. *Ecce nos.* vbi ita: *Comparatum eſſe iumentis, quis dubitet hominem, qui ſibi iuga emerit iumentorum? niſi quòd ſanè ipſis quoque iumentis conuincitur ſtolidior, & beſtialior beſtiis comprobatur; quòd iuga neceſſitatis earum, propria ipſe ſubeat voluntate: quod enim illis natura eſt, huic culpa.* Benè: neque enim poterat humana iſta beſtia, beſtiis omnibus non eſſe ſtolidior, quæ honorem dulcem duro onere commutabat. Bernard.

1136. *Christus cur inter bruta natus.* Ex dictis intelliges, cur Chriſtus Dominus in præſepio naſceretur; nimirum, vt à brutis diſcerent mortales Dominum venerari, quem beſtiæ, quo poſſunt famulatu, venerantur. Chryſolog. Serm. 141. *Pecora agnoſcunt, atteſtante Propheta Iſa. cap. 1. num. 3. tu homo, ſi non mox cum Angelis, agnoſce vel tardiſſimè cum iumentis: ne dum moraris, ipſis iumentis, quibus anteà fueras comparatus, poſtponaris.* Quòd ſi innexæ moræ, peccatorem bipedem belluam, poſtponunt quadrupedibus; quo gradu pones, qui nunquam inquirendo Deo, ſed beſtialibus ſemper voluptatibus inhiarunt? Sed pergat Chryſol. *Ecce iumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu, quo poſſunt, Authorem ſuum fatentur contra naturam, in tuam veniſſe naturam: & tu cum Iudæis diſcutis; carpis? qui excluſerunt à diuerſoriis ſuis Dominum, quem iumenta ſuis in præſepibus ſuſceperunt.* En tibi peccatorem non ſolùm in belluam, amiſsâ diuinâ imagine, transformatum; ſed & in eam belluam, quæ de monſtroſa forma, de ſtoliditate, & ſæuitie brutis omnibus veniat poſtponenda. Chryſol.

1137. *Peccator, dū brutis poſtponitur, punitur ſatis.* Quæ pœna durior, quàm humanam hanc belluam, ab ipſis irrationabilibus beſtiis edoceri, déque metamorphoſi miſerà illis poſtponi: Grauiter D. Zeno Ver. Serm. 5. de verbis Iſaiæ, ad illud Prophetæ: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit.* ſic ſcribit: *Bouem illis, aſinúmque præponit, vt grauiùs poſſint, ſi reſipiſcant, comparatione torqueri, quàm pœna.* Nihil enim grauius poteſt pœnitentes advrgere, quàm per peccatum brutis fuiſſe poſtpoſitos, quibus dominandis à Deo fuerant præpoſiti conſtituti. Et benè, *ſi reſipiſcant:* dum enim in peccato durant, ea eſt eorum maxima ſtoliditas, vt ſtoliditatem ſuã non agnoſcant. Nihilominùs clariùs ad rem noſtram, purã, putámque pœnam, (præciſa ratione culpæ,) & illam beſtiarum, iis, qui in beſtias degenerarunt, inflictam aſpiciamus: patebit inde, quàm infauſto fato, Dei imaginem, ad quam conditi fuerant, in belluinam imaginem commutarent. Zeno Ver.

1138. Matth. 18. *Peccator inſtar beſtiæ, molæ damnatus.* Puſillorum ſuorum ſcandalum auerſurus Chriſtus Dominus, ait: *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt; expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. num. 6. Non ait: Expediret illi hoc potiùs, quàm peccare. ſed, *expedit:* hoc eſt, hæc miſero peccatori pœna expedit, hæc illi conuenit, hæc illi apta nata. Sed, cur hæc potiùs, quàm alia? Reſpondet Chryſol. Serm. 27. *Inde ſumat pœnam, vnde ſumpſit & ſenſum: & exequetur iumentis inſipientibus, qui noluit hominibus ſuperna ſapientibus comparari.* Vt inde puniatur, vt aſinus, molæ damnatus, vnde aſininos mores comparauit. Excæcatur ab inimicis ſuis Samſon, cui priùs affectus nimius induxerat cæcitatem: nec mirum ab his eludatur, qui priùs fuerat à muliercula eluſus. Hunc tandem pro pœna vltima, *duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Iudic. 16. num. 21. Nihil vnquam ab iniuſtis iuſtius factum eſt. Vertat aſini molam in piſtrino, qui priſtina ſpreta ſanctitate, in beſtiam per affectus deformatur. D. Paulinus epiſt. 4. ex hac hiſtoria exprimens peccatorem, ſic ſubiungit: *In ſemet piſtrini ergaſtulum patitur: ſaxum cordis ſui pertinacia nequitiæ induratum, quaſi molam verſat: farinam hoſtibus ſuis, de corrupta animæ ſuæ fruge faciens.* Sic piſtrini degit in pœna, iumento conformatus, qui deformatus in illud, vixit per culpam. Chryſol. Iudic. 16. Paulin.

Accedit Chriſtus Iudæos ſaluaturus, & ſpernitur: vnde fit illis *in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali.* Iſai. 8. num. 14. quod idem variis locis noui Teſtamenti ſæpe inſinuatur. At, cur ita? Quia, quemadmodum canes petra percuſſi in pœnam, aut morſus, aut latratus, iactam petram remordent: & vnde vindictam ſperant, indidem colliſo ore, confractis dentibus, cruentatis gingiuis noua pœna afficiuntur: ſic illi, quibus Chriſtus lapis viuus ad ſalutem iactus fuerat, vt leui pœnitentia correptos, paternæ amicitiæ reconciliaret; canes facti, petram mordentes, pœna canum ibidem colliduntur. Acutè Chryſol. Serm. 55. licèt paulò aliter petræ rationem explicet; tamen de pœna ſumpta, ſic ad rem meam: *Quare petram? Quia mordere petram, non panem à Patre quærere geſtiebant. Circumdederunt me, inquit, canes multi. Denique, poſtquàm illi ex hominibus in canes probantur eſſe conuerſi; cæleſtis illis in petram conuerſus eſt panis, non dantis vitio, ſed accipientis nequitia, qui illos non reficeret, ſed necaret: nec in fundamento poſitus promoueret ad culmen; ſed eos, qui ſui patris tendebant ad necem, in profundum daret, & volueret in ruinam.* Sic noſtrâ culpâ quandoque bonum nobis in malum conuertimus: & Deum à ſe, vt ita dicam, in alium mutamus: & quod nobis honori erat futurum, fit oneri: vt inſtar beſtiarum inde puniamur, quod etiam illarum inſtar pertractamus. 1139. Iſaiæ 8. *Peccator, Dei beneficia, in damna ſibi conuertit.* Chryſol.

Notaui alibi, ſi rectè memini, propterea arborem illam myſticam Babylonis non penitùs conſeruata radice interiiſſe, quòd inter tot iniqua, aliquid æquitatis conſeruabat: nimirum, *ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ: & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli.* Dan. 7. n. 9. Aptum quibuſuis locum tribuebat; & optimâ iuſtitiæ diſtributiuæ normâ, abiecta, & penè belluina ingenia humi detinebat: mentes verò ſublimes & pennatas, in alto, vt par erat, collocabat. Doleo hodie, vt plurimùm, contrà fieri. Sed quid, inquis, inde mali? Attende. Inter Græca adagia celebre illud, ὄνος ὄρνις, *Aſinus auis:* cui inde deſumpta occaſio dicitur, quòd cùm quidam male valeret, audiuit alium dicentem: *En aſinus ſurrexit.* Vnde ægrotus, recuperandæ ſalutis omen, & auſpicium ſibi fecit. Irridetur igitur ab Ariſtophane, quòd ab aſino auguria, ab auibus potiùs petenda, ſtultus peteret: ac proinde inter aues ſuas, etiam hunc aſinum lepidè celebrauit. Et meritò: tam enim aptè dicitur, *aſinus ad lyram*; vel *aſinus ad fabulam*; quàm *aſinus ad volatum*, quando rem aliquam ineptiſſimam expreſſam volumus. Quid igitur, ſi aſinus in altum elatus præſumat volitare? 1140. Daniel. 7. *Honor indignis, miſerum prodit, & punit.*

volitare? Cadet miser, & temeritatis infaustæ pœnas dabit. Id ergo arbor in hac re prudens significauit, dum ramis suis aues, dúmque bestias se subtus collocauit: quia iusti, & spirituales viri fauore subleuandi; peccatores, & carnales bestiarum more degentes deprimendi: his enim si temerè supposititias alas addere contendas, vt alta petant, quæ appetunt indigni; stultitiæ pœnas datas, & pennas fractas lugeas, necesse est. Grauiter Ricardus Victor. hic apud Tilm. *Quid, quæso, est, quod facitis, qui eiusmodi bruta, & bestialia corda in in sublime attollitis, & velut in aëre suspenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? nam, dum eos ad alta suspenditis, eis ruinam vtique præparatis.* Vt dum viuunt, bestiarum se pœna punitos doleant, qui quadrupedis volatum temerè intentarunt.

Ric. Vict.

1141. Sed adhuc ista leuia, magis maiores miserias adnotabimus. Nihil impatientiùs indomitæ bestiæ ferunt, quàm ligari: at peccator indomita alias bestia à Dæmone patientissimè constringitur, durâ duri domini pœnâ colligatur. Inde Dauidica exultatio ad Christum: *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ps. 115. n. 17. Quidni si suauiùs, quàm fabulosus ille Apuleius attactu rosæ, Dei gratiâ iumenti formam exuit; & funes peccatorum, quibus à Dæmone fuerat colligatus, effugit expeditus? Ideò Isaac Abbas ad cap. 5. Matth. apud Godefr. de Dauid, ita: *O Domine, libera animam meam à labiis iniquis. Idq; consecutus exultat: O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus: dirupisti vincula mea, quibus quadrupedem obstrinxerat Diabolus: vt nec exire, nec liberari, liberum esset: nunc pedem moueo, nunc manum aridam extendo.* Lege multa, quæ Patres congerunt, ad illud Luc. 19. n. 30. vbi Christus ligatam asinam solui iubet. Pergo.

Peccator ligata bestia. Psal. 115. Isaac.

1142. Similis illa eiusdem Vatis lætitia, sed obscuriùs prolata Ps. 67. vbi Christus Saluator hominis, & Dæmonis euersor decantatur: *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.* n. 22. Concordant ferè reliquæ versiones. Sed quæro ad mores, (littera enim patet,) cur maximè peccatorum, qui in delictis suis ambulant, vertex capitis dicatur confringendus? Si saluaturus reuera accedit, truncet hostium, id est, Dæmoniorum capita: at hominum verticem, quos saluare cupit, cur confringat? Putarem, Dæmonem eos superequitare, quos per peccatum in bestias transformauit: vtque ipse eques speciosior, & peccator equus deformior ostentetur, hyphippium non tam dorso, quàm capiti imponit. Certè turritæ comæ fœminarum, & cincinnati (pudet dicere) capilli adolescentum, hyphippium mollissimum Dæmoni substernunt. Fortasse similem tyrannidis impotentiam significare veteres voluerunt, dum Cupidinem Amatorum prementem capita celebrarunt. Vide Ouid. 1. de Arte, & Propert. lib. 2. eleg. 29. & lib. 1. eleg. 1. vbi ita:

Psal. 67. *Peccatorum superequitat Dæmon, & quomodo.*

Tunc mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus.

Sed elegia citata 29. signatiùs, non prementem solùm, sed sedentem facit;

Instat semper Amor supra caput, instat amanti:
Et grauis ipse super libera colla sedet.

Et hunc Amorem à Dæmone qui distingues? Nunc ad rem. Benè saluandus homo in vertice

Amor turpis insultat amatoribus. Ouid. Propert.

percutitur, vt inde infaustus eius insessor deiiciatur. Non ita auderem, nisi præiret Chrysol. Serm. 105. vbi post multa de onere peccati grauissimo, sic subdit: *Hoc sustinens Propheta Beatissimus sic canebat Ps. 37. Iniquitates meæ superposuerunt caput meum: & sicut onus graue, grauatæ sunt super me. Et vt sui operis* (lego, oneris) *aperiret authorem, albi sic profatur: Verticem capilli perambulantium in delictis suis. Quia, qui non resistunt delictis; sed perambulant in eis, eorum Diabolus equitat, & percurrit in verticem: vt qui ad mala suo vadunt studio, ad peiora Diaboli ducantur impulsu, Apostolo dicente 1. Cor. 12. Tanquàm euntes ducebamini.* Locus ex parte truncus videtur, cui adhuc in Κριτικαῖς meis animaduersiunculis in hunc S. Doctorem, desidero medelam: ex quo tamen clarè elicitur mens perpulchra: quasi Dæmon occultus auriga peccatori adscribatur: & qui videtur se regere, ab alio deducatur: ideò non in dorso sedens, sed in capite, vnde mentem calcaribus turpium feriat phantasmatum. Posses etiam dicere, quemadmodum nonnulli ad caput insigniori se gemma ornare solent: sic rationalem hanc bestiam, Tartareâ se iactare margaritâ: huius enim luce regitur malignâ, qui eodem infausto gubernatur aurigâ.

Chrysol.

Animo ergo sponsa petierat hortum, ibi amœnitate florum, fructuum iucunditate, riuulorum aspectu, auium cantu curas laxatura: sed clamat subitò: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Cant. 6. n. 11. Trepidauit, nimirum, ne fortè periret, quæ, vbi egressa est, Dæmones vidit hominum insessores: & peccatoribus, tanquàm bestiarum quadrigis, præesse aurigas. Supplementum Aponij ibi: *Aminadab interpretatur lingua Hebræorum, populus meus spontaneus. Hic ergo populus immundorum Spirituum ceruicibus insidet ad scelera perpetranda. Per hoc, quod factura est Dei, quandiu voluit per libertatem arbitrij in sanctitatis stare vestigiis, populus Dei fuit: vbi electus, propria voluntate, relicto Rege spontaneus factus est: quia per calliditatem homines ad suum seruitium inclinat, quando supradictis quadrigis inhærens, Pilato, milite Romano, vel promiscuo vulgo clamante, Crucifige, Christum conatur occidere.* En habes peccatores non solùm quadrigarias Dæmonum bestias, sed & currus quodammodo falcatos: quibus contra cælum Dæmon obarmatur: ac si malitiâ ipsos excedant Dæmones, à quibus pro robore bellico assumuntur. Ecquæ maior pœna, quàm bestiales, & bellicas quadrigas Dæmonum fieri? Lege, si vacat, quæ de his fusè scripsi in Cant. Tropol.

1143. Cant. 6. *Peccator quadriga Dæmonis.* Apon.

Accedat his mulier illa, quam Christus Dominus curauit, de qua Lucas: *Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* cap. 13. num. 11. Tota infirmitas in inclinatione consistebat, quasi depressa pondere, misera incuruaretur: & quasi in terram prona quadrupes ingemisceret. Neque mirum, quando non solùm morbum grauantem, sed & Spiritum, id est, Infernum aurigam gerebat opprimentem. Chrysologus Sermone 105. *Videtis, quia hæc mulier depressa iniquissimi Spiritus onere suspirabat: qui semper oneribus peccatorum deprimit homines, & inclinat ad terram, ne cælum videant,* &c. *Sed inclinato capite, defixis oculis, prono vultu,*

1144. Luc. 13. *Et oneraria eius bestia.* Chrysol.

 captiui

captiui sub iugo semper hostis teneantur antiqui. Itaque infausta, non solùm onetaria bestia merces Dæmonis, culpas, scilicet, baiulat; sed & ipsum Dæmonem dominum durum patitur insessorem. Ob hæc Dauid exclamat, imò in illo Deus: *Nolite fieri, sicut equus, & mulus, quibus*
Psal. 31. *non est intellectus.* Ps. 31. num. 9. Piissimus quippe Dominus, ne cogatur bestiarum pœna homines punire, Prophetæ ore euitandam commonebat. D. Paulinus suprà citatus, in eadem Samsonis historia persistens: *Ita enim nobis violata Christi gratia, vt illi incisa coma hostis illudet. Auferet*
Paulin. *oculos, mittet in carcerem, & vertendis molis, velut asinos, deputabit. Unde nos Dominus, ne collum nostrum non subditum iugo Christi, dignum faciamus asinaria mola; id monet per Prophetam: Nolite fieri,* &c. Ecquid stolidius, quàm suaue Christi iugum spernere, vt grauissimo Dæmonis iugo inde subdamur.

1145. Eccles. 3. Sed optimè ad rem meam Ecclesiastes: *Unus interitus est hominum, & iumentorum, & aqua vtriusque conditio.* cap. 3. num. 19. De quo benè
Peccator bestiarum more moritur. D. Bernardus hic apud Godefr. *Quidni similiter exeat, qui similiter vixit? More bestiali incubuit terrenis, morte bestiali excedet terris.* Quæ pœna turpior? Quid miserius, quàm hominem natum, vt instar Angeli Deum cognoscat, obire iumenti instar: id tantùm rationis conseruans, quod augendæ pœnæ apud Tartaros fuerit necessarium? Sed pergat Bernardus: *Quid etiam mirum, si similem sortimur exitum, qui similem habuimus in-*
Bernard. *troitum? Unde enim in hominibus, nisi de similitudine bestiali tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Ita homo in conceptu, & in ortu; in vita, & morte comparatus est iumentis.* Quasi ab ipsa conceptione, tanquàm à radice, totius bestialitatis nostræ miseria dependeat: ibi bestialem induimus similitudinem ab effrænata libidine parentum prodeuntes: de quo plura in Examine congessi.

§. IV.

Cætera Tituli exponuntur.

1146. Et quidem ita est. Originalis culpa, & fomes inde relictus, tanti damni est causa: inde tanta labes orta, tanta pe-
Originalis culpa, & fomitis, effectus bestiales. stis adorta: inde enim libidinibus effrænatis animus sic reptatur, vt nisi has, fauente gratia, cohibere studeamus, semper in stoliditatis brutæ infamia permanebimus. Hoc ita planum, vt veteres Ethnici, qui appetitus nostros fomite deformatos ignorabant, aliunde bestiales illarum experti mores, bestias quasdam affirmarent ab ipsa naturæ origine nobis fuisse ingenitas, vniuscuiusque animo inhærentes. Hinc Author carminis aurei:

> Λυγρὴ γὰρ συνοπαδὸς ἔρις βλάπτυσα λέληθεν
> Σύμφυτος.
> *Molesta nobis comes lis nociua latet*
> *Congenita.*

Iamblic. Ad quem locum multa habet Iamblicus. Verto illum ab illis verbis: Ἐνταῦθα τὸ δίττον, &c. quorum hic sensus: *In hoc loco ostendit anceps illud binium, natura humana constitutum, & congenitum nobis ab ipsa origine: alienum quoddam animal, quod alij quidem feram multorum capitum appellant: alij, mortuam quandam vitæ imaginem: alij denique naturā γενεσιουργὸν, id est, originis operatricem.*

Instituit huic Philosophiæ eleganter Claudianus in 4. Consulat. Honor. vbi ita, post alias hominis descriptas faculates: 1147.
Id ostenditur.

> *At sibi cuncta petens, nil collatura Cupido*
> *In iecur, & tractus imos compulsa recessit:*
> *Quæ velut immanes reserat dum bellua rictus,* Claudian.
> *Expleri, pascique nequit: nunc verbere curas*
> *Torquet auaritiæ: stimulis nunc flagrat amorum:*
> *Nunc gaudet: nunc mœsta dolet: satiataq; rursus*
> *Exoritur, cæsáque redit pollentius Hydra.*
> *Hos igitur potuit si quis frænare tumultus:*
> *Inconcussa dabit pura sacraria menti.*

Vide plura ibi, & apud Iamblicum citatum, qui concludit: Τὸν ἐν ἡμῖν θεῖον ἄνθρωπον, τῷ πολυκεφάλῳ θρέμματ@ ἐγκρατῆ, ποιητέον. Id est: *In nobis diuinum illum hominem, multicipis huius bestiæ debellatorem, constituendum esse.* Vidisti expressiores vnquam figuras, vmbras clariores vtriusque illius hominis; spiritualis, scilicet, per gratiam, & animalis per originem: quos in vnoquoque nostrûm distinguit Paulus? Vnde scitissima apud Mythologos allegoria de gesto Herculis, de quo Seneca in Fur. Iamblic.

> *Quid sæua Lernæ monstra, numerosum malum:* Senec.
> *Non igne demum vicit, & docuit mori?*

Effigians virum iustum, feruore spiritus, Hydram bestiam centicipem nobis congenitam, detruncasse, bestialibus carnis motibus debellatis. Sed iam ad sacra.

Post colluctantes ventos, & sæuissimè mari debacchantes, quos vidit Daniel, addit: *Et quatuor bestiæ magnæ ascendebant de mari.* cap. 7. n. 3. Erat mare istud, cor humanum, tentationum flatibus concussum: quod, dum pro assumpta metaphora fluctuans in spumas sperares, bestias despumasse recognoscis. Et cur ita? Quia cor humanum ab origine bestiale, dum erumpit, nihil præter bestias poterat exhibere. Ricardus Victor. ibi apud Tilm. *Quid, quæso, est, bestias, post ventorum pugnas, de mari ascendere: nisi bestiales motus, & irrationales impetus, post tentationum violentiam de cordis instabilitate exsurgere, & prorumpere in apertum? Quasi bestialem enim formā sibi induit, qui bestialiter viuit. Quid nisi bestiæ sunt, qualibet vitia, vel qualibet praua desideria? Eiusmodi bestiæ mores lacerant, virtutes iugulant, animam suffocant.* Citiùs igitur belluam sæuissimam domitabis, quàm desideria ab origine insita, quæ crescere permisisti: imò ex industria, & opera nauata infelix nutristi, fouisti impudens, imprudens saginasti. 1148. Dan. 7.
Appetitus motus bestiales.
Ric. Vict.

Conuersurus Deus homines, & miras in illis facturus mutationes, inter alia sic habet apud Michæam: *Auferam equos tuos de medio tui: & dispergam quadrigas tuas.* cap. 5. num. 10. Atqui, inquis, equi potiùs è stabulis videbantur auferendi, quàm ex hominis medio reuellendi. Nisi fortè, *in medio* sui, id est, in penitissimo pectore, & cordis medítullio, equos fouisse hominem dixerimus. Planè ita est. Egregiè contra auaritiam Stephanus Cantuar. ibi apud Godefr. *Id est, auferam abundantiam temporalium, de corde tuo. Non dicit, de stabulo; sed, de animo: quia, si equi sunt in stabulo ad necessitatem; nunquam* 1149. Mich. 5.
Bonis temporalibus, qui vtendum.
Steph. Cant.

nunquam debent esse in animo per amorem, & superfluitatem. Adde, signatè bona temporalia in hoc loco per equos in medio corde stabulantes significari: aut saltem hos præcipuè exprimi: quia cor peccatoris ab origine bestialibus libidinibus assuetum, aptum bestiis stabulum intelligitur: ac proinde falsa Herculis gloria in stabulis Augiæ repurgandis, verè Christo Domino obstacula cordis mundata, attribuitur.

1150. Bestiam magnam de mari ascendentem, in vniuersi Orbis ruinam in sua Apocal. plorat Ioannes. Quis ergo crederet, ipsummet epist. 1. cap. 2. vbi pestes enumerat mundum euertentes, ad hanc iterum bestiam non recursurum? Et tamen, pende, quod dicat n. 16. *Omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Id est, his malis mundus consumitur. Et vbi bestia illa marina, cui Draco, siue Dæmon, magnam dederat euertendæ terræ potestatem? Apocal. 13. à n. 1. Scilicet, alio nomine, illa ipsa bestia, in hac concupiscentiarum hydra intelligitur: nam, vbi eandem cernis immanitatem, eandem naturam intelligas, necesse est. Adamus de Persenia hic apud Tilm. *Ecce quibus laqueis vniuersum Orbem penè, Diabolus sibi irretiuit: bestia hæc triformis, non tam ascensura est, quàm de abysso iam ascendit, os habens, loquens ingentia, & nominibus plena blasphemia; totúmque penè hominum genus tribus dictis cornibus ventilauit, certatim properans sibi imprimere imaginem bestiæ, & huius charactere se signare.* Sic vna, & totalis causa miseræ ab humana forma in bestias deformationis, libido est, & effrænis concupiscentia, de originis spurcitie nobis indita: quæ omni vehementior Circe, homines efferans, imaginem bestialem suam illis impressit.

Concupiscentia, immanis bestia.
1. Ioan. 2.
Adam.

1151. Ex industria hucusque tacui de Maria: vt iam totâ ob prospectum obiectâ bestiali hac imagine, eiúsque pœnâ, ab originali proueniente, quâ turpiùs adhuc, quàm in bestias homines deformantur; perpendat Lector, an meritò sub hoc peccato concepta intelligatur illa, quæ integram, & illæsam Filij sui imaginem dicitur attulisse: quod nec etiam Dæmoni negari posse affirmat Anastasius. Et meritò: quomodo enim hoc originis fœdatæ damnum Deipara pateretur, quæ in eiusdem medicinā parabatur? Grauiter D. Chrysologus ad illud Apostoli de primo, & secundo Adamo: *Igitur, sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* 1. Corint. 15. n. 49. sic scribit Serm. 49. *Fuerit necessitas, quòd de terra concreti, cælestia respirare nequiuimus: quòd de concupiscentia nati, concupiscentiam non valuimus euitare: quòd illecebris dominantibus acquisiti, coacti sumus illecebrarum turpitudinem sustinere: quòd sæculi huius habitaculo recepti, captiui fuimus malis. At instar nostri Domini, sicut diximus, iam renati, quos vtique concepit Virgo, viuificauit Spiritus, portauit pudor, genuit integritas, nutriuit innocentia, edocuit sanctitas, virtus exercuit, Deus adoptauit in filios, imaginem totam totâ similitudine nostri portemus Authoris; non maiestate, qua solus est, sed innocentia, simplicitate, mansuetudine, patientia, humilitate, misericordia, concordia; qua dignatus est nobis fieri, & esse communis.* Vbi multa habet de Maria nos in vtero regenerante, quæ suprà dedi. Fit ergo Maria similitudinis nostræ reparatrix, vt imaginem primi Adami (qui, vt sæpè probaui, cùm in honore esset, non intellexit, & similis factus iumento, tales nos eduxit) aboleremus: feliciorem secundi characterem exprimentes.

Per Mariam, imaginem resumimus diuinam.
Chrysol.

§. V.

Homo per culpam inane simulacrum, & phantasma ridiculum efformatur.

RESTAT adhuc noua deformati per culpam hominis miseria latissimè ostendenda: cui (ad pudorem fidelium dico) vel etiam Ethnicus Iamblicus occasionem dedit discutiendæ. Vocauit ille, vt vidisti, originalem pestem, *feram multorum capitum*, vel *mortuam quandam vitæ imaginem.* Itaque, imago Dei, iustus est: sed imago viua, plena, solida. Peccator etiam hanc imaginem exhibet, sed illam mortuam, vacuam, inanem. Iustus soliditatem, & spiritus vitam gerit: imago tamen dicitur, quia repræsentat Deum: inanitatem, & spiritus mortem gerit peccator, ideò non tam Dei est, quàm videtur imago. Imago sancta Deum exprimit: peccatrix imago, vanam expressionis vmbram ementitur. Agedum, videamus priùs fusè hypocrisim hanc peccati, totidem posteà Mariæ solidam imaginem prolaturi. Ideò ergo Apostolus ad Romanos: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* In Græco est, συσχηματίζεσθαι, *nolite configurari*, cap. 12. num. 2. Alludens absque dubio ad id, quod dixerat 1. Corint. 7. num. 31. vbi σχῆμα habet: Latinè: *Præterit enim figura huius mundi.* De quo ita Caietanus: *Figura, hoc est, forma, seu habitus apparens mundi huius: habet enim sub sua specie aliquid fallacia.* Non enim solummodo figura est mundus, sed illa fallax: non tam de vero, quàm de apparenti quadam specie repræsentans. Hoc ergo est, quod Romanis iam Sanctis Paulus præcipit; ne, scilicet, configurentur mundo, vnde inania phantasmata, vacuæque figuræ exhibeantur. Chrysol. Serm. 120. *Apostolus, cùm dicit: Nolite configurari huic sæculo. sæculi vitam corrigit, arguit mores, indicat institutum, castigat voluntates, luxuriam condemnat; & totam vanitatum sæcularium pompam propellit, effugat, excludit à mentibus Christianis.* Quia, si hanc vanitatum pompam sequeremur, quæ est mundi figura; iam pomposa quædam vanitas videremur. 1152.

Iamblic.
Peccator, imago Dei mortua, ridiculum phantasma, fusè.
Rom. 12.
1. Cor. 7.
Mundus cur figura.
Caietan.
Chrysol.
Peccator pomposa vanitas.

Formauit Deus hominem *ad imaginem, & similitudinem* suam, Genes. 1. n. 27. quia de natura rationali *imago*, sicut de gratiæ participatione *similitudo* prosiliuit: vt quodammodo ratio similitudinis, rationem imaginis animaret: & tamen Dauid de homine locutus, sic habet: *Veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens: veruntamen in imagine pertransit homo.* Ps. 38. n. 6. Et vnde, Sanctissime Vates, omnem hominem vanitatem audes dicere: imò & vanitatum vniuersitatem: cùm vel etiam peccator, de rationali 1153.

Genes. 1.
Psal. 38.

conditione aliquid satis solidum sortiatur? Omnem, inquit, hominem appello vanitatem; omnem, scilicet, illum, qui solummodo in imagine pertransit: qui ratione similitudinis spreta, solam imaginis conseruat rationem. Quid enim prodest, si rationali anima Deum referas, dum sanctitatis spiritu ab illo totus differs? Quasi peccatrix anima, & imagine naturæ solùm contenta, verè sit vanitas, phantasma imaginarium, vana repræsentatio. Huc allusit Galfridus apud Tilm. ad cap. 2. Genes. de formatione hominis locutus, non solùm ad imaginem, sed etiam ad similitudinem: *Ad hoc referunt, qui studiosius eadem facta, vel verba scrutantur; quòd rationis capacem fecerit,*
Galfrid. *& virtutis. Quod autem alibi dicitur. Veruntamen in imagine pertransit homo, &c. Nonnulli sic intelligere volunt, quod similitudine virtutis amissa; in imagine tamen rationalitatis transeat homo: videlicet, quòd anima est retinens, etiam cùm amiserit, quod ad spiritum pertinebat.* Imago autem hæc absque similitudine, merum est phantasma, vanitas vniuersa, è sola virtute capiens plenitudinem.

1154. Sequitur, & consequitur Iacobum piissimum impius Laban; scrutatur eius familiam, & suppellectilem; nec tamen idola inuenit, quæ requirit: imò nec aliud quidquam vidisse dicitur: quia, vt suprà dicebam num. 808. non poterant fascinati eius oculi, & mens caligans solidas domus sanctæ virtutes intueri. Tunc Iacob: *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* Genes. 31. n. 36. Siccine binæ filiæ, tot nepotes, nihil de paterna domo, & illa prædiuite secum attulerunt, vt securus Iacob, nec hilum, nec pilum apud se inuentum in idolorum scrutatione, posset modestissimè iactare? Certè, licèt aliquid afferrent, xenia olim data, distributa munera: homo tamen sine virtute phantasticus, qui similes inuestigabat imagines, idola vana; ista non curabat: vnde Iacob, qui in sancta sua familia nihil nisi solidum condidit, nihil quod phantasticè inane foret, pertimebat; insultare quærenti meritò potuit querebundus. Pulchra, quæ citato numero dedi ex Ambrosio lib. de fug. sæc. cap. 4. sed, quæ addit in rem præsentem, pulchriora: *Vt Laban scrutans domum eius, nihil apud eum inane, nihil vacuum reperiret, nulla simulacra, nullam effigiem vanitatis: non enim apud eum erat imago, sed veritas: non effigies ignaua, sed solida forma iustitia, & vera virtutis expressio intelligibilis.* Impius itaque effigiem gerit, sed ignauam: iustus expressionem portat, & repræsentationem; sed in qua solida iustitiæ forma reperitur. Ideò meritò addit Iacob: *Laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri.* num. 42. Quibus verbis cessit Laban, & humilis pacem fœderis postulauit: qui enim inane phantasma erat, & simulacrum, non poterat voci Iacob reuinctus, reclamare.

Iustus nihil inane gerit.

Genes. 31.

Ambros.

1155. Hinc illud apud Iob: *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt, cum vincti fuerint.* cap. 36. n. 13. Talis erat Laban prædictus, quid clamaret deuictus, & deuinctus? Sed nota, in Sixtianis ex Græco, pro simulatoribus legi, *hypocritæ corde*: mira emphasi: cùm enim hypocritæ appellentur, qui visu, & cæteris exterioribus indicibus cor abscondunt internum; qui erunt illi, qui *hypocritæ corde* appellantur: nisi, qui ipso corde aliquid magis interius occultant? Hypocritæ, nimirum, corde: quia, cùm pectus inane, & corde vacuum gerant; nihilominùs cor habere mentiuntur: hi sunt certè, quos sanctos, prudentes, & benè cordatos vulgus putat: cùm reapse cordatæ cuiusdam sanctitatis mera quædam phantasmata existant. Tale aliquid cogitabat D. Anthon. de Pádua Serm. 14. post Trinit. ad hunc locum sic scribens: *Simulator dicitur è simulacro: gestat enim imaginem eius, qui non est ipse: simulacrum à similitudine dictum. Hypocrita est quasi simulacrum, similitudinem sanctitatis alterius pratendens. Huic simulacro honor impenditur: quia aliquid Diuinitatis ibi esse creditur.* Iustè iniustos reprehendit honoris indebiti raptores, qui non meliori iure, quàm phantastica fictæ Diuinitatis idola olim colebantur, honorantur: quibus fidelium oblationes, non magis, quàm idolis sacrificia debentur. Quidni, si & ipsi de ignauia, mera quædam idola veniunt r. putanda?

Iob 36.

Hypocrita corde, quis.

Anth. Pad.

Est illustrissimus in hanc rem locus ille propheticus, vbi diuini Iudicij forma exprimitur, sententia publicatur: *Deus stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat.* Psl. 81. n. 1. Cur enim Prælati, & Sacerdotes hoc loci vocentur Dij; nisi vt qui probati fuerint de similitudine ad Deum verum, simili maiestatis titulo decorentur: qui verò minùs habentes deprehendantur, Dij etiam, sed falsi, id est, idola mera denotentur? Attende. Hoc certè interest inter Diuinitatis certamen, à quouis alterius æstimationis certamine: quòd qui in primo vincitur, abit in phantasma: non sic, qui in secundo superatur. Contendit, v.g. aurichalcum cum auro, & superatur: attamen, si auri æstimationem non acquirit, saltem metalli conditionem innatam non amittit. At contendat de Diuinitate cum Christo nostro Ethnicus ille Iupiter, (quod primitiua in Ecclesia sæpè euenit:) equidem non solùm condemnatus Diuinitatis titulo spoliatur, sed merè idolū manet, id est, inanis species, vacuum phantasma. Hæc ergo est causa, cur Prælati in hoc Iudicij discrimine Dij appellentur: ni enim per gratiam, & similitudinem, quodammodo veram participent Diuinitatem, necessariò idola remanebunt: & cum Diis veris, Dij etiam, sed falsi, qui sunt prædicta phantasmata, habebuntur. Sed præstat audire Balduinum ad cap. 20. Act. Apost. vbi obiter de hac re, ita ad Sacerdotes, & Prælatos ecclesiasticos: *Si cui vestrûm sanctitas deest, quod absit, timeat illum, qui Iudex est: timeat illum, quia stetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deos diiudicans: nouit enim, qui sunt eius. Nam, qui amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & primas salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi: qui sunt mercenarij, qui sunt fures & latrones, qui non intrant per ostium, qui sunt nummularij, qui vendunt columbas in templo, qui sunt canes muti, operarij mali: totum hoc genus Deorum, inter falsos Deos computandum videtur: simulacra enim Sacerdotum sunt, & sicut imagines Deorum, aut idola abominationum, in templo. Quemadmodum vnius veri Dei cultus per idololatriam indebitè*

1156. Psal. 81.

Sacerdotes nequã, idola.

Balduin.

indebitè idolo exhibetur: ita honorem Diis, id est, sanctis Sacerdotibus debitum, indebitè sibi vsurpant, qui sibi sumunt honorem, non vocati à Deo, tanquàm Aaron. Nihil grauius in hoc genere dici potuit: nihil enim idolo inanius potest inueniri. Immoror tamen.

1157. Propterea conuicti iam Ethnici aliquando de phātastica Numinum suorum Diuinitate, & mera inanitate; saltem nomini daretur contendebāt, quod Numini non poterant extorquere. Huc collimabat Symmachus vrbis Præfectus in relatione illa celebri ad Imperatores, (quam diuino Spiritu grauiter refutauit Ambrosius epist. 31.) de Victoriæ ara restituenda: *Repetimus igitur religionis statum, qui Reip. diu profuit. Certè numerentur Principes vtriusque sectæ, vtriusque sententiæ: proximus eorum cæremonias Patrum coluit, recentior non remouit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorum. Quis ita familiaris est barbaris, qui aram Victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus; & talium rerum ostenta vitamus: reddatur tamen saltem nomini honor, qui Numini denegatus est. Multa Victoriæ debet æternitas vestra, & adhuc plura debebit. Auersentur hanc potestatem, quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista, votiua est: nemo colendam neget, quam profitetur optandam.* Pulchra verba, sed æquè inania, atque religio falsa, quam tuebantur. Suismet dictis Symmachus confunditur: quid enim *nomen*, nisi inanis sonitus? Quasi in simulacro Victoriæ nihil iam aliud, quàm in nulla natura, magnum quoddam nomen colendum laboraret. Puto, volebat hoc Ambrosius citatus Symmacho respondens, vbi ita ad Imperatorem: *Volue, quæso, atque excute sectam Gentilium: pretiosa & grandia sonant, veri essæ a defendūt: Deum loquuntur, simulacrum adorant.* Ergo etiam in hac miseria fideles ignaui, Ecclesiastici mali idolis assimilantur. Inane phantasma suum decoro Christiani, Sacerdotis, & Episcopi nomine illustrant: vt, quod sanctis de Spiritu Dei, de intùs latente Numine tribuitur honoris; sibi saltem de nomine tribuatur.

Dum nihil habent Numinis, nomen affectant.

Symmach.

Ambros.

1158. Inde capies illud Sophoniæ cap. 1. n. 4. *Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes habitantes Ierusalem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal: & nomina ædituorum, cum Sacerdotibus.* Ecquæ sunt reliquiæ alicuius, nisi partes quædam illius, qui diuisus periit? Atqui non legis idolum Baal id temporis confractum, & secundùm aliquas sui partes, in templo ad venerationem tunc relictum. Quid ergo? Nullas alias puto has reliquias, nisi ipsos æditu os, ipsos ministros templi, qui virtutis inanes, quædam idoli frusta videbantur. Ideò re magis explicata additur, non tam ipsos, quàm eorum nomina perdenda: quasi nihil, præter inanem nominis sonitum, ibi reperiretur. Notauit hoc Stephanus Cantuar. ibi apud Tilm. *Ædiui sunt custodes templi, scilicet, Sacerdotes. Æditui ergo cum Sacerdotibus sunt, qui Episcopi esse volunt, & simul Regibus deseruire. Et attende quod ait: Dispe dam nomina Ædituorum. Quasi diceret: ideò dico nomina: quia non inuenio rem nominum.* Quid enim rei, quid Episcopi in illo est, qui abdicata ouium cura, sæcularibus negotiis sub prætextu regalis obsequij assistit? Qui in episcopatu pecunias pauperibus erogandas, fingentes regium seruitium, expetcandis supremis dignitatibus impendunt? Hoc est seruire regno, an Ecclesiam euertere? Auerruncet Deus pestem, ne fit: nam esse non præsumo. Si tamen tales essent aliqui Episcopi, in vanâ & phantasticâ idoli forma res non appareret, quæ solùm de solida virtute existimatur.

Sophon. 1.

Sacerdos & Episcopus negotiis sæcularibus impensus inane nomen.

Steph. Cant.

Sed pende adhuc, ideò speciosa nomina idolis indita, vt sic nominum honor suauior obreperet. Carthaginem fundatura, & rebelles Afrorum animos domitura Dido, à Sidone idolum secum asportauit, Vraniæ nomine, id est, *Cælestis*, ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. Herodianus lib. 3. de Heliogabalo: *Simulacrum Vraniæ iussit afferri, quod, scilicet, Carthaginensibus, omniq; Africa venerabile positum fuisse, à Phœnissa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem dissecto corio ædificauit. Hanc Afri Vraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes.* Est autem *Astroarches*, vox Græca, ἀπὸ τῶν ἄστρων, καὶ ἀρχῆς, id est, *stellarum Regina.* Nunc audi, quid ad rem meam, absque dubio huc alludens habeat Saluianus lib. 8. de Prouid. de Carthaginensibus locutus: *Habent intra muros patrios intestinum scelus, cælestem illum, scilicet, Afrorum Dæmonem dico: cui ideò, reor, veteres Pagani, tam speciosum appellationis titulum dederunt: vt, quia in eo non erat Numen, vel nomen aliquod esset: & quia non habebat aliquam ex potestate virtutem, haberet saltem ex vocabulo dignitatem.* Sic etiam de speciositate nominis, Victoriæ suæ honorem aucupabatur Symmachus, vt vidisti. Quo iam intelliges, cur Deus ignauescentium Ecclesiasticorum nomina perditurus dicatur à Sophonia: cùm enim ipsi Numinis impotes, & inopes, nominis saltem quo honorentur, gloriosos captent boatus, & hoc solo tumescant; meritò vel etiam illo spoliandi condemnantur. Idem Stephanus Cantuariensis citatus: *Vel ideò dicit, se perdere eorum nomina: quia nihil est, quod magis tales appetant, quàm sua nomina celebrari.* Celebrentur, inquiunt, nomina, quando Numina non habemus. At irridetur tandem phantasticæ potestatis nomen phantasticum, & speciosa vilissimæ rei vocabula de sordibus inanescunt, sordescunt de inanitate: quando meri mendacij conuincuntur. 1159.

Speciosū vocabulum, sine re.

Herodian.

Saluian.

Steph. Cant.

Est hoc illud irati Domini apud Ieremiam: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* cap. 7. num. 4. de quo acutè dubitat ibi Galfridus apud Tilm. *Quæ sunt ista verba mendacij, in quibus nos Propheta confidere prohibet? Primùm quidem non videntur verba, sed verbum vnum tertiò repetitum: & si propter repetitionem verba dicuntur, quomodo verba mendacij? nónne enim templum Domini est Ecclesia Christi: templum Domini etiam illud, quod Salomon ædificauit, suo tempore fuit?* Sed dicendum nihilominùs, verba esse mendacij, & templum priscum Hebræorum demeritis, in inane solùm nomen, & phantasticam conditionem declinasse: quomodo enim re ipsa maneret templum Domini, quod *speluncam latronum* meritissimò Christus appellauit? Vt iam nos timeamus, qui viuum Dei templum sumus, & 1160.

Ierem. 7.

Id est verbū mendax.

Galfrid.

ſpirans Domini Eccleſia, ne ab illo deſeramur; & fugato Numine, de ſola inanitate nominis, deſerta domus arguamur. Idem Galfridus: *An ideò verba mendacij erant, quia fecerunt illud ſpeluncam latronum? Timeamus & nos: & cogitemus, quomodo nos oporteat conuerſari in domo Dei. Væ nobis, ſi & nobis propter noſtra mala opera relinquitur domus noſtra deſerta.* Non deſeretur certè vnquam Eccleſia Dei tota: deſeritur tamen certè, proh dolor! quoad ignaua membra: vt iam decora ſanctitatis nomina, verba eſſe mendacij deprehendantur: in quibus fruſtrà fiduciam collocemus.

Galfrid.

1161. Nouum planè genus illud pœnæ, quo vxor Loth deſcribitur punita: *Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Geneſ. 19. n. 26. Quantò enim paratius videbatur, ſi, quæ iuſſa non reſpicere incendium, quod euaſerat; deſumpto inde fulmine conſumeretur: vt in idem ſupplicium iniret, vnde peccatum contraxit? Sed non ita fit: ſtatua permanet amiſſo ſpiritu, imagine retenta. Cauſam ſubdit hic Stephanus Cantuar. *Benè congruit myſterio: ſtatua enim quaſi homo lineamenta corporis habet; ſed ſenſu caret. Similiter, qui retroſpicit, ad carnalia ſuſpirat deſideria, quaſi formam habet hominis, ſed ab omni ſenſu mentis penitus eſt alienus.* Quàm miſera metamorphoſis! In cæteris vnunquodque in aliud commutatur, vt nouæ formæ aduentu, abolitæ memoria, ſimul aboleatur: hîc verò iam idem non eſt; & tamen idem videtur: vt ad riſum, & aſpicientium ludibrium, ſui memoriam queat excitare. Pulchrior tamen adhuc in eadem re Philo Iud. lib. de Prof. *Quiſquis enim, contempto præceptore, per innatam ſimul, & conſuetam ſocordiam relinquit anteriora, per quæ poſſet videre, audire, aliiſque vti potentiis, ad res naturales diiudicandas; & circumacta retrorſum ceruice, cæca vitæ negotia pluris faciat, quàm partes ſui corporis: infamis ſtatua fit, nihil à ſurdo, inanimatóque lapide differens: non habent enim, vt Moyſes loquitur, tales mores, cor vt intelligant, oculos vt videant, aures vt audiant: ſed cæcam, ſurdam, ſtupidam, omni ſenſu orbatam, minimè vitalem vitam ſibi reddiderunt.* Hæc vita non vitalis huius ſtatuæ, illa eſt, quam ab originali labe vocauit ſuprà Iamblicus, *imaginem quandam vitæ mortuam.* At, neque caret myſterio, quòd non tam ſtatua ſaxi erigitur, quam ſalis: vt etiam in imagine illa mortua ſtandi permanentia deſperetur: ſal quippe, & flatu excutitur facilè, & faciliùs humore colliqueſcit. Philo iterum lib. de ſom. in idem: *Stabit inanimis ſtatua, tabeſcéſque paulatim: ſal enim res parum ſolida.* Vt ſic de phantaſmate ad nihil hi miſeri reddendi, & irridendi agnoſcantur. Habent igitur, dum durant, pro pœna duriori, amiſſa re, eandemmet figuram.

Geneſ. 19.

Hac phantaſtica forma, vnde ridicula.

Steph. Cant.

Philo Iud.

1162. Obſcura mihi hucvſque verba Pſalmi 68. (qui ferè totus ad litteram de Chriſto à Patribus explicatur,) vbi Dominus dolores ſuos enarrat, iam ex dictis videntur clariora. *Infixus*, inquit, *ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* num. 3. Quomodo enim non doleat, qui cælos maieſtatis deſerens, vt cælos habitaret amoris, qui thronum Patris relinquens venit, vt corda coleret humana: ſi pro throni pulchritudine, limoſam quandoque inuenit immunditiam; & quod magis huc facit, ſi pro ſoliditate illa cælorum, qui quaſi ære fuſi Iobo dicuntur, inanitatem quandam, & phantaſticam inuenit figuram: vbi nulla ſubſtantia, ſed apparens ſolùm qualitas reperitur? At quid, inquis, Domino periculi in hac inanitate? Id fusè, ſed grauiter explicat ibi Bernard. ſerm. 2. de Aſſumpt. Virg. *Poteritne domus mundata confeſſione priorum delictorum, & obſeruatione regularium inſtitutionum ornata; indigna adhuc iudicari habitaculo gratiæ, Saluatoris ingreſſu? Poterit ſine dubio, ſi ſuperficie tenus emundata, & iuncis ſtrata virentibus, interiùs plena ſit luto. Quis enim ſuſcipiendum Dominum arbitretur, in dealbatis mortuorum ſepulcris, quæ videntur à foris ſpecioſa; intrinſecùs autem ſpurcitia, & ſanies, vniuerſa repleuit? Eſto ſiquidem, vt aliquando, tanquàm ipſa ſuperficie delectatus, incipiat primum apponere pedem ei, qui eiuſmodi eſt, primam aliquam viſitationis ſuæ gratiam indulgendo: nunquid non reſiliet illicò cum indignatione? nunquid non effugiet clamitans: Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia? Virtutis enim ſpecies, & non veritas, quaſi qualitas eſt, non ſubſtantia: neque verò ingreſſum eius, exterioris poteſt conuerſationis tenuis ſuperficies ſuſtinere: quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus eius habitatio eſt.* Diſce obiter vota Chriſti, anxietatem tecum commorandi, qui ad primam ſanctitatis ſpeciem, quaſi obcæcatus amore, vt cibi deſiderio auicula, ad te volat: diſce in eiuſdem dolore miſeriam tuam, qui dum phantaſma degis, non vales ingredientis amantis pondus ſolidum ſuſtinere: quem quaſi foueа fallaciter obducta præcipitares.

Pſal. 68.

Quàm cupiat Chriſtus, in cordibus humanis habitare.

Bernard.

Sed etiam illa comparatio limoſi luti, virentibus foliis ſtrati, phantaſticam quandam denotat pulchritudinem: & pro illuſtrando Bernardo, ſubdo ad rem noſtram, amœna verba Galfridi apud Tilm. ad illud Chriſti Domini, qui Præcurſorem ſuum negat eſſe *arundinem vento agitatam.* Matth. 11. num. 7. Rem enim vulgarem, non vulgari elegantia trutinauit: *Arundo vento agitata, eſt religio ſimulata, foris pulchra per oſtentationem, intùs vacua exinanitione virtutis. Sed, quomodo non cederent gladio, qui non poſſunt reſiſtere verbo? Quomodo perſecutionum flumina ſuſtinebunt, quos comminationum flamina parua deiiciunt? Fieri ſolet, vt arundines impulſa vento, non ſolùm agitentur; ſed etiam ſtrideant: ſic puſillanimes quique, & infirmi primo comminationis vento concuſſi, dum nutant in ſe, murmurant inter ſe. Et mira peruerſitas, quòd aduersùs hominem fragiles, aduersùs Deum ſe exhibent contumaces.* Nullibi ventus ſibilat reſonantiùs, nullibi perſtrepentiùs reſonat, quàm in arundineto: quia, quò inaniùs, faciliùs mouetur, & ex mutua colliſione inſuſurrat. Quaſi velit Galfridus, de murmurante aliquorum garrulitate, phantaſticam & inanem eorundem religionem agnoſcendam. Redeo. 1163.

Murmuratio garrula inanem virtutē exhibet.

Galfrid.

Diuinum illud ſanctitatis ſpeculum, Iobum, ſcilicet, diuinus Hiſtoriographus in ipſo ſtatim limine, potiori, vt par eſt, titulo celebraturus, ſic incipit: *Et erat vir ille ſimplex, & rectus.* cap. 1. n. item 1. In Græco eſt: *Et erat homo ille verus.* Tota ſimplicitas, & rectitudo, in quibus hominis perfectio conſiſtit, (à quo ſimplex rectitudo omnem iniquitatis amouet reatum,) ad vnam veritatem hîc deducitur: cùm tamen moraliter veri nonnulli, licèt aliunde peccatores: & cùm (ſi ſupernaturalem intelligas veracitatis virtutem) virtutes aliæ, aptiùs ad præſens inſtitutum viderentur exprimendæ. Pende tamen in hoc loco, 1164.

Iob 1.

Peccator, homo pictus.

non

Chrysost.

non appellari Iobum hominem verum, vt à mendaci distinguatur; sed, vt homo non pictus cognosceretur. D. Chrysostomus in Catena Græca: *Erat homo verus : improbi enim sunt falsi homines, non secus quàm picti*, &c. *Solus ille verus est homo, qui, conseruata imagine, à Deo concessam pulchritudinem minimè obscurauit. Talis Iob fuit, verus, non fictus, qui rebus ipsis hominis virtutem declarauit : non habitu est mentitus, nec tanquàm histrio hanc ipsam simulauit.* Meritò ergo Iobi sanctitas per eiusmodi veritatem declaratur, per quam omnis culpa amota intelligitur, cuius aduentu vera Dei imago in imaginem fictitiam commutatur: meritò initio hæc veritas proponitur, vt falsas inimicorum calumnias, (sic amicos vocarem onerosos,) iniustas irrisiones agnoscamus, quibus Iobum veræ hypocrisis, & phantasticæ sanctitatis insimulabant.

Isaiæ 2. — *Et vana figura.* — Chrysost.

1165. Emphatica proinde sunt illa Isaïæ ex ore Dei, in media Ierosolymorum metropoli exclamantis: *Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat, qui audiret.* cap. 2. n. 2. Nota pueris historiola Philosophi, qui conciues suos taxaturus, ad meridiem, lucernâ adductâ, quasi aliquid quæreret, sollicitus Atheniense forum scrutabatur: interrogatus deinde, quid rei esset, respondit in frequentissima hominum corona: *Hominem quæro.* Quasi circunstantes omnes ridicula potiùs phantasmata, vanas imagines, quā veros esse homines iudicaret. Tale est ergo, quod seuero iudicio hominibus imputandum peccato subditis, voluit Isaïas: quasi vix in mundo, Christus adueniens hominem, verè hominem reperiret: sic omnes in emortuas vitæ imagines declinarant. Chrysost. loc. cit. prædictam sententiam suam confirmans, sic subiungit: *Quidam etiam alius, qui Ierosolymis vaticinabatur, vbi, qui audiret, vidit neminem: Veni, inquit, & locutus sum: & non erat homo. Nos quoque à quotidiani sermonis nihil recedentes consuetudine, cùm ad negotium aliquod conficiendum, aut seruum, aut filium mittimus, dicere soliti sumus: Vt homo rem administrato: vt mente, & ratione praditus cogita, atque age, functione hominem te esse ostende. Nec enim à figura, sed ab actione, quod est, vnumquodque intelligitur : ceteroqui communione nominis duntaxat, dicitur id, quod dicitur.* Sic homo pictus, qui solam hominis retinet figuram, irridetur, si de nominis analogia (demus id posse fieri) superbiret. Benè proinde Synesius epist. 78. ait: *In bello manibus opus est, non nominibus.* Quasi imbelles milites, phantastica tantùm turba, & inanis appellatio haberentur, hostibus irridendi. Vin' id ostendam. Attende.

Synes.

Zachar. 11. — *Sacerdotes improbi, idola, & hæc ridicula.* — Galfrid.

1166. Postquàm Deus populi scelera de ignaui Pastoris constitutione minatur puniturum; postquàm huius socordem incuriam describit, exclamat illicò: *O Pastor, & idolum, derelinquens gregem!* Zachar. 11. num. 17. de quo pulchrè Galfridus citatus ad cap. 5. secundæ ad Ephes. (vbi Apostolus idolorum seruitutem, id est, auaritiam, cupit à suis auerruncatam,) sic scribit: *Si graue scelus est, & horrendum nefas, quòd idolorum seruus diuinis adstat Altaribus; quid de eo Sacerdote dicendum est, qui non modò idololatra conuincitur esse; sed etiam idolum? O Pastor, & idolum! Pastor dignitate, & authoritate : sed idolum vanitate, inutilitate, simulatione. Pastor officio, idolum otio : imò nec officio Pastor; sed solo nomine erectum Pastoris simulacrum, pro Pastore.* Et meritò, qui *stultus Pastor* dicitur n. 15. iam idolum, siue imago Pastoris coarguitur : quasi in hoc stultitiam maximam protestetur. Sed, cur ita? Quia, dum reuerentiam captat, risum commouet, & ludibrium. Solet ad ouile, pastoris simulacrum apponi, vt eius aspectu delusi lupi territentur. Inter fruteta, custodis quandoque suspenditur phantasma, auibus effugandis. Euenit autem, vt hoc immobili diu deprehenso, bestiæ, & aues fallaciam agnoscant tandem, ipsique illudant, quod formidarant. Sic etiam in re præsenti solet euenire : reuerenter aliquandiu timetur ficta sanctitas, donec inanitate agnita irrideatur. Idem Galfridus: *Timuerunt forsitan, vbi primùm viderunt stantem in specula : iam te securè stercorant aues : metuebaris, vt Pastor; iam sine metu, vt idolum, stercoraris.*

Galfrid.

Exemplo declaratur. — Florus.

1167. Excitarunt ista memoriam illius gesti, quod in Gallorum ingressu, & Romanæ vrbis excidio euenisse, narrant Authores. Do Florum lib. 1. cap. 15. *Quamprimùm maiores natu amplissimis vsi honoribus, in forum coëunt : ibi deuouente Pontifice, Diis se Manibus consecrant : statimque in suas quique ædes regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt: vt, cùm venisset hostis, in sua dignitate morerentur.* Planè (quidquid velit Florus) miseri seniores, illustri habitu instar Deorum splendentes, aliquid reuerentiæ aucupari, & tanquàm Dij, honorem, & pietatem à Barbaris extorquere præsumebant. Quid autem euenerit, ibidem paulò pòst scribitur hisce verbis: *Aderant interim Galli, apertámque vrbem primò trepidi, ne quis subesset dolus, mox vbi solitudinem vident, pari clamore, & impetu inuadunt, patentes passim domos adeunt : vbi sedentes in curulibus sellis prætextatos senes, velut Deos, Geniósque venerati; mox eosdem, postquàm esse homines liquebat, alioqui nihil respondere dignantes, pari vacordia mactant.* Nulla quippe barbara nequitia tam agrestis, quæ mentitos Dei habitus, simulata insignia non colat : nulla tamen ita patiens, quæ fraude (diu enim latere nequit) tandem detectâ, fictis illis idolis non insultet.

Oseæ 7. — *Hypocrita quandoque seipsum fallit.* — Bernard.

1168. Vnde iam patet illud Oseæ 7. num. 9. de quouis iusto labente: *Comederunt alieni robur eius: & ipse nesciuit.* Deinde multa alia congerit, de illius culpa, & pœna subeunda: tunc sic concludit: *Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.* num. 16. Quantum epiphonema! Summa miseriarum inferenda videbatur; & solâ appositâ concluditur subsannatione. Cur ita? Quia hæc miseriæ illius apex debitus : nullus quippe alieno derisui, & subsannationi sic expositus, quàm is, qui deforis phantastico quodam nitet splendore, miserè intùs vacuus, & inanis: quid enim magis ridiculum, quàm si arbor syderata, & inanis, de foliorum virore, breui perituro superbiret? Quid magis expositum ludibrio, quàm si trabis intùs carie corrosa, de extrinseco apparenter robusto gloriaretur? Bernardus suprà citatus: *Videas interdum sic palliatum hominem, vt seducat etiam semetipsum; penitùs non attendens vermem, qui interiora depascitur : manet enim superficies, & salua sibi omnia arbitratur.*

Dæmon cur pico comparetur.

1169. Iam verò, si in hoc loco tenebricosam Ægyptum subsannantem capias de Dæmonibus; durius adhuc elicies subsannationis genus : nihil enim immanius, quàm illorum post lapsum pati

derisum, quos ipsius lapsûs, vnde excors, & phantasma prodiisti, consultores, & impulsores habuisti. Ipse, ipse, qui te subsannat Dæmon, ipse te excordiauit, & tanquàm adunca aquila cedri medullam penitissimam deuorauit. Ezech. 17. n. 3. Ezech. 17. Lege Interpretes: do tantùm in rem meam exemplum simile ex D. Epiphanio in Physiologo, cap. 24. pici naturam scite expendente: *Picus, auis est varij coloris, quemadmodum & Diabolus versipellis est. Nemoris frutecta ingreditur, rostróque petit, aurem eis admouens: quòd si syderata, & sine corde, inanisque, & sine medulla arbor fuerit; illam excidit, atque excisam occupat: verùm, si solidam deprehenderit, intactam relinquens, auolat, atque aliam incendit. Non aliter Diabolus, syluam, videlicet, humana natura intrat, atque in arboribus considet: hominis, inquam, cor ad inhonesta traducens, ferit, atque attentè obseruat. Si itaque hominem esse inualidum, atque excordem animaduertat; ipsum inuadit, & in eo suum nidum construit: quòd si firmo, integróque corde sentiat, fugit statim, & ad alios accedit.* Epiphan. En te exsuctâ medullâ humanæ arboris phantasma. Per culpam te alius excordiat, alius inhabitat Dæmon: Dæmone enim solummodo impletur phantastico hæc imago, cui misera subsannatio fueris, & habitatio. Videamus iam, an ista, cum illæsa, & integra Deiparæ imagine, quam probauimus, satis conueniant.

§. VI.

Maria de eximia cum Filio Deo, & homine, similitudine, nunquam imaginem hanc phantasticam gestasse comprobatur.

1170. Maria Christo simillima. VISSE creaturas aliquas, quæ in ipsa sua origine plenam Dei imaginem, & viuam similitudinem gestarunt, ex protoparentibus constat manifestè. Melioris adhuc Angeli conditionis, qui non solùm viuam hanc in sui productione imaginem gestarunt; sed etiam semper conseruarunt illæsam. Maria ergo, quæ vtpote Regina, vt esset supra omnes humanas, & angelicas creaturas, Christo similior parabatur; cur in origine *imaginem vita mortuam* portasse intelligetur? Certè iam in innocentiæ puritate similiores Christo Angeli, & protoparentes cernerentur, ni Deipara innocentissima prodiret: cùm tamen nihil Christo Deo, & homini similius, quàm eius Mater, decenter intelligatur; nihílque hac similitudine vtriusque coniunctius à Patribus prædicetur. Dedi pluscula suprà: noua alia huc, tanquàm in sedem propriam, remisi. Rem ergo iam ab aliis Mariæ propugnatoribus, maximè à Salazare nostro cap. 3. egregiè illustratam, denuò nihil ab illis delibans, in tota hac Anthologia, & præcipuè in hoc loco, aggredior, si quid potero, illustrandam. Salazar.

1171. Dolebat Isaïas, quòd de labiis pollutis, prædicationi ineptus haberetur: quibus deinde purificandis sic subdit: *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & calculus in manu eius, quem forcipe tulerat de Altari.* cap. 6. num. 6. Isaiæ 6. Sed, si purificatorij carbones erant in Altari, cur auidus non properat Propheta, & acceptâ prunâ labia sibi purgat? Vt respondeam, aduerte, ideò Psal. 2. num. 9. vocari Christum Dominum, *virgam ferream:* Psal. 2. quia, sicut nihil est, quod ignem tam expresse referat, quàm ferrum candens; (sic enim ferrea lamina ignem combibit, vt tota iam ignescere videatur;) ita nihil Diuinitatis ignem, & splendorem magis combibit, & exprimit, quàm humanitas Saluatoris, quasi tota in Diuinitatis ignem transformata scintillet. *Incarnatio quàm nobis proficeret.* Erat ergo (id vult Varadatus citandus) purificatorius ille carbo, globulus quidam ferreus ignitus, & proinde Christum optimè referebat. Trepidauit ergo Propheta ad Dominum ignitum, ad candentem hanc laminam diuinam accedere, ne vreretur. At, cur, inquis, caro sancta Prophetæ vrenda, & consumenda illo igne, quem ferreæ forcipes illæsæ, neque consumptæ attraxerunt? Respondet Varadatus Monachus in Concilio Chalcedon. I. epistola ad Leonem Imperatorem contra Hæreticos: *Rogamus vestrum imperium, vt ad eos dicere iubeatis, quare per ferrum carbonem sustulit Angelus: & Isaïas Propheta digitis carnis appropinquare non potuit: quia vrebatur? Et dicere si nequinerint, coram vestro imperio, & victoria; etiam nos, quod iussit vestra tranquillitas, dicimus, cum veritate monstrantes, sicut in Scripturis sanctis de virga ferrea dicitur, (est enim virga Christus, sicut scriptum,) in igne; & fit ignis. Nunquid possunt digiti carnis appropinquare ei, & non vri? Sed per forfices ferreas, quæ similes ferro sunt: & dum per eas tenta fuerit virga ferrea, iam tunc teneret carnis digitis, nec vruntur,* &c. Varadat. *Sicut virga ferrea fit ignis, & absque forfice ferrea non tenetur: sic & Verbum, quod erat in principio, teneri non poterat, & fieri vita hominum, nisi induisset carnem, vt in eo corpore secundùm similitudinem teneretur. Non poterat autem sine corpore hominis hoc teneri: sicut nec Isaïas illud tenuit digitis carnis: quoniam nondum indutum carne Verbum Dei.* Impexa verba, & in Exemplaribus Latinis fortè mutila; Græcis, vnde corrigerentur, nunc careo: ex quibus tamen sententia sic videtur deducenda. Ad Verbum, quod nondum verè carnem agnouit Isaïas, timuit carnis digitis accedere, etiam dum typicè incarnatum in ferro illo ignito repræsentabatur. Discit tamen interim, tenendum aliquando, & tangendum digitis nostris carneis Verbum Carnem factum: quia iam similitudo intercessura: sicut tunc typica illa massa ferrea ignita, ferreis forcipibus de similitudine tenebatur.

An ergo non putares, Carnem aliquam penè diuinam, & Verbo ipsi simillimam, quæ purum hunc Diuinitatis ignem tangeret, nec vreretur? 1172. an non simillima Deo Maria, quæ in vterum suum ex paterni pectoris Altari Verbum traxit incombusta? *Maria, forceps carbonis purificantis.* an non similior in re, Maria figurato ibi Christo, quàm sacræ illæ forcipes figuranti laminæ similes habebantur? Quid? Forcipes certè illæ, ideò tanto mysterio aptæ, quia Mariam aptissimam significabant. Iurat mihi hanc mentem D. Methodius loco à me sæpè citato apud Canisium: *Tu cuncta continentis, & comprehendentis comprehensio: tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa: tu porta, per quam in carnem ingressus est Deus: tu purificantis carbo-*

nis

nis forceps. Et putes decens phantasticæ aliquando culpæ imagine, & inani similitudine fœdatam; quæ in tam plenam, & solidam cum Deo similitudinem figurata, Deum sibi simillimum gestare potuit? Parum id: ipse Seraphinus de reuerentia attingere (vt passim legis) prunam non est ausus: & ad forcipis recurrit ministerium. O quid agis, Spiritus mundissime, nunquid ferreæ forcipes, manibus tuis venient puriores? Non illas in se, sed ratione figuræ æstimabat: Maria, *purificantis carbonis forceps*, attingendo Deo purior, quia similior.

1173. *Maria cur immortalis myrrha.* *Septuag.* Et nota obiter, (id, quod suprà fusè,) calculum in hoc loco Isaiæ, non de pruna, siue carbone, sed de carbunculo gemma ab aliquibus explicari, cum Hieron ibi: & iterum epist. 143. ad Damascen. & meritò: ἄνθραξ enim, quo Septuaginta vtuntur, vtrunque passim significat: eandem vocem Methodius vsurpauit, ἄνθραξ: vnde Mariam, forcipem carbonis, aut carbunculi voluit appellandam: quia, vt alibi dixi, tota gemmea, gemmam diuinam nobis edidit. Sed pende trita aliàs D. Epiphanij verba Orat. passim cit. *Epiphan.* *Nomen illud Maria interpretatur myrrha maris: myrrham verò aliquis, quod ego etiam aio, de immortalitate: eò quòd paritura esset gemmam immortalem, in mari, hoc est, in mundo.* Planè hanc *immortalitatem*, ad negandam corporis mortem, temerè deducas: cùm & Maria, & Christus huic succumberent. Vocatur ergo Christus gemma immortalis: quia culpæ morti succumbere non potuit: & Maria, dum myrrha de immortali incorruptibilitate appellatur, immunis culpæ indidem intelligitur: quasi non posset parere Christum innocentissimum, nisi illi in hac dote pulcherrima assimilaretur.

1174. *Baptistæ reuerentia erga Christum.* Venit Christus ad Iordanem baptizandus à seruo, sacræque humilitatis prodigiosum daturus ostentamentum: huic peragendo mysterio satis foret, si Ioannes paululùm aquæ hauriens è flumine, Domino superfunderet: veruntamen non ita factum; sed vterque fluminis alueum ingressus est. Id ferè colligunt apertè ex illis verbis: *Matth. 3.* *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua.* Matth. 3. num. 16. Quid ergo addit fluminis ingressus iste, qui tanquàm necessarius adhibetur? Nimirum, licèt humilitatis Sacramentum vtrouis modo perinde peragi posse videbatur: tamen & tanti Domini debita excellentia, & iusta serui reuerentia, cautus timor, de ingressu fluminis clariùs denotatur. Varadatus citatus: *Varadat.* *Etiam & ipsi, qui tenent in fundo virgam ferream, & ignem, qui similis est, in aqua: & tunc possunt digiti tenere, & non vri. Ita factum est & in Ioanne, qui secundùm similitudinem artificis tenuit baptizando in aqua Dominum, ad similitudinem ignis.* Quia nec etiam Ioannes in vtero sanctificatus, Christo sic familiariter poterat accedere: nisi quodammodo Christus supremæ maiestatis suæ gloriam temperaret, & sub ingentis humilitatis habitu absconderet: sicut lamina candens tractanda homini in aqua temperatur. Nec enim etiam vterina sanctitas Christo in fulgorum suorum igne se exhibenti, nisi nimis è longè similabatur.

1175. Tantummodo in hanc rem videntur scripta notissima aliàs verba Bernardi Serm. de verb. Apocalyps. ad illud de Maria, cap. 12. *Mulier amicta Sole.* vbi ita: *Bernard.* *Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ Sapientiæ, vltra quàm credi valeat, penetrauit abyssum: vt, quantũ sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo, nimirum, igne Prophetæ labia purgantur: illo igne Seraphini accenduntur. Longè verò aliter Maria, meruit, non velut summatim tangi; sed operiri magis, & vndique circumfundi, & tanquàm ipso igne concludi, &c. Quàm familiaris ei facta es, Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti!* Non Seraphini, nedum Baptista, Deo similiores, quàm Maria. Præcursor media aqua ignem tangit: Maria immediatè, & proximè, imò intimè hunc contingit. Quidni, si ille in vtero seruus, Domina in ipsa Conceptione similitudinem combibit expressam? Seraphini hoc igne incenduntur; sed longè aliter Maria: certè, quia purior, quia innocentior, diuinóque igni similior, combustionem pati non poterat; sed totam claritatem combibere potis erat. Cauendum nobis, ne carnales Bernardo videamur, si Mariam Deo intimam non agnoscimus: si Sole radiantem, neque combustam videntes, mediam adhuc inter illam, & Deum angelicam agnoscimus puritatem, quasi iam Mater *proxima* non sit habenda. *Mulier amicta Sole*; addit Bernardus: *planè amicta lumine, tanquàm vestimento. Non percipit fortè carnalis: nimirum spirituale est, stultitia illi videtur.* Ecquis est, qui malit, de condemnata Deipara carnalis audiri, quàm spiritualis audiri de commendata.

At habet multùm ponderis id, quod asseuceranter protulit Bernardus, diuinum hunc ignem 1176. *Maria antonomasticè amica Dei.* (quem de sola similitudine tangi, satis probaui,) Mariæ communicari, *quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur.* Quia, sicut, quò materia præuiis dispositionibus similior igni est, eò faciliùs formã ignis combibit: sic nulla creatura Deo agnoscatur similior, quàm quæ post Christum intimiùs Diuinitatis igne radiauit. Mariam desiderij sui scopum proponens sibi Deus, exclamauit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* *Cant. 4.* Cant. 4. n. 6. Vbi Dionysius, postquàm & carnis puritatem in myrrha, & in thure mentis virgineæ describit excellentiam, sic subdit: *Dionys.* *Ad quem collem etiam Sponsus ipsius vbertim gratiosè, & deliciosè accessit; & in medio eius demoratus est eius dulcedine delectatus: sanctificauit enim tabernaculum hoc suum Altissimus, & in medio eius non est commotus.* Sed vide, quod de tabernaculo hoc suo, de colle floridissimo testimonium proferat ipse Sponsus statim num. 7. *Tota pulchra es amica mea: & macula non est in te.* *Cant. 7.* Quasi non venturus, si quid in illa maculæ præcessisset. Cur ita? Quia, vt nemo negauerit, amicitia similitudinem requirit: & quæ antonomasticè amica appellatur, eam cum Deo similitudinem haberet, necesse erat, vt maior intelligi nequiret. At, quantò Deo Angelus similior, si Virgo maculam aliquam contraxisset? Dionysius citatus ad hunc locum: *Hoc de Virgine diuinissima præ cæteris cunctis conuenientissimè explanatur, quæ antonomasticè Christi amica asseritur: & ei in omni sanctitate, & perfectione similior creditur, in qua cuncta virtutes in termino præclara excellentiæ sunt inuenta, &c. Quam fons totius pulchritudinis natus ex ea, tanta pulchritudine venustauit, vt pura creatura*

creatura maior communicari, aut nequeat, aut non deceat. Et decuerit fœdam culpæ similitudinem, & prædictam illam *imaginem vita mortuam* in diuinissimo hoc simulacro constituere? Decuerit creaturis aliis maiorem innocentiæ gloriam, & puritatis excellentiam assignare? Id si ita esset, frustrà Singellus (vbi de Apostolis Deiparæ iusta soluentibus scribit) illam *innocentissimam* appellaret. Lege Authorem Græcum ab illis verbis: Μάλιστα δὲ. apud Cerdam Aduersariorum cap. 114. num. 19. Do tantùm pauca Latina, quæ ad rem meam: *Cùm Dei Matris innocentissimæ corpori iusta soluerentur, quod ob editum Filij Dei partum, qui ex ipsa natus est, & ortum carnis ineffabiliter accepit.* Redeo.

Singell.

Cerda.

1177. Imò verò ex hoc diuino igne, quod Mariæ communicatur tantùm, quantùm sine personali vnione, creaturæ conditio patitur, quod voluit Bernardus; ex hac similitudine, vnde pulchritudinem tantam accepit, vt puræ creaturæ maior communicari, aut nequeat, aut non deceat, quod voluit Dionysius, veritatem sortitur Angelici Doctoris doctrina, dignitatem Deiparæ esse quodammodo infinitam: vnde enim meliùs infinitaretur Maria, quàm inde, quòd infinito Numini simillima euadat? Hinc illud Cant. 2. n. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Quod cuiuis animæ iustæ accõmodans Bernard. sic habet Ser. 68. in Cant. *Quid sibi vult ista inter tam dispares cõparatio? aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat. Quam admirabile est, quòd illius intentionem ista sibi quasi propriam vendicat dicens: Dilectus meus mihi. Non eo contenta tamen, pergit ampliùs gloriari, respondere se illi, quasi ex æquo morem gerere, rependere vicem.* Nimirum, amor audax eousque erumpit in quauis anima, siue in electorum Ecclesia, vt dum totum, quod habet, reddit; par pari infinito Deo, concepta similitudine reddere videatur. Sed hæc verba, vt & alia ex Cantico, vix vnquam satis aptè explicantur, nisi de Maria. Ista, ista est, quæ Deo longè similior, sic eidem per excellentiam appropinquat, vt infinita infinito quodammodo ad æqualitatem respondere existimetur. Pulchrè Dionysius in Cant. art. 8. *O quàm incomparabilis est excellentia, beatitudo, & gloria tua! quam propinquissima, & familiarissima facta es Deo! Certè in quantum es Mater veri Dei, es dignitatis quodammodo infinitæ.* Quid ergo hæc infinita Matris excellentia, infinitæ filiæ excellentiæ vtcunque correspondens non requirat? An non, sicut indecentissimum foret, Verbum vniri humanitati, quæ priùs emortuam culpæ imaginem gestasset; non saltem indecens putetur, si Verbi Maternitas Mariam priùs fœdatam insigniret? Postulat infinitas Christi necessariò illibatam humanitatem, postulat Matris infinitas ex æquo illi, quoad fieri potest, correspondens, illibatam ex decentia conditionem.

Amor purus hominem infinitat.

Cant. 2.

Maria quomodo infinita.

Dionys.

1178. Sed pergamus in prædicto loco cum Bernardo, qui subdit: *O quid audet cor purum, & fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Itáne? Huic intenta illa maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio vniuersitatis incumbit: & cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imò etia amoris, & desiderij huius? Ita planè: ipsa est enim Ecclesia electorum, de quibus Apostolus: Omnia propter electos.* Quasi satis infinitaretur amor Ecclesiæ erga Deum, vt Dei infinita cura erga Ecclesiam collocata, de obiecto minùs digno non vilesceret. *Dilectus meus mihi*, inquit Ecclesia, in amore: *& ego illi*, in cura, in sollicitudine: ex æquo, quantùm res patitur, morem gerimus, & amorem. At, quantò dignior sola Maria, quam vniuersa Ecclesia, vt hæc vestibulum, & atrium; illa, Altare incensi, & Sancta Sanctorum appelletur, fusè suprà ex Ernaldo demonstraui. Pende ergo nunc, cùm cura ista Dei erga Ecclesiam, ab æterno illi incumberet, vt illam in tempore produceret, illi attenderet: an, qui ab initio illam in protoparentibus creauit, ad plenámque sui imaginem; ad vacuam culpæ imaginem, Matrem suam creari pateretur: maximè cùm *omnia propter electos:* at electi, vt sæpè dixi, ad ideam Mariæ, quasi etiam pro parte ad huius gloriam, & propter hanc creati existimentur. Quid ita? Quia Deus Mariæ, Maria vberiùs Deo attendat, necesse est: indéque meritò dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* quod longè excellentiùs, quàm Ecclesiæ, de infinitate similitudinem comparauit.

Amorem cordis puri quàm curet Deus.

Bernard.

Nescio tamen, quid luctæ, & amatoriæ rixæ, in hoc versiculo exprimi videatur: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ac si vel Deus animæ, vel Ecclesiæ superandæ: sic anima Deo; in lucta, & in pugna vincendo describatur potens, sagax intelligatur. Ideò Bernardus Serm. de Natiu. Mar. ad animam iustam locutus: *Luctare cum Angelo, ne succumbas: quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. An non lucta: Dilectus meus mihi, & ego illi? Netam fecit dilectionem suam, experiatur & tuam.* Infamia notabatur olim Athleta, nisi simili, & pari componeretur ad luctam: quia, vt benè Seneca, sciebat sine gloria vinci, quod sine periculo vincebatur. Quid ergo maius, quàm ad amoris certamen decorum, parem quodammodo sibi animam à Deo reputari? At tu ipse fateberis, quantò dignior Maria par Deo Athletrix veniat intelligenda. Nunc ergo satis nosti ex profanis, quàm diligenter Athletæ præuiis dispositionibus vires curarent, vt propterea ab Apostolo ab omnibus robur lædentibus se abstinuisse dicantur. Nosti etiam ex supradictis, animas, etiam post condonationem, ignauiores ex præterita culpa de se relinqui solitas. Inferas igitur, sodes, necessariò diuinam nostram Agonistricem ab imagine illa molli, vtpote vana, à Deo præseruandam, ne minùs par, & ignauior Maria ad eius certamen perueniret: idcoque, quoad potuit, illam sibi parem, & similem efformandam destinasse. Nimirum, *fœmina* est, quæ *virum circumdedit*, in lucta, puto: imò, quæ illum è sinu Patris, in vterum suum piissimè pessundedit. Rem sic illustro. 1179.

Amoris par lucta cum Deo.

Bernard.

Seneca.

Maria Dei, & cum Deo Athletrix.

Luctabatur Iacob cum Deo: audiénsque: *Dimitte me.* Genes. 32. num. 26. redditur audacior, quasi se parem viribus de Antagonistæ precibus clariùs auguraretur: vnde sanctè præsumens, non missionem à se dandam, nisi accepta benedictione minitatur. Tunc subdit Deus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam, si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines preualebis?* Non vtcunque fortis dicitur Iacob, sed *Israel*, id est, vt doctiores norunt, *Princeps cum Deo:* quasi ex præstitæ virtutis æqualitate parili, similis Deo conregnator 1180.

Genes. 32.

Amoris lucta.

regnator esset habendus. Neque enim in luctam veniret Deus, nisi Athletæ antagonizantis vires sic augeret, vt Deum sibi parem habere videretur. Audi Chrysologum, vt corruptè fertur: *Iacob fugientem solatur in somnis: redeuntem pro certamine prouocat, luctatoris constringit amplexu: vt amaret partem certaminis, non timeret.* Obscurè, insulsè, ineruditè. Quid enim est, *pro certamine* prouocare? Quid amare *partem certaminis?* Acutissimus, & eruditissimus Pater, vt in eius Criticis fusiùs probo, scripsit absque dubio: *Pro certamine prouocat,* &c. *vt amaret parem certaminis, non timeret.* Quàm enim pium certamen, vbi sub specie luctæ, amoris amplexus dissimulabatur? quid timorem non abiiceret, dum per amorem Deo se in certamine parem agnoscebat?

Chrysol.

1181. Irascitur Deus in populum scelestissimè sacrilegum: tunc sic ad Moysem: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Exodi 32. n. 10. Nunquid Moyses Deum tenebat? Credo: neque vtcunque, sed colluctans pio certamine, vt sicut Iacob, fortis etiam contra Deum haberetur. Vtrique dicitur: *Dimitte me.* quia vterque quodammodo Deo par, decertabat: vnde alter sibi benedictionem: alter populo peccati remissionem feliciter extorsit. Rupertus statim fusiùs citandus, sic Deum loquentem inducit: *Luctando fortiter, contra Deum fortes fuerunt,* &c. *Et illi quidem luctando, atque vincendo æternam sibi benedictionem; & necessariam peccatori populo suo indulgentiam obtinuerunt.* Nónne eximia sanctitatis similitudo inter Deum, & hos viros emicabat, qui sic fortes, sic penè pares cum Deo decertabant.

Exod. 32. De eodem.

Rupert.

1182. Quam igitur æqualitatem, quam proportionatam similitudinem, inter Deum, & Mariam agnoscemus; quæ non solùm cum Deo luctatur, sed Deum vulnerat? Vulnerarat olim (fingunt) Tydides Diomedes, nescio quos Deos in Troiano bello: & inde pleno ore clamandum putat Lyricus: *Tydiden Superis parem.* Maria, quæ pulchriori longè vulnere Deum ferit, nónne *par,* meliori titulo, appellabitur? Est hoc illud Cant. 4. n. 9. vbi Deus ad Mariam: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa: vulnerasti cor meum.* de quo iam audiendus ibi Rupertus, ex ore Verbi ad Mariam: *Alij quondam validi, & fortes me tenuerunt: & dicentem: Dimitte me, non dimiserunt, & luctando fortiter, contra Deum fortes fuerunt: tu autem & vulnerasti cor meum. Et illi quidem luctando, atque vincendo, æternam sibi benedictionem; & necessariam peccatori populo suo indulgentiam obtinuerunt: tu autem, quid non inuenisti, quid non accepisti vulnerando cor meum?* Septuaginta pro, *vulnerasti cor meum,* habent ἐκαρδίωσας, *excordiasti me:* quasi eminentissimæ sanctitatis piissimâ violentiâ, & plusquàm Seraphicæ charitatis sagittâ suauissimâ, Patris viscera penetraret Maria, indéque illi cor, id est, Verbum nostro loquendi modo eriperet, in visceribus suis propriis collocandum. Ecquod robur vsquam diuino similius legisti? an, quæ tanquàm victoriæ spolium gloriosissimum, viuam, & substantialem Patri imaginem detraxit; mortuam illam, & vanam culpæ imaginem gestasse aliquando decenter præsumetur? O me omni sensu emortuum, & omni corde vacuum, si præsumam! De Maria Agonistrice, plura infrà à num. 1238.

Maria lucta, quàm valida.

Horat.

Cant. 4.

Rupert.

Septuag.

§. VII.

Eucharistia in nobis imaginem Dei regiam, floridámque conseruat: hac, tanquàm filij, spirantia patris reddimur simulacra: generosè nutriti inde, vnde faustè generamur. Hoc tam eximium nobis donum, solummodo per Deiparam ministratur.

Recurro iterum ad Varadatum initio superioris tituli fusiùs explanatum: qui, postquàm typicam prunam, solummodo typico, & simillimo forcipum instrumento attingi potuisse declarat: quia Verbum non nisi incarnatum à nobis de similitudine teneri potuit, vt iam caro carnem similem contingeret; sic concludit, aduersùs Hæreticos: *Quomodo enim ostendere poterunt, ex quo est plasmatus Adam, vsque dum venisset Christus, & indutus fuisset carnem ex Maria Virgine: quia potuit quisquam electorum tenere Verbum, quod ante Luciferum est; sicut multi nunc comedunt?* Pende vltima verba: quasi tunc solummodo Christum contingamus, cùm illum in Eucharistia comedimus: & ideò nobis Deus similis in carne fieri voluerit, vt comederetur. Et meritò: qui enim veniebat nobis imaginem suam diuinam restauraturus: in imagine nostra humana, quam assumpserat, nobis etiam in eo erat cibo exhibendus: quo maximè imago illæsa, regia, florida, & generosè filialis, conseruatur. Rem latè confirmabo, vt deinde, dum tantum remedium reformatæ nostræ imaginis, solummodo per Mariam ministratum viderimus; iam luce ipsa clariùs indecens videamus, si illum fœdatæ nostræ imaginis participem suspicemur. 1183.

Eucharistia nobis, quàm vtilis.

Varadat.

Inter pulcherrimos alios comptus, quibus ornata anima sponsa à Christo commendatur; eo maximè exultat, de quo ille: *Coma capitis tui, sicut purpura Regis.* Cant. 7. num. 6. Alij vertunt: *Ornatus capitis tui,* &c. Neque nouum, vt purpureus Regis diuini Sanguis adornaret sponsam: at illud mirum, quòd purpura vni comenda capiti adscribatur: vbi enim politiorum gentium pannus purpureus (vnde metaphora sumitur) ornando virginum capiti assumitur? Tela purpurea, in vestem quidem solet adaptari, vt tegat venustans corpus: non verò vt caput integens venustet. Adde: quòd si quia supremi Regis sponsa assumitur in Reginam, & ideò regiæ purpuræ particeps exhibenda: satis, si purpuram indueret, (ordinarium, scilicet, Regum olim stemma) videbatur. Quid ergo? Regium sanè stemma, purpura est, fateor: verùm hæc circa corpus, etiam à purpuratis, & nobilioribus Regis amicis gestari solet: vnde ibi non statim euidens, & singulare regiæ dignitatis 1184.

Cant. 7.

Sanguis eucharisticus, Reges facit.

tatis insigne exhibetur. Vult autem Christus, vt anima Sponsa, à quibusuis primo statim aspectu Regina cognoscatur. At, quid ad hoc, si purpura illa capiti imponatur? Respondet hic Ambrosius in Collect. Cant. Antonij Monchiaceni (alibi non inueni) pulchrè: *Ornatus ergo capitis gloriosus, quod non regalia diademata, sed dominici Sanguinis insignia coronarent.* Quasi iam singulæ purpurei Sanguinis guttæ in gemmas verterentur ignitas, & miro artificio purpura in coronam, ornando tanto capiti formaretur: corona autem an non necessariò Reginam manifestaret? Ideò idem Ambrosius Serm. 17. in Psal. 118. num. 5. *Tanquam bene merita Regina Christi Sanguine coronatur: Et ornatus capitis tui, sicut purpura Regis. Sanguis Christi purpura est, qui inficit Sanctorum animas, non solùm colore resplendens, sed etiam potestate: quia Reges facit, & meliores Reges, quibus regnum donet æternum.* Ambros.

1185. Parturiebat Thamar, & anxiis doloribus premebatur: quidni si nouitia erat, & gemellos gestabat. Interim emittit illorum quidam manum: putánsque obstetrix, fore, vt iste primus ederetur, *ligauit coccinum* illi, inquit Textus Genes. 38. n. 24. Sed aliter res euenit: retraxit enim Zaram (sic vocatus iste) purpureâ vittâ manum insignitam, cessit gemello alteri Phares, vt priùs nasceretur. Vidisti vsquam ignauiores fines principij strenuissimi? O quid, ignauissime puer, meditaris? Nascitur auus tuus Iacob, progredientis fratris pedem manu tenens, quasi detinens, ne prior nasceretur, iam tunc piè zelotypus maioratuum; quos tandem sancta calliditate inuolauit; & tu manum emittis, quasi regna Dauidis, & sanctam Christi stirpem nasciturі, apprehensurus: & torpens subitò retraheris, quo tibi Phares, & regnum, & decus optimum præripiat? At, inquit aliquis, erat purpura illa pretiosi Saluatoris Sanguinis arrha pretiosa, vt volunt Patres, quo contentus Zaram, tanquàm pretiosiori; regna illa Dauidica valere iussit, & tanquàm spolia vilissima reliquit fratri. Verumtamen, cùm regno illi, & primogenituræ, edendi Christi series iungeretur, non tanquàm vilia videbantur hæc regna mysterioso infanti deserenda, quando illi de cognatione, diuini Sanguinis purpura veniret coniunctior. Non ergo electio mystica pueri fuit ista; sed mystica infelicitas, sors infausta: produxit manum, cùm deberet caput: manum polluit, cùm caput sacro Sanguine foret coronaturus. Fauet pro parte Hieron. ibi in cap. 3. epist. ad Gal. *Quid ostenderit Israël in legis opere manum suam: & eam Prophetarum, & ipsius Saluatoris pollutam Sanguine contraxerit.* Neque enim, addam ego, potuit in regnum illud diuini figuratiuum imperij prodire; qui dum Sanguinem attingebat diuinum; hunc, in regium stemma non accommodabat. Idem firmatur. Genes. 38. Hieron.

1186. Ita est: Sanguis Christi Reges constituit, & meliores Reges. Illo abuteris, ni eundem in regiam tibi transferas dignitatem. Ideò ergo Sanguis eius, nobis *verè est potus* Ioan. 6. vt Reges gloriosissimi euadamus. Grauiter ibi Chrysost. homil. 45. in Ioan. *Qui huius Sanguinis sunt participes, cum Angelis, & Archangelis, & supernis Virtutibus commorantur: ipsam regiam Christi stolam induti, spiritualibus armis muniti. Sed nihil dixi: imò ipsum induti sunt Regem, &c. Qui regiam purpuram coinquinant, haud secùs, quàm qui scindunt, puniuntur: quid mirum, si qui immundâ conscientiâ Christi Corpus accipiunt, idem supplicium habent, quod qui eum clauis Cruci affixerunt.* Imò, vt id obiter dicam, maiori pœna digni quodammodo iudicandi: qui enim Christum crucifixerunt, nondum immensum illud beneficium acceperant, quo Christi Carne, & Sanguine signati, in tam regiam dignitatem prouenirent: at hi post tantum decus, adhuc rebelles, quidni sæuiùs tractandi videantur? Sed, quorsum, inquis, iustus, sûpta Eucharistia, non solum regiis armis, atque insignibus decoratur; sed etiam ipsummet diuinum Regem gerit, & spirat? Nimirum, vt viua Regis imago exprimatur. Idem Chrysostomus ad citata verba Ioan. homil. 55. *Hic Sanguis facit, vt imago Regis in nobis floreat.* Sic enim per Eucharistiam ad viuum Christum exprimimus, vt ille in nobis, tanquàm in spirante quadam imagine; nos in illo, tanquàm in prototypo excellentissimo maneamus. Idem ostenditur. Ioan. 6. Chrysost.

Habet tamen non parum leporis ad rem meam, quòd non solùm esse; sed etiam florere dicatur hæc imago: neque enim parum mysterij in hac sententia inuenit S. Doctor, quam auide alibi voluit inculcatam: homil. enim 61. ad popul. Antioch. de eadem Eucharistia sic scribit: *Hic Sanguis floridam nobis reddit regiam imaginem: hic decus indelebile, hic animæ generositatem tabescere non permittit, eam irrigans iugiter, atque nutriens.* Quasi ideò Sanguis *irrigans* dicatur, vt flores producat: nec essent flores Deo grati, nisi illius regiam imaginem gestarent. At, vbinam terrarum flores Regum imaginem gestarunt? Vbi vsquam Reges in floribus exprimi potuerunt? Nosti, quam suprà ad rem aliam dedi, Aiacis fabellam, qui ob negata sibi iniustè Hectoris arma, gladio se transuerberans, sanguinem in eos flores commutauit, quibus eius nomen scriptum cerneretur. Adde, huc, ex multorum mente, allusisse Virgilium in Bucolicis: 1187. Hinc diuina imago in nobis florida. Chrysost.

Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascantur flores. Virgil.

Ergo diuini amoris syncera veritas, exquisitam mendacis fabulæ superstitionem superauit: Sanguine suo flores germinat: & hos flores, in quibus non solùm eius nomen, sed etiam eius figura ad viuum exprimatur. Equidem per Eucharistiam florescimus: ideò Abbas Cellensis cap. 9. de Panibus, vbi multa de hoc epulo, sic ad Christum: *Vere Ioseph, salus nostra in manu tua est: da nobis alimenta, vt viuere possimus: da nobis seminaria, quorum benedictionibus terram arentem, & australem inebriemus, & impinguemus. Germen siquidem benedictionis habet, qui à te semen habet: semen enim tuum pinguescit in radice, turgescit in culmine, frondescit, seu florescit in cacumine.* Tu alia: ego enim solam horum florum imaginem cupio declaratam. Cellens.

Vocarat se Christus florem campi, & lilium conuallium: & statim de Sponsa anima sic subiungit: *Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.* Cant. 2. n. 1. Et quidni? Planè ideò descendit Christus lilium, vt spinosam nostram conditionem, in lilium conuerteret: in quo proinde liliatus Dominus, & nomine, & figurâ exprimeretur: ideò descendit, ait ibi Aponius: *Vt spinigena animæ in liliorum iucunditatem conuerterentur,* 1188. Cant. 2. Et instar Christi liliata. Apon.

uerterentur, quibus Ecclesia nunc coronata refulget. Vix audit suauissimum hoc Sponsa blandimentum, (cui videbatur ob tantum beneficium impensissimas gratias reddituras,) cùm nouum aliud beneficium acceptum properat memorare: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desiderauerani, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* num. 2. Ecquò tendis, Sponsa prudentissima? age priùs pro primo gratias, & deinde secundum memorabis. Nunquid non hamatæ sunt gratiæ priorum, nouis muneribus à Deo expiscandis? Quid refers aliud iam præteritum; quæ si referres gratias, nouum comparares? Ah benè, inquit Sponsa: noui satis industrium ingenium gratiarum: in præsentiarum tamen, nec sciui, nec potui me cohibere; quominùs audito illo beneficio, quo lilium efformor; hoc secundum perceptæ à fructu dulcedinis non memorarem. Quid ita? Quia primum illud, ab hoc secundo ortum: nec enim forem lilium Domini expressiuum, ni fructum eius dulcem degustarem. Nouo genere hîc, non è floribus fructus, vt solent: sed è fructibus flores germinarunt. Ecqui fructus, rarissimos ad effectus? Aponius ibi: *Corpus eius, & Sanguinem delibando exultans ait: Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Eucharistia ergo, addes meritò, lilium supremi Regis protulit expressiuum.

Cant. 4.

Apon.

1189. Et fortasse propterea dixit Aponius, Ecclesiam his liliis coronatam refulgere: vnunquodque enim illorum exprimendo diuino Regi, aut corona est, aut inæstimabilis pretij coronam gestat. Quid enim est aliud Nazaræum nostrum lilium, quàm corona? Eleganter D. Bernardus Serm. 70. in Cantica de lilio: *Aduerte, si non aduertisti, de medio floris huius quasi virgulas aureas prodeuntes, & cinctas candidissimo flore pulchrè, ac decenter dispositas in coronam. Et agnosce auream in Christo Diuinitatem, humana coronatam puritate naturæ, id est, Christum in diademate, quo coronauit eum Mater sua.* Non possum ire hinc, (pulchrius aliquid statim de Eucharistia subiuncturus,) quin priùs lilium nostrum, quo in regiam imaginem conformamur, à Maria efformatum, & coronatum perpendamus. Quæ enim mens concipiat liliatam illam carnem, quæ aurum Diuinitatis pulchrè, atque decenter coronauit, à Matre non semper pulchra, & liliata germinasse? Benè D. Epiphanius Oratione sæpè suprà citata: *O beata Virgo, quæ gloriam cælestem portasti, & ex multis floribus Paradisi mundum odore bono replesti. Virgo est lilium immaculatum, quæ rosam immarcescibilem genuit Christum.* Tota Maria olet paradisiacos flores, id est, innocentes: tota lilium est immaculatum, quia originalem maculam non contraxit: indecenter enim, florem, ad cuius similitudinem regeneramur, generaret; si degeneri næuo, filio, de innocentia expressissima imago non prosiliret.

Lilium coronatum, Christus à Maria.

Bernard.

Epiphan.

1190. Ideò Rupertus, qui in adducto loco Canticorum, Christum inter peccatorum, & pœnarum spinas, lilium explicauit; sic Mariam inducit loquentem: *Ait ergo & mihi, quam & suprà semel, & iterum pulchram esse declarauit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea. Hoc restabat, quando ille mihi dixerat: Ecce tu pulchra es, amica mea. & ego illi: Ecce tu pulcher es, dilecte mi. hoc, inquam, restabat dicere, quòd reuerà pulcher ipse, & quòd ego ad similitudinem eius, pulchra sim. Cùm ergo dixisset: Ego flos campi, & lilium conuallium. protinus & mihi fidele perhibens testimonium: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Re enim vera nunquam satis commendatur Maria, nisi semper, quantùm res patitur, ad similitudinem Christi commendetur. Sed notandum attentè, vocari Verbum lilium, non tam vallium, quàm *conuallium:* quasi necessariò dandæ forent valles binæ, ita inter se conformes, vt de similitudine conualles dicerentur. Scilicet, Verbum humillimam assumpsit humanitatem, cui Mariæ humilitas fuit simillima: vnde iam quodammodo medium, diuinum illud lilium continebant. Alanus ibi apud Delrium: *Perfecta humilitas fuit in Maria, & in humana Christi natura: ideò persona Virginis: & humana natura Verbi, valles dicuntur propter eminentiam humilitatis: & non solùm valles, sed conualles ratione similitudinis: quia Virgo specialiter Christo fuit similis.* Sed, ô penè communem specialitatem, si Mariæ humilitas aliquando de inobedientiæ superbia, in Adamo, nedum in seipsa rebellauit! Sed de hoc alibi. Redeo ad Eucharistiam.

Maria, lilium.

Rupert.

Maria humilitas Christi humilitati similis.

Alan.

1191. Non solùm nos Reges, & flores, in ratione imaginis, constituit Eucharistia: sed etiam, (cùm nulla perfectior imaginis ratio, quàm per filiationem comparetur,) filios, id est, spirantia Dei simulacra nos efformat. At non lubet vtcunque ostendere, Eucharistiam panem esse filiorum, de quo vbiuis paginas incurres: sed eam hinc nobis filiationem prouenire, vt, quoad fieri possit, generationem Verbi à Patre imitemur æternam. Id si probem, (probabo manifestè, ni fallor;) optimam rationem imaginis putabimur sortiti, dum Verbi generationem, qua essentialiter prosiliit imago, exprimimus feliciter. Agedum, videamus, an irritus conatus. Sunt obscurissima, si quæ alia, verba illa Christi apud Ioannem cap. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Vt comparatio quadrata proueniret, aliter recudenda videbatur: *Sicut manduco Patrem, & viuo propter Patrem: & qui manducat me,* &c. Sin minùs vix legitimam consequentiam agnosces. At, si Christus verè dicere nequiuit, manducare se Patrem, (& propterea id tacuit,) vt per eum viuat; cur inferat, ex vita, quam per æternam habet generationem, vitam illam, quam per eiusdem habemus manducationem? Proportio vitæ, ad vitam clarè patet: at proportionem in tam diuerso tenore communicandi illam, quis non desideret? Prætereo alias huius loci difficultates, in quibus Principi Interpretum Maldonato, aqua hæsit: nedum inscio mihi. De præsenti iam expono, quid cogitarim.

Per Eucharistiam æternam Verbi generationem imitamur.

Ioan. 6.

1192. Æternus Pater, cùm in principio, absque principio, Verbum suum produxit, generationem illam non suspendit: sed, quo tunc modo genuit, eodem & nunc gignit per intellectum: vt in quouis totius æternitatis puncto, verissimè dicat Pater: *Ego hodie genui te.* & similiter infallibilis asserat Filius: *Ego viuo propter Patrem.* quia actu ab illo accipit viuam Deitatem: vnde

Id declaratur.

de euidenter sequitur, & primum esse, (vt barbaro nostro more loquar,) & conseruari Filij, idem esse: indignum enim esset Verbi, aliunde conseruari, quam vnde est: & indignum Patris, non semper dare, quod semel dedit: vt semper in actuali Patris exercitio perseueret. In hoc ergo videtur sita comparatio: quasi dicat Christus: Ego in spiritu meo per fidem, atque gratiam vos genui, & filios adoptaui: volóque, vt eodemmet spiritu meo conseruemini: vt, quemadmodum me Pater semper gignit; sic videar vos semper generare. Discrimen tamen maximum, quod attinet ad præsens, illud intercedit; quòd, cùm id, quod initio communicatum est Verbo, fuerit infinitum, & incapax accretionis; non potest augeri Verbum, quamuis semper à Patre producatur: at, cùm illud, quod in prima generatione, ab spiritu Christi accepimus, sit limitatum; in immensum deinde crescere potest. Tribuit itaque nobis seipsum in cibum, vt non solùm inde filios conseruet, vnde produxit: sed etiam continuò reddat impensiùs meliores. Propterea ergo non dixit Christus: (verba sunt Augustini hic in Catena:) *Sicut manducò Patrem*, &c. *non enim filius, participatione Patris fit melior: sicut participatione Filij, per vnitatem Corporis eius, & Sanguinis, quod illa manducatio, & potatio significat, nos efficimur meliores.* (August.) Vno verbo: Eucharistia sic est Sacramentum filiorum, vt ad æmulationem diuinæ generationis, vnde faustè genuit, inde nutriat generosè: licèt de nutrimento magis, ac magis similes, & ideò nobiliores euadamus. Rem clariùs ex adducendis penetrabis.

1193. Arguebat Deus duram fidelium suorum conditionem, ingenium proteruum, ingratam indolem; testimonióque cæli, ac terræ aduocato; id, tanquàm malitiæ apicem, protulit: *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* (Isaiæ 1.) Isaiæ 1. num. 2. Mirum dictu! (*Eucharistia nutriens gignit.*) Constituit Christus fideles suos, populum acquisitionis, gentem sanctam, regale Sacerdotium, vt nosti; cumulans illis regias coronas, tiaras pontificales, vt Reges Inferno imperent, & Sancta Sanctorum cæli penetrent Pontifices; immane, quantùm hoc reapse superat præsumptuosam cupidinem Oziæ! & tamen cùm posset Deus ex huiusmodi beneficiis collatis, humanam ingratitudinem coarguere; solummodo præstitum illis obiicit nutrimentum. Et cur ita? Quia, cùm prædicta omnia fideles compararent de filiatione; satis illa putauit expressa, dum filios appellauit. At non putauit, dignam filiationem proferri, nisi nutrimentum, quo generosè crescit, explicaret. Ecquod, inquis, tam eximium nutrimentum? Lyranus ibi, (Lyran.) licèt rem coarctet ad Ecclesiasticos: *Filios, scilicet, Clericos generaliter sumptos: ipsi nanque præ cæteris Catholicis pane sacræ Scripturæ, & Eucharistia Sacramento sunt nutriti.* Et meritò: sunt enim magis filij, qui frequentiùs communicant: quia tantæ filiationis ius sensim robustant, & eius titulos reddunt clariores. Habet tamen multùm emphasis ad rem nostram versio Septuaginta, (Septuag. Hieron.) quam sequitur Hieronymus, qui pro, *nutriui*, legunt, ἐγέννησα, *genui*. Nutrit enim sic Eucharistia filiationem, vt (quod in diuina euenit,) perpetuò nos gignere videatur.

1294. Allucebit his Paschasius de Sacram. cap. 20. *Quantum distat vita illa æterna, ab ista mortali vita: tantum & iste cibus omninò præeminet ab illo communi,* (*Et quorsum.*) *quo simul nobiscum etiam animalia viuunt: & ideò communis appellatur; quia omnium est, bonorum, scilicet, & malorum, necnon & animalium: at verò iste, non nisi filiorum Dei est cibus: vt inde alantur, vnde viuunt: Christo enim viuimus, cuius & membra sumus.* (Paschas.) Ingentis acuminis verba, ni cæcutis. Viuit Christus semper ex Patre, à quo genitus: & nos commanducantes Christum, per eundem, à quo geniti, semper viuimus: vt, quemadmodum in Christo non distinguitur vita continuata, ab accepta generatione: sic in nobis continuata per Christum esibilem vita non distinguatur à generatione accepta, qua in eodem Christo fuimus reproducti. Inde alimur, vnde viuimus: & vt primam vitam accepimus in Christo generante, eandem eodem nutriente continuamus. Et meritò: indecenter enim, vt mancipia aleremur, qui nati filij: neque ita propriè diuinum imitaremur Filium, nisi indidem conseruati, vnde geniti: & conceptam in Christo vitam, cuius membra sumus, hanc eodem Christo nutriti conseruemus. Exemplo, vt meliùs dicenda capias, iam dicta illustro breuiter.

1195. Nescio quid spirituale præ se fert phœnicis origo, de quo suprà plura. (*Phœnix vnde gignatur.*) Vindemiat hæc auis Sabæam pompam, vindemiat odorata germina; format inde, aut tumulum, aut thalamum pretiosum: conscendit hunc, & Solem inuocat sistentem: qui vibrato è cæsarie, aut crine flauo, aut fulmine benigno, aromata incendit: crescit ambitiosus ignis, & odorum respiramine inescatus, & alarum ventilantium perflamine: vitali fine decedit phœnix, & in ortum festinus mori gaudet: reperit in sepulcro cunam, in morte vitam, iuuentam in senectute: & nouam è Solis feruore generationem. An tam pura generatio non redolet spiritum? Ideò Poëtarum amœnior, hæc memorans subiungit:

Hic neque concepto fœtu, neque semine surgit.

At, vnde putes, vitam è Sole conceptam nutriri potuisse? Ab ipso Sole. Idem Claudianus: (Claudian.)

Non epulis saturare famem, non fontibus vllis
Assuetus prohibere sitim: sed purior illum
Solis feruor alit.

Nimirum, vt inde alatur, vnde vixit; nec degeneri nutrimento, à generatione polluatur: quo vita accepta, & eiusdem conseruatio, in radio, & per radium solarem non distinguatur. Sic in generatione iustorum, & conseruatione. Et quis scit, an id voluerit Propheta, cùm dixit: *Iustus, vt palma, florebit.* Psalm. 91. (Psal. 91.) Tertullianus lib. de resurrectione, cap. 13. legit: (Tertull.) *Iustus, vt phœnix, florebit.* Neque sine gustu ad rem, iustus, quà phœnix est, florere dicitur: nam, vt initio dicebam, ab eadem Eucharistia pulchrè floret: vt sit flos plumarum, phœnix foliorum: flos volatilis, phœnix odoratus. Hoc si noluit Dauid, volunt tamen pulcherrima alia sacra testimonia, quæ subiungo.

1196. Veniens Christus, à nobísque per fidem, & gratiam exceptus, in diuinam filiationem nos adoptauit: vnde Ioannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* (Ioan. 1.) cap. 1. n. 12. explicánsque deinde huius

huius generationis modum, visus phœniceam quandam originem apponere: *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt.* Quidquid hic est, reuerà spiritus est, vt meliùs vnicuique iustorum videatur conuenire, quod *neque concepto fœtu, nec semine surgat*; sed solummodo per spiritum Dei producatur. At quidem, quanuis iam carnales esse desinamus; adhuc tamen carnei sumus. Quomodo ergo tam subtilis, & spiritualis generatio in vasis carnis fictilibus poterit conseruari? Dices, propterea addi: *Et Verbum Caro factum est.* Vt hinc discamus, posse nos generationem hanc spiritualem, etiam in carne conseruare: sicut Christus, à quo nascimur, æternam suam generationem, in humanitate de se fragili, conseruat. Benè est: potest id fieri: sed vnde robur, vt fiat, comparabimus?

Id confirmatur. Planè, si germani phœnices fuerimus: si, vnde nascimur, inde nutriamur: ideò enim Verbum, quod Caro factum est, Carnem deinde nobis in escam apparauit, vt nutriti eodem, vnde orimur, cælestem generationem conseruemus. Pulchrè Paschasius cap. 20. citato, ad hunc locum: *Hec sanè nobis nutriunt, quod ex Deo natum est: dedit nanque Christus potestatem filios Dei fieri, &c. Illa ergo natiuitas nostra, quæ ex Deo est, vtique spiritualis est: & hæc mysteria, non carnalia, licèt Caro, & Sanguis sint, sed spiritualia iure intelliguntur, &c. Vt inde viuamus, vbi vita nostra seruatur æterna.* (Paschas.) Seruatur, nimirum, vita nostra in Christo, à quo enascimur; sicut vita Verbi in Patre, à quo oritur, asseruatur: & sic à Christo semper viuimus, sicut ipse semper à Patre genitus viuit Christus. Et vnde imago nostra, diuinæ imagini similior procedat?

1197. *Et iterum.* Erigitur Christus in Crucem saluti nostræ: hanc ille nuptiarum suarum thalamum castissimum constituens, in illa sibi Ecclesiam desponsauit. Interim accedit miles, & lanceâ latus eius aperuit, vnde subitò fons crystalla, & pyropos emanauit: *Et subitò exiuit Sanguis, & aqua.* Ioannis 19. num. 35. tunc addit statim Euangelista: *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius; & ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis.* (Ioann. 19.) Aspicin', quantum pondus verborum impendat, vt huiusce rei fidem sollicitet? Demus miraculum hic intercessisse, quod aliqui negant: at, quot alia maiora miracula, quot rariora prodigia Christus viuens, & moriens perpetrauit: quin nec verbum impendat Ioannes, fidei eisdem sollicitandæ? Quid ergo in hac aqua Sanguini permixta vidit Ioannes, vt huius rei fidem tantoperè persuasibilem commendaret? Ego crederem, cætera miracula fuisse fortè de difficultate excellentiora; nullum tamen hoc ad mysterij significationem nobis vtilius perpetratum. Attende. Erat aqua illa symbolum, vt volunt Patres, aquæ baptismalis, sicut Sanguis ille identitas eucharistici: in aqua Baptismi orimur filij; & Sanguine eucharistico filiationem hanc nobis Christus continuat, atque perficit. Id ergo maximoperè aduertite, ô homines, clamat Ioannes: noscite, ideò hunc potum solis filiis propinari, quia filiationem, quam in Baptismo percepistis Christo viuentes, solummodo Christum bibentes conseruabitis: ideò meritò vtrunque è latere simul manat, vt in aqua renati, Sanguine nutriamini: neque enim generationis, & nutrimenti vestri possunt separari principia, cùm generatio nutrimento perficiatur: vt filiatio in esse, & conseruari per Christum, non distinguatur. Maius aliquid addit Paschasius adducto lib. cap. 11. locutus de aquæ stilla, quæ calici immiscetur: *Vt quod simul de latere manauit, hoc totum noster homo, his duobus renouatus bibat: vt, si quam peccati maculam post fontem traxit, habeat in hoc vndam veniæ, qua diluatur: & pretium suæ redemptionis, quo vnusquisque redemptus, de die in diem rursus renouetur.* (Paschas.) Quasi tam generosè filiationem conseruet Eucharistia, vt etiam illam abolitam, immixtâ aquâ videatur restaurare: vt pœnitens (prætereo enim modò disputare, an aliquando per accidens restituat spiritualem vitam hoc Sacramentum) ad illam accedens nouum Baptisma reputet inuenisse, ne per culpam præteritam baptismalis filiationis dispendium patiatur.

Sed hæc aqua calici immixta, ad maiora nos vocat necessariò. 1198. Videtur itaque propterea in Baptismo, non vtcunque nobis gratiam dari; (*Baptismus Eucharistiæ zelotypus.*) sed eam gratiam, quæ filios constituat, vt dignè filiorum hoc pabulo nutriamur. Fluit ergo è latere simul aqua, & Sanguis: quasi vbi nos aqua generat, statim iuncto Sanguini committat nutriendos. Parum id. Ideò videtur aqua immixta calici, immediatè in Sanguinem transformari, imò transubstantiari, (est hæc theologizandi ratio, mihi certissima,) vt, quemadmodum in Baptismo, occulto inficientis, & rubricantis quodammodo Sanguinis mysterio, & ministerio filios genuit: sic in calice iam facta Sanguis enutriat eosdem: quasi vix computaret filios, ni nutriret: neque nutrire posset, nisi fieret eucharistica. Piè inuidus, si fas dicere, sanctè zelotypus intuebatur Baptismus Eucharistiam. Quasi dicat: Tam nobilis, tam generosus est modus, quo fideles filiationem suam reficiunt, & perficiunt per Eucharistiam: vt iam sit timor, ne fortè baptismalis mei doni obliuiscantur, & totam Eucharistiæ filiationem referant in acceptis. Ergo agedum, fiat aqua nostra olim generans, etiam eucharisticum Sacramentum: vt etiam illi cum Sanguine, imò iam factæ Sanguini, filiatio ista, quæ generationem, & conseruationem similem diuini Verbi origini habet, tribuatur. Ferè hoc cogitabat Paschasius proximè citatus cap. 11. vbi expendens illud Christi dictum ad Samaritanam: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* (Ioann. 4.) Ioannis 4. num. 14. Neque tantum priuilegium, nisi aquæ eucharisticæ tribui posse agnoscens sic scribit: *Licèt priùs mysticè vinum, & aqua commisceatur; post consecrationem tamen, non nisi Sanguis bibitur: quia in illo priùs ex aqua Baptismatis suscepti, rursus cum esuriendo, & sitiendo, quotidie potamus. Nec dubium, quin sub hoc mysterio illam bibamus aquam, de qua Dominus: Qui biberit aquam, inquit, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Propterea non inconuenienter etiam, ob hoc ibidem aqua consecratur, (non quòd aqua permaneat, sed vertatur in Sanguinem,) vt significet, &c.* (Paschas.) Vbi deinde nouam causam subiungit, quæ huc non inepta veniret. Tu lege apud illum.

1199. Ne verò quis putet, liberè me hucvsque adductis Paschasij verbis vsum, vt ex hoc optimo filiationis modo imaginem, & configurationem Dei in nobis per Eucharistiam probarem; audiat eundem Paschasium loco illo ex cap. 20. quem suprà intercepi: *Longè inferiùs vita ista temporalis, corporeo isto communi alitur cibo, & potu: longè verò excelsiùs, ac præeminentiùs vita illa, quæ abscondita est cum Deo, qua conformes illi, & configurati sumus, illo saginatur cibo, & potu, quem de Scripturis, & de Altari accipimus, & transvehit nos ad spiritualia: vt ibi exinde viuamus, vbi vita nostra seruatur æterna.* Quidni, enim seruet imaginem nostram, & vitam Deo conseruet configuratam Eucharistia, quæ, vt dixi, dum eodem spiritu Christi, quo gignimur, nos enutrit; substantialis Dei imaginem imitatur, & Verbi: à Patre semper viuens, vnde & genitum: Verbum enim degit.

Eucharistia vivas Dei imagines nos reddit.

Paschas.

1200. Iam nunc ad rem, cuius causâ tot congessimus, veniamus. Videamus, oro, an satis decenter corruptam in se aliquando gestasse imaginem Dei Maria præsumatur, quæ nobis remedium tantum imagini restaurandæ apparauit. Ponderemus, an Caro illa Christi, quæ in Eucharistia nos reformat, & tota est à Maria, aliquando sub imagine Dæmonis, sub mortua vitæ imagine, prudenter constituta intelligatur. Id quidem si eueniret, videretur quodammodo sigillo reformanti, ex industria deformes lineas inditas fuisse. An verò id diuinæ prouidentiæ congruè videatur expedire, Lector viderit non proteruus. Parasse nobis verò Mariam Eucharistiam, variis locis suprà fusè monstraui. Lege maximè illa, vbi bestialem nobis imaginem ereptam ab Eucharistia per Virginem demonstraui, quæ tota ad hunc locum veniunt aptissima. Sed subdo adhuc pauca. D. Epiphanius Oratione passim adducta, de Deipara: *Ipsa est templum minimè compositum, quæ lapidem cælestem habet Christum. Ipsa nubes tonitruiformis, quæ fulgur interius in vtero gestat. Sermonique meo attestatur Scriptura, dum ait: Venter tuus, aceruus frumenti, vallatus liliis. Ipsa est ager minimè cultus, quæ Verbum, velut granum frumenti, etiam manipulum germinauit. Ipsa clibanus intellectualis, quæ ignem, & vitæ panem habebat,* &c. *Aue, sanctissima Virgo, quæ, velut rubus intellectualis, absque combustione, Diuinitatis ignem tenes: clibanus intellectualis, quæ ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulit: de quo Saluator mundi ait: Accipite, & comedite: hoc est Corpus meum.* Elegi maximè hunc locum: quia obiter explicat, quæ de Mariana similitudine ad Deum, ex Varadato attuli. Remouet Varadatus Isaïam ab igne Diuinitatis tangendo; quia timebat comburi: remouet fideles priscos ab esu Verbi; quia adhuc in carne non apparuerat: vnde deerat vtrinque similitudo. At Maria ignem Diuinitatis tenuit incarnandum, nec timuit incendium: nec solùm suscipit, sed reddit nobis esibilem, vt illi configuremur: nimirum, quia illi omninò similis, vtpote nusquam temporis desigurata.

Maria nobis parat Eucharistiam.

Epiphan.

Absoluo Caput hoc, & Anthologiam, exhibens magnam Matrem, diuinam Cererem, filiale hoc epulum apparantem. In diuina illa orandi formula, quam Christus Discipulos suos edocuit, postquàm Deum Patrem dixit appellandum; cuius nomen in se sanctum, à filiis per virtutem similibus, gestatum, volebat pariter sanctificatum; cuius regnum hæreditario iure deriuandum publicabat; à cuiúsque participatione, ne expellerentur ingrati, paternæ voluntatis implementum sollicitarent, intimabat: iam in quarta petitione sic subiungit postulandum: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Matth. 6. num. 11. de quo ita pulchrè dubitat Chrysologus Sermone 67. *Qui Patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptauit in filios, qui rerum nos fecit heredes, qui nos nomine sublimauit, qui nos suo & honore donauit, & regno: ipse nos, vt panem quotidianum postulemus, addixit? In regno Dei, inter munera diuina, quid quærit paupertas humana? Tam bonus, tam pius, tam largus Pater, panem filiis, non nisi postulatus indulget? Et vbi est illud: Nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid vestiamini?* Maius ergo aliquid est, quod postulatur: vt, dum filiorum naturam, & similitudinem, quæsitâ paterni hominis gloriâ conseruamus, qua conseruata regnum nobis aduenturum speramus: vt spe tanta vilibus non assueti, voluntati, & voluptati paternæ morem gerere contendamus: eucharisticum tandem Panem postulemus, quo firma filiationis conditio roboratur. Et fortasse ideò inter has septem petitiones, in quibus filiationis titulum fundamus; quarta hæc in medio, & centro omnium constituitur: vt cæteris quodammodo vim præbeat: quia ipsa germanè filiationem hanc, dummodo Panem assequitur, enutrit. At, vnde nobis tam faustus Panis? A Maria. Idem Chrysologus: *Cælestis Pater cælestem Panem, cælestes filij vt postulemus, hortatur. Ipse dixit: Ego sum Panis, qui de cælo descendi. Ipse est Panis, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus Altaribus, cælestem cibum quotidie fidelibus subministrat.* Tu illatam sæpè consequentiam hinc iam infer. Ego aliò propero. 1201.

Idem ostenditur.

Matth. 6.

Chrysol.

ANTHO

ANTHOLOGIA XVIII.

Mariæ vel honor, vel infamia, in Christum deriuatur.

§. I.

Parentum de spiritu, imò & de sanguine generositas in filios deriuatur.



1202. SVPERFLVVM videbatur, conclusionem anthologicam probare, cùm ipsam ingenue concedat D. Thomas, cúmque eandem iam suprà, vbi de Maria Matre idonea, fusiùs confirmarim. Quia tamen, quò illa clariùs patuerit, eò robustius pro Conceptione immaculata deducitur argumentum: illam prætereundam non putaui, quin pro viribus, congestis vndique testimoniis manifestiorem reddere contenderem. Acutis ergo fortasse aliquando, vtplurimùm tamen solidioribus sententiis adhærebo. Quà non curà Euangelista, parentum Baptistæ splendores curauit propalare? *Fuit in diebus Herodis Regis Iudaæ Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius, Elisabeth: erant autem iusti ambo ante Deum,* &c. Luc. 1. n. 5. Quorsum enim, tam accurata genographia Præcursoris, quem virtus propria, munus, & passio decorauit? Nota Ambrosij responsio ad hunc locum: *Docet nos Scriptura, non solùm mores in iis, qui prædicabiles sunt; sed etiam parentes oportere laudari: vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas, in iis, quos volumus laudare, præcellat: quæ enim alia intentio hoc loco Sancti Euangelistæ, nisi, vt Sanctus Ioannes Baptista nobilitetur, parentibus, miraculis, munere, passione? Sic etiam Sancti Samuël mater Anna laudatur: sic Isaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit.* Ac si vix pro dignitate, miracula præcedentia, mores deinde, munus, mors Baptistæ colluecerent, si hæreditarius à parentibus splendor caligaret.

Generositas spiritus, & sanguinis in filios deriuata.

Luc. 1.

Ambrof.

1203. Et nota, ad Abiam vsque longissimum progenitorem referri Zachariam, sicut & vxor eius, vsque ad Aaronem retrotrahitur: neque enim solùm parentes; sed & horum maiores ad dignitatem Baptistæ, pro dignitate laudentur, necesse est. Idem Ambros. *Sacerdos Zacharias, nec solùm Sacerdos, sed etiam de vice Abia, id est, nobilis inter superiores fœmine: & vxor eius, de filiabus Aaron. Non solùm igitur à parentibus, sed etiam à maioribus, Sancti Ioannis nobilitas propagatur, non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Tales maiores habere debuit prænuncius Christi: vt non repentè conceptam, sed à maioribus acceptam, & in ipso infusam iure naturæ, prædicare fidem Dominici videretur aduentus.* Sic virtus Baptistæ clarior, quò olim charior parentibus: & in eo venustior, quò ab illis vetustior proueniebat: quia, nimirum, licèt esset felicior suis meritis, quàm paternis; his tamen etiam felix habebatur: quasi ad felicitatis cumulum, & decorem, alterum sine altero claudicaret. Eusebius Gallicanus hom. 2. de illo: *Beatus Ioannes à Sancto Spiritu, etiam in maiorum suorum titulis prædicatur:* Euseb. Gal. *non tam de veteribus consecuturus laudem, quàm vt magis in exemplum cresceret, dum nouus virtutibus antiquorum superat dignitatem: felix parentum meritis, felicior suis.* Itaque Ioannes solis parentum meritis caligaret: dum tamen illa additis suis comit vberioribus, indidem etiam comptior euadit.

Baptista laus.

Ambrof.

Pendenda tamen in hanc rem verba Angeli, 1004.
quibus Baptistam genitori nunciauit: ibi enim, postquàm nasciturum puerum, Orbis gaudium, quia magnus apud Deum futurus, pronunciat, sic concludit: *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* n. 16. Promittitur cupido patri filius; suspiranti seni successor: nec tamen decus inde familiæ addendum, neque tanto hærede domus felicitanda declaratur: totus in spiritualem populi vtilitatem dirigitur scopus. Et cur ita? Idem Eusebius citatus: *Angelus, dum pro incolumitate Israëlis expectatum reddit oraculum,* Euseb. Gal. *non tam seni sobolem, quàm Pontifici promisit hæredem: quia dum tanto Prophetæ preparatur successor generis, plebi prospicitur spes salutis. Propterea de eo in Euangelio memoratur: Et multos filiorum Israël conuertet.* Quasi dicat: Zachariæ: non tàm quà seni, id est, homini; sed quà Pontifici, id est, sancto, filium destinari: quia non poterat tam eximio Vati, & tot virtutibus decorato parenti genus speciosius prouenire, filius gratior, quàm qui instar Pontificis, totus in populi salutem impenderetur. Et quid hoc est aliud, quàm minùs decentem venire tanto Præcursori parentem; si non his eniteret dotibus, cui illustrissimus aliàs filius respondere videretur?

De eodem Baptista.

Luc. 1.

Et benè in virtute Eliæ venturus prædicatur: 1205.
quia generosos illos, & zelotypos spiritus Eliæ animaturus; quasi non tam Zachariaci sanguinis, quàm Eliaci animi, filius exhibendus: quasi Zacharias vndique Eliæ virtutibus esset condecorandus antiqui, vt Eliæ nouelli genitor crederetur. Propterea, cùm Ioannes apud impios se non esse Eliam fateretur, Ioan. 1. n. 21. Christus tamen Ioan. 1.
pleno

De illo adhuc.

pleno ore illum Eliam vocat Matt.17.n.12.Fatetur enim Dominus de spiritu,quod Ioãnes meritò de persona denegauerat. At,si tã frequens erat Iudæorum opinatio, si tantùm increuerat error, quo putabant, ipsissimum Eliam esse Ioannem, cur non præcauet Dominus, ne forte ex verbis eius, errandi ansam teneri adhuc Discipuli arriperent? Respondeat D.Gregor.hom.7. in Euang. *Quia ipsum sic erat, vt & Discipulis Dominus spiritualem de Ioanne sententiam diceret: & Ioannes eisdem turbis carnalibus, non de spiritu, sed de corpore responderet.* Credo,quia nihil,quod carnale foret,ex ore Christi poterat Ioanni conuenire, qui à tanto parente talis gignitur,vt à prisco Elia ortus diceretur. Sed ad matrem Samuelis, ad quam alludebat initio Ambrosius, veniamus.

Gregor.

1206. Prouocabat Annam,& affligebat eam æmula eius. *Porrò illa*, inquit Textus, *flebat, & non capiebat cibum*. 1.Reg.1.n.7. Nunquid erat inedia ista à zelotypia orta,& obstinatione? Absit:sic enim docilis erat Annæ animus, vt ad primum mariti verbum,tota obediens iam cibum caperet, n.9. sed eum cibum,& potum, qui sobrietatem probarent, & vel leuissimam vmbram auerterent ebrietatis,n.15. Et quid sibi vult in media afflictione tam constans animus,ieiunium tam deuotum? A Deo potiùs,quàm à marito filium sperabat,& filium precibus impetrandũ, Deóque dicandum,insignis fore virtutis præsagiebat:voluit ergo talem se gerere,iis nitere virtutibus,vt illas in filium transfundere videretur. Idem suo modo Samsonis matri accommodat Ambrosius lib. de Elia, cap. 6. vbi ita: *Nónne sterilitatem matris Samson, vini abstinentia fœcundauit, & parentem fecit sterilem: quoniam iuxta præceptum Domini vinum non bibit? Nónne Annam non manducantem exaudiuit Dominus,& infœcunditatem eius soluère ieiunia? ex quibus duo generati, vnus fortissimus,alter obseruantissimus,dignos se præbuerunt,qui ieiuno gremio diu foti, & quodam abstinenti effusi vtero viderentur.* Quia reuerberabat in filiorum, siue fortitudine,siue sanctimonia,maternæ splendor eximius sanctitatis.

1. Reg. 1.

Matrum virtus filiis transfusa.

Ambros.

1207. Hinc ergo est, vt etiam alieni,& remoti, qui nihilominùs illustrium Sanctorum virtutes imitantur,horum pleno ore filij nominentur: quia, cùm parentum generositas moribus magis,quàm sanguine exprimatur; illique potiùs, quàm hic, in filios transfundi videatur; meritò parentes vocas,quorum si minùs faciem exprimis; at virtutem omninò repræsentas. Trita in hanc rem historia Zachæi, quem Christus Abrahæ filium appellauit Luc.19. num.9. Sed non trita verba D. Asterij Amasei apud Phot. cod. 271. vbi ita: *Quomodo ex Abraham ille, qui ex Iericho est Chananæa vrbe? Quid commune habent Abrahami genus, & Chananæorum? Certè manifestum est, quod si non secundùm carnem filius Abrahæ fuerit, sed operibus, & moribus, vbi primùm ad Christum se contulit,multò magis legitimum filium, & factum esse, & cognitum, quàm qui ex Abrahæ visceribus prodière. Sic Apostolus Elymam vocauit Act. 13 num.10. filium Diaboli. Et Iesus item ad Iudæos, Ioan. 8. num.44. Vos ex Patre vestro Diabolo estis. Zachæus igitur cùm fidem Abrahæ imitatus esset, (quemadmodum enim ille iussus reliquit patriam; sic iste telonium, & partas ibi diuitias abdicauit;) idcircò Christus, qui est ipsa Veritas, meritò illum Abrahæ filium vocauit.* Hæc imitatio adoptionem pulcherrimam efformauit, qua Zachæus in Abrahæ familiam, cuius mores expresserat, introduxit. Adde his grauem Senecæ sententiam epist. 44. *Iterum tu mihi te pusillum facis, & dicis, malignius tecum egisse naturam priùs, deinde fortunam, cum possis te eximere vulgo, & ad felicitatem omnium maximam emergere. Si quid aliud est in Philosophia bonum, hoc est, quòd stemma non conspicit: omnes, si ad primam originem reuocentur, à Diis sunt, &c. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles, nec reiicit quenquam Philosophia, nec eligit, omnibus lucet. E Patribus Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes, his te posse fieri parem? Omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum.* Quoniam, cùm sic insitum sit naturæ, vt paternæ virtutis splendor, & gloria in filios transfundatur; meritò viri eximij, tanquàm filios, sint quantumuis extranei, eos recognoscunt, qui de virtutum honore participato, gerunt se illis dignos.

Patres spiritûs parentes veriores.

Luc.19.

Asterius.

Virtutis adoptio gloriosa.

Seneca.

1208. Sanctè stomachatus Christus in Iudæorum perfidiam, exclamauit: *Regina Austri surget in iudicio, cum generatione ista, & condemnabit eam.* Matthæi cap. 12. num. 42. Pende mihi, non tam in testem aduocari Reginam Saba, quàm in Iudicem: non tam, vt arguat exemplo,quàm vt potestate condemnet. Sed, proh fidem Euangelij! & vbi illa promissio Apostolis, Patriarcharum filiis, & Prophetarum facta faustè, quòd ipsi, nimirum, iudicandis Israelitis sint sessuri? Esto sit Regina iam sancta: nunquid non peregrina? nunquid non genere barbara? Cur ergo Abrahæ successoribus in supremo throno ad iudiciariam potestatem immittebitur? Quia virtutis imitatione dignam se gessit, quæ Patriarcharum familiæ insereretur: nosceret hanc iam filiam Abraham, cui mores suos transfusos agnoscebat. Ideò Dauid ad illam Psalmo 44. *Audi, filia, & vide, &c.* Quidni enim iam filia sit, quam pro ingenita quodammodo rerum conditione splendor paternæ sanctitatis afficiebat? Grauiter D. Paulinus epistola 1. *Iam tunc, scilicet, Sponsum suum ventura de Gentibus Regina desiderans, in odorem spirantis latè à Propheta suo Christi, circumamicta varietate, in vestitu deaurato, & populi, & paterna domus oblita currebat: barbara natione, non animo: & in aperto peregrina, sed in occulto Iudæa, Sanctorum fieri ciuis optabat: vnde non solùm cœlesti præmio resurrectionis beata, sed etiam potestate Apostolorum, de Iudæis adulteris iudicandi, ipsius ore Iudicis digna censetur.* Iam itaque non erat aduena, & peregrina: sed erat ciuis Sanctorum, & domestica Dei, superædificanda in Prophetis, & in Apostolorum familiam inserenda.

Matth.12.

Hæc firmatur.

Psal.44.

Paulin.

1209. Hinc etiam est, contrà reputando, vt etiam propinquiores sanguine, & naturâ ipsâ filij, dum per vitia originem adulterant; à sanctis parentibus plusquàm extranei iudicentur: vtpote, in quibus pars illa melior participatæ per hæreditatem quodammodo virtutis claudicaret. Nota historiola illa Philosophi, qui obiurgatus,quòd filium moratum pessimè abdicaret, respondit:

Degeneres filij non tales reputandi.

Etiam

Etiam pediculos gignimus, quos occidimus. Perinde autumans, pediculo, aut filio degeneri vitam, & sanguinem communicare. Vocatat epulo diues è tormentis *Patrem* Abrahamum, Luc. 16. n. 24; nec immeritò, vtpote, à cuius stirpe dimanauerat: nec tamen exauditur à piissimo aliàs Patre ad leuamen: de quo benè Chrysol. Ser. 122. *Modò cognoscis Patrem: & modò tibi Patrem se esse nescit, quem in Lazaro Patrem sic spreuisti. Modò tibi iustus occurris, qui tunc, vt tibi pius esset, diu Lazarum passus est cruciari. Infelix, quem sic ipsa origo arguit: quem sic ipse lucis author addicit. Infelix, cui in iudicio pro magnitudine criminis, non misereri genitor, non pater ignoscere, non affectio potuit subuenire.* Nota illud, *quem ipse lucis author*, &c. degenerem, nimirum, ipse Abraham instar vilis pediculi abiiciebat: ipse, qui illi huius lucis vsuram dederat, tenebris nunc eundem addicebat: pediculum putabat genitor iam seuerus, cui cum sanguine generis, virtutis generositatem non infuderat. Dignus hac pœna, quia summum ornamentum, quod à virtutibus sanctissimi Parentis trahere poterat, non curauit.

Luc. 16. *Chrysol.*

1210. Mira sunt in hanc rem verba illa Iobi de Impio: *Deus seruabit filiis illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc sciet.* cap. 21. num. 19. Id est, pœna illius delictis debita filios opprimet. Quis enim non opponat illud Ezechielis, vbi postquam asseuerat Deus filios pro parentis culpa non puniendos, concludit: *Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & anima filij mea est. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* cap. 18. num. 4. Ecquæ textuum antinomia intricatior? Soluit tamen hanc optimè D. August. tom. 4. de Cons. Euang. cap. 4. idque, sententia in præsens commodissima: *Repromisit quidem Dominus reddere se peccata patrum filiis; sed his, qui oderunt eum, hoc est, qui in paternis malis versati seruiunt idolis, sicut & patres illorum, &c. Sicut enim iustorum filij, & ipsi iusti, nobilitant in se genus iustitiæ, dum & patrum, & suâ iustitiâ sublimantur: ita nequissimorum, & ipsi filij nequissimi crementum faciunt malitiæ; quia & malorum filij sunt; & nequitiam eorum exemplarunt ad perditionem multorum.* Nescio enim, quomodo peccatoris nequitia, à parentum videtur prauitate cumulari: sicut sanctitas iusti de parentum sanctitate splendidior irradiat, vt non concepta subitò; sed hæreditariò accepta iure, incrementis maioribus vtraque cumuletur, siue præmiis, siue pœnis participandis.

Iob 21. *De virtute, aut vitio parentum, filius transfuso.* *Ezech. 18.* *August.*

1211. Properabat Dominus Sodomam euersurus: nec tamen celandum amico Abrahæ negotium sustinebat: & hanc inter alias causam subdit: *Scio enim, quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam: vt adducat Dominus, propter Abraham, omnia, quæ locutus est ad eum.* Genes. 18. num. 19. Certè quanuis Abraham filiis monita, & piissima consilia adhiberet, ni tamen isti virtutem sequerentur, nequaquam in illis factæ Patri promissiones implerentur. Si ergo propria horum virtus præmia consequitur; cur *propter Abraham* dicuntur adducenda? Quia filiorum virtus sic de paterna virtute quasi per hæreditatem accepta sublimabatur reddita splendidior; vt ob illum tantummodo reddi præmia viderentur. Id clariùs innuunt, qui cum Augustino mox citando, legunt: *Vt adducat Dominus in Abraham omnia*, &c. in illum enim quodammodo adducebatur posteà implementum promissionum, qui virtute sua merita filiorum cumulabat. Adhuc aliquid addit Augustinus ad hunc locum tom. 4. lib. 1. quæst. 38. *Ecce, vbi promittit Dominus Abrahæ non solùm præmia, sed etiam obedientiam iustitiæ filiorum eius, vt circa etiam præmia promissa compleantur.* Nihil enim gratius patri esse poterat, quàm talem esse, vt in filios non solùm promissa transfunderet, sed virtutis, quibus fundata promissa implerentur. Adde, nec in filiis sanctis has virtutes sic pulchras apparituras præmiis consequendis, nisi de parentis sanctissimi radiis illustrarentur. Huc faciunt verba Imperatoris Commodi, ad milites de patre suo Marco, apud Herodianum lib. 1. *Lubentius me commilitonem, quàm filium appellabat: quippe hanc naturæ appellationem; illam verò virtutis communicationem existimabat.* Malebat enim senex videri virtutem potiùs, quàm sanguinem filio transfudisse.

De eodē plura. *Genes. 18.* *August.* *Herodian.*

1212. Sed, quanuis, quæ hucvsque diximus, sint verissima, plúsque à parentum virtute, quàm ab eorundem sanguine filij illustrentur, pretiosissimum tamen est, si filij non solùm hæreditariam ab illis virtutem spiritus; sed etiam sanguinis nobilitatem sortiantur: vt vtrinque generositatem transfusam accipere videantur. Omnia enim in electioribus suis quandoque conspicua voluit Deus: cui licèt nobilitas maiorum cum virtute comparata sordeat; nouit tamen virtutem huic adhærentem, illustriores mittere radios, & coruscare fulgentiùs. Ideò Præcursorem suum, de quo initio huius tituli tot congessimus, non solùm sanctitatis voluit hæredem, sed etiam nobilitatis splendidissimæ: comitur enim sanctitas huic innixa, & ista sanctitati innexa augustius aliquid, & singularius spiret, necesse est. D. Paulinus loco suprà citato ex Luca, vbi Zacharias, & Elizabeth de genere Aaronis commendantur, sic habet epist. 10. de marito: *Laudaturus vitam, genus antè laudauit, vt venerabilior existeret, qui sanctis parentibus responderet sanctitate ingenita, quasi quadam iustitia hæreditate, qui illud principale in Sacerdotibus nomen Aaron, & honoris in munere, & generis in vxore successor referret.* Quid autem sibi velit hac generis successione (quam etiam ipse Zacharias ab Aarone descendens referebat) per vxorem; paulò pòst explicat locutus de Elizabetha: *Dignior & viro Sacerdote, & filio Prophetis præferendo, quam diuinis idoneam dotibus non solùm vita iustitiæ, sed familiæ prærogatiua fecisset.* Quasi minùs dignè Præcursor nasceretur, nisi mater sanctitatem, sanguinis splendori copularet.

Nobilitas naturalis, vnde pretiosa. *Paulin.*

1213. Quid? In semetipso hunc tenorem seruauit ipse Deus: quæ enim vsquam, siue fidem, siue gesta, siue antiquitatem respicias; cum Dauidica familia potuit comparari? At hinc ortus Christus: cuius prosapiæ splendorem, postquàm latè expendit citatus Paulinus, sic concludit; *Quia dignum erat, vt Vnigenitus Dei, & primogenitus totius creaturæ, atque vniuersi corporis Caput, etiam in generis corporei dignitate primatum teneret: vt vnus in cælo Dei Filius ante sæcula ineffabili natus exordio, etiam in terris illustrium titulorum sibi apices vendicaret: Regum pariter, & Sacerdotum (vt duo testantur Authores) clara progenies.* Quasi diuino

Mariæ nobilitas auita. *Paulin.*

diuino Spiritu afflante, ideò Euangelistæ duo tam fusè, nobilissimam Christi progeniem nobis describerent; vt in illo, cum Diuinitatis candore, cum spiritus præcellentia, illustrem materni sanguinis purpuram radiare cognosceremus: minùs enim decenter Diuinitas in abiecta stirpe corporaliter requiescere videbatur.

1214. Vtranque splendoris conditionem, de Maria Christum paritura, significatam voluit Salomon, meliori præludens Salomoni: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*, &c. Cant. 3. num. 9. Id est, Mariam Matrem, in cuius gestaretur vtero, sibi ædificauit, vt suprà latè probaui. Sed, cur de lignis Libani, siue cedris, quæ de incorruptibilis nobilitatis conditione, de generoso ingenio, cæterarum plantarum principes existimantur? Respondet ibi Guillelmus: *Ligna hæc, nempe, cedri, imputribilia, & procera valdè, sanctos Patriarchas designant, vita sublimes, fama imputribiles: nam etsi corpora in pace sepulta sunt; nomina tamen eorum viuent in sæcula: corpora, non nomina sepulta sunt. Putruerunt pro conditione legis humanæ corpora, sed non nomina: nam, iuxta sententiam Sapientis, memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescit. De præclaro igitur hoc Patriarcharum sanguine Virginem, de qua nasceretur, creans, de lignis Libani hoc ferculum sibi fabricauit.* Ac si quodammodo vireret minùs gloria diuina, si putrescenti impiæ familiæ caligine offunderetur in Matre: nec ita vernaret incorruptibilis splendor auitæ sanctitatis, nisi in præclaro sanguine, & nobilissima splendentis stirpis conditione fundaretur. Hac mente absque dubio Ecclesia Deiparę concinit: *Conceptio gloriosa Virginis Mariæ, ex semine Abrahæ, orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe David.* Quasi aliquid ad decentiam tantæ Matris, humanæ nobilitatis splendor, regalis generis cumulus conducat.

Cant. 3.
Et virtuti coniuncta.
Guillelm.

1215. Adhuc iterum Ecclesia idem testatur, dulcissimam sibi Antiphonam vsurpans: *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* Quidni, si id etiam, tanquàm aliquid grande, priscis Sibyllis creditur reuelatum? Nota Erythrææ carmina:

Iterū de auita Mariæ nobilitate.

Cerno Dei Matrem, quæ se demisit ab alto,
Vltima felices referent cùm tempora Soles:
Hebræa quem Virgo feret de stirpe decora.

Sib. Eryth.

Quia indecora stirps, prosapia ignobilis Virginem illam Theotocon dedecebat. Concinit Libyca Sibylla, quæ addit:

Æquus erit cunctis, gremio Rex membra reclinat
Regina mundi.

Sib. Lib.

Vt Regi cælesti, humanam Reginam electam agnoscamus. Sed, quoniam de humana Mariæ nobilitate iam suprà satis: do tantùm Isaiæ oraculum cap. 11. num. 1. *Egredietur virga de radice Iesse: & flos de radice eius ascendet.* Vbi oculatissimus Propheta satis innuit, minùs pro dignitate redolere diuinum florem, nisi humana virga, & Virgo Iessæam, regiam, scilicet, radicem sortiretur, vt spiritus pariter, & sanguinis generositatem, in Filium, vtcunque fieri poterat, transfundere videretur. D. Epiphanius Orat. passim adducta. *O beata radix, quæ hunc produxit! De hac Isaias Propheta turturis modo gemens submurmurat, igneâ linguâ exclamans: Orietur virga de radice Iesse*, &c. *De radice Iesse ortus est Rex David, & de Tribu Regis David, Sancta Virgo: Sancta, inquam, & sanctorum virorum filia.* Sic illustris Mariæ sanctitas, in regia nobilitate fundata venit speciosior: nec debebat Christus Dominus, hoc honoris iusti, quidquid id esset, sibi inuidere.

Isaiæ 11.
Epiph.

Iam ergo ex dictis, iterum reformo argumentum iam suprà factum; sed nouis ad hominem lemniscis condecoratum. Ex doctrina Angelici Doctoris honor, vel infamia Mariæ in Christum deriuatur: ergo, quò honor magis in Matre excellentior, eò Christus condignior apparebit. Planum. Tunc sic. Sed, quia generosus honor parentum, tam sanguine, quam spiritu filiis communicatur, vt vidisti, noluit Christus, vt Matri splendores istiusmodi deessent: vnde & illam in ipsa Conceptione à sanguine nobilissimo, & regalissimo efformauit. Ergo à fortiori illam ibidem Spiritu sanctissimo informauit. Probo consequentiam. Christus de Matre sub ignobili sanguine concepta minùs luceret, indecens appareret: sed nobilitas morum apud Deum, & apud prudentes quosque, multò plùs penditur, quàm naturæ nobilitas: ergo à Matre sub spiritu culpæ ignobiliori concepta, multò indecentior Christus appareret. Nisi dicas, magis à sanguine, quàm ab spiritu ignobili, notam inuri filiis: ac si generositas, aut ignobilitas hæreditaria, magis de semine, quàm de scelere pensitetur. Negat id ratio, negat fides catholica, negant id passim Philosophi, quos de immensa farragine piget transcribere. Qui ergo, vt decentior euaderet, immaculatæ nobilitatis sanguinem in Matre affectauit; certè intemeratæ innocentiæ spiritum nobilissimum eidem impertiret. 1216.

Maria, vel honor, vel infamia in Christum deriuatur.

§. II.

Maria propinquior Christo spiritu, quàm corpore: carnalis partus gaudia, spiritualis doloribus compensauit: Rachel vera: cælestis Heroïna.



ONTRA præpositum, & illud, ni fallor, robustum argumentum, id tantummodo validè opponi poterat, si Maria magis carne, quàm spiritu Mater probaretur. Sed hoc quàm falsum? Obuia cuiuis illa Augustini verba: *Nihil materna propinquitas Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm corpore gestasset.* Quia, vt benè notat noster Delrius ad cap. 4. Cant. num. 9. fine fide, & dilectione propinquitas illa nihil ad meritum prodesset: sed fides hæc, & dilectio, sine illa propinquitate, tam excellens non fuisset. Mater igitur suo modo magis spiritu, quàm corpore: ad quam proinde incarnationis tempore nuncius præmittitur Paranymphus, vt grauidanda Verbo, (nosti Leonis Magni magnam sententiam,) *priùs illud mente conciperet, quàm corpore.* De quo iam multi felices paginas, cum Salazare Principe adimplerunt. Adhuc tamen multa nobis, 1217.

Maria quodammodo magis Mater spiritu, quàm corpore.
August.
Delrius.
Leo Mag.

bis, si minùs æquè pulchra; intacta tamen superſunt apponenda.

1218. *Id fuiſſe probatur.* Pende mihi totum Canticorum librum ex communi ſententia tot ſanctiſſimorum iuxta, & doctiſſimorum Virorum calculo confirmata, de Maria præcipuè litteraliter explicandum. Euolue ergo volumen plenum, totas paginas, & nuſquam ibi Virginem appellatam Matrem ſubnotabis: paſſim verò Sponſæ, Sororis, Amicæ titulis inſignitur. Et cur ita? Reſpondet Guillelmus ad illud Canticorum 4. num. 9. *Vulneraſti cor meum, Soror mea Sponſa*, verbis in Catena Delr. interceptis: *Ne putetur tanti fieri: quia ſit Mater eius corporalis, cùm ſpiritus ſit, qui viuificat, caro non proſit quidquam. Et ideò maluit laudari, vt Matrem ſecundum ſpiritum: cùm huius comparatione, videatur illam non eſſe ſecundùm carnem, dicens: Quid mihi, & tibi eſt, mulier? Aliàs dicenti cuidam: Ecce Mater tua, & fratres tui. reſpondit: Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei? Sed, vt intelligamus, magis diligi, & maioris fieri, quia eſt eius Amica ſpiritualis: quod tamen tam excellenter non eſſet, niſi etiam corporalis Mater Verbi eſſet.* Si igitur maternæ carnis nobilitati, ſibi conſulens Chriſtus, ſic conſuluit: quomodo nobilitati ſpiritus, quo illum ardentiùs Maria & concepit, & peperit, indormitaret? Guillelm.

1219. *In Annunciat. Mariæ. Luc. 1.* Dubitabat virguncula de tenore tanti myſterij peragendi; vndèque flos pudicus, etiam immiſſo fructu, non corrumpendus: ad quam tunc Angelus: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. num. 35. Sed nónne ſatis, ſi Verbum ipſum incarnandum deſcenderet: quin præuia Spiritus Sancti miſſio declaretur? Ad myſterium ſatis: attamen ad pleniorem myſterij excellentiam, Spiritus Sanctus illapſus conuenientiſſimus. Scitè Euſebius Gallicanus homilia 2. de Natiuit. *Quid primùm mirer, quidve poſtremum, quòd ſine conceptu eſt collata fœcunditas: an, quòd per partum, magis eſt glorificata virginitas? Sed non mirum, ſi ita peperit. Talis erat ille, cui nupſerat: ait enim Angelus ſtupenti Mariæ: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te. Ecce præbitura Deo naſcenti corporis ſui habitaculum, priùs mente efficitur Dei templum.* Non decebat tantum Sponſum deflorata aliquando corporis integritas. Credo? quia dedecebat magis corrupta aliquando ſpiritus virginitas: de quo ſuprà egi multis: ideò priùs mentem Deus ſeipſo implet, quàm corpus, cui ſemper ſpiritus nobilitas, nobilitate carnis longè pretioſior: ſic Maria priùs mente Deum concipit, quàm vtero: vt magis ſpiritu, quàm corpore, Mater eiuſdem condigna videretur. Euſeb. Gall.

1220. *Luc. 1. In Viſitatione Mariæ.* Alluſit huc abſque dubio Eliſabeth, quando cognatæ Virgini gratulatura dixit: *Beata, quæ credidiſti.* Luc. 1. num. 45. An fortè ignorabat Mariæ beatitudinem, & plenam felicitatem maternitatis titulis ſtare? Abſit. Quid ergo tunc maximè beatam prædicat, cùm fidem commendat? Quia nouerat, illam magis ſpiritus fide, quàm carne corporis Deo adhæſiſſe: priúſque mentis ſanctitatem, quàm ſanguinis miniſterium concipiendo Deo præparaſſe. Idem Euſebius homilia citata ad hunc locum: *Videamus ergo, an ſimplicem nobis hominem naſci indicet ordo ipſe naſcendi. Filius Virgini ab Angelo promittitur, à Spiritu Sancto donatur, & quaſi verè Deus, credendo concipitur. Non ergo vſquequaque mire-* Euſeb. Gall.

mur, ſi is, qui fidei ſemine acquiritur, ſalua materni pudoris fide inuiolabiliter procreatur. Nihil in rem noſtram, aut grauius, aut elegantius dici poterat. Sigillatur vteri fides, dum mentis clauſtrum, fidei ſuſcipiendæ, reſignatur Mariæ: inde vterus ſuſcepto ſemine ad partum nobilis; quia mens de fidei ſemine iacto, grauidatur nobilior. Non decebat Deum corpore concipi, niſi priùs ſpiritu conciperetur: niſi Maria ſpiritu Mater foret, indigna corpore Mater adueniret. Qui ergo taliter in illa corpoream, & humanam nobilitatem cuſtodiuit, qualiter ſpiritualis nobilitatis ſplendorem cuſtodiiſſe exiſtimabimus?

Grauia ſunt Ambroſij verba lib. 2. in Lucam, ad verba illa Chriſti, (quæ tetigit ſuprà Guillelmus,) dum admonitus de aduentu Matris, reſpondit: *Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei.* Matthæi 12. num. 48. vbi ita Sanctus Doctor: *Non Mater negatur, quæ etiam de Cruce cognoſcitur: ſed neceſſitudini corporali, præſcriptorum cæleſtium forma præponitur.* Magis quippe in Deipara ſpiritualis cognatio, quàm corporalis procreatio apud oculatiſſimum Filium ponderabat. Maria iuxta Crucem partum, ſi minùs corpore; at ſpiritu puriſſimo iterabat: ideò tunc cognoſcitur, tunc commendatur: quæ, dum ſolius carnis genitrix ab aliis inſinuatur, quaſi minùs propinqua Filio perhibetur. Deum igitur, quem Incarnationis tempore mente priùs, quàm corpore concipit Virgo, non ſolùm tunc fudit vtero, ſed iuxta Crucem ſpiritu parturiuit: vt, quæ magis Mater ſpiritu, quàm corpore parata fuerat, ſpiritualis cuiuſdã partus meritis, neutiquã fraudaretur. Videamus id fusè, vnde ſcopus noſter, ad primam rationẽ præpoſitam vberrimè confirmetur. 1221. *De Maria magis Matre ſpiritu.* Ambroſ. *Maria parturit iuxta Crucem.*

Vt ergo res innixa figuræ clarior, digniùs videatur pertractari, aduerto pauca. Sicut nullus illuſtrium virorum eſt in ſacris Litteris, cuius nobilitati ſingulariſſimum non venerit id ſtemmatis, vt in re aliqua, typica Chriſti figura habeatur: exultans longè magis de Saluatorem vmbrâ exprimente, quàm de quacunque luce, cuius vndique radiis bearetur: ſic nulla eſt nobilium fœminarum, quæ dotes ſuas de Maria repræſentata non comat, & illuſtret: felicior, & hilarior de ſpecie ſignificante, quàm de quauis poſſeſſa realitate. Has inter ſpatium occupat nec paucum, nec poſtremum Rachel pulcherrima, cui, tanquàm optatiori voto, Iacob ſponſus laborum ſuorum, leue de grauitate pondus, dicauit glorioſiùs, dum nauigans lacrymarum pelagus, flante ſuſpiriorum Zephyro, tandem optatum nuptiarum portum comparauit: ſicut æternus Pater electiores operum ſuorum primitias, vt ſuprà latè dixi, Mariæ producendæ conſecrauit, idque per immenſum gratiarum pelagus, ventilantibus Spiritus Sancti flatibus, donec condigna Sponſa concipiendo Chriſto adaptaretur. Ni tamen me mea fallit opinatio, nuſquam alibi Rachel nobis Mariam clariùs repræſentat, quàm dum illa parturitionis doloribus deficiens, Mariam iuxta Crucem, ſpiritualiter parturientem adumbrauit. Do locum integrum, quem deinde per partes examinemus: *Cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit: dixitque ei obſtetrix: Noli timere: quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam* 1222. *Maria ſic parturientis typus Rachel.* Geneſ. 35.

iam morte, vocauit nomen filij sui, Benoni, id est, filius doloris mei: Pater autem appellauit eum, Benjamin, id est, filius dextræ. Quàm alius ab spe euentus! quàm tristes exitus affectuum illorum, quibus Rachel sibi prolem cupiebat! Ecquod æs, ecquis adamas non molliatur, dum auditis illis puellæ ad maritum: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Genes. 30. num. 1. ipsam nunc videat secundo edito filio tabescentem? Affert mortem possessio, carentia trepidationem. Ah malum non benè cognitum! Flos ecce deturbatur in calyculo: vix ad auroram dies, iam noctescit. O symbolum apertum iuxta, & funestum Deiparæ ad Crucem parientis! qua non spe, qua non exultatione animi Christum mente conceperat Maria, quibus non gaudiis conceperat spiritu! totos, à corporali partu, triginta & tres annos in spiritus aluo hunc gestauit: at dum tandem enititur in spiritu, quibus non doloribus, morte ipsa sæuioribus cruciatur? Genes. 30.

1223. De Maria ænigmaticè locutus Isaïas sic exclamat: *Antequam parturiret, peperit: antequàm veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile?* cap. 66. num. 7. Pende sedulò vim verborum: non ait sine parturitione, siue doloribus opprimentibus, peperisse: sed *ante* parturitionem, *ante* dolores: quasi posteà, parturitionis dolores Virginem manerent. Sed, vnde Virgo ante partum, in illo, & post illum semper intacta, parturitionis doloribus potuit commoueri vnquam, qui solùm corruptionis partui admouentur? Nimirum, nunquam per ordinem ad partum corporis, dolores potuit sustinere; illos tamen per ordinem ad partum spiritus, tulit vehementissimos: illius gaudium, huius acerbitate compensans satis. Et benè propterea significanter additur: *Antequàm veniret partus eius, peperit masculum.* Quasi is maximè esset *partus eius*, quo iuxta Crucem in spiritu Christum erat enixura gemens, quem antè in stabulo gaudens enixa fuerat. Præstat audire D. Anthonium de Padua Dom. infra Octau. Natiuit. ad hunc locum: *Beata Maria duplex fuit partus, vnus in carne, & alter in spiritu. Partus carnis fuit virgineus, & omni gaudio plenus: quia Virgo peperit sine dolore, gaudium Angelorum: vnde dicit cum Sara: Risum fecit mihi Dominus: quicunque audierit, congaudebit mihi. B. Mariæ debemus corridere, & congaudere in Filij eius natiuitate: debemus & ei condolere in Filij eius passione, cuius animum pertransiuit gladius: & tunc fuit secundus partus dolorosus, & omni amaritudine plenus.* Sic potior Mater spiritu, quàm corpore: vt proinde spiritualis iste, *partus eius* præcipuè appelletur. Ponderemus exactiùs hos parturientis spiritus dolores, & amores: vt maternitas spiritualis Mariæ excellentior intelligatur. Isaïæ 66. Huius partus dolor summus. Anth. Pad.

1224. Vix natura spectaculum exhibet dolendum magis, quàm ceruam parturientem: secum constringitur, illiditur truncis, solo adhærescit, cælum questibus implet, quibus vel etiam teneriores iam rupes resonanti videntur gemitu respondere: tunc illi & blandus leo, & mitis lupus accedet: audiorique interim venatori arcus laxetur, venabula hebescant: illa quippe species non tam ad prædam mouet, quàm commouet ad dolorem. Vide Interpretes ad illud Iob cap. 39. num. 1. *Nunquid parturientes ceruas obseruasti? dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum? Incuruantur ad fœtum: & pariunt, & rugitus emittunt.* Spiritualem sanè ceruam se protestatur Paulus, dum Galatis suis sic scribit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* cap. 4. n. 19. At, vnde tam acerbos parturitionis dolores patitur Paulus? Cur parturiens Galatas suos, tanto anxietatis pondere opprimatur? Quia meritò nescit doloribus adhibere mensuram, quorum causam agnouit immensurabilem: quando non solùm instar Matris cogitur iterum filios in spiritu parturire; sed eos filios, quos fide mortuos, optabat anxiè denuò resuscitatos: patiens simul dolorem videndi mortuos, & votum aspiciendi suscitatos. D. Gregor. lib. 30. Mor. cap. 21. *Video Paulum, quasi quandam ceruam quosdam in partu suo magni doloris rugitus emittentem: ait enim: Filioli mei, &c. Consideremus, quid doloris habuerit, quid laboris: qua & postquam potuit concepta edere, rursum compuncta est, extincta suscitare.* Quos non ergo dolores patiatur Maria, quæ extinctum in Cruce Filium parturit, quem aliunde summoperè cupit suscitatum? O vera spiritus Mater! ô cerua doloribus parturiens! ô leæna natum exsuscitans gemitibus! Spiritualium Patrum parturitio. Iob 39. Galat. 4. Gregor.

Perspecta innocentium puerorum immani cæde, funesta trucidatione, exclamat Ieremias: 1225.
Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt. cap. 31. num. 15. Vt in huius communis Matris dolore, singularum matrum dolor exprimatur. At, cur Bethlehemiticæ istæ matres sic consolationem respuant omninò? Cur viuis si fortè maritis, & aliis superstitibus pignoribus non leuentur? Doleant, gemant, non mirum: sed vnde dolor talis, cui omninò solamen arceatur? Scilicet, in spiritu denuò filios parturiebant, & eos filios, quos trucidatos, iterum ad integritatem, & vitam reuocare cupiebant: similis verò parturitionis dolor, omnem tormenti metam transcēdens nullam solaminis lineam attingit. Fouet mihi hanc cogitationem D. Basilius Seleucus Orat. 37. dum sic inter has matres, quandam inducit expostulantem: *Hei mihi nimiùm misera: quomodo tua rursum connectam membra, quæ tam inclementer machæra dissecuit? Cuiusmodi matrix ad te recorporandum mihi subseruiet?* Vide nunc, an vera Mater spiritûs tunc Maria, quæ eò vehementiori affectu, quò meliori iure, innocentissimum filium mortuum, & plagis lacerum, gemitu tandem suscitandum parturiebat. Redeo ad figuram. Ierem. 31. Iterū de spiritualis partus dolore. Basil.

Noluit quidem sacer Textus non exprimere 1226.
obstetricis verba, quasi interim profundo aliquo grauida sacramento: ergo obstetrix ita ad periclitantem puellam: *Noli timere: quia & hunc habebis filium.* Quasi dicat: Immeritò timet, immeritò dolet mater, quæ ideò moritur, vt vitam habeat filius nasciturus: tunc enim solummodo iustus dolor ad apicem perueniret, si, vt ipsa periclitabatur, etiam filius periclitans nunciaretur: sufficeret enim dolor ex hoc conceptus nuncio, vt præ eiusdem magnitudine proprium suum dolorem parturiens puella non sentiret. De hoc affectu, quo parentes lubenter vitam impendunt, dummodo filij sospites euadant, dixi Maria Christo emoritur.

satis

ſatis in Cant. Trop. inde repete. Repræſentat ergo Rachel Mariam, dum moritur parturiens: quia Maria in hoc ſpirituali partu quodammodo moritur, dum pluſquàm mortis doloribus lancinatur. Sed tamen Rachelis dolor vix cum Mariano dolore comparetur: illa enim dolens parturit filium viuum; hæc verò Filium mortuum parturiuit: ibi viuo filio ſolatur moritura mater; hîc defuncto Nato Mater commoritur.

1227. In myſtico illo ferculo Salomonis, vbi inſigniora Eccleſiæ membra apprimè effigiantur, voluit Dominus eſſe *aſcenſum purpureum*, Cant. 3. n. 9. Quia, licèt omnium Sanctorum vita aſcenſus ſit, dum in corde ſuo diſponunt aſcenſiones: non tamen omnes purpureos aſcenſus meditantur: ideóque, tanquàm aliquid priuatum in hoc eccleſiaſtico ferculo aſcenſus iſte purpureus, Martyrum, nimirum, via, ardua illa, & tincta ſanguine declaratur. At, ſi in toto hoc ferculo, priuato iure à tot Doctoribus toties ſuprà legiſti, Mariam commendatam: vnde illi, quæ nunquam Martyr fuit, aſcenſum iſtum purpureum accommodabis? Reſpondet ibi grauiter Guillelmus, in Cat. Delr. *Quia laus omnis in fine cantitur: purpurea morte anteacta vita quodammodo tingitur, & purpuratur: & ideò cùm pia Mater dicit, aſcenſum ſuum eſſe purpureum; ſe Martyrem profitetur, & ſibi mori lucrum. Illuſtre eius martyrium à prophetante Simeone euidenter inſinuatum fuit, cùm loquens de Filio diceret: Tuam ipſius animam gladius pertranſibit. Planè gladius acutiſſimus dolor Dominicæ paſſionis animam piæ Matris penetrans, atque tranſuerberans, eam ſpiritualiter commori fecit Filio.* Potuêre ſpiritualis partus dolores vnquam acerbiores commoueri, quàm vbi ſic moritur Mater, vt parturito Filio mortuo dolens commoriatur? Sed adhuc elegantiora, quæ ſubdit Guillelmus: *Martyres alij fuêre moriendo pro Christo: hæc commoriendo Christo Martyr fuit, & Commartyr Christi. Illorum corporale, Matris ſpirituale; & proinde, præſtantius martyrium fuit. Plus eſt eſſe Commartyrem Christi, quàm Martyrem Christi.* Sic fit ſpiritualis Mater, Commartyr Filij, mortuo commoriens: vt tanquàm excellentiori maternitatis purpurâ, retroactam vitam, & corporalem maternitatem priſcam condecoraret.

Cant. 3. *Commartyr Christi.*

Guillelm.

1228. Hinc capies, cur ſub comarum nomine, (vſitatiſſima eſt Scripturæ phraſis,) Mariæ cogitationes commendaturus Salomon, ſcribat: *Coma capitis tui, ſicut purpura Regis.* Cant. 7. n. 5 Non ſatis fuit ſpiritualis huius Matris mentem intingi martyrij ſanguine, niſi ſanguine regali intingeretur. Et cur ita? Quia interim non vtcunque ſupremi Martyr Chriſti Regis, ſed eiuſdem Commartyr fuit glorioſiſſima: & in Chriſto compatiens ſpiritu, ipſiſſimum regalem ſanguinem fundere videbatur. Benè hîc iterum Guillelmus: *Dum ſacra illa Caro, quam ſibi de Virgine propitia Veritas ſumpſerat, pro eliciendo pretio redemptionis humanæ, clauis, & lancea foderetur; iuxta veridici Simeonis prophetiã, piæ Matris animam pertranſibat gladius. Quot vulnera Filius accipiebat in Carne, tot pia Mater accipiebat in corde. Quod quatuor, vel tres claui, & vna lancea faciebant in Carne Filij: hoc vnus ille gladius faciebat in anima Matris. Rubebat Caro Filij Sanguine paſſionis: rubebant materna illa cogitationes ſanguine compaſſionis. Benè ergo illi dicitur: Coma capitis tui, ſicut purpura Regis.* Non itaque Rachelini dolores Marianis comparandi: quando illa ſic patitur dolens, vt ſi filio innocuo non compatiatur: at iſta ideò ſæuiùs patitur, quia patienti Filio compatitur: & verè pius animus pluſquàm patiens, vt vult alicubi Chryſologus, compatiens dolere ſolet.

Cant. 7. *Idque quàm excellenter.*

Adhuc aliud diſcrimen ſimile, ſiue alia diſſimilitudo diuerſa inter Deiparam, & Rachelem, in hac parturitione intercedit. Pende verba: *Egrediente autem anima præ dolore: & imminente iam morte,* &c. Priùs dicitur egrediens anima, quàm mors imminens: cùm tamen (eſto res in eodem inſtanti ſit) ſi quæ prioritas poteſt excogitari, non tam philoſophicè, ſed vulgariter loquendo, ea morti imminenti eſſet danda: ſic enim vulgò loquimur, mortem accedere, deinde animam eripi, non è contra: imò reuerà, philoſophicè loquendo, cùm in rerum mutatione non tam corruptio, quàm noua generatio intendatur, in eodem inſtanti priùs natura intelligo formam cadaueris immiſſam, (hæc eſt, ſi vſquam alia, mors realis,) quàm expulſam viuentem. Vtcunque ſit, alterà ex prædictis clauſulis ſatis moritura Rachel oſtendebatur; nec vtraque prædicto modo, abſque myſterio poſita exiſtimanda. Videtur ergo quodammodo affectus in hoc loco maternus explicari: quaſi ideò dicatur egredi anima mortem præueniens; quia noſcens ſe mater moribundam, illam feſtinauit emittere, vt ſic dicam, ne mortis barathro, ſed filij naſcentis corpuſculo conderetur. Affectus ſanè ordinarius amoris: ideò enim morituri dilecti animam oſculo excipiebant veteres; ideò moribundus in dilectioris alicuius os, vltimum ſpiritum exhalabat, vt in illo totam deponere animam videretur. 1229.

Geneſ. 35. *Amantis moribundi anima, quò trãſmiſſa.*

Et quidem, ſi licet in re funeſta, amœnius, quàm ſolidius aliquid cogitare; poſſit huc adduci illud Geneſ. 37. num. 9. de Ioſeph dicente: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* vbi quærentibus, quomodo poſſet impleri reuelatio, cùm Rachel mater ſub Luna intellecta, pridem ante ſomnium, nedum ante imperium Ioſeph, fuiſſet mortua: reſpondet Lyranus: *Dicendum eſt, quòd ipſa in ſe non adorauerit; ſed in prole ſua, ſcilicet, in ipſo Benjamin.* Quaſi anima iſta Rachelis egrediens, quo poterat affectu habitans in Benjamin, Ioſephum coleret: in filio implens mater, quod in ſe non poterat. Sed ad rem. Parturiens Rachel emittit animam, in filium, quo poterat affectu, transfundendam: parturiens Maria in Filium etiam animam transfundit. Habes ſimilitudinem: en diſcrimen. Rachel è corpore ſuo mortuo emittit animam, in filio ſuo viuo hilariter reſpiraturam: Maria è corpore ſuo viuo animam emittit in corpore Filij mortuo ſuſpiraturam. Nunquid huius, illius dolori meritò adtrutinetur? Minimè. Nunquid non iſta magis Mater in ſpiritu, quàm illa in corpore fuerit? Maximè. 1230.

Geneſ. 37. *Mariana anima, in defuncti Christi corpore, quàm dolens viueret.*

Lyran.

Defuncto iam Chriſto, adhuc ſæuientis populi furit inſania, etenim *vnus militum lancea latus eius aperuit.* Ioan. 19. num. 34. O quò ruis, militum ſæuiſſime? Quid mortuum crudelis laceras? Iam parce defuncto. Quid ampliùs dolorem procuras 1231.

Ioan. 19. *Id probatur.*

procuras iam non ſenſuro? Vnde dolor adſit, vbi abeſt iam anima: Nouit, nouit ſacrilegus, quid intenteт: nouit ſenſibilem adhuc ictum fulminaſſe. Aberat Chriſti anima e ſacro corpore, ſed in eodem, Mariæ anima aderat ſæuiùs vulneranda. An forte id voluit Simeon? Pende verba: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Luc. 2. num. 34. Noui Græcam, qua tollitur æquiuocatio: premo tantùm vulgatam lectionem. Si *tua* eſt anima, tranſuerberanda gladio, ſiue lancea, ô Virgo; quomodo *ipſius*, id eſt, Chriſti, de quo ſermo intererat, appellatur? Si *ipſius* erat, cur *tua* nuncupetur? Tua, tua erat; quia è te prodierat: ipſius, quia iam in Chriſti corpore paſſura, & compaſſura animabat. D. Bernard. Serm. de B. Mar. & verb. Apocal. *Et quidem poſtquam emiſit ſpiritum, tuus ille Ieſus, ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius (nec mortuo parcens, cui nocere non poterat) aperuit latus: ſed tuam vtique animam pertranſiuit: ipſius, nimirum, anima iam ibi non erat; ſed tua planè inde nequibat auelli.* Quidni vera mater ſpiritus, quæ, dum ſpiritu parturit, ipſum emittere ſpiritum videtur? Vide omninò, quæ huc faciant in Cant. Tropol. maximè n. marg. 1182. 1183.

Bernard.

1232. Venio ad vltima verba typi noſtri, vbi additur: *Vocauit nomen filij ſui Benoni, id eſt, filius doloris mei.* Quod quanuis meritò dictum; tamen tanquàm anxietati tribuendum corrigit Iacob, de quo ſubditur: *Pater autem appellauit eum, Benjamin, id eſt, filius dextræ.* Nec ſine fauſto omine. Vt enim doctè aduertit Pereira ibi, celebris fuit opinio priſcorum, feliciſſimos fore pueros illos, qui e matribus parturitione emortuis naſcebātur: quod Scipio, quod primus Cæſar comprobarunt. Vocetur ergo filius dextræ, id eſt, ex vſu ſacro, filius honoris, felicitatis, & fortitudinis Benjamin, qui ab obeunte matre, vitam init: indidem appetens, vnde illa oppetens. Illuſtrius planè hoc in figurato, quàm in figura. Verè Chriſtus filius dextræ, fortitudinis robur, honoris apex, felicitatis cumulus, dum in Cruce moritur, id eſt, dum è Maria naſcitur ſpiritualiter: nec tantùm id de proprio merito verè; ſed inde etiam accidentaliter beatior, & nobilior, quòd tantam Matrem ſortiretur: à qua ſi filij coronæ, & palmæ creſcere poſſent, creſcerent abſque dubio, vt reuerà accidentarius honor tantæ parturitionis redundauit in illum. Attende, ſodes.

Geneſ. 35. *Filius dextræ, quis dicatur.* Pereira.

1233. Religioſus carnifex, pius parricida duxit Abraham ſpem, & fidem ſuam in duellum, iam iam fidei dextra congeniti cruoris purpurà ſpem rubricaturus. Dum ergo effectum parat, præoccupanti affectui paratur præmium: ideò vox diuina: *Per memetipſum iuraui: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli.* Geneſ. 22. num. 16. Vbi mihi ſemper dubium, cur ſoli Abrahæ præmium, & benedictio promittatur, quaſi per illum, & ab illo in poſteros deriuanda: cùm ad egregium facinus Iſaac ipſe partem maximam adhiberet. Certè iuuenis ætatis integræ, & ille robuſtus erat filius, qui pluſquàm facilè, ſi vellet, ſenioris, & deficientis iam viribus, manus euitaret parentis. Iſte, iſte obedit lubens, hilaris ſiſtitur, iugulum præbet deuotus, & intrepidus ictum ſperat. Huic ergo benedictio videbatur aſſignanda. Quid igitur vni patri attribuitur? Viſus hoc ſibi dubium mouiſſe Chryſologus, dum ita Serm. 10. viſus reſpondere: *Se immolabat in filio, &c. Vt eſſet idem victima, & Pontifex, ſacrificium, & Sacerdos. Patris, Patris erat paſſio ibi tota, vbi filius immolabatur. Ignauus filius ſiſtebatur, neſcius filius aptabatur vinctus; vt tolleret de paſſione martyrium, præmium de pœna patris, de conflictu patris reperet coronam.* Non quòd filij meritum, non eſſet eximium; ſed, quòd pater plùs dolens, abſque dubio excellentiùs promerebatur.

Filij corona cur à patre ſumatur. Geneſ. 22. Chryſol.

Non hoc pari tenore cadit in Mariam, cùm infinitè excellentiùs ſe Patri, in redemptionem noſtram offerret Chriſtus, quàm à Matre offerebatur in idem. Non dubium tamen, quin ſi Chriſtus vberioris benedictionis capax eſſet, à Matre parturiente pariter, & Sacerdote pulcherrimas coronas ſortiretur. Et reuera accidentaliter nobilior euaſit, & ad congruam decentiam glorioſior, dum à ſic conſtanti ſpiritu parturitur, à ſic generoſo animo immolatur: cùm ſit iſte honor Matris eximius, & proinde ex mente D. Thomæ in filium deriuandus. Niſi verò dubites, an, ſi Mariæ præceptum ſicut Abrahæ imponeretur, non illa longe obedientior immolato Ieſu ſuo piiſſimum parricidium, religioſiſſimam carnificinam perpetraret. Affirmant id, & meritò, aliqui Patres. Do tantùm D. Anthoninum part. 4. tit. 15. cap. 41. *Stabat ad Crucē Mater ita diuinæ volūtati conformis, vt ſi oportuiſſet, ad implendam volūtatem Dei, ipſa Filium in Cruce poſuiſſet.* Defuit importunus effectus; affectus opportunus totam egregij facinoris gloriam comparauit. Maria commortua Chriſto, dum Chriſtum parturit; illum etiam ab hac parte digniſſima egregiè dextræ filium appellauerit. Iam dicta ſatis, vt Maria excellentior de maternitate ſpirituali, quàm de corporali longè intelligatur: vnde profuſiùs ab illa, quàm ab hac decentem honorem in Filium deriuauit. Qui igitur corporis illius nobilitatem inclytam ſic curauit; putáſne in nobilitate ſpiritus cæleſtis huius Heroïnæ procuranda elangueret? Niſi forte nobilem putas ſub originis culpa ſpiritum exortum. Sed cæcuties. 1234.

Chriſti coronæ quomodo à Maria creſcant. Anthonin.

Adhuc tamen, (ne iterum huc recurrere ſit opus,) quando Mariæ iuxta Crucem gloriam, & ſpiritus generoſitatem commendamus; paucis proportionem inter maternum, & filialem ſpiritum, ibi exercitam ponderemus: vnde clariùs ſpiritualis maternitatis dignitas deprehenditur. Quis non miratur, quot, quantáque in vltimo vitæ articulo paſſus eſt Chriſtus? Scilicet, qui opprobriis venerat ſaturandus, auidiùs ſe in morte ingurgitauit. Acutus, necdum ſatis excuſſus Tertullianus, loco illo notiſſimo de Pat. cap. 3. *Taceo, quòd figitur: in hoc venerat. Nunquid tamen ſubeunda morti, etiam contumeliis opus fuerat? Sed ſaginari voluptate patiendi diſceſſurus volebat. Diſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* Examinemus illa verba: *Saginari voluptate patiendi diſceſſurus volebat.* Quæ hucvſque nullus, quem viderim, aptior explicauit, quàm meus Cerda: qui vult, tanquàm victima ad ſacrificium ducenda, priùs ſaginatur; ſic victimam diuinam ſaginari. Et meritò: quia ibidem paulò antè, ab eodem Tertul. Chriſtus occiſionis ouis appellatur. Puto nihilominùs, illuſtrem hunc locum, illuſtriorem reddi aliunde. 1235.

Chriſtus in Crucem cur aſcendat opprobriis ſatiatus. Tertull. Cerda.

Ethnici

Ethnici homines illi toti carnales, ventri nati, viuebant, vt comederent. Hinc erat, vt certi aliquando de imminenti iam morte, largissimè se inuitarent: quia, scilicet, non ampliùs apud Inferos, eo erant ciborum genere fruituri. Patet mos ex Iuba Rege, ex Cleopatra se occisuris: quem in Spicilegio meo sexcentis locis vtriusque paginæ confirmabo. Christus igitur, qui laboribus venerat, natus tribulationibus: (vnde August. ad illud Luc. 15. num. 23. de vitulo saginato, sic in Catena scribit: *Vitulus saginatus est ipse Dominus, secundùm carnem satiatus opprobriis.*) agnoscens in gloria paterna, hoc ciborum genere sibi pro nobis suauissimo, deinceps abstinendum: discessurus, id est moriturus, se largiùs inuitauit. Hæc, ni fallor, germana fuit mens Afri cultissimi.

August.

1236. Ad rem tamen, in qua sumus, addo non spernendam aliam explicationem. Alludit Tertul. fortasse ad agonem Christi: multi enim Patrum, Christum Dominum Athletam appellarunt. Quemadmodum ergo Athletæ voracissimi erant, (de quo mille testimonia cõgessit Faber Agonist. 3. cap. 2. imò & ipse Tertullianus eosdem *altiles*, & saginatos homines appellauit,) & quò impensior sagina, eò animus aggrediendis maioribus robustior: vnde Timocreon quidam apud Athenæum lib. 10. post largissimum cibum, multos Persas coram ipsorum Rege, in agone superasse fertur. Sic Athleta diuinus prostraturus in vltimo agone peccatum, mortem, Dæmonem; robustissimo hoc se cibo saginauit, vndè nostro loquendi modo, antagonistas fortior aggrederetur. Sic (vt etiam alia explicatio prædicta nobis veniat) qui omnibus aliis conflictibus hoc cibo se saginarat: in postremum discessurus, largiùs se robustat, & saginat, tanquàm in longè aliis grauiorem.

Christus in Cruce Athleta. Tertull. Faber. Athen.

1237. Athleta igitur in Cruce sua Christus, meritò de legitimo certaminis ritu, nudus exponitur, sic in palæstram antagonistas prouocaturus, & nobis decertandi legitimè tenorem exhibiturus. Grauiter D. Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 100. *Refert considerare, qualis ascendit. Nudum video: talis ergo ascendit, qui sæculum vincere parat, vt sæculi adiumenta non quærat. Victus est Adam, cùm vestimenta quæsiuit: vicit ille, qui tegimenta deposuit. Talis ascendit, quales nos, authore Deo, natura formauit. Talis in Paradiso homo primus habitauerat, talis ad Paradisum homo secundus intrauit.* Vt capias Sanctum Doctorem, memineris, primam Dei curam, post protoparentis peccatum fuisse, tunicas ei pelliceas apparare, Genes. 3. num. 21. Sed cur ita? Respondet scitè D. Nilus ad cap. 1. Iob in Cat. *Quandiu cum aduersarius, ad diuinam legem perfringendam illum adhortantibus, conflixit, nudus, quasi Athleta in ludorum cauea, consistebat: vbi autem victus est, atque à certamine repulsus, meritò indutus est, cum certandi virtute, nuditate quoque reiecta.* De quo alibi fusè differam. Hoc ergo voluit Ambrosius, sacrum pariter Agonothetam nostrum, & tunc Agonistam, nudum in palæstram prodiisse, & inde Paradisum recuperasse; nósque his legibus agonisticis, de comparanda victoria instituisse.

Id probatur. Ambros. Genes. 3. Nilus.

1238. Iam verò ignorat nemo, ad Olympicas palæstras, nullam vnquam fœminarum admissam spectatricem: vna fuit Pherenice, quæ agones hos spectauit; quia patrem, quia tres fratres habuerat ibi victores, & maximè quia filium in illa palæstra habebat coronatum. Legendus Ælianus de var. hist. lib. 10. cap. 1. quasi non degeneri spectaculo adesset gloriosa Heroïna, quæ de generoso spiritu, victorem filij spiritum referebat. Audi nunc, de cælesti nostra Heroïna Ambrosium de instit. virg. cap. 7. *Stabat ante Crucem Mater, & fugientibus viris stabat intrepida*, &c. *Spectabat piis oculis Filij vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce Filius: Mater se persecutoribus offerebat. Si hoc solùm esset, vt ante Filium prosterneretur, laudandus pietatis affectus, quia superstes Filio esse nolebat: sin verò, vt cum Filio moreretur, cum eodem gestiebat resurgere; non ignara fuit mysterij, quod genuisset resurrecturum.* An non gloriosa spiritus Mater, quæ generosissimo Filij agonizantis spectaculo, & coronandis non degener de fortitudine spectaculum exhibebat? An tam fortis spiritus, fortissimo Nati spiritui non respondebat? Quantò excellentior cælestis nostra Pherenice, quæ non spectatrix accedit, sed Agonistrix.

Maria iuxta Crucem agnoscitur. Ælian. Ambros.

Et quidni Agonistrix ibi Maria, quæ etiam, instar Filij, agonistas, & athletas videtur efformare? Inuisit Virgo cognatam Elisabeth, in cuius vtero statim exultat infans: & additur: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.* Luc. 1. n. 56. Sed, cur manet? Quia, quæ ad primum ingressum gratiam puero, à Filio impetrarat, vt iam cælestis athleta formaretur, diu illum palæstrico illo oleo corroborare, & fortiorem reddere, duxit congruum. Ambrosius eodem cap. 7. nunc citato: *Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obsecutus, antequam genitus. Nec immeritò mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento, Domini Mater exercuit.* Si quid nosti, statim tibi hoc oleum, & exercitium palæstram subolebit. Si tamen nescis, audi eundem Ambrosium apertiorem lib. 1. in Lucam, ad hunc locum: *Si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto Mater infantis: quantùm putamus vsu tanti temporis Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Vngebatur itaque, & tanquàm bonus Athleta exercebatur in vtero Matris Propheta: amplissimo enim virtus eius certamini parabatur.* Et quid in Agonistrice nostra à culpa vnquam molle somniabis, quæ sacros agonistas armat spiritu? aut quomodo non spiritu magis, quàm corpore Mater tanti Filij, quæ spiritu intercedens id potest, quod ille executor spiritu perpetrauit? De palæstra Dei cum Maria vide suprà à num. 1179. 1239.

Baptista laus. Luc. 1. Ambros.

1240. Claudo hanc stationem Mariæ iuxta Crucem verbis Guillelmi priori loco suprà citati, qui sic concludit: *Martyres fusi, hoc est, hominum, foris sanguine: sed Maria Filij, hoc est, Dei, Sanguine intùs rubebat.* Quasi parturitio illa spiritualis martyrij, qua natum edebat, diuinam quodammodo è sacro Sanguine excellentiam participaret: quasi martyrium illud sacræ parturitionis, diuini cruoris rubore purpurasceret. Sic Maria, vt dixerat, dignior Christi Commartyr, non solùm quòd simul temporis

Guillelm. *Maria quàm excellens Christi Commartyr.*

poris pateretur; sed magis, quòd eodemmet Sanguine cornuberet. Effundit Christus Sanguinem, qui Mariæ infunditur: ille foris, hæc intùs cruentatur: vt pulchro iuxtà, dolentique commercio, quemadmodum Mater emortuo Filij Corpori animam suam immittebat; sic Filius Sanguinem suum viuo Matris spiritui immitteret. Et vnde sæuior parturientis spiritus dolor; an, quòd defuncti occupet dilecti Corpus; an, quòd eiusdem Sanguine occupetur? Immensus, vtrinque dolor, aut tactus, aut tincturæ, spiritum verè maternum nunciabat Mariæ: in qua dignior cordis, quàm carnis maternitas fulguraret.

§. III.

Filij, de parentum infami noxa suspecti, infamati. Idem suo modo, à Maria fœdata Christo conueniret: qui propterea sedulus Matrem præseruauit.

1241. EFficacius iam, ex hac carnis, & spiritus Mariani propinquitate ad Christum, ad titulum anthologicum, efformo argumentum. Minus enim foret incommodi, si Christus non ita nobilis, ex ignobili vtrinque Matre nasceretur: maius est, quòd nasceretur quodammodo infamis, & ob maternam culpam, apud fragiliores, & maledicos, de propria innocentia suspectus haberetur. Occiso Abele arguit Deus Caïn dicens: *Vbi est Abel frater tuus?* Genes. 4. num. 9. Sed, quorsum ad reprehensionem hæc inquisitio? Quia sic reprehendit, vt arguat: sic arguit, vt concludat euidenter. Dilemma latet cornutum, & efficacissimum, cuius vim acutissimè exponit Ambrosius lib. 2. cap. 9. *Soli eratis: quis enim potuit alter occidere? Si accusas parentes, parricidium probas: potuit fratrem occidere, qui non parcit parentibus.* Itaque, aut sibi, aut parentibus, culpam erat Caïn imputaturus, si de Abelis statu vellet respondere: sibi si imputaret, confecta res erat: si illis, euidenter inferebatur, qualis erga fratrem foret, qui talem erga parentes se gerebat: non enim poterat fratri non nocuisse manu, qui, quà poterat, lingua parentibus nocebat: iam de necis fraternæ infamia laborabat, qui parentes calumniis infamare præsumebat. Sed acutius ad rem nostram, quod subiungit Ambrosius: *Potuit parricida esse, qui de parricidis se ortum probare desiderat.* Quia, nimirum, quasi cum accepta natura, suspectam infamiæ, & malitiæ indolem contrahebat.

Filij, de parentum culpa suspecti, infamati.

Genes. 4.

Ambros.

1242. Certè non ita aptus saluandis fratribus suis Christus veniret, si Matrem fœdari culpa pateretur quà Deus: procederet enim apud inscios de scelere suspectus, qui sceleratam Matrem ostentabat: & qui Incarnationem suam, & ortum tantoperè desiderabat, si Matrem fœdatam eligeret, à qua oriturus, iam etiam fœdam visus desiderare. Vix sanè humanæ linguæ cohiberentur maledicorum, quin Christum a peccatrice, peccatorem effutirent: maximè in re peccati originalis, quod è suo genere transfusionem in sobolem importat: quo enim Deus Caïn, eodem hi Deum arguerent dilemmate propemodum. Christe, vbi est Mater tua? Si potens, à culpa parricidali non præseruasti, si illius bono maiori non consuluisti, zelo iam languidus consulendo deinde minori fratrum bono conuinceris. Si culpam detorqueas in Matrem, & sponte illo quasi quasi voluntario originis ruisse dicas; penè poteris parricida esse, qui te de parricidali Matre ortum probas, & productum à fœdato principio fateris. Huc venit historiola illa ex lib. 1. Apoph. *Cùm Agesicli Lacedæmoniorum Regi diceret quidam, admirari sese, quod cùm esset auidus discendi, non adiungeret sibi Philosophanem Sophistam; regali prorsus indole respondit: Eorum volo esse discipulus, quorum sum & filius. Significans, non minus interesse, quos nactus sis parentes, quàm quos asciscas præceptores.* Quasi non plùs à præceptorum accepta doctrina, quàm ab ingenita parentum indole, imbutus, & informatus quisque intelligatur.

Parentum mores in filium.

Apophth.

Saltat Dauid coram Arca, & de vili humanis oculis ministerio, gloriosissimum angelicis præbet spectaculum. Subsannat maritum pium vxor indeuota, Michol superbiens: & diuini obsequij gloriam vertit in opprobrium Dauidis: sed punitur à Deo; & qui coniugio dedecus, de viri sui saltatione sancta pertimebat, coniugij decore spoliata, & fructibus, perpetua damnatur sterilitate: *Igitur Michol, filiæ Saül, non est natus filius, vsque in diem mortis suæ.* 2. Regum 6. num. 23. Et cur hac maximè pœna? Quia cauebat Deus, ne humillimi Dauidis filius, de infamia superbiæ notatus nasceretur. Et vix fieri poterat, ne quos illi vxor superbiens procrearit, infamiæ, & superbiæ maternæ hæredes non susciperet. D. Ambros. lib. 1. ep. 36. *Illa, quæ saltationem huiusmodi reprehendit, sterilitatis damnata non dedit sobolem regiam, ne superbos crearet.* Vide nunc, an humillimus Iesus satis decorè, de Matre in Adamo superbiente, materna infamatus nota nasceretur: an meritò ille, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, à Matre exoriatur, quæ per sacrilegam rapinam in protoparentibus Diuinitatis honorem affectauerat. Effutiret Arrius, non degenerem Christo Diuinitatis rapinam, dum è Matre raptrice procreatur: dum semper de parentum nota, infames, & suspecti liberi deriuantur. 1243.

Id probatur.

2. Reg. 6.

Ambros.

Integrum caput decimum Geneseos, in numerandis filiis, & nepotibus Noë, fusissimè expenditur: *Hæ sunt familiæ Noë, iuxta populos, & nationes suas* num. vltimo. Tunc statim cap. 10. insanum horum studium in turri immani ædificanda enarratur: quorum Deus stultitiam dolens pariter, & irridens, intuitus: *Descendit*, inquit Textus, *vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* num. 5. Et cur non Noë filij nunc appellantur, qui toties paulò antè, sic solummodo insigniuntur? Quia, dum rebellant, plùs Adam rebellantem sapiunt, quàm Noë iustum: nimirum, facto ipso rebelles, suspicionem, quam à protoparente contraxerant implentes, meritò 1244.

Genes. 10.

De eodem.

Lyran. meritò illi expressiùs deputantur. Lyranus ibi: *Filij Adam, id est, imitatores eius: quia, sicut ille rebellauerat Deo in transgressione præcepti; sic isti in ædificatione turris.* Infami generi infames responderunt: vnde horum comprobandæ malitiæ, malitia paterna per summam exprobrationem subrogatur. An ergo non daretur ansa illis, qui Christum Diuinitatis raptorem blasphemabant: si crederent à raptrice parente ortum duxisse? At Maria nihil actu peccans, vt fides docet; originis à parente fœdatæ, vel etiam leuissimam a se remouet suspicionem: vnde Christus nullo iure suspectus proueniret.

1245. Sulphureo incendio turpiores Sodomitarum flammas extincturus Dominus, *pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Genes. 19. num. 24. Perierunt itaque simul infantes omnes, & lactentes illarum regionum. Ecqua culpa? Certè non sua: sed cum pessimorum parentum vindicta, ad horrentiam, & exprobationem culpæ, etiam misellí pueri inuoluuntur. At, cur saltem non pauci reseruantur, qui iam superna pœna, & paterno supplicio edocti, sanctiorem posteà conderent Rempublicam? Quia, cùm filij signa sint parentum viuacissima, noluit Deus, vt turpissimæ originis signum aliquod remaneret, in quo paterna infamia, & abominabilis culpa cerneretur. Alcuinus ibi quæst. 182. *Si iudicium Dei iustum est, quare infantes in Sodomis cum parentibus cremati sunt? Vt nimis impium facinus Sodomitarum possit aduerti, peccatum eorum peruenit vsque ad necem filiorum: ne de origine illorum, aliquod signum remaneret.* Semper in illo signo, significati culpa exprimeretur: & deriuata infamia perennaret. Imò, puto, illatum est his paruulis de pœna beneficium, qua apud alias nationes infamiam obiiciendam sibi, & præsumendæ turpitudinis titulos euitarunt. An igitur decenter Christus Matrem fœdatam significet, ipse iudicaueris: certè in hoc expressissimum Matris signum, significatæ infamia deriuaretur: & ab huius origine fœdata, filialis origo, infamiæ quidem notam participaret.

Genes. 19.

Vitia parentum, aut saltē suspicionem trahunt filij

Alcuin.

1246. Recurro adhuc ad Cham, & Chanaan, de quibus iam suprà habui sermonem fusè. Enarraturus Moyses Cham impudentiam, in detegendo fratribus patre, impudenter ex incuria detecto, sic incepit: *Quod cùm vidisset Cham, pater Chanaan, verenda, scilicet, patris esse nudata.* &c. Genes. 9. n. 22. Et quorsum hîc filij mentio? Quia si iam tunc degebat puer, vt quibusdam placet, ipse effrons effronti patri nuditatem auitam nunciauit. Si nondum natus erat, vt putant alij, iam de accipienda origine suspectus, & à patre futurus infamis, & malignus putabatur: vnde, cùm parentis malignitas narratur, meritò ad infamiam venit pariter filius computandus. Lyranus ibi: *Hîc nominatur Chanaan: quia, secundùm aliquos, ipse primò vidit, & patri suo Cham indicauit. Secundùm aliquos, quoniam hic agitur de malitia ipsius Cham, qui irreuerenter se habuit ad patrem: & ideò fit hic mentio de filio eius Chanaan, qui secutus est malos mores patris.* Vtcunque sit, puer patrizans, ad in-

Idem firmatur.

Genes. 9.

Lyran.

famiam abominabilis gesti illius, patri copulatur: vt, cùm in art. 1. multis videris, Christum matrizantem, nihil in Matre fœdum suspiceris, quo Filius videretur infamari. Huc faciunt verba Saluiani lib. 1. ad Eccl. Cathol. post alia: *Et hinc est, quod pene omnes parentibus suis filij, non magis in patrimonia, quam in vitiis succedunt: nec magis facultates paternas sumunt, quàm prauitates: ac sic transeuntes semper in mores patrum, antè eorum incipiunt nequitiam, quàm substantiam possidere. Et est ratio, cur hoc fiat: bona enim parentum, non nisi mortuis eis possident: viuentibus adhuc, & valentibus mores.* Sed de hoc suprà multa. Redeo. Saluian.

Quærebant sodales ab Sponsa, vt Sponsi requirendi dotes perpulchras sibi enunciaret: 1247.
Qualis est dilectus tuus, ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Cant. 5. n. 9. Quærebant, scilicet, dotes, quibus illectæ, dilectum eius quærerent simul diligendum, vt citandus Gillibertus latè prosequitur. Sed, quid, si illis inuentus, non ita videretur speciosus: quid, si ille non ita foret de pulchritudine amabilis? Certè non id timebant: in Sponsæ pulchritudine, quam pulcherrimam mulierum agnoscebant, & vocabant; pignus iam habent certissimum, fore Sponsum pulcherrimum virorum. Multa Gillib. Serm. 47. concludens ita: *Affectuosè quærunt, qualis sit in Sponso pulchritudo, de quo non possunt non præsumere, quin admirabiliter pulcher sit: & Sponsæ pulchritudinem, in argumentum desumunt pulcherrimi Sponsi.* Quasi non posset iuuenis pulcherrimus non esse, quem pulcherrima puella deperibat. Sic totus in Sponsa Sponsus apparebat, vt ab illius pulchritudine necessariò iste pulcher præsumatur: suspectus proinde fœditatis futurus, si quid in illa fœdum cerneretur.

Cant. 5.

In Sponsa agnoscitur Sponsus.

Gillibert.

Et quantò id clarius ex Sponsa Matre simul deprehendetur? Nullus Matrem Sponsam fœdet, ne inde Sponsus Filius fœditatis alicuius ingerat suspicionem: dicatur tota pulchra Maria, vt inde Christus manifestiùs pulcherrimus intelligatur. Optime Chrysippus Orat. sæpè citata ad Mariam: *Tecum est vniuersæ lætitiæ thesaurus: totius lætitiæ, & gratiæ Rex, cum ancilla: cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filiis hominum: cum puella impolluta, is, qui sanctificat omnia.* Quasi minùs decenter posset Filius speciositate omnes homines superare, nisi à Matre, proportione congrua ad illum, omnes superante mulieres oriretur: nec omnium Sanctificator à polluta radice originem posset trahere, quin quodammodo ad infamiam pollutus videretur. Præsumitur itaque in Matre Sponsa, Sponsus Filius: quæ dum pulcherrima mulierum cognoscitur, hunc virorum speciosissimum repræsentat. Si matrem ergo ab origine polluas, iam nescio quid in filio pollutum poteras suspicari. 1248.

Pulcher Christus à pulchra Matre.

Chrysip.

Ad Mariam, tanquàm Amicam, tanquàm Sponsam, Canticorum 4. Christus loquitur: 1249.
& post alia sic habet n. 3. *Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum dulce.* Custodiam apponebat ori suo Maria, & ostium circunstantiæ labiis suis, dum quasi strictè vitta colligante labia continebat, ne verbum aliquod inde, nisi tenore debito dulcissimum prodiret. Sed quid

Cant. 4.

Mariæ verba cur grauissima.

tantum mysterij in verbis Marianis, vt tam caute sigillata commendentur? Pulcherrimè ibi Guillelmus, ad hominem conuincendus: *Parum est, si dicam, in ore eius non esse inuentum mendacium, cum ab ore eius, nec verbum quidem sonuerit otiosum. Nec enim vel leuiter Verbi Mater, verbo poterat offendere. Vir pollutis labiis ego sum, ait Isaias: & subdit causam: In medio populi polluta labia habentis ego habito. Eximium, & singulare fuit Mariæ, in medio talis populi habitare, & labia prorsus impolluta seruare. Habitans inter peccatores, tam perfectam ori suo posuit custodiam, vt nec leuiter delinqueret in lingua sua.* Ac si in quouis accidentario, sed minùs composito Matris verbo, substantiale Verbum macularetur: minúsque decenter Filius Verbum vita nobis veniret, nisi vitta ligante quoduis maternum verbulum stringeretur. Penderet, ô vtinam! Guillelmus, penderet D. Thomas, (qui, vt par est, hanc fidei doctrinam propugnat in hoc art.) quantò fœdiùs, & Matri & Filio, originis vitium, quàm sermonis otium assignatur. Te ipsum testor, Christe optime, tu vt Verbum Patris, sic eiusdem splendor, & candor æternæ lucis: tu substantiale Verbum immensi ponderis, vel leuissimo Matris verbo infamareris: & tamen, æternæ lucis candor, horribilibus originis sceleratæ tenebris in Matre amandatus, nihil inde infamiæ, diceris participare. Recude, Magister optime, doctrinam tuam: obtrude nobis maius malum, indecentiorem noxam esse, otiosum verbum, originali culpa: huic cælum iam resera, reclude illi: huic gratiam admixtam patere, illi implacabile odium destinato. Id ni feceris, (nec tamen facies,) ingenuè fatere, te potiùs à materna originis culpa, quàm à verbo eius leuiori funestatum, suspectum, & pollutum. At, qui minoris causæ dedecus timuisti, certè maioris infamiam auerruncasti: & qui leuiora symptomata, à fortiori pestem, præueniente remedio, illuminasti.

Guillelm.

§. IV.

Parentes, & filij inuicem supponunt: vnde vel honor, vel infamia vtrisque communis.

1250. DHVC ex illa Carnis, & Spiritus coniunctione inter Christum, & Mariam, neruosius ad rem nostram deduco argumentum: cùm enim nulla vnquam gens tam barbara, nulla vsquam fuerit lex ita incondita, apud quam vtplurimùm parentes, & filij inuicem non supponant, honore, aut infamia mutuò communicata; quantò id clariùs in Christo, & Maria, qui, præter intimam carnis coniunctionem, imò identitatem; etiam prædicto spiritus vinculo copulabantur? Cogita immensos honores Christi, diuinam maiestatem; & totum hoc pondus, quantùm res patitur, transfer in Mariam: & vide, sodes, an cui hoc parabatur, congrue originalis fœditas comparetur. Cogita fœdatæ originis illuuiem, infamiam, opprobrium; & totam hanc labem, quoad dedecus, transfer in Christum; idque ex mente D. Thomæ, qui honorem, vel infamiam Matris, in Christum meritò voluit refundendam: & vide sis, an illi, qui Deus est, hoc dedecus decenter imputetur: an summa innocentia, nocentis Matris infamia iustè laborauerit. Agedum, rem ad Scripturæ calculos, ad Doctorum suffragia deducamus.

Christus, & Maria ad decus, aut infamiam inuicem supponunt.

Vbi Iacob cum filiis omnibus fruiturus Iosephi sui felicitate intrauit Ægyptum, detentus est à Iosepho, ne primus Pharaonem, sed præmissis aliquot filiis, alloqueretur. Genes. 47. num. 2. Hos ergo postquam comiter, & benignè exceptos nouit Ioseph, tunc deinde patrem introduxit: ideò ibi: *Post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad Regem: & statuit coram eo.* num. 7. Et quorsum id cautelæ? Respondet optimè hîc Lyranus: *Consequenter describitur receptio Iacob in propria persona: quia, postquàm Ioseph expertus fuerat, quòd Rex fratres suos gratiosè receperat, certificatus est de bona receptione patris sui.* Iam itaque Iacob in personis filiorum fuerat exceptus, nec poterat in se hilariter non admitti, qui hilariter in filiis admittebatur. Fit ergo in adolescentibus natis periculum, vt seniori parenti securitas procuretur: quæ in filiis præmunita, eo ipso ad patrem stabiliebatur, cum quibus vnus, & idem reputatur. Atqui, inquis, si filij in ingressu periclitarentur, nónne pater in illis periclitaretur: licèt posteà, in propria persona ingressum periculosum euitaret? Fateor; idque etiam ad rem meam: prudentiæ tamen fuit, & pietatis, vt periculo exponerentur filij, & parens charus honori seruaretur. Quantò magis pius Christus? Benè Ernaldus loco sæpè citato apud Godefr. de Virgine iuxta Crucem: *Præsens erat & Ioannes, cui dicitur: Ecce Mater tua. Non est passus Christus, vt Iudaica rabies, in Sanctuarium suum, profanam mitteret manum: vel aliqua infestatione violaretur templum illud Spiritus Sancti. Positus est fidelis æditus ad tanti thesauri custodiam.* Satis putauit Christus, si Mater in illo, vt vidisti suprà, pateretur: de cætero se dolori exposuit, Matrem honori reseruauit, licèt cum illa idem esset, sicut Iacob cum filiis copulabatur. Vbi obiter nota, Filium Dei, qui violenti, & violantis populi sacrilegè obcæcati iniurias tot passus est, noluisse, vt Sanctissima Mater, vel leuem impiæ manus sentiret pulsationem: non, quòd esset Filio dignior; sed, quoniam sic illam dignatus est facere amoris Martyrem, (quo solùm genere, spiritus pati possunt,) vt carnis tormento ad meritum non indigeret: quò innueretur, sic purissimum illum Spiritum, Verbum, scilicet, Dei, carnem cruciandam à Maria accepisse; vt eidem carnem, quasi sub spiritus conditione, non requirentem martyrij cruciatus ad cumulum coronæ, dare videretur. Estque satis decora causa, cur Maria illustrior spiritu Martyr, corporis martyrio Filium non sequeretur. Frustrà ergo præsumas, traditam fuisse ignominiosissimo Dæmonis ludibrio per culpam, quæ minùs indecoro ludibrio Iudæorum, ad pœnam, vtpote non necessariam, præseruatur. Pergo.

1251.

Genes. 47.

Honor filiorũ in parentes redundat.

Lyran.

Matris honori Christus sollicitus.

Ernald.

Martyrium Mariæ gloriosum.

Numeraturus

1252. Numeraturus sacer Textus prædictos Iacob filios, sic habet: *Erant autem filij Iacob duodecim filij Liæ, primogenitus Ruben*, &c. *Filij Rachel, Ioseph, & Benjamin.* cap. 33. num. 22. Et post longum catalogum sic concludit: *Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ.* (Genes. 33.) num. 26. Sed, quis non videat, primo aspectu id videri falsum: cùm Benjamin apud Ephratam natum esse, fide sanctum sit, ibidem num. 15. Dices, & meritò, non esse contra veritatem vniuersalis propositionis, si è pluribus vnus Benjamin excipiatur: dixeris ergo pariter, non esse contra fidem Paulini asserti, si ab omnibus, & illis innumeris, vna Maria excepta non comprehendatur. Aptior tamen ad rem præsentem, soluit ibi nodum Lyranus: *Istud videtur falsum: quia ibi nominatur Benjamin, qui non fuerat ibi natus, vt patet ex prædictis. Dicendum, quòd, licèt non fuerit ibi natus; tamen principium natiuitatis suæ inde fuit: quia mater eius inde fuit oriunda, & patri eius in matrimonio pacta.* (*Parentum patria filiis communis habetur.* Lyran.) Quasi sic Benjamin Racheli matri suæ vniretur, vt sit idem in Syria natam fuisse matrem, quàm ibidemmet filium vidisse lucem. Caueat igitur pius animus, ne Mariam in tenebris conceptam, & à tetra peccati Ægypto dixerit oriundam: ne Christum principio suo intimiorem, eidem Ægyptiæ patriæ obtrudere videaris.

1253. Sed iterum Scriptura totam consanguineam Iacobi familiam, quæ Ægypto inuecta est, longissimè commemorans, sic recapitulat: *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuêre septuaginta.* (Genes. 46. *Parentū gesta filiis tribuuntur.*) cap. 46. num. 27. Sed tu, mi Lector, para numerarios calculos, digitos supputatorios: & quantumuis vngues demordeas, nunquam, nunquam septuagenarium numerum adimplebis, nisi aliis, duos Iosephi filios adiungas: crede mihi, imò & doctioribus sacris Arithmeticis. Sed quî, inquis, cùm filij isti Ioseph, Manasses, scilicet, & Ephraïm, in Ægyptum non ingrederentur: quoniam in eadem Ægypto nati fuêre? Respondet Lyranus: (Lyran.) *Ingressus ipsius Ioseph fuit ante ingressum patris: & similiter ingressus filiorum Ioseph, qui dicuntur hic ingressi ratione patris sui, & sic quodammodo in eo ingressi sunt.* Satis erat, si pater ingrederetur, vt filij nati potiùs ibi in Ægypto, quàm aliunde ingressi, Ægyptum ingredientes intelligantur quodammodo. Satis erat, si Maria corruptam, & tenebricosam fœdatæ originis terram ingrederetur; vt filius eius in ipsa, suo modo terram istam indecenter ingredi videretur.

1254. (Septuag. Lyran. *Etiam nondū natis, imò nec conceptis.*) Difficilior adhuc Septuaginta Interpretum supputatio, qui legunt: *Animæ septuaginta quinque.* Sed, vt bene notat idem Lyranus ex Hieronymo, *Hi cum prædictis numerauerunt quinque filios filiorum Ioseph; qui tamen nondum erant nati.* Iam filij nondum nati, imò multò antequàm fuerint concepti, sic iidem cum parentibus suis intelliguntur, vt in eisdem parentibus supputentur. Videant nunc, qui ferè omnes decentias, aut indecentias Verbi à Matre, desumendas volunt, postquàm ab illa, aut conceptum est, aut editum; an satis ad tenorem Scripturarum, Matris, & Filij coniunctionem, & penè identitatem scrutentur. Certè Christus nondum editus, nondum conceptus, iam in parente intimiori computaretur; quando alij filij, similiter in parentibus computantur. Sed, qui facile intelligunt, quomodo Maria oritura post tot annorum chiliadas, iam in Adamo ad maculam olim vniretur; vix capiunt, quomodo Christus penè post tredecim annos nasciturus Matri conceptæ, ad decus, aut infamiam copuletur. Equidem pactum morale, quo Adamo vnimur, naturæ congenitum vinculum supponebat. Sed attende.

Dubitabis fortasse, cur vni Iosepho inter omnes fratres id honoris tribuatur, vt in illo solummodo nondum genita posteritas non solùm intelligatur; sed etiam expressiùs numeretur? Et respondet iterum grauiter Lyranus: *Hoc factum est per anticipationem, propter honorem Ioseph, propter quem alij fuerunt recepti honorificè in Ægypto.* Anticipatur honor filios computandi, illi vni, cuius intercessione cæteri honores obtinuerunt. Negemus cæteri fratres, diuinæ nostri Sorori, hunc honorem computandi sibi filium per anticipationem; si negauerimus plùs eius intercessionem nobis ad gratiæ, & gloriæ ingressum contulisse, quàm ad ingressum Ægypti honorificum, fratribus suis contulit Ioseph: quasi gratior iste apud Pharaonem, quàm Maria apud Deum intelligatur. Tandem nota, ad illud Genes. 48. num. 15. vbi dicitur: *Benedixitque Iacob filiis Ioseph.* ex Hebræo legi apud Vatab. *Et fausta imprecatus est ipsi Iosepho.* Quia, cùm parens, & filij inuicem supponerent; honor, & benedictio communis præsumebatur: perindéque erat, seu filiis, seu parenti fausta precari. Longè hoc verius in re nostra: vnde D. Hieronymus, siue Sophronius Orat. sæpè adducta de Assumpt. ita: *Nulli enim dubium, quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ impensum, atque solenniter attributum.* Deinde post multa, iterum sic subiungit: *Nec mirum, quia honor maternus, eius est, qui natus est ex ea.* Matrem igitur infama, & per consequens Filium infamabis: constringe illam culpæ reatu, neque Filium à reatu dedecoris liberabis. 1255. (*Christus nondū conceptus in Matre cōputatus.* Lyran. — Genes. 48.)

Est quidem hoc ita planum, vt etiam inter illos, qui non tam sanguine, quàm iure alio spiritualiori, prædictos consanguinitatis titulos mutuantur, eadem identitatis, & communicati honoris ratio conspiciatur. Rogabat Eliseus Eliam ascensurum, vt spiritum sibi duplicem relinqueret, 4. Reg. 2. num. 9. Difficile postulatum: cui tamen Elias annuit num. 10. dummodo raptus tempore illi adsit. Sed, quid in illa assistentia magnum reperitur, vt maximum beneficium impetraret? Certè vsque tunc Eliseus Eliam Dominum appellarat: at verò id temporis iam audis exclamantem: *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius.* num. 12. vbi attentè Galfridus: *Liquet, quia iam suus ille dominus in patrem tollitur: liquet, quòd ex seruo in filium adoptatur.* Meritò ergo iam spiritus, & decor Eliæ redundat in Eliseum: quia, tanquàm à patre in filium suo iure deriuabatur. Tota ergo difficultas est, quomodo 1256. (*Parentes, & spirituales filij inuicem etiam supponunt.* 4. Reg. 2. Galfrid.)

Elias spiritum duplicem filio relinqueret, qui tantummodo simplicem possidebat: quis enim plùs dispendere potest, quàm quod retinet? Certè non plùs dispendit: sed idemmet spiritus, qui Eliam informarat, iam denuò informans Eliseum, in duobus iam duplex videbatur. At, quomodo poterat vna, & eadem spiritualis iurisdictio, & dignitas, duos informare? Quia ex illis duobus iam vnus coaluerat; in diuersis tamen locis constitutus. Eleganter D. Chrysostom. homil. 2. ad pop. Antioch. *Et erat duplex Elias ille: & erat sursum Elias, & deorsum Elias.* Sic enim, dum filius fit; Eliseus vnus cum patre redditur, vt iam alter Elias videatur.

Chrysost.

1257. Nec tamen minori elegantia Eusebius Gallicanus in homil. de laudibus D. Maximi, ponderans hunc Beato Honorato successisse, sic scribit: *Dignus, cui primus ille fundator gubernacula Lirinensis nauis post se moderanda committeret. Dignus, cui, tanquam Elias ad superna migraturus, Eliseo Discipulo pallium pietatis, & gratiæ, & præclara meritorum indumenta traderet: & in se augendus, & in filio multiplicandus.* In se augetur, dum filio spiritum communicat: quia iam idem cum filio, huius augmento crescere videbatur: interim in filio multiplicatur, quia iam duplex Elias, in se sursum, & deorsum in filio perennabat: participatione duplex, honore indiuisus: idem & alius, ipsissimus, & diuersus: inuicem quippe, & incremento filij augetur pater, & Patris duplicatione filius adunatur. Eandem sententiam circa naturales patres, clariùs explicat idem Eusebius homil. 4. de Epiphania: *Duplex vobis commodum erit, cùm salus ad filios vestros de vestra salute trãsierit: & cùm per vos ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertetur: hoc enim donum dando non consumitur, & magis, dum transfertur, acquiritur: & miro modo, & transmittitur, & retinetur: siquidem salubri, iucundóque commercio, & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est.* Quasi non solùm honor, sed etiam ipsa animæ salus filiis per doctrinam communicata, in ipsos parentes recurrat: & ex illis in hos quasi eadem, sed multiplex reuertatur. Pone ergo, Mariam, siue carne, siue, prædicto suprà modo, Spiritu Christi Matrem: & ab illa in Filium deriuatos honores; & excellentiores alios à Filio in illam recurrentes adnotabis: neque vtrinque notam aliquam infamiæ admixtam audebis cogitare.

Idem probatur.

Euseb. Gall.

1258. Adhuc tamen in re Eliæ omnibus elegantior D. Ambros. Serm. mihi 87. *O hereditas pretiosa! in qua plus heredi relinquitur, quàm habetur: plus consequitur, qui accipit, quàm possidet, qui largitur. Pretiosa planè hereditas, quæ, dum à Patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Elias, cùm simplicem sanctitatis ipse habuerit spiritum, Eliseo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plùs Elias gratiæ dimisit in terris, quam secum portauit ad cælos: & licèt ipse ad altiora totus transferatur corpore, apud filium tamen, maiori manet sanctitate.* En tibi non solùm honor, & prærogatiua patris transfertur in filium; sed etiam nouo incremento cumulata: en Elias, dum plùs dedit, quàm habuit, sic iam decedit, vt ipse in filio dignior, atque sanctior perseueret. Hoc quidem longè in re nostra cernitur excellentiùs. Honor Matris Filium afficit; sed in Christo virescit cumulatior. Plùs visa dare Maria, quàm habuerat, cùm creaturæ honorem, sibi congruum, iam Creatori transfudit congruentem: & quæ absolutè finitum possidebat, iam Deo infinitandum communicauit: sic in se finita, & sancta, sanctior, & quodammodo infinita in Filio perseuerat. An verò cum hac tanta intimæ communicationis dignitate, rectè originalis fœditas copuletur, laxiori aliorum palato relinquo deglutiendum, robustiori stomacho decoquendum.

Spirituales Patres à filiis decorantur.

Venit huc aptum illud Genes. 21. num. 9. *Cúmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius.* Ludus ille, pestis erat: ad idololatriam enim Ismaël fratrem puppulum prouocabat. Sed, quænam matris culpa, vt pariter cum reo filio, innocens abigatur? Pende mihi, suppresso Ismaëlis nomine, non temerè vocari *filium Agar Ægyptiæ*: quasi cum sanguine mores contraheret, & Ægyptiam indolem redoleret. Iam ergo infamis à matre, perfido se ludo proteruum declarauit. Eiiciatur ergo mater cum illo: quia, si minùs culpam; at indolem culpæ pronam, & infamiam generis communicauit. Non longè ab his Lyranus, qui ad hũc locum ita: *Quia non poterat filius conuenienter emitti sine matre.* Certè, non quòd (vt suprà dixi) tenellus esset, & nutriendus, cùm iam ex meliori computu annum penè ageret vigesimum: sed, quia fata filij matrem attingebant, sicut infamia matris filium decolorauit: & dum pro vna, & eadem persona reputantur; alter alterius aut decore, aut infamia insignitur. 1259.

Genes. 21.

Fata matris, filium manent.

Lyran.

Qui ergo Christum decoramus, Matrem inuicem decoremus, necesse est: nihil enim Christo dabimus, quod inuicem Mariam non pertingat. Si Ægyptiam conditionem Matri assignaueris, iam Filium indidem suo modo sugillabis. Hinc meritissimò apud veteres, (dum filium, & parentem pro eodem reputant,) corona parta à filio, fideli regressu parenti imponebatur: & cùm summus esset honor, si delati ad sepulcrum coronarentur; honor iste & patri, & filio communis habebatur. Cicero 2. de leg. *Illa iam significatio est laudis, ornamenta ad mortuos pertinere: quod coronam virtute partam, & ei, qui peperisset, & eius parenti, sine fraude esse lex impositam iubet.* Sic inuicem commeant coronæ Christi Matrem coronaturæ, & Matris stemmata filium comptura: sic inuicem infamia, si quæ foret, inuicem commearet: cùm nulla mater cum filio tam sit idem, quàm Maria cum Christo: nec ita Agar Ægyptia Ismaëlem inficere videretur; vt Maria peccatrix Christi decori officere præsumenda. 1260.

Filij corona ad patrem regressa.

Cicero.

Benè D. Ambrosius lib. de Isaac, cap. 1. sanctissimi huius Patriarchæ virtutes enarraturus, à patre eius Abraham putauit inchoandum, & matre: *In patre nobis Sancti Isaac vel origo satis expressa est, vel gratia: cùm ad omnem redundat gloriam, quod tanto, & tam inimitabili viro natus, Abrahæ patri primum fuit. Neque verò istud mirabile, cùm in eo Dominica generationis, & passionis figura præcesserit: siquidem & sterilis anus ex promissione Dei peperit eum: vt crederemus, quòd potens est Deus facere, vt possit & Virgo generare: & oblatus vnicè ad immolandum, ovi & Patri non periret, & impleret sacrificium.* Vbi deinde fusè, quàm multiplex figura Christi foret Isaac examinat, & ostendit exactissimus. 1261.

Honor filiorum à parentibus.

Ambros.

exactissimus. Cuius tantæ rei basim ponit, redundantiam celebris gloriæ, quòd à tanto viro nasceretur. Nec mirandum esse vult, quòd a tam mirabili Patriarcha oriatur: cùm a Sara ortus, in typum per omnia vitæ munia, Christi à Virgine nasciturі ederetur. Consideres, quæso, quæ Parens figurato pararetur, cùm typo figuratiuo tales apparentur parentes. Patriarcharum maximus Abraham, à quo in Isaac typicum gloria redundauit originis: creaturarum omnium maxima Maria, à qua in Isaac verum, id est, rerum omnium Creatorem, originis gloria, id est, sanctæ Carnis pura participatio redundauit: nec enim ex opinione D. Thomæ minùs gloriosè oritur Christus à Matre sancta, quam à parentibus sanctis Isaac. Si ergo Creatori in quouis genere suprema gloria, honor summus debetur: planè gloria illa, quam à sanctitate originantis Matris accipit, suprema erit: honor ille, quem à Matris generantis decore participat, summus erit in suo genere. Viderit iam Lector, quantumuis hebes, an talis Mater originans, atque generans, gloriam maiorem impertiretur Filio, si ab origine sua sanctissima, & innocens, an verò si fœdata prouenirеt. Viderit, an Creator creatus, vt sic dixerim, reuerà genitus, summum honorem à generante caperet aliquando probrosa: quæ innocens absque dubio maiorem communicaret.

1262. Veniamus ad Abrahæ nepotem, Isaac filium, scilicet, Iacob, de quo iam suprà. Dormiebat iste corde vigilante: & ecce scala è cælo, ecce Deus loquēs: *Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Genes. 28. num. 13. Dum promittit illi terram, satis videbatur, si se (vt certissimum, & infallibilem sponsorem exhiberet,) Deum testaretur: cum addito, Deum Abraham, & Isaac se nuncupauit: vt dum iam se ab illis possessum amoris iure profitetur; etiam se Iacobo possidendum repromittat: sic enim idem cum parentibus putabatur: vt, quidquid illis fuit decorum, eidem suo iure communicaretur, inter cætera bona promissæ terræ, optimum etiam Deum hæreditaturo. Oleaster ibi: *Disce, Deum velle homines iure hæreditario inter alia paterna bona, ipsum in hæreditatem habere: ideò dicit: Ego Deus Abraham, & Isaac: vnde etiam tuus esse debeo.* Audisti vnquam debitum gratiosius, aut obligationem liberaliorem? Nimirum, non poterat paternus decor, in filium non demerentem, non redundare. At, si tanta possessio seruis in filios transfundenda communicatur; Domina illa, quam Dominus in initio viarum suarum possedit; quomodo non decores omnes possibiles, in ipsum Dominum Filium suo modo transfundendos possideret? Quomodo in origine sua gratiis spoliata, peccato infelix, filium infamandum dedecoraret?

Genes. 28. *Deus amore iussu hæreditarius.*

Oleast.

1263. Claudo hanc paginam ratione Ciceronis (fauent enim apertæ veritati, etiam Ethnici) lib. 1. de nat. Deor. vbi de Dei conditione: *Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnium intentum, & commeantem, ex quo nostri animi carperentur: non vidit distractione omnium animorum discerpi, & dilacerari Deum: & cùm miseri animi essent, quod plerisque contingeret: tum Dei partem esse miseram, quod fieri non potest.* Quasi animulorum à se effusorum miseriâ, Deus (idem, scilicet, cum illis) necessariò contabesceret; & si aliunde in se ipso beatissimus haberetur, iam tamen illa parte infelix foret existimandus. Quales ergo essent partiales isti animuli, si totus ille grandis animus, id est, Deus, vndę fluebant, miser esset? Equidem misertimi. Si enim effectuum miseria causam infelicitat, & infamat; quantò efficaciùs ab infami causa, & fonte misero, infames etiam spiritus dimanarent? Sicut ergo in hoc ethnico, sed formalissimo syllogismo tota vis ponitur in eo, quòd animi nostri ex ipso immenso animo, siue Deo componantur, vt ex illorum miseria iste funestetur: sic longè efficaciùs in nostra ratione, cùm Christi Caro pars quædam sit carnis Marianæ, infamabitur, si hæc de culpa aliquando contracta, infamis, & minùs decens denotatur: cùm, vt dixi, plùs officiat, & inficiat causa effectum, fons fluuium; quàm è contra. Sed quàm aliter res eueniret, vidit Ambros. de instit. virg. cap. 17. *Ipse vnigenitus Filius tuus venturus in terras, suscipere, quod amissum est, puriorem Carnis suæ generationem reperire non potuit, quam vt habitatione, cælestis aulam Virginis dedicaret.* Tota quodammodo cælestis dicitur Maria, ne quid terrenæ sordis contraxisse intelligatur: & Deus, qui tantopere curauit, vt generatio Carnis suæ, non fœdâ copulâ, sed virgineo influxu prodiret; à fortiori curaret, vt Caro generationis suæ foret purissima: cùm indecentior ab accepta carne pollutâ, quàm à modo accipiendi minùs puro, appareret: quippe generatio desiit; at Caro semper in Christo perseuerat.

Cicero

Christus à Matre infelici, infelix.

§. V.

Quàm sedulò boni filij decorandis parentibus impendantur.

1264. DEST iam examinanda ratio, omnium, quæ hac de re afferri possunt, efficacissima, cur originis maternæ infamia, & dedecus in Christum deriuaretur; cúrque ille, qui dedecora tot, tanta opprobria passus ab hominibus, tantoperè hoc dedecus respuit sustinere. Pende mihi, diuina lege, ipsisque naturæ principiis cuius filio mandatum, atque ingenitum, vt parentes impensissimè colant, & honorent; omnia illis auertant damna, omnia sollicitent commoda diligenter. Hoc iustum, debitum, sanctum non negabis: vnde & Christo perfectissimè tribuendum fateberis necessariò. Si ergo Matri non acceleraret gratiam, si culpam non anteuerteret, iam minùs pius Filius videretur. Cur ergo hanc notam non effugeret, vnde non solùm dedecus combibebat; sed etiam prouidentiæ, amorique suo, maculam quandam inurere videbatur? Nec respondeas saluâ Redemptoris conditione, id fieri non potuisse: hoc enim falsissimum esse, plusquàm sexcentis paginis suprà monstraui, vbi de redemptione præseruatiua.

Christus cur tantoperè Matris honorem curaret.

Dices, totam rationem vmbratilem inde corruere, quia Christus nondum Filius, cùm Maria conciperetur: vnde nec debitam prouidentiam, nec amorem sollicitum illi denegauit: meritò arguendus, 1265.

Idem ostenditur.

guendus, si postquàm ab illa formatus, eiusdem rebus non totus inuigilaret. Sed tu, mi homo, hac responsione, qua Thomisticam sententiam putas propugnare; ipsius D.Thomæ in hoc art. & totius Ecclesiæ sententiam, verissimúmque fidei dogma oppugnas temerarius. Si Verbum solùm post Incarnationem, Mariæ, tanquàm Matris, res curauit: frustrà ex dignitate Matris concludit Thomas, docet fides, etiam ante Incarnationem, à leuissima culpa præseruatam. Si ergo hoc ad prouidentiam, & amorem optimi futuri Filij pertinuit, cur non & illud tam magis necessarium? Si Maria verè Theotocos poterat posteà dolens Filio obiicere, quòd cùm esset Deus & potens, illam à venialibus non preseruaret: quantò iustiùs doleret, & obiiceret, quòd illam à fœdissima origine non eriperet? Si claudicantem fateretur Christus prouidentiam suam, si ante Incarnationem futuræ Matri quamplurima priuilegia non irrogaret; cur non claudicantem agnoscat, si à maiori malo illam non eripuit? Næ, qui ita obiicis, diuinum Filium, filiorum aliorum metiris conditione, qui nulla sui parte priùs sunt, quàm filij sint. Certè non poteras non ingratum, & indeuotum illum existimare filium, qui si valenti sui parte parentes (per casum datum) præcederet; iam tunc futuros parentes non honoraret: non poteras non meritò dolentes posteà parentes de filij incuria in questum erupturos reputare. Ista ergo, ista est nota, quam Christus in casu nostro euitauit: hinc honorem suum meritò putaret violatum, ni futuræ Matris honorem inuiolabilem custodiret. Videamus ergo iam fusè, quàm solcant boni filij parentes honorare: deinde pari tenore videbimus, quantùm in decoranda Matre se Christus exhibuerit: & vtrinque ad rem nostram formabimus argumenta.

1266. In primis ad præceptum illud diuinum recurramus: *Honora patrem tuum, & matrem tuam vt sis longæuus super terram.* Exod. 20. num. 12. Quod repetens Apostolus sic habet: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, (quod est mandatum primum in promissione,) vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.* Ephes. 6. num. 2. At, quomodo præceptum primum appellatur, quod in ordine Decalogi ponitur quarto loco? Cautè dixit Apostolus primum esse, sed *in benedictione:* vtpote cui priùs omnium subiungitur benedictio, præmium promittitur. D.Eucherius apud Cerd. Aduers. cap. 115. *Quomodo Apostolus dixit, quòd est mandatum primum: cùm in mandatis quarto sit ordine? Subiungit, in promissione. In qua promissione? Vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram. Igitur in mandatis hoc est primum mandatum, quòd habeat, quam suprà diximus, benedictionem.* Attentissimè enim considerandum voluit Paulus, quanti Deus fecisset hoc mandatum: qui, cùm priora tria ad se pertinentia vacua relinqueret; hoc noua promissione cumulauit: vt ad eius implementum etiam duros alliceret, & rebelles suauiter compelleret: quasi illorum potiùs, quàm huius violatori pœnam dissimulaturus.

Exod. 20. Ephes. 6. *Præceptum honorãdi parentes, quàm cõmendatum, & sub quibus priuilegiis.*

D.Eucher.

1267. At prædictum locum Exodi sic vertit ex Hebræo Oleaster: *Honora patrem tuum, & matrem: vt prolongent dies tuos.* vt necessariò, aut inuiti, aut inuitati compellerentur filij parentibus honorandis, cùm in horum ditione, vitæ suæ prolongationem audiant constitutam. Ipsi, ipsi honorati parentes vitam tibi dicuntur prolongare, quin efficaciter postulata impetrabunt. Oleaster ibi: *Vides hic, qualiter bona aliena collata, eum ad precandum inuitent: similiter, quid valeant parentum benedictiones, & precationes, quæ tibi longam possent vitam à Domino impetrare. Similiter, quantò pluris faciat Deus parentum honorem, quam suum: vt quasi voluerit te potiùs parentes, quam se honorare: quemadmodum eos alere potiùs, quam sibi sacrificia offerre.* Clarè in Euangelio sacrificia, parentum necessariis donis postponuntur: sic quandoque voluit, vt parentum honor, suo (prætermisso potiùs, quàm violato) præponatur: quasi decoriùs in parentibus, quam in se, pro rerum circunstantiis, ipse honoretur. Sic interpretandus ad sanum sensum Alexis apud Stobæum: *Non volui matrem deserere, sed omnium primam seruare: nam rectè intelligentibus, nec diuina quidem matri præferenda sunt. Vnde antiquissimus ille Conditor non imperitus, Matris ædem consecrauit.* id est, prætermittenda quandoque diuina officia, vt saluti maternæ consulatur. Si Christianus esset, discentem putares à Christo, qui primam omnium seruauit Matrem, cui redemptionis primitias, vt vidimus, id est, præseruationem assignauit.

Oleast. *Filij ab honorandis parentibus, quàm pendeant.*

Plus parentibus, quã sibi, à filiis Deus exigit, fusè.

Alexis.

Sed pende huc illa verba Dei: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum.* 1. Reg. 2. num. 30. 1268.
Deum honorantibus gloria, id est, splendor, & nobilitas promittitur: (de hac enim humana gloria sermonem esse, satis claret ex adiuncta antithesi: *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*) At verò honorantibus parentibus, longæuitas, & vita spondetur: quantò enim pretiosior est vita, quouis alio humano splendore, (cùm omnis terrena gloria, omnis fastus pompaticus morte pereat:) tantò videtur impensius allectamentum, quo Deus parentum honori potiùs, quàm suo piissimus consulebat. Pergat Oleaster: *Similiter honorantes se voluerit honorare iuxta illud 1. Samuelis 2. Quicunque honorificauerit me, honorabo eum: longæuam verò vitam concesserit eis, qui honorauerint parentes: constat autem pluris vitam fieri, quàm honorem.* Suauissimè enim Deo adblandiris, dum illum præcipientem honoras in parentibus: fortasse quia in his discas, ipsummet Deum parentem meliorem affectuosiùs deinde venerari.

1. Reg. 2.

Honorantiũ horũ priuilegia à Deo.

Oleast.

In hoc tamen loco verbum honorandi, significat ex vsu sacræ phrasis, muneribus etiam afficere, donis cumulare: tale est illud Prou. 3. num. 9. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum.* Vbi vlteriùs nota, diuersitatem terminorum, quibus Deus, & parentes honorandi præcipiuntur: parentes absolutè, & sine addito dicuntur honorandi: Deus verò de sola possessa substantia, déque fructuum primitiis adscribitur honorandus. Et cur ita? Respondet pulchrè idem Oleaster: *Et annotauit hic quidam Rabbinus, scilicet, Rabbi Simeon, Scripturam pluris fecisse parentum honorem, quàm Dei: vt voluerit nos Deum honorare ex substantia nostra, iuxta illud Salomonis: Honora Deum de tua substantia. Parentibus verò voluit filios subuenire ex labore manuum suarum: & si non habeant, teneantur in pristino* (lego, pistrino) *laborare, vt parentibus victum quærant.* Quæreret quidem Christus labore manuum suarum, & proprij Sanguinis effusione, si opus esset, victum Mariæ: vide ergo, an proprio Sanguine, qui ab origine mundi de se efficax erat vita,

1269.

Prouerb. 3. *Honor parentibus præbendus qualis futurus.*

Oleast.

vitæ, & saluti originis comparandæ, præseruatiuam Matris redemptionem compararet: vide, quæso, an, qui sic prouidus fratribus, imò seruis, ab ipsis Orbis incunabulis fundendi Sanguinis pretium communicauit; Matri decentem indidem salutem non prouideret.

1270. Est aurea in hanc rem sententiola Xenophontis, de dictis Socratis: *Tu itaque, fili, si compos es mentis, Deos, vt tibi ignoscant, exorabis, si quid matrem neglexisti, ne ingratum te esse existiment, nec benefacere velint. Ab hominibus quoque cauebis, ne id resciuerint: si enim te arbitrantur erga matrem ingratum esse; nullus putabit, te pro acceptis beneficiis in referenda gratia memorem.* Certè non tam gloriosus Redemptor apud Deum, & apud homines Christus, si in primo instanti Matrem neglexisset. Nescio, quomodo ingratum illum posteà posset existimare Maria, dum, quà Deus, Deiparæ non subuenit. Nescio, quomodo homines pro acceptis obsequiis in referenda gratia minùs memorem pertimerent, si erga Matrem minùs gratum, minùs prouidum suspicarentur. Sed is, cuius meritis, antequàm nasceretur, seruis prouisum est; certè Matri, vt potuit, voluit prouidere: idque dum piè iam credunt homines, suauiùs erga Christum afficiuntur: vberiorem de tantæ Matris fauore spem concipiunt.

Filium matri nequam, nulli bonus.

Xenophon.

1271. Querebatur vidua illa, Eliæ hospes, & cum Sancto Propheta expostulans lamentabatur: *Quid mihi, & tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* 3. Reg. 17. num. 18. Quòd, præsente illius sanctitate, viduæ crimina fœdiora apparerent, in quorum pœnam Deus filium occiderat: transeat nunc. Sed, cur Elias pueri interfector appelletur, qui nullam iustæ mortis occasionem culpabilem adduxit? Parce afflictæ: quæ tamen, vtcunque probabili, saltem doloribus suis, causa, Eliam ingratitudinis arguebat: putabat potuisse damnum anteuertere; & quia benigni hospitij immemor, id non fecerat; iam necis reus, iam interfector filij appellatur. Hugo Cardinalis ibi: *Hoc dixit: quia Elias precibus potuit occurrere morti pueri, & non fecit.* Hoc est, quod suo modo in re nostra eueniret. Idem verisimili quodam iure Maria quereretur: Potuisti tuis meritis maternæ morti occurrere, nec fecisti: penè te Matricidam appellauero: minùs gratus, purissimi vteri hospitio aduenisti: minùs prouidum in decoranda Matre te probasti. Sed aliter, vt par erat, res euenit: aliter æternus Pater nasciture Filio prouidit. Exemplo rem declaro.

3. Reg. 17.

Damni illator videtur, qui potens nõ præseruat.

Hug. Card.

1272. Semele, Bacchi mater, Iouis vxor vtcunque, rerum inscia, Iouem suum adiurauit, vt ad se non dissimulato cultu, sed sub diuina pompa, (vt solebat ad Iunonem,) adueniret. Dolet iste, sed implet iuramentum. Properat cinctus fulminibus, quorum ictu puella perit, dum parit Bacchum. Crescit puer hinc mortalis fœminæ, illinc immortalis Dei, communis filius: & post insignes virtutis apotheosi fruitus, in cælum euehitur desponsandus. Nuptiarum pompam sic describit Seneca (nescio, an hucvsque satis explicatus) in Oedipo, act. 2. in Choro:

Exemplo id ostenditur.

Seneca.

Ducitur magno noua nupta cælo,
Solenne Phœbus carmen
Edit infusis humero capillis:
Concutit tædas geminus Cupido:
Telum deposuit Iupiter igneum,
Condidit Baccho veniente fulmen.

Et cur condidit? Ne dolori esset filio, (viso instrumento maternæ necis,) dedecoris sui memoria: ne minùs potens Deus argueretur Bacchus, si non valuit; aut minùs pius, si noluit matri subuenire. Sic olim adolescens Senecam interpretabar. Ad rem. Si Christus Matri non subuenit, quodammodo ad quoduis fœdatæ originis fulmen, doliturus videbatur, ne aut minùs potens, aut minùs pius in Matrem putaretur. Sed diuinus noster Iupiter, verè Pater Deus, & honori, & dolori Filij consuluit: & ipsis Incarnationis suis nuptiis, non tam condidit originalis culpæ fulmen, quàm Matrem eius nunquam fuisse fulminatam reuelauit. Iterum ad seria.

Meritis æquè, & diebus plenus decessit Abraham: & addit Textus: *Et sepelierunt eum Isaac, & Ismaël, filij sui.* Genes. 25. num. 9. Ismaël sepulturam patris curat? Nonne iste erat, quem Abraham simul cum matre eiecit domo, exuit hæreditate, iuniorem misero fratrem præponens? Cur ergo tam mitis properat, tam festinat sollicitus exequiis paternis decorandis? Quia filius erat. Nulla iniuria, nullus dolor à filio, nisi iam efferato, & mentis impote, affectum honorandi parentis potest eradicare. Naturæ memor, immemor opprobrij, quod sibi putabat illatum, patri decorando accedit Ismaël: præcauens, ne si in hoc deficeret, sæuior ipse contra naturam, quàm pater in se fuerat apud homines, meritò argueretur. Oleaster ibi: *Aduerte, Ismaelem iniuriæ à Patre sibi illatæ immemorem, cùm opus sit, eum sepelire: licèt nosset, se cum matre ab eo abiectum, & maiorem natu hæreditate pulsum.* Et quid non destinaret in Matrem pius Filius, quam sibi futuram deuotissimam præsciebat? 1273.

Genes. 25.

Nulla paterna iniuria ab honorando patre filium deterreat.

Oleaster.

Siue ficta, siue facta res fuerit, perinde est ad rem meam: plusquàm graphicè tamen enarrat Quintilianus Declamatione 2. gestum filij, patrem ab incendio liberantis, liberaturi & matrem, nisi in ipso conatu flammis excæcaretur: *Cùm domum ignium septa violentia eripuisset miseris senibus omne præsidium; illâ festinatione, qua fugimus, erumpimus, in medium cucurrit incendium. In quanto tunc periculo fuit rerum natura pietas! dum diu, multúmque attonitus hæret, dum ad vtrunque respicit, ad vtrunque discurrit: penè infelicissimos parentes perdidit pietatis æqualitas: vt demum miserrimos senes cluserat iam propior ignis, (audiat, licèt inuita, pietas,) patrem iuuenis elegit: & de pariter ardentibus, vices disposuit affectus. Vix dum posito sene, cùm illum quoque miraremur explicitum, iterum flammas aperuit, & vndique coëuntis incendij redditus globis, arserat iuuenis, si tardiùs perdidisset oculos. Facinus est existimare, Iudices, non hoc quoque maximis contigisse conatibus, vt seruaretur & mater: minùs tamen in vtroque fecerat, nisi perdidisset oculos: viderint, qui filium magis in eo parente mirantur, in cuius salutem faciem, vultúmque consumpsit.* Et quia pater durus, & querulus filium accusabat, quòd matrem etiam non eriperet; concludit Declamator: *Patri præstitit cæcitatem, qui amisit oculos, dum repetit, quam reliquerat, matrem.* Habes insigne creatæ pietatis exemplum in patrem morosum, & difficilem: 1274.

Quàm intensè filius parentes curare debeat.

Quintilian.

difficilem: vide, quid in suauissimam Matrem increata illa Pietas, sub fœdissimo communis originis incendio meditaretur.

1275. Reuersus e Mesopotamia Iacob, post varias stationes, tandem diu ad turrem gregis commoratur: & subditur deinde: *Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre.* Genes. 35. num. 27. Si tunc solus venit; vbi cura tantæ familiæ, tot filiorum, & coniugum, quos relinquebat? Si reuerà, vt probabiliùs coniicitur, totam secum familiam transmutauit; quid tanti ponderis erat in assistendo patri, vt iam immensum tantæ domus mouendę pondus, aut leuius, aut necessarium videretur? Respondet ibi Oleaster: *Crediderim ego eum hac de causa ad patrem senem venisse, vt eius posset nutrire senectam. Quo facto, nos admonet pietatis erga parentes senio confectos.* Nec solùm, (puto,) totam familiam sic mutaret Iacob; sed ipsam etiam potiùs delendam vellet, quàm tanto pietatis officio defuisse: sicut Deus vni Mariæ creaturas omnes, si opus esset, impendere non dubitaret. Facit huc illud Plutarchi in Apophtheg. de Antigono secundo, cuius pater Demetrius, captiuus apud Seleucum habebatur: *Ad Seleucum scripsit, si patrem Demetrium dimisisset, concessurum ei se vniuersum imperium suum; traditurumque se ipsum obsidem.* Dulcius, nimirum, sibi imperium existimauit, patrem, amota captiuitate, liberum possidere. Quid, si posset captiuitatis labores antevertere; & patrem ab hac iniuria præseruare; quàm lubens pro illo obsidem se daret? Et putabit aliquis, Christum, qui potuit, quà Deus, Matris captiuitatem præuidere; & corporis assumendi pœnis, illam ab animæ miseriis grauioribus redimere, & præseruare; ignauum, & minùs amantem filium se exhibuisse: & in hoc gloriæ genere Antigono cessisse? Antigonus patris libertatem emeret toto imperio, & se obside: Christus imperium suum, & dolores Matri non dicaret?

Genes. 35.

Idem firmatur.

Oleast.

Plutarch.

1276. Luctatur Iacob cum Angelo, qui videns, quòd eum non possit superare, eundem tacto neruo claudum reliquit: tunc subdit Textus: *Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob, vsque in præsentē diem: eò quòd tetigerit neruum femoris eius, & obstupuerit.* Genes. 32. num. 32. Sed, cur non comedant in pecoribus neruum illum, qui in atauo dicitur emarcuisse? Cur sibi interdicant vsum partis brutæ, nerui, scilicet, quo crura contrahuntur, quam tam remotè, in homine progenitore læsam agnoscebāt? Quia nerui stuporem, patris pœnam ab Angelo inflictam existimabant. Certè doluit, nec leuiter, Iacob, dum ad mysterium in neruo percuteretur: ac proinde, non iam se pios, vt par erat, filios putarent Israëlitæ, nisi paternum dolorem sic dolerent, sicque semper in corde gererent præsentem, vt ad cuiusvis typi conspectum, vehementior excitaretur: à neruo brutorum abstinent, ne interim læsi parentis memoriâ sæuissimè torqueantur. Oleaster ibi: *Debent filij sentire mala parentum: & flagella, quibus Deus parentes suos castigauit, sua reputare.* Equidem, si aliquando Maria in via innocentiæ claudicaret, id posteà piissimus Filius, Matri culpam præteritam necessariò dolituræ, condoleret quodammodo de affectu: vnde id, quà Deus, præuidens, pulcherrimos illi ab origine gressus tribuit, sic aptis iuncturis mystica efformans femora, aptos poplites, vt diuinum artificem testarentur.

Genes. 32.

Parentū dolor, quàm filiis sensibilis.

Oleast.

Et quidni erga Matrem, talem se gereret Christus? Est piissima sententiola illa Plutarchi de piet. erga fratr. *Malè mereri interdictum est de aliis: matri verò tuæ, vel parenti, nisi ita te præstes, vt omnibus dictis, vel factis tuis, licèt non gasit acerbi quidquam, eos lætifices, flagitiosissimum existimant, & nefarium.* Quid, si acerbum aliquid intercederet? Quid, si parentum instaret damnum maximum? quam nefarium, quàm flagitiosum foret, illos auxilio debito defraudare? Nefarium planè est, id de Christo existimare, quod ille fieri, nefarium existimasset. Collegit Alexander in ipso iuuentutis flore, fructus, & illos vberrimos virtutis suæ: nondum enim annum trigesimum impleuerat, cùm trophæis eius superatus iam Orbis impleretur: hinc illum aut mors maturum, aut vita reputauit superuacaneum: hæc, quia nihil maius poterat impendere; illa, quia nihil minùs exigere præsumpsit. Vidit ergo Alexander deficientem sibi animam, languentes penitùs vires, quibus tot viri Principes succubuerant: tunc conuocatis purpuratis suis, non tam emissa voce, quàm organizato suspirio: En, inquit, morior: en perit Alexander vester: vos autem testes fueritis, Macedones dilecti, impensi à me laboris, quo, vt vos iam Orbi redderem gloriosissimos; vt patriam in Mundi caput coronarem, perpetuus ab eiusdem deliciis exulaui. Sudore madent meo Libyca sabulosa; & crebro defatigati pectoris halitu, plusquàm Riphææ niues liquescebant; vix diem absque prælio, vix absque excubiis noctem numerauero. Nunc ah! nunc tempus, in quo obæratus mihi populus fidem liberet: nemo ingratus cupienti Regi denegauerit id, cui tantummodo vitam exoptaui. Hæc ille: & quid non summum speres postulandum? Audi Qu. Curtium lib. 9. post multa de Alexādro morituro: *Quoniam olim rei agitata animo meo, nunc promenda occasio oblata est: mihi maximus laborum, atque operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur: quandocunque vita, hoc si licuerit, ipse præstabo: si me præceperit fatum, vos mandasse mementote.* Pius ingenio filius, &, si fas dicere, prudens: pius, dum omnia gesta sua, matri dicat: prudens, quia dum iactabundus se Iouis natum credit, posita hac vana opinione, omninò necessarium existimauit, vt mater apotheosi fruita, Dea coleretur. Neget igitur Christo vberiores erga Matrem pietatis affectus, quàm Alexandro, qui illi veriorem à Deo filiationem denegauerit: omnia ergo opera sua Matri impendit, hunc maximum laborum suorum fructum existimauit, si Maria Mater à culpa præseruaretur. Sic si minùs Dea, saltem Deo Patri similior, veneranda: & quandoquidem Christi meritum hoc poterat percipere, vt suprà fusè probaui; quis piè dubitet, de facto percepisse? An putas, Christum, Alexandro, de piissimis affectibus succubuisse? Habuit certè Christus hos longè excellentiori modo, qui præuisi à Patre obtinuerunt, vt fructus laborum eius, venustando maternæ innocentiæ flori assumerentur. 1277.

Plutarch.

Id ni sit, quàm nefarium.

Omnes filij labores ornādo parenti dicantur.

Curtius.

Agitabantur apud Ethnicos olim sæcularia festa, veneratione summa, cæremoniis exquisitissimis: dicabantur hæc maximè apud Romanos Apollini, & Dianæ: semper tamen mihi dignissimum 1278.

Nullus honor filiis dulcis, cuius non fint participes parentes. simum notatu visum est, existimasse Romanos ingratum fore cultum Diis istis, ni pariter eximia solennitate eorum mater Latona celebraretur. Hinc carmen illud sæculare, vt nosti, apud Horatium lib. 1. od. 12.

Horat.

Dianam, teneræ, dicite, virgines:
Intonsum, pueri, dicite Cynthium:
Latonámque supremo
Dilectam penitus Ioui.

Quasi desiperet Diis honor, cuius particeps mater non haberetur. Sic, puto, sapidiorem habet Christus honorem innocentiæ: quia eiusdem Matrem habuit participem. Et reuerà non sapit filium, qui honore, quem impendere poterat, parentem defraudat. Lubet vno, vel altero verbo, id in ipsomet Deo, imò in nobis erga Deum explicare.

1279. Prouocabat Dauid fideles ad sacrificium dicens: *Afferte Domino, filij Dei: afferte Domino filios arietum* Psal. 28. num. 1. Quasi ideò significanter tunc filij appellentur, vt omnem in Patre Deo honorando tarditatem ab illis amoueret. Grauiter ibi Chrysol. Ser. 10. *Videtis, quia cælestis Pater sentit amorem donis, datis affectum probat, muneribus charitatem. Et reuera, Fratres, filium se nescit, visceribus caret, naturam negat, ingratus est Patri; qui authorem vitæ suæ, non obsequiis placat, non deuincit cultu, muneribus non honorat.* Huc transfer plenas paginas, de obsequiis, quæ Deus nobis imperat, quà filius, in Cantico meo Tropologico fusè descriptas, si rectè memini. At non erit indignum, tarditatem hanc erga Matrem, Deo irrogare, quæ in nobis erga illum plusquàm sacrilega haberetur? Nos, quia filij, honorando Deo conuincimur: Deus Matri Mariæ honorem inuideret? Suo modo, Deum ipsum, ad hominem, vt sic dicam, argueremus: ipse enim Malach. 1. num. 6. sic queritur: *Filius honorat patrem, & seruus dominum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus?* At, si Maria, Mater est, mi Domine, vbi est honor eius? Sed, in quo dolet Deus non honorari? Ipse subdit num. 7. *Offertis super Altare meum, panem pollutum.* Atqui tu Matri, Altari meliori, dum purissimam posses, pollutam decerni naturam passus es. Puto, prænouit Deus, Christum huic argumento quodammodo manus daturum: ni easdem sollicitum pro Matris immunitate, Cruci, & clauis tradentem aspexisset. Repetenda hic verba D. Hieronymi iam suprà data ad hunc locum: *Panes, scilicet, propositionis, quos iuxta traditiones Hebraïcas, ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis: & nunc sumitis quoscunque de medio.* Non itaque *de medio*, id est, de tumulo infectarum in præuisione animarum, Matrem elegit Deus: sed summa cura ipse serit, conceptam excipit, parat singularem. Et benè non *de medio* Maria: quæ non foret, nisi præuiso Christo à Deo sereretur: vt non solùm gratiam, sed etiam naturam, præuisis pij, & honorantis Filij meritis debere agnoscatur.

Psal. 28.

Deus quà Pater honorandus.

Chrysol.

Malach. 1.

Maria absque Christo non futura.

Hieron.

1280. Sed inter tot vtriusque Paginæ monumenta, parentes erga, venerationem protestantia, aut iustorum, aut Principum ethnicorum, aut tandem fictorum Numinum: en aliud, si fas sit dicere, mortalis Deæ, Catholicæ Reginæ, meritò recolendum. Margaritam intelligo Heroïnam Philippi Prudentis nurum, Pij coniugem, Magni matrem, Societatis nostræ delicium suauissimum. De hac ergo D. Didacus de Gusman, Eminentissimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, librum vernaculum scripsit, vbi 1. part. cap. 3. hæc habet versa fidelissime, de eiusdem cum matre ad Hispaniam profectione locutus: *In hoc itinere, & longa nauigatione, fuit planè admirabilis veneratio, quam Margarita iam tunc Regina Archiduci matri duxit exhibendam: nunquam illam adiit, (licèt rarò agnella ab oue deuiaret,) nunquam discessit, nisi profunda inclinatione præmissa.* Did. de Gus. *Ferraræ pompa sanè celebriori, quàm vnquam (à V. Caroli Bollonico comitatu) suspexerat Italia, gloriosissimè excepta, haud valuit sustinere, vt mater primo, sed post se loco duceretur: sic summa cum pietate contendens, vt tandem ad illius penè latus, minimo situs discrimine fuerit collocanda. Quando apud Pontificem cœnauit, ea desiderata matris præbuit indicia, vt Clemens VIII. ad mensam, (quod tunc primùm visum,) etiam Archiducem permitteret vocari. Inde adductum soli Reginæ puluinar, ipsa matri reuerenter submittebat: vnde Pontifex aliud etiam matri curauit afferendum. Proh mater hac nata felix! Proh nata, hac in matrem pietate prudens. Talis olim Salomon, erga parentem throno admissam se gessit. Vellet, credo, (si fas,) & sibi purpuram, & maiestatem exuere, qua mater gloriosior indueretur: coronam, & sceptrum sibi inuidere, vt materna dextra, & capiti radiaret. Matri aliquid de senili prudentia, iunniori sibi aduertenti, aut a se, si fortè, per incuriam læsa leuissimam, illicò de suffuso vultui rubore venerabundum spiritum indicabat: affirmans creberrimè, dum nauigationis tædia, quæ fuere grauissima, matrem defatigantia condoleret, enixè exoptare, idq; pro magno à Deo beneficio accepturam, si immuni parente, sibi duplicatus labor adderetur. Tandem peractis iam nuptiis, matrem abeuntem penè instillato inter lacrymas corde, eiusdémque flexu genibus benedictione suscepta, crebris suspiriis fuit prosecuta: cuius deinde vitam, qua potuit impensa sedulitate, omni obsequiorum, & munerum fouit impendio: cuius mortem regalibus plusquam obsequiis condecorauit.* Hæc ille, & cur tus adhuc. Nouerat, nimirum, Margarita, qualis Rex regiam Christus Matrem coluisset, cùm illa sic de illustris suggestione indolis, ad suam animaretur: inde parthenicis illis suis, & optatissimis nouendialibus, immaculatæ Conceptionis mysterium, vbi Christus Mariæ indulgentior, indulgentissima parentibus, exactissima pietate præcolebat: inde, credo, Societati nostræ, (ô me furem!) suæ dixerim, deditior, quò ista propugnandis his partibus addictior.

Margarita Reginæ pietas.

§. VI.

Quàm sedulus materno honori Christus exactissimè consuluerit.

HVCVSQVE ex aliorum filiorum exemplis, ad Christum materno honori impendendum deduximus argumentum: nunc iam ab eodem Christo efficacius aliud depromamus: &, dum viderimus, cæteris Matris honoribus addictum sedulò, inferemus, 1281.

Quàm impensè Christus Matrem honorarit.

minimè

minimè Conceptionem eiusdem spreuisse. Et quidem, cùm præceptum illud de honorandis parentibus ipso etiam naturæ iure stabiliatur, necessariò piissimis Iesu visceribus insitum longè gloriosiùs, feruidiores affectus diuinæ cuiusdam pietatis, effectus excellentiores parturiret: impium enim, & sacrilegum foret, si Christum præcepti sui transgressorem, aut in hac pietate coercenda alicui postponendum diceremus. Sed lubet audire D.Method.loc.sæpè citat.apud Canis. vbi ita ad Deiparam: *Euge, Mater Dei, & ancilla: euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur:* D.Method. *Deo nãque vniuersi debemus; tibi verò etiam ille debet: proinde, qui dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. vt is decretum à se promulgatum obseruaret, atque adeò hac in parte aliis excelleret, omnem Matri & gratiam, & honorem impendit.* Quasi excelleretur ab hominibus, si quis parentes vberiùs honoraret. Pende, quæ isti suprà pro parentum salute dicuntur meditati: & iurabis maternæ saluti Christum inuigilasse, omnem gratiam, etiam innocentiæ, omnem honorem illi impendisse. Quomodo autem Deus Mariæ debeat, fusissimè iam alibi demonstraui, vbi Redemptorem, à Virgine quodammodo redemptum declaraui.

1282. *Et cur ita.* Postquàm Ludolphus part. 2. c 86. necessariò Mariam à quibusdam generalibus regulis excipiendam attestatur, (cuius verba suprà dedi num. 299.) vnde & pulueris resolutionem moriens, & concipiens virginitatis dispendium, & partus dolorem enixa euitauit: sic ad rem nostram subdit: *Nunquid non pertinet ad benignitatem Domini,* Ludolph. *Matris seruare honorem, qui legem soluere non venerat, sed implere?* Ac si legis solutor haberetur, nisi quem posset honorem maximum, Matri impendisset: qui ergo, antequàm filius esset, iam in Matris honorem, vterinam sanctificationem illi dicitur ministrasse, aliter arguendus; cur de non præstita purissima Conceptione, quam poterat, non venerit arguendus? O qui ad benignitatis, & pietatis tuæ decentiam pertinere putasti, si nondum natus, Matrem præmitteres sanctè nascituram; cur non etiam sanctè conceptam? Nunquid non honor erat Matri debitus? nunquid non pietati tuæ ingenitus affectus? nunquid volens non potuisti? an noluisti potens? O (si ita res esset) impletorem iam legis, sed minùs plenum: qui non omnem gratiam, & honorem impendit Matri! Sed, vt par erat, aliter res euenit.

1283. Dixerat Christus ad Matrem: *Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra es.* Cant. 1. n. 15. ad Cant.1. quem inuicem Maria, n. 16. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Vtplurimùm in his Canticor. *Idem ostenditur.* amœbæis præcedit Christus Matri decorandæ, deinde decorando Filio Mater subsequitur. Et cur ita, si Filius Creator, à creatura Matre honore debito fas erat præueniri? Quia, etsi Creator, tamen Filius: cauit, ne in præcepti implemento, in disciplina honorandi parentem, alicui mortalium postponi videretur. Grauiter ibi Rupertus ex ore Mariæ: *Ferè in omnibus, dilectum honore præuenit dilectus, vtpote Matrem Filius. Ille mihi: Ecce tu pulchra es, &c. & ego illi: Ecce tu pulcher es, &c.* Rupert. *Ille mihi: Sicut lilium inter spinas, & ego illi: Sicut malus inter ligna, &c. Quid de hoc censetis? Nonne ille, cùm Deus, & homo sit, debuerat ab homine modis omnibus præueniri? At ille in hac disciplina totum principatum possidebat.* Non solùm in honoranda Matre, sed etiam in præueniendo honore, totum huius disciplinæ possidet Christus principatum. At, vbi præuentionis acceleratæ principatus; si quam in vtero Annæ præuenit gratis, in ipsa Conceptione dereliquit? Certè Christum à præueniendi honoris deiicimus principatu, ô Abbas Venerabilis, si Matri sanctificationem celerem, & non celerrimam innocentiam asportauit: Princeps in quauis materia apicem tenet, non medium: supremum locum occupat, non secundum. Et reuera, si Maria, nullo non honore, quo potuit, Filium affecit, ideóque huius disciplinæ inter matres omnes obtinet principatum; cur Christus, qui potuit illam ab origine fœda præuenire, in hoc honoris defuisse præsumendus?

Mira sunt illa verba Apostoli ad Galatas: *In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* 1284. cap. 2. num. 20. Paulus diuinus Galat.2. communis gratiæ buccinator, & Crucis in omnium remedium initæ Prædicator, quíque omnes *Præcipuus Christi labor Matri impensus.* in visceribus Christi Dei nouerat admissos; en tibi iam, sic totam sibi vni visus assumere charitatem: vt Christum pro se vno traditum asserere videatur. Nunquid arrogans, nunquid auarus? Absit. Nouerat, se Christo obæratissimum, & inter innumeros redemptos, insignioribus misericorditer beneficiis affectum: vtque sciebat, eò specialiùs pro illo Christum passum, cui maiores attribuit prærogatiuas; vehementi grati animi significatione, & pia exuberantis hyperbole affectus, sic prorupit, quasi totam sibi Crucem vsurparet. Si Christus, quoad beneficentiam, sic pro Paulo moritur, vt illi totam Crucem ab æterno destinasse videatur; quantò impensiùs in infinitum propemodum Crucis suæ fructus honorandæ Matri destinaret? Neget igitur Mariæ Conceptionis immaculatæ honorem, qui hunc Christi merita excedere deglutierit. Sed audiendus Dionysius ad cap. 4. Cant. n. 9. art. 15. *Quantò* Dionys. *quis ad maiorem beatitudinem est electus, tantò ampliùs videtur Christus pro eo passus: cùm itaque ad excellentissimam felicitatem, & gloriam, dignissima Virgo electa sit ab æterno; nónne pro ipsa, pro eius amore, pro eius salute specialissimè crucifixus est Filius eius, & illa veríssimè dicere potuit illud Apostoli: In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me?* Sic tota Christi passio Mariæ honorandæ impenditur, & ab æterno destinatur: quia timet bonus Filius, & putat, vt par est, indecens, ne in disciplina honorandæ Matris deserere principatum existimetur. Huc facit, quod sæpè monui, vnam Mariam apud Deum plùs fieri, quàm vniuersam reliquam Ecclesiam: de quo insuper videndus Suarius in 3. part. tom. Suarius. 2. disp. 18. sect. 4. §. *Secunda ratio.* Qui ergo tot Ecclesiæ membra in Angelis, & protoparentibus integra produxit, non satis Matrem honoraret, si vulnerandam produci permisisset.

Præuiderat hoc iam dudum Salomon, ideò 1285. sic Verbum futuræ Matri inducit allocutum: *Aperi mihi, Soror mea, amica mea, columba mea,* *Id probatur.* *immaculata mea: quia caput meum plenum est rore.* Cant. 5. n. 2. Vix alibi in toto Cantico, sic tenera Cant.5. vocabula copulantur: vix alibi Christus tot simul speciosis titulis affecit Matrem. Soror dicitur de natura, amica de gratia, de præuento felle

fomitis

fomitis columba, déque originis candore immaculata. Dispersa itaque per totum epithalamium, in vnum hic epitheta blandientia congregauit. Et cur ita? Credo: quia causam expressiorem adhibuit, vnde tot illi munera distribuit. Caput Christi Deus est, vt loquitur Apostolus, hinc Christus cælesti rore, id est, omnium gratiarum plenitudine scatet. Quid ergo est, hac commemorata plenitudine Diuinitatis suæ Matrem inuitare, commendare Mariam; quàm se paratissimum omnibus gratiarum generibus illi communicandis profiteri? Benè ibi Dionysius art.

Dionys. 18. *Caput meum plenum est rore, id est, omni cælesti benedictione, ac omni diuino charismate: ideò de vniuersa plenitudine gratia, & gloria, paratissimus sum tibi, præ omnibus liberalissimè, & affectuosissimè communicare.* Non solùm præ protoparentibus; sed etiam præ angelicis Spiritibus; nulla pretiosioris generis gratia alicui concessa est, quæ excellentius Matri non daretur: vt totus in honorem Matris impensus agnoscatur. Verissimum illud Euripidis, quod huc venit:

Euripid.
Quisquis parentes hìc piè viuens colit,
Hanc viuentémque, mortuúmque amat Deus:
Non liberis est pulchrius munus aliud,
Quàm liberos dici parentis optimi,
Parentibúsque dignum honorem reddere.

An hoc ipso naturæ lumine notum impiis, piissimus sciret Christus, nec amens neget: cur ergo non optimæ Matris Filius dici vellet? cur non optimus Filius Matrem honoraret? Nisi fortè meliorem Matrem putas, quæ præfœdata: & Filium hoc honoris non curantem, magis pium.

1286. Enarraturus Lucas Verbi Incarnationem, sic incepit: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, &c. ad Virginem desponsatam viro.*

Luc. 1. c. 1. n. 26. Virgo fuit Maria; sed tamen veri matrimonij vinculo Iosepho alligata, vnde ab omnibus eius coniux, etiam quoad thorum, putabatur. Sed, si fides de Matris virginitate posteà prædicanda prænoscebatur; cur non potiùs soluta eligitur virguncula Hæreticorum oribus obturandis? Cur assumitur maritata, vndè impiis ansa blasphemandi deinde præberetur? Respondet D. Thomas Val. Conc. 1. de Annunc. *Cur desponsatam? Ne, videlicet, infamaretur: ne lapidaretur: ne Diabolo mysterium proderetur. Maluit nanque Dominus, aliquos de suo ortu, quàm de Matris pudore dubitare: nec putauit, fidem suam Matris iniuriis astruendam. Suum ergo Matris pudori honorem non prætulit.* Nihil maius dici potuit. Ad bilances honor Christi, quòd è Virgine nascatur; & fama pudoris Mariani, quòd innupta cõciperet, reducuntur: & apud piũ Filium hæc præponderat. Si Maria soluta eligeretur, sartus tectus honor Christi apud futuros Hæreticos haberetur, quibus coniugiũ scandalo fuit pharisaïco: at interim apud præsentes tũc Hebræos, Mater minùs pudica, & fornicariè concipiens notaretur. Noluit ergo Christus materni pudoris breui famæ, longam honoris sui præferre existimationem: nec fidẽ mysterij sui, Matris iniuriis, & his solùmodo putatiuis, & apparẽtibus voluit astruendã. Qui ante Incarnationẽ notæ inculpabili euitandæ in Matre, eiusdem matrimoniũ curauit, culpabilẽ eius originẽ sperneret? Logi. Maximè in primo, honori suo cedens Matri vberiùs honorandæ: in secundo de Matre honorata, honorẽ suum cumulans gloriosissimè.

Christus plus Mariano, quàm honori suo consulere visus.

Thom. Val.

Pintus de Concept. B. M. V.

Didicit piissimus Conceptionis assertor Thomas pulchram hanc gnomen ab Ambrosio, qui lib. de instit. virg. cap. 6. ita habet: *Quòd autem fuit desponsata connubio, licèt alibi plenius dixerimus, libare satis est causam cælestis mysterij: vt ab his, qui Mariam grauem vtero cernerent, non adulterium virginitatis, sed desponsata partus legitimus crederetur: maluit enim Dominus aliquos de sua generatione, quàm de Matris pudore dubitare.* Sed adhuc aliud hìc venit ponderandum. Venit quidem Filius Deus à Patre genitus, mortalis credendus: si ex innupta Virgine ortus prædicaretur, satis id Diuinitati conueniens videretur: quid autem magis mysterio inculcãdo obstare videbatur, quàm à maritata fœmina procreari? Quis, si Mariam Iosephi coniugẽ tunc agnouit, non putaret esse Christum purum hominem? Quis æternam de Patre generationem in dubium non vocaret, qui tam colorato titulo, patrem illi Iosephũ poterat assignare? Sed sic horruit Christus infamiam, de maternæ fornicationis præsumptæ culpa sibi inurendam, vt mallet interim dissimulare Deum, clarè posteà miraculis comprobandum; quàm adulterini notã generis insimulari. Si ergo falsò inusta Matri culpæ macula, filium inurit, quàm illum vera originis adamaticæ culpa Matrem conspurcans infamaret? At consuluit Dominus vtrique, vt & optimæ Matris Filius, & optimus in Matrem impensè à se cultam Filius probaretur.

1287. *Id confirmatur.* Ambros.

Semel, atque iterum repetit Maria in Cantico tenerrimum illud carmen: *Dilectus meus mihi: & ego illi.* Quod tandem vers. 10. cap. 7. sic euariat: *Ego dilecto meo: & ad me conuersio eius.* In Hebræo est, תשוקה, quæ vox innatum quendam impetum significat, & promptam voluntatem ad obsequium, & obedientiam: si autem credimus Guillelmo iam citando, de se id fert Maria iuxta Crucem stante. Sed, cur, inquis, tunc maximè Christus conuersus ad Matrem, & illi obsequens perhibetur? Quia, qui in tot doloribus, honorandæ Matris curam non abiecit, summoperè materno obsequio dicatus intelligendus. Guillelmus ergo ad hunc locum ex ore Mariæ: *Quantùm enim me diligeret, in ipso passionis articulo præclarè ostendit: cùm videns me piam Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, ad me de Cruce conuersus, dixit mihi: Mulier, ecce filius tuus. Discipulo autem: Ecce Mater tua. Planè illius ad me in tanta non falsorum acerbitate dolorum, tam filialis conuersio, quàm filialem in me animum gereret, insigniter declarabat. Itaque ego dilecto meo pro omnibus morienti, commoriebar in argumentum amoris eximij: & ad me conuersio eius ratione filialis obsequij. Nempe, illud pietatis decretum, quod olim de honorandis parentibus, in eo, quod Deus promulgauit; homo pro hominibus factus, dignanter suscepit circa Matrem implendum.* Immoremur diutiùs in hoc honore, quem crucifixus iam Filius, Matri præstandum putauit necessarium.

1288. Cant. 1. & 7. *Maria iuxta Crucem honoratur à Filio.* Guillelm.

1279. Pende suspiria Patrum in Limbo redemptionem suam expectantium: cælestium vota per sacram mortem impleri vacuas sedes cupientium: terrestrium indigentium anxietatem, quibus vita reddenda, vbi mors diuino spolio coronaretur: *Idem ostenditur.*

imò & ipsius Christi animæ pondera angustias, dolores acerbissimos, quibus soluendis cupitura dissolui videbatur; nonne maius aliquid his omnibus habendum illud, cuius gratia tantum negotium dilatat Christus? Certe maius. Videamus nunc, quid sit illud: *Cùm vidisset ergo Iesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dixit Matri suæ: Ecce filius tuus. deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua.* Ioan. 19. n. 26.

Ioan. 19. Vt ita obturarentur illorum ora, qui posteà Mariam, corrupta virginitate alios filios peperisse, blasphematuri erant: claret enim, post conceptum ab Spiritu Sancto Christum, alios filios à Iosepho non habuisse, quæ alieno Ioanni commendatur. Vidit rem late Ambros. lib. de instit. virg. ad hunc locum; qui tandem cap. 7. notissimis iam vulgo verbis sic concludit: *Claudite ora, impij; aperite aures, pij; audite, quid Christus loquatur. Testatur de Cruce Dominus Iesus, & paulisper publicam differt salutem, ne Matrem inhonoratam relinquat: subscribitur Ioannes in testamento Christi: legatur Matri pudoris defensio, testimonium integritatis.* Penetremus penitiùs verba, quæ iam explicata penitùs reputantur: ingens inde argumentum efformabimus.

Euangelista laus.

1290. Beneuoli Redemptoris nostri fuit, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes; non solùm æternæ salutis media necessaria præparare; sed & alia minoris ponderis irrogare, vt corpoream sanitatem, vnde eius beneficentia proderetur. Certè his exterioribus beneficiis, etiam *publicam salutem* Orbis, Christus procurabat. At, quantò maius bonum, quantò ad fidem conducentius maternæ virginitatis honor, quàm mundatio leprosi, quàm Lazari resurrectio, & similia? Cur ergo in honore Mariano differre dicatur publicam salutem, qui in aliis minoribus operibus, quibus tandiu impensus, non tam distulisse dicitur, quàm contulisse? Vidit, credo, Ambrosius, (quod suprà fusè differui,) Mariam publicæ, & communis salutis, id est, redemptionis mundatiuæ, non fuisse participem: quæ priuatam inter filios Adæ, & singularem quandam præseruatiuæ gratiæ salutem sortita est: vnde, quidquid ad illam pertinet, iam tanquam dignius, à publica cuiusvis generis salute segregatur. Benè ergo dum Christus priuatim honori materno impenditur, publicam salutem dicitur differre: non, quòd interim non operaretur aliquid consonum salutari suo officio; sed, quòd hoc saluti publicæ non poterat misceri cateruatim, quia Mariæ.

Maria nõ cateruatim redempta.

1291. Aperite ergo aures, pij, qui piam immaculatæ Conceptionis sententiam tenetis. Differtur publica substantialis salus vniuersi, vt salus accidentalis Mariæ priuatim procuretur. Et quantò fœdius Maria corrumpenda traditur Dæmoni per culpam in anima, quàm in corpore per coniugium marito? Et tamen vt hæc suspicio aboleatur, differt Christus æternam omnium salutem, dilatat dolores suos, vt pietatem materno honori debitam tueatur: & non impenderet Crucem totam, non postponeret reliquorum omnium redemptionem, ne Mater turpissima macula fœdaretur? Adde, quòd ibi tantùm ex falsa opinione Hæreticorum, honor Virginis leuior periclitabatur; hic reapse summa dignitas eiusdem verissimè prostrabatur: ibi hominum verba immunis rideret Maria; hic Dæmonum verbera vapulans deleret. O Natum, clamarent Dæmones, scrupulosè sollicitum du honore Matris, friuolis ratiunculis vix læso; quam scopuloso originis pelago per summum dedecus immersam non curauit!

De eadē Maria iuxta Crucem decorata.

Sed vide, quid aptissimè subiungat statim Euangelista vers. 27. *Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt*, &c. Quando posteà? Quando iam pietatis officium in Matre honoranda adimpleuerat. Quasi (qui eo præcipuè carnem passibilem diligebat, vt ad Patris gloriam, Matri prærogatiuas mereretur) dum per totam vitam, piis Matris dignitatem officiis fuerat prosecutus; faustissimum id, & sanctissimum haberet, si mortem in eodem officio adiret, si vitam in tanto obsequio consummaret. Idem Ambros. lib. 10. epist. 79. ad hunc locum: *Hoc testamentum Filij est de Matris integritate: hæc Maria locuples integri pudoris hæreditas: hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum: consummans omne mysterium bono fine pietatis.* Quia nullo faustiori signaculo voluit opera sua Christus obsignare, quàm officio maternæ pietatis: hoc vnum eius fuit in morte stemma, quod tota cura fuerat, dum vixit. Sed adhuc aliud hîc subest ponderandum. 1292.

Ioan. 19.

Christum feliciter moritur Matrem decorans.

Ambros.

Cùm mors Christi eò maximè tenderet, vt nobis vitæ ianuam reseraret, & clausas Paradisi portas aperiret; nihil conuenientius videbatur, quàm si saluati latronis gesto spiritum exhalaret: quis enim mortem illam, Paradisi clauem felicem non haberet, quæ tunc incubuisset, cùm latroni Paradisus reserabatur? Et tamen post admissum latronem, denuò in Matre honoranda, sub ipsâ exhalatione vitæ occupatur: quasi totam essentialem illius gloriam, accidentali Matris gloriolæ postponeret: ideò postquàm claustra cælorum latroni promittit reseranda, tanquàm id gesto maiori edendo esset prolusio, tunc pietatis erga Mariam officium adimpleuit, ac si operibus suis coronidem cum corona impositurus. Gaudeo videri arrisisse hanc gnomen Angelico Doctori, qui cùm in sua Catena aurea, tot ex Ambrosio locos, explicandis prædictis Ioannis verbis, posset adducere; hunc maximè elegit, quem transcribo: ergo ibi Ambros. ita: *Ioannes docuit, quod alij non docuerunt: quemadmodum in Cruce positus Matrem appellauerit. Pluris putauit, quòd victor suppliciorum pietatis officia Matri exhibebat, quàm quòd regnum cæleste donabatur vita æterna: nam, si religiosum est, quòd latroni donatur vita, multò vberioris pietatis est, quod à filio Mater tanto affectu honoratur.* Sic meritò consummat omne mysterium Christus bono pietatis fine. Tacet igitur cætera Secretarius intimior, hoc vnum præ cæteris docet Euangelistis: ac si leuis incuria erga Matrem plùs Christum læderet, quàm si essentialem peccatoris illius gloriam non operaretur: ac si præponderaret materna commendatio, æternæ latronis saluti. Et dubitabis festinasse præseruandæ à culpa Matri, cuius negotij si quæ foret incuria, longè grauiùs Christum vulnerasset? 1293.

Leuis Mariæ decor, saluti æternæ aliorum quodammodò præponitur.

Ambros.

Videamus iam, an Christus etiam post mortem Matrem honoret, quam in toto vitę decursu, & in ipso mortis articulo sic vidimus honoratam. Ascensurus iā Dominus, sic ad Matrem, ex Guillelmi interpretatione, 1294.

Ascēsio Christi, vnde pendeat à Maria. Cant. 8.

interpretatione, loquitur apud Salomonem: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.* Cant. 8. vers. 13. Ecqui amici? Certè Angeli: erat enim inter Angelos, & Apostolos pium certamen: illi, quòd ipsis Apostolis expediret, remeationem ad cælos, missuri inde Christi Spiritum Sanctum, sollicitabant: hi verò, desiderio abituri Magistri tenebantur. Sed præstat audire Guillelmum post multa: *Angeli igitur, & Apostoli contrariis desideriis dissidebant: erat voluntas Angelorum fortior, quia iustior: sed voluntas Apostolorum fauorem piæ Matris ex parte habere videbatur.* Et benè, *ex parte:* quoniam Maria Angelis iustior, absolutè ascensum Christi in tempore determinato cupiebat; sed tamen Angelis tenerior, dolori Discipulorum pio, naturali affectu paulisper indulgebat. Iam ad rem. Quam ergo, inquis, vocem à Maria audire cupit Christus, & illam Angelis auscultabundis desideratam? Certè illam, qua Mater Filio abituro consensum daret, &, si fas dicere, licentiam recedendi: nam, qui de amore Matri subditus fuerat, in re tanta, quodammodo illi subdi videbatur. Sic piè meditatus pergit Guillelmus:

Guillelm.

Nempe, illa rudes Discipulos tenerè diligens, quamuis sciret, quid eis expediret; eorum tamen infirmitati, maternè ad modicum condescendebat, nec dabat Filio licentiam abeundi: qui enim cum eius assensu à Patre olim exierat; præter eius assensum ad Patrem reuerti nolebat. Et quoniam exiturus à Patre per Angelum eam salutauerat; in suo ad Patrem reditu, insalutatam relinquere minùs filiale iudicabat. Denique aiebat ei: Quid me retentas, ô pia Mater, ne me recipiam in dexteram Patris: ne me recipiam in hortos illos cælestes, vbi habites mecum, & perennibus deliciis affluas? Scio, quòd tenera charitate rudes meos Discipulos diligas: sed attende, quid amici Angeli optent, atque expectent, qui profectò norunt, quòd te inuita, nolim reuerti ad Patrem: quia ergo amici auscultant, dic, quod dictura es: fac me audire vocem tuam: id est, da Filio ad patrem redeundi licentiam. Hæc Guillelmus. In quibus, si quantum est Marianæ dignitatis, & honoris à Filio accepti, attentiùs ponderaret, nunquam Conceptioni purissimæ aduersaretur. Iam quodammodo obsequiosum Filium imaginatur, dum ante incarnationem Matris consensum expectat: & sic obsequiosus, illius Conceptionem Dæmoni conculcandam spreuisset?

1295. Prædicta tamen Cantici verba ad Matrem iam in cælo collocatam fieri, voluit hic Haïlgrinus Cardinalis, quæ deinde sic explicat: *Assignat Matri officium, quod gerat in patria dicens: O tu dilecta mea, quæ habitas in hortis gratiarum, & virtutum, fac me audire vocem tuam in precibus: sonet vox tua in auribus meis: quia amici, scilicet, Angeli, auscultant, vt quod à me petieris, statim officioso peragant ministerio.* Hic est debitus honor impensus assumptæ Matri, vt quidquid, nihil importunum petitura, à Filio postulauerit, ambitioso Angelorum officio peragatur. Obuia cuilibet Bernardi verba Serm. de Assumpt. Mariæ, quæ tamen non prætermittenda putaui: *Regina cælorum est, misericors est. Denique Mater est vnigeniti Filij Dei: nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi fortè, aut non creditur Dei Filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit.* Nihil petit Mater à Filio, quod honoris causa non impetret: qui autem præuidit, nihil illam lubentiùs petituram, si posset, quàm ab originis culpa præseruationem; credo neutiquam illi hunc honorem denegauit.

In Assumptione Mariæ. Hailgrin.

§. VII.

Cur Societatis Iesu Religio tantoperè in propugnanda Deiparæ Conceptione allaboret.



HÆc sunt, quæ mihi de diuino, déque humanis filiis parentes honorantibus dicenda superfuêre: ipsa dum cumulabam, didici obiter causam, cur Societatis nostræ Scriptores tantopere in propugnanda parthenica Conceptione allaborent, ita vt plusculi ex composito tomis plenis, cæteri omnes data ansâ, obiter saltem, crebris paginis illustrarent. Hanc igitur breuiter ad calcem huius Anthologiæ exponere non pigebit: non vt illa priuata; sed vt nobis etiam cum cæteris religiosis Familiis communis intelligatur. Nemo negauerit, honorari maximè à Filiis Religionum Parentes, & Fundatores, dum spiritum pietatis, quo isti Instituta sua decreuerunt, in illis perdurantem recognoscunt. Nemo negauerit, Religiones omnes sub Mariæ patrocinio, & feruidâ in illam pietate fuisse fundatas: nemo negauerit Religionum Alumnos, qui dogma purissimæ Conceptionis acerrimè propugnant, ad Patriarchas suos, si possunt, sententiam referre, ne ab illius spiritus degeneres pietate videantur, vnde primos doctrinæ, & sanctitatis halitus hauserunt. Hinc augustissima Augustini Familia egregiam pro dogmate nauat operam: quia summus Doctor Parens, si mysterium, vt tunc erat occultius, non definiuit aperte, apertissimè tamen indicauit, cùm nihil in re peccati, contra Mariam voluerit disserendum. Hinc splendida Cisterciensis Congregatio, quæ has partes strenuè tuetur, verba dulcissimi Patris, quæ mysterio nostro videntur amaricare, aut spuria putat, aut necessariò ex aliis eiusdem apertioribus pro Virgine militantibus, interpretanda. Hinc Dominicanorum doctissima Schola tuetur mordicùs hoc dogma piissimi iuxta, & doctissimi Dominici non fuisse: quia (quæ illorum est modestia) nulla fronte hoc mysterium impugnarent, si à tanti Parentis ortum spiritu recognoscerent. An verò nobiscum sentiret Dominicus, alij examinarint. 1296.

Societas Iesu cur Marianæ Conceptionis sollicita.

At, si alicuius Patriarchæ mens pro pio dogmate constat manifestè, ea est Ignatij, vt perpetua & certa traditione nouimus à Maioribus. Ab Ignatij vberibus Lainez, & Salmeron missi in Tridentinum, quid de Patriarchæ spiritu, in hoc propugnando laborarint mysterio, Orbis prædicat: quæ scripra reliquerit Salmeron, nemo non terit. His coætaneus Canisius, qui eodem formatus 1297.

Eius Fundator, Cōceptionis assertor.

halitu, aureum illud tunc edidit Mariale. Legi ego in manuscripto Codiculo, vbi Ignatij gesta compilabantur, hoc vnum: *Dum Romæ Doctor Olaue ex nostris acerrimam pro Conceptione immaculata figeret conclusionem: temperandam præcepit Ignatius: quia, licèt veram haberet, & à suis in suggestu prædicandam volebat; tamen in disputationibus, suauiter, & absque felle volebat proponendam.* Hoc spiritu imbuta Societas, tunc maximè se putat Parentem honorare, cùm, quæ verissimè, & ad totius iam Ecclesiæ mentem sentit ille, sedula apprehendit: si fortè, quæ Pater pius per Alumnos priores in Concilio nouit diligenter, per posteriores ad apicem promoueat: vt sancto & docto Institutori, sancta & docta respondeat Religio. Degeneres notaremur, ni piissimi in hoc mysterium, cui Pater addictissimus fuit, exhiberemur. Nihil stimuli, nec fellis nos agitat; sed mera pietas, & solida, quam cum Ecclesia putamus, veritas. Auertimus à nobis Pharisæorum notam, qui à Parentibus degeneres Mariam impugnarunt.

Manuscr.

1298. Adiurabat Christus Scribas sui temporis, & Pharisæos, vt vult Guillelmus, dicens: *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas, ceruósque camporum: ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cant. 2. num. 7. Sed, quid tam validum in capreis, & in ceruis, vt horum obtestatione, impios illos constringi debere, Christus speraret? Respondet Guillelmus, post multa de Pharisæis Deiparæ insultantibus: *Per capreas, ceruósque camporum; per Prophetas, & Patriarchas, de quorum carnali paternitate gloriabantur. Per capreas enim designantur Prophetæ, propter acumen videndi: per ceruos quoque armatos cornibus, & inimicos serpentibus, præcipui illi naturalis legis æmulatores, Patriarchæ figurantur. Quasi dicat: Caprearum, & ceruorum vos hinnulos esse iactatis: si ergo filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc columbæ dormienti inter medios cleros obstrepitis; & improbis vocibus, quantùm in vobis est, quietem eius turbatis. Hoc Abraham non fecit, nec Isaac, nec Iacob, nec aliquis Prophetarum: adiuro vos per illos, quorum vos filios esse gloriamini, cessate ab inquietatione columbæ dormientis.* Sic timet quiuis Societatis Scriptor, ne si in Mariæ innocentiam obstreperet, simili à Christo adiuratione increparetur, ac si dicturus: Piè sentientium filios vos esse iactatis: si ergo filij Ignatij estis, dogmata vera Ignatij docete. Nunc Mariæ inter medios gratiæ, gloriæque cleros dormienti obstrepitis, & minùs piis sermonibus, & scriptis, quantùm in vobis est, quietem eius turbatis. Hoc Ignatius non fecit, neque Lainez, neque Borgia, nec aliquis priorum, qui omnes pro pia sententia desudarunt. Adiuro vos per illos, quorum filios vos esse gloriamini, cessate ab inquietatione immaculatæ columbæ iam gloriosæ.

Cant. 2. *Filij bonos parentes imitentur.*

Guillelm.

1299. Et bene ad rem Conceptionis, in qua sumus, antiqui Patriarchæ, *cerui* vocantur: quod postquàm latè expendit ibi Rupertus, sic concludit: *Sicut cerui, cùm aliquid serpentini generis comederint, summa agilitate desiderant venire ad fontes aquarum: ita illi, scientes se à primis parentibus per serpentem contraxisse peccatum originale, desiderabant nasci sibi iam dictæ benedictionis promissum fontem, in quo est remissio peccatorum. Inde est illud: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Meritò ergo Patriarchæ illi à Deo illuminati, nulla praua suspicione Mariam inquietasse celebrantur: qui enim serpentino veneno originis infecti, Christum vitæ fontem suspirabant, quo sani respirarent: quomodo in illo aliquid, serpentino veneno infectum aliquando, poterant existimare? At certè quodammodo fons ille redoleret venenum, si illa ipsa caro, quæ in Christo est, in Matre aliquando serpentis morsu inquinaretur. Mariam semper in symbolis, & figuris immaculatam fuêre venerati, quam sibi fontis fontem suspirabant.

Christus Patriarcharum desiderium. Rupert.

Sed en & alia causa pietatis nostræ, quæ etiam ex dictis in hac ipsa Anthologia suboritur. Diximus sæpè ex Matris, vel honore, vel infamia, Filium, vel decorum, vel infamem existimari: qui ergo Iesum vehimus, pro cuius gloria indefatigato labore desudamus Iesu Socij; quid prius, quid antiquius habeamus, quàm eiusdem Matris honorem propugnare? Si fas dicere, nobis aramus, occamus nobis: decentissimum ducem exoptamus: & eò Iesum agnoscimus excellentiorem de humanitate, quò illi digniorem, & excellentiorem Matrem tribuerimus. Neque mirum: sicut enim nunquam læditur Filius absque Matre: sic vix dignè absque Matre poterit honorari. Hinc illud Christi, (prout locum & interpungit, & interpretatur Rupertus:) *Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.* Cant. 2. num. 1. Lilium ergo Christum ponit Rupertus inter spinas: cui deinde vult Matrem assimilari. Deinde, postquàm has *filias*, de Iudæis, & Hæreticis explicauit, sic apponit: *Vbi ego spinis compungebar, imò & clauis configebar, tu præsens patiebaris mente conuulnerata: & vbi tuæ virginitati à filiabus; mihi quoque inuidiosè detrahitur. Verùm, sicut ego spinas pertuli, & superaui: ita & de te veraciter prædicabitur: Cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.* Itaque diuina quadam vicissitudine & Mater patiebatur in Filio, & in Matre Filius: illa vulneribus Christi; iste Mariæ detractionibus: licèt Christus sæuiùs ex Matris dedecore, dedecus; quàm illa dolorem, ex Filij dolore sustineret; quantò pungunt acriùs verba, quàm verbera; opprobria, quàm vulnera. Igitur, quantùm innocens, licèt non virgo, præstat nocenti virgini: tantùm infamia Christi præponderaret, si ex incorrupta corpore, sed spiritu corrupta nasceretur. Adde, vt suprà dicebam, pungi hic Christum de falsa contumelia: quid, si vera maternæ innocentiæ macula pungeretur? Qui ergo honori Iesu nostri desudamus, quid concepti Matris honori non insudemus?

1300. *Christus, & Maria inuicè patiebantur.*

Cant. 2.

Rupert.

Prætereà, vidisti sic à filiis parentes honorari, vt nihil illis sit gratum, quod istis pariter non veniat communicatum: festa, throni, applausus bono desipiunt filio, nisi illorum parentem habeat participem: deseret filius locum, vnde parentes viderit expulsos: id in Christo officiosiori longè erga Matrem, longè verius. Cupimus ergo, vt Iesus Dux noster Societati suæ adhæreat benignissimus: nec aderit beneuolus, absque Matre.

1301. *Christus absque Maria nō reperitur.*

Igitur

Igitur fauorem Matris sollicitamus, honores, quosquos possumus, cumulamus, vt quò ista nobis immoretur suauior, eò suauiori Nati præsentia perfruamur. Et quid illa hodie gratius accipiet, quàm si, vt hæreses cunctas priscorum Doctorum calamo profligauit; sic recentiorum studio, minùs pias de se opiniones iugularit? Mariam itaque tenemus, vt Iesum retineamus. In quauis anima iusta, & à fortiori in quauis religiosa Familia, tanquàm in lectulo florido Christum requiescere, nemo ambigit. Est ergo mira vox illa Mariæ ad Christum: *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarũ cedrina, laquearia nostra cypressina.* Cant. 1. n. 17. En tibi commune domicilium: in lectulo, in domo, tanquàm in suauiori lecto, commune imperium cum Nato, Mater habet: nostrum lectulum, domos nostras appellat, quas solius Iesu esse, meritò existimares. Quid ita? Quia, vt nemo Iesum diligit, quin Matrem diligat: sic nullibi per gratiam gaudet inhabitare Iesus, vbi pariter per deuotionem Mater non inhabitet. Cardinal. Haïlgrinus ibi: *Manet ergo Christus in eo, qui diligit eum: sed, qui diligit Filium, diligit & Matrem; & ita vterque manet in eo, qui diligit alterum. Sed tamen aliter, & aliter: nam in corde diligentis se manet Filius per inhabitantem gratiam: Mater verò per deuotionem ipsius, & inseparabile consortium Matris, & Filij in pietatis affectu.* Igitur Matrem allicimus, vt Filium aucupemur.

Cant. 1.

Haïlgrin.

1302. Tandem, quòd de Conceptione, plura, quàm cæteræ Religiones, & illæ doctissimæ, edat Societas; id diuinæ, ad honorem suum, prouidentiæ tribuendum. Gaudet omnipotentia vilioribus instrumentis maxima operari: & sibi captat gloriam, dum de hostibus fragiliori dextra victoriam reportat: sic putat Maria trophæa illustriora, quæ de obscuriori pullulant ministerio. Post mira illa, & opera, & verba, quibus Christus, refutatis inimicorum calumniis, Diuinitatem suam manifestauit, subdit Lucas: *Factum est autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ suxisti.* cap. 11. n. 27. Tot inter nobilissimos auditores, fœmella, & hæc de turba, imò ancilla, Filio decorando commendat Matrem. Quæris causam? Audi Hugonem Cardinalem ibi: *Ancilla, Stella nomine, non valens tantas iniurias Saluatoris portare, in confusionem Pharisæorum, & laudem Filij, laudauit Matrem: communis est enim laudatio Matris, & Filij eius: & quoniam hæc mulier, nec diues, nec nobilis erat; sed de communi plebe: ideò hoc Euangelium legitur pro festis Virginis, in Iudæorum, & Hæreticorum cõfusionem.* Decoramus Iesum nostrum in Matre sua: nec aliunde clariùs confunduntur Hæretici, maximè Lutherani, qui sæuiùs in Conceptionem debacchantur; quàm dum vident, Societatem hanc minimam, antiquitatis inopem, infularum nudam, dignitatum ieiunam, quò minùs purpuratam, eò plebeiam magis, acerrimè pro Deipara decertantem. Dò infra plura num. 1494.

Cur de hoc mysterio Societas plura scribat.

Luc. 11.

Hug. Card.



ANTHOLOGIA XIX.

Maria culpam originis, id est, vitiorum radicem euitauit.

§. I.

Maria serpentis contrito capite, de gratia virilescit: culpam, vnde euiratur robur, euitans penitùs.

1303. PROBAVI in Examine n. 1026. originis peccatum vitiorum omnium radicem: vnde inferebam, à fortiori istud à Maria, quàm actuale quoduis amouendum: nam identitati carnis, quæ inter illam, & Christum intercedit, plùs obstat radix infecta, & quædam quasi virtualis vitiorum congeries, quàm ramus aliquis, & singularis criminis maculatio. Sumo in hanc rem, celebrem illum locum Genes. cap. 3. num. 15. tot Patrum suffragio de Deipara explicatum, vbi Deus ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Hoc caput, de originali culpa sumendum, omnium ferè recentiorum Authorum sententia comprobatur; idque quàm meritò, aperuit feliciter Salazar cap. 19. Videndus præ aliis Perlinus dist. 5. cap. 1. per totum, qui vix aliquid relinquit superaddendum. Non transcribo: sed, vt soleo, spretas fortasse spicas subministro. Nemo nescit, Septuaginta correctiores habere masculinum, *αὐτὸς, ipse conteret.* Arripio hanc lectionem; non tanquàm vulgari nostræ contrariam, & ab hac, vt in similibus euenit, corrigendam, vt volunt: quin potiùs, tanquàm vulgaris nostræ commendo explicatiuam. Nimirum, Latinus Interpres, perspicuæ claritatis ergo, sexũ in Maria voluit exprimendum: Græcus gratiam de mysterio enucleatam. Inter serpentem, & Mariam indelebiles inimicitiæ ponuntur, cuius dum caput dicitur contritura, masculino epitheto

Maria serpentis caput terit.

Genes. 3.

Salazar. Perlin.

Septuag.

ipse appellatur. Quid ita? Quia in sacris gratia, quanuis ætatem, & sexum, reddit virilem; culpa quoduis robur effœminat, & quauis muliercula reddit cuiratius. Id subinde plenis paginis illustrabo, dummodo priùs argumentum sic efformem.

1304. *Ideò deinceps non peccauit.* Maria, dum implacabiliter serpentis inimica constituitur, virilescit: ergo non aliunde, quàm de illius gratia, & de huius malitia initur certamen, cùm virguncula, tantummodo ob gratias virilescat. Ergo non solùm ratione seminis sui, sed etiam ratione sui ipsius, caput serpentis obtriuit: quæ enim virtute participata pugnat contra Diabolum viriliter, etiam illum obterere præsumitur. Tunc sic. Ergo in contrito hoc capite originalis culpa intelligitur. Probo hanc sequelam. Ex his perpetuis Mariæ inimicitiis cum Dæmone, infertur clare, Mariam nunquam per actualem aliquam culpam, cum Dæmone fœdus iniisse: sed hoc vix conuenienter intelligeretur, nisi in capite obtrito originalis culpa intelligatur: ergo Maria originalem culpam obtruncauit. Probo minorem: quia originalis culpa, radix est aliarum: ergo conuenientissimè rami intelliguntur amoti: quia radix supponitur detruncata. Rationis robur mutuor ab Augustino lib. 5. contra Iulianum, cap. 9. tomo 7. par. post. vbi de Christo simile efformat argumentum: *Profectò peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset: nam propterea nullus est hominum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Augu. Ergo à fortiori, ex mente Augustini Maria præsumeretur posteà peccasse, si in ipsa sua origine inficeretur: nam in toto hoc Capite, imò in toto Opere, vt nosti, de peccato per originem transfuso disserebat, vnde cætera nobis pullularunt.

1305. *Id confirmatur.* Est ad rem serpentis, in qua sumus, pulchrum illud Flori lib. 3. cap. 5. de Rege Mithridate, post tot aliorum prælia, tandem à Romano Imperatore feliciter superato: *Nihil posteà valuit, quanquam omnia expertus: more anguium, qui obtrito capite, postremum cauda minantur.* Florus. Nihil valuit posteà contra Mariam Infernus anguis, quanquam omnia expertus: cauda emortua pene, & penitùs elanguida, ad summum minas, ictus intendere non poterat: certè, quia obtrito capite originalis culpæ, vnde obarmantur cæteræ, penitissimè ignauescebat. Quærit D. Anthonius de Padua Dom. 5. post Trinit. cur significanter mulieres illę, quibus Salomon primum fecit iudicium, meretrices fuisse exprimantur: *Tunc venerunt duæ meretrices ad Regem, steterúntque coram eo* 3. Reg. 3. num. 16. 3. Reg. 3. Cur enim non ad alia tribunalia, aut, cur, si ad supremum; necessariò meretrices declarantur, cùm id nihil videatur ibi conduxisse? Et respondet acutè: *Meritò ad illum meretrices venerunt, quem posteà deceperunt.* Anth. Pad. Quasi iam tunc, si minùs de vitio, saltem de naturali indole, nescio quid mollius spiraret Salomon, vnde certum fauorem inuenturas meretrices coniectabant: vix posteà ab illis decipiendus; nisi ad initia, de naturali fomite, fines redoleret. Meritò igitur ponitur Maria, serpentis posteà adulterium penitùs euitasse: quia ab initio, nihil meretricale redolebat. Ideò inoffenso pede deinde procurrit; quia primo gressu huius conculcans caput, victrix occurrit.

Huc tendebat Christus tot ante sæcula Matrem nascituram inuitans: *Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* 1306. Cant. 4. *Maria de serpentis capite coronatur.* Cant. 4. num. 8. Honorius ibi de Maria assumpta in gloriam, suprà datus: *Veni de Libano, scilicet, de candore vitæ nimio,* &c. *Coronaberis de monte Amana: hoc est, recipies coronam de triumpho, quam promeruisti de Diabolo, qui est mons Amana.* Sed nota expressè, de conculcato huius bestię capite, huius montis vertice auocari: quasi non ita candor esset eximius, & nimius, quia perpetuus, nisi caput obtereretur. Et cur ita, nisi quia semper ab originali culpa sordes vitam maculantes præsumuntur? Planè: quia hoc caput obtriuit, facilè ex Augustino in maioris ætatis accessu nimium illum candorem conseruauit. Venit pariter, & è candore nimio, & è serpentis capite conculcato coronanda: quia conculcationis comes, candidatio; & candidationis basis, conculcatio.

Sed latet examinandum aliquid in hac corona è capite serpentis reportata: quod vt pateat, præmittendus est Plinius lib. 35. cap. 10. vbi de variis gemmarum generibus: *Draconites, siue Draconitia, è cerebro fit draconum: sed nisi viuentibus abscisso, nunquam gemmascit, inuidiâ animalis mori se sentientis. Igitur dormientibus amputant.* 1307. *Et vnde hoc decens.* Plin. De hac ergo Draconitide gemma, sic Tertul. lib. de cult. fœminarum, cap. 6. *Aiunt & de frontibus draconum gemmas erui: sicut in piscium cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerat Christianæ, vt de serpente cultior fiat: sic calcabit Diaboli caput, dum de capite eius ceruicibus suis, aut ipsi capiti ornamenta struit.* Tertull. Subsannatio est ironica, sale plena, & pipere: quasi nunquam ineptior conculcando draconis capiti, quàm dum indidem cultior, ornando sibi capiti procedit. Si ergo nefas ducit acutus Afer, de terreni serpentis capite coronari Christianam, ne luxu nimio gemmascens, conculcando mystici serpentis capiti ignauescat; cur, quæso, Maria, de ipsissimomet capite Tartarei huius serpentis conculcato, coronam sibi speciosissimam mutuetur? Aduerte igitur, fœminas cæteras furandis oculis, rapiendis virorum cordibus, Deóque offendendo, gemmas, & serpentinas illecebras exoptare: at Maria recreando Deo, hominibus saluandis, spolia ista de serpentis calcato capite assumit.

Rem vt capias, attende. Aliud est munus ab hoste, aliud spolium capere: illud proditionem, hoc sapit virtutem: illinc periurus comitur, hinc victor gloriatur: ideò in lib. Apophtheg. de Agesilao respondente Regi Persarum Tissapherni, qui munera offerebat. *Dixit sibi iucundius esse, si milites suos ditet, quàm si ditescat ipse. Præterea, se pulcherrimum ducere, si Græci non munera caperent ab hostibus, sed armis pararent spolia.* 1308. *Munus ab hoste, infame; spolium, nobile.* Apophth. Hinc oritur, vt nihil gratius habeant Principes, quàm deuictorum Regum coronas sibi vsurpare; nulloque decoriùs spolio adornentur. Quid? In Christo Regum Rege, superatis Dæmonibus sic euenit. Ammonitis per Dauidem prostratis, addit Textus: *Et tulit diadema Regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas: & impositum est super caput Dauid.* 2. Reg. 12. num. 30. Itáne? Illa ipsa barbari Regis 2. Reg. 12. corona,

Corona Christi unde gloriosior. corona, piissimum Regem comit: & cum Regem, qui per omnia Christum exprimebat? Imò propterea: defæcat enim sibi Christus illam coronam, qua priùs impius Diabolus radiabat.
Glossa. Glossa ibi: *Coronam ergo Regis hostilis populi tulit Dauid, & sibi diadema fecit, cùm Christus Diabolo regnum auferens, sibi insigne decorum parauit.* Sic, qui per culpam Dæmonem coronabamus, iam per gratiam ipsum Christum coronamus.

1309. Maius est, quod sequitur. Iesum iam in cælo triumphantem, & propterea equo albo insidentem, sic describit Ioannes: *Oculi autem eius, sicut flamma ignis: & in capite eius diademata multa.* Apocal. 19. num. 12. Quòd Christus coronetur victor, nullum est dubium: sed ingens suboritur, quòd totidem diadematis redimiatur. Cur enim omnium victoriarum insigne, in vnicum diadema non reducatur? Cur multiplex eius gloria, simplici, vt solet, corona non exprimatur? Nimirum, voluit Christus non solùm stemma suum, sed etiam vnde illud deprompserat, exhibere. Reduc in memoriam illa eiusdem Ioannis ibidem cap. 12. num. 3. *Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem.* Quot serpentis diademata numeras, totidem, & eisdem Christus insignitur; ideò multiplici diademate, conculcatis iam draconis capitibus, coronatur. Vidit rem ibi Hugo Card. quam postquam latè expendit, sic concludit: *Hanc bestiam Christus in sua passione deuicit: secundùm quod significatum est 1. Paral. Tulit Dauid coronam de capite Melchom, qui interpretatur Rex eorum, & significat Diabolum, quem humiliauit Christus, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, & fecit inde sibi diadema. Quasi coronam sibi fecerat Diabolus, de iis, quos sub se uirtute tenebat: quam tulit ab eo Dominus, quando sua passione genus humanum liberauit. & multos feruentes auro charitatis, & fulgentes pretiositate caeterarum virtutum, quasi diadema sibi fecit.* Hæc ex innumeris, quæ possem: iam ad Mariam.

Apoc. 19. — *Et cur illa multiplex.* — *Apoc. 12.* — *Hug. Card.*

1310. Calcat Maria serpentis caput, & inde capit coronam: quia Christi, vt vidimus, Corredemptrix, peccatores, quos ab origine vitiata draco sibi aptarat in diademata, intercessione sua liberat, instar Christi iisdem, tanquàm nobiliori spolio, coronanda. Pulchrè Dionysius art. 15. in nostrum hunc locum Cant. licèt serpentem Dæmonem, quem iam ex Honorio dedi conculcatum, prætereat: *Coronaberis de conuersione, & salute innumerabilium peccatorum, inquietorum, carnalium, & à Deo anteà anathematizatorum, per præfata designatorum: qui ipsius benignissimæ, ac misericordissimæ Virginis Matris meritis, ac precibus, gratiam conuersationis, & gloriam sunt sortiti: nam & ipsa Filio suo tam intensissimè condolendo, innumerabilibus peccatoribus gratiam, & salutem promeruit: quos Deus per eam conuertere, ac saluare ab æterno decreuit.* Sic peccatores ab infecta origine, in pardos & leones variis posteà vitiis transformatos, iam conuersos sumit Deipara in coronam, qui olim ipsum Dæmonem coronabant: quasi suo iure hos congruis meritis liberet intercedens, qui capiti Amana, siue Diaboli adhærebant: quia priùs ipsius Inferni serpentis caput detruncauerat: sola enim poterat, tanquàm supremi Redemptoris cooperatrix, à capite serpentis, seu originis culpa, & pullulantibus inde vitiis, alios eripere pridem captiuos: quia nunquam Dæmoni fuerat illigata: inde vitia omnia suauiter euadens, quòd fœdatam originem euitauerat.

Adhuc de Maria corona, à serpente. — Dionys.

Recudo adhuc verba Ruperti ignota nemini, 1311.
& iam suprà fusiùs discussa, ad illud Cant. 7. n. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis!* Vbi ille ita: *Nuditas pedum, seruilitatis est argumentum, &c. Idcircò ancillæ calcaneum serpens momordit: tu tamen, Filia Principis, probè calceata, caput serpentis contriuisti.* Semper enim mihi scrupulosum, cur Eua (quæ hic subintelligitur) in statu adhuc innocentiæ ancilla dicatur, & calceata ponitur, vt ita nudo calcaneo, tam facilè venenatum serpentis morsum effugere non possit? Nisi dicamus, innocentiam Mariæ sic esse regiam, sic Principem Patrem Deum redolentem: vt quæuis, etiam primorum Parentum, innocentia, huic comparata, seruilis foret, & discalceata: video, quid doctissimus Abbas voluisset: id autem si ille voluit, valeant cæteri Conceptionis immaculatæ propugnatores, hoc vno felicissimè superati. Benè ergo inoffenso pede integram vitæ viam percurrit Deipara, quæ ad eius ingressum optimè calceata caput serpentis conterit, vnde solent offendicula dimanare. Vide autem, quàm signatè ad rem nostram, ly, *Filia Principis*, vertat Theodor. & Aquila in Sixt. *ἑκουσιαζομένου*: *Filia sponte dantis*; siue, *Filia munifici*; vel, quod ibidem vertit Ambros. *Filia beneplaciti*: quia, licèt Deus, quà Pater, munificum erga fideles se exhibuit, eos à seruitute in filios adoptando: ast erga Virginem antonomasticè fit munificus, quam sic adoptauit in filiam, vt nunquam seruam fuisse pateretur: quique in Christo suo, ob purissimam innocentiæ, & imaginis expressionem sibi benè complacuit: sic ob eandem proportionaliter causam, in Maria sibi complacet, quæ proinde *beneplaciti* filia appelletur. Ab hoc ergo sic munifico Patre calceamenta sumit Maria serpentis capiti obterendo, id est, innocentiæ, protoparentum illa, longè meliori, comparandæ: vnde posteà cæteras culpas, vel leuiculas facilè euitaret. Sed, quoniam de serpentis obtrito capite, nihil posteà cauda valentis; déque totius vitæ semita purissimè transuolata à virgine, quod originis culpam calcarat; iam suprà latè disserui: his relictis, ad illud virilizatæ virgunculæ, vnde totum argumentum effluxit, veniamus.

Cant. 7. — *Maria qualis Amicta.* — Rupert. — *Maria, specialis Dei Filia.*

Dum Maria inimica constituitur serpentis, 1312.
masculino pronomine insignitur, vt sancta, & grata in certamen venisse intelligatur: habet enim hoc egregia virtus, gratia excellentior, vt per illam vel fœmellæ virilescant, & de robusto spiritu, viriles animos dicantur exhibere. Vnde non absque mysterio, vt puto, 1. Reg. 25. n. 27. vbi Abigaïl ad Dauidem: *Attulit ancilla tua.* in Hebræo verbum ponitur masculinum, הביא: quia sanctissima fœmina nihil fœmineum in tanto gesto spirare videbatur. Sic Cant. 2. num. 7. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem.* in Hebræo est masculum affixum, אתכם: id est; *Adiuro vos ipsos, filiæ*: neque enim in virginibus sanctissimis molle aliquid subnotabat; quominùs virilescere dicerentur. Meritò igitur Maria, cùm proterendo serpentis capiti annunciatur, αὐτὸς, *ipse*, dicitur: ne

Fœmina, de virtute virilescit. — 1. Reg. 25. — Cant. 2.

in Deipara aliquando aliquid non virile, aliquid fluxum, & languidum fuisse subnotetur. Vno, vel altero testimonio rem confirmo.

1313. *Idem ostenditur.* Prou. 8. Inuitabat bonorum suorum piè prodiga Sapientia, humanum genus: dúmque disponit præconium, sic indicit: *O viri, ad vos clamito: & vox mea ad filios hominum.* Prou. 8: num. 4. Filij hominum vocantur, id est, naturæ humanæ ad vtrunque sexum diffusæ clamitatur: & tamen solis viris facta præmittitur clamitatio. Et cur ita? Respondet ibi Beda: *Ad viros clamitat, id est, strenuos verbi auditores in vtroque sexu: nam, qui fœminea, id est, fluxa mente sunt, sapientiæ verba percipere nequeunt.* Quasi daret fœminis virilitatem virtus robusta, gratia strenua: & imbellem sexum ignauiâ fugata, communicando Deo animaret: aliàs diuinis fruendis verbis ineptiret. At veniret Maria ineptior, si quid vsquam molle, & fœmineum importaret: cui ab æterno clamitabatur, vt properaret: non solùm diuinis verbis audiendis; sed etiam ipsi substantiali Verbo suscipiendo: minùs congruè de cætero strenua præsumenda, ni ab initio serpentis proteruì caput conculcaret. Bedæ consentit D. Anthonius de Padua Dom. 7. post Trinit. *Sapientia ad viros, non ad fœminas clamat: quia sapor æternæ dulcedinis illum afficit, quem virtute strenuum, prouidentiâ circunspectum viderit.* Scilicet, hoc negotium, non tam in fouendis vberibus, quàm in excipiendis vulneribus otiatur: ad malitiam prouocat arduam, non ad languentem mollitiem: viros alloquitur spiritus, non fœmellas. An non meritò Maria, nunquam mollis, nunquam fœminei languoris intelligitur, quę etiam præ Angelis excellentior, in spiritus colloquium, & obumbrationem excipiendam aptabatur?

Beda.

Anth. Pad.

§. II.

Completur titulus præmissus.

1314. *Culpa viros effœminat.* SED parum id. Ego puto nihil clarius, aut illustrius afferri potuisse explicandis perpetuis Mariæ cum serpente inimicitiis, quibus per totam deinde vitam culpas euitauit; quàm dum, vbi proditura prædicatur, statim virili adiecto insignitur. Maria de sexu fœmina, per gratiam Conceptionis in virum transit; quæ si fortè vir in culpa conciperetur, necessariò omni redderetur fœmella euiratior. Attende, sodes. Nihil ita turpe, quàm euirari virum, & in fœmellam deformiter emolliri: ideò pulchrè acutior Poëtarum Claudianus Eutropio insultans:

Quid te, turpissime, bellis
Inseris, aut sanis pertentas Pallada campis?
Tu potes alterius studiis hærere Mineruæ:
Tu telas, non tela pati: tu stamina nosse.

Effœminatio viris turpis.

Multa cumulauit Cerda meus, ad illud sui Poëtæ lib. 9. vbi quidam ad Troianos per summam contumeliam:

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges: ite per alta
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vos, buxúsque vocat Berecynthia, Matris
Idea: sinite arma viris, & cedite ferro.

Quibus addo celebrem ritum Lyciorum, de quibus Valer. Max. lib. 2. cap. 6. num. 13. *Rectè Lycij, cùm iis luctus incidit, muliebrem vestem induunt: vt deformitate cultus commoti, maturius proijcere stultum mœrorem velint.* Quia non patitur animus virilis diu fœmineo habitu deformari; & sexui illatam iniuriam, quàm citò poterat, propellebat. Sic graue dehonestamentum viris, fœminea conditio. Non poterat hæc labes deesse peccatori ab ipsa origine, & deinde quouis alio peccato, sit quantumuis naturâ vir, fœmina dicitur, & effœminatos spiritus sibi induere cogitur turpissimus. Nihil ergo culpæ contraxit Maria, quæ quando primò promittitur, virili statim pronomine celebratur: vt inde strenuior certamen illud peragat perpetuum. Val. Max.

1315. *Originalis culpa, effœminat.* Iob 3. Sixtian. Ab ipsis suis laboribus trophæum patientiæ erigebat S. Iob: nec verbum protulit, quod constantis animi indicium non præberet: vnde Sanctis Doctoribus non parum negotij facessit illa eiusdem sententia: *Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo.* cap. 3. num. 3. Clariùs Sixtian. ex Græco: *Et nox illa, qua dixerunt: Ecce masculus.* Cur enim mens composita, animus modestissimus in ortus diem, in conceptionis noctem inuehatur: nec tamen patientiæ dispendium tulisse reputetur? Quia non tam in creaturas, quàm in prolatum interim mendacium indignatur. Nimirum, in iniquitatibus conceptus fuit, & in peccatis cōcepit illum mater sua, originalis proinde labis participem: &, quod consequens est, fœminea quadam mollitie contaminatum. Quis ergo non videat, mentitos esse illos egregiè, qui conceptâ fœmellâ, masculum esse conceptum asseuerarunt: Pulchrè Olympiodorus ibi in Catena: *Detestatur, sed alia ratione, eos qui marem illum nuncuparunt: quòd crederent, eiusmodi hominem solùm fuisse, eique maris nomen propriè conuenire. Cùm hominum genus vnius Adam contumacia effœminatum sit: vt non ampliùs potioribus nominibus appellari queat.* Itaque mendacium auertit: nec se in peccato conceptum dignum virilitatis titulo existimauit. Solus Christus ex se nimirum, sola Maria ex Christi gratia, potiori hoc vocabulo insignitur: cui declarando mysterio, statim vbi mulier sexu promittitur, spiritu virili prædicatur. Olympiod.

1316. Ierem. 20. *Adulator mendax.* In eundem sensum explicandus venit Ieremias cap. 20. num. 15. *Maledictus vir, qui annunciauit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus: & quasi gaudio lætificauit eum.* Neque enim poterat masculus nasci, qui sub fœdata origine nascebatur: vnde nuncius, quà mendax, maledicitur. Sed etiam de aliis peccatis, ab origine fœdata promanantibus, locus non incongruè explicatur. Concipit, nimirum, quiuis peccator malitiam, & parit iniquitatem: & tamen ab adulatoribus, & totius veritatis corruptoribus, tam masculi, & generosi partus parens commendatur. Exemplo res patebit. Cùm vindicta sumitur, cùm pauper opprimitur, cùm virgo rapitur, & aliena vxor violatur; tanti sceleris aggressori inclamat adulator: *Euge, nunc fecisti vt vir; masculum opus executus.* Id ergo detestans, abominatur iustorum nomine Propheta: quod hæc opera, quæ euirata sunt, *Omnis culpa animos effœminat.*

sunt mollia, effœminata, & muliebris cuiusdam mentis partus, virilis dignitatis titulo afficiantur. D.Gregor. Mor.3.cap.4.de Dæmone locutus, qui mediis adulationum instrumentis id exequitur:

D.Gregor.

Cùm nos agere infirma conspexerit, ea quasi fortia fauoribus extollit, & quasi natos masculos loquitur, cùm corruptores veritatis per mendacium, nos extitisse gratulatur. Patri ergo masculum natum denunciat, quando huic mundo eum, quem persuaserit, factum innocentiæ corruptorem demonstrat. Nam, cùm cuilibet peccanti, atque superbienti dicitur: Fecisti sicut vir. quid aliud, quàm natus masculus in mundo perhibetur? Meritò igitur hi tales maledicuntur, tanquàm insigne quoddam mendacium effutientes: & virilitatis titulo effœminatum spiritum nuncupantes; meritoque Maria, dum serpentis caput proterit, æternis deinde cum illo inimicitiis exercendis, vir laudatur.

1317. Communitatis sacræ, siue Ecclesiæ labores, & immissas tentationes dolens Ecclesiastes, sic habet: *Ciuitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam.* cap.9. n.14. Sed certè in rei bellicæ metaphora, aptiùs videbatur militum præliantium, quàm opplentium virorum paucitas deploranda: nisi quòd emphaticè viros defuisse scribit; quia iam multi in fœminas degenerarant. D. Anthonius de Padua suprà citatus ad hunc locum: *Viri, id est, virtuosi in Ecclesia multæ sunt fœminæ, id est, molles, & effœminati. Sed heu! pauci viri.* Magis isti ad telas erant, quàm ad tela: ad stamina magis, quàm ad certamina. Apertiùs Isaias 3. num.12. *Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt ei.* Iusta enim pœna, vt populus, qui exactoris Dæmonis vocem audiit, virtutes pendit, & perdidit, nequiores iam habeat prælatos, atque Principes, qui euiratis viribus, fœminea quadam diffluant turpitudine. Ni fortè dixeris, & meliùs, ideò exactori Inferno miserum populum spoliatradidisse; quia imbelles, & effœminatos Principes sortitus. Vtcunque sit, audiendus D. Anthonius citatus: *Mulieres, id est, molles Prælati.* Didicit ex Hieronymo, qui ad hunc locum: *Mulieres, quia propter libidinem omnia faciant, & sint dediti voluptatibus.* Vt, quemadmodum Sardanapalus diffluens voluptatibus, motu etiam, & habitu fœminas est imitatus: sic isti interiori morum habitu, in fœminas degenerasse cognoscantur. Decuit ergo, vt Maria, cuius præsidio ciuitas nostra munienda, cuius intercessione ab exactore Inferno eramus liberandi; nihil vnquam effœminatum pateretur; & omnibus conculcandis vitiis, ab ipsa sua origine vir prodiret.

Ecclef.9. *Id fusè probatur.* Anth.Pad. Isaiæ 3. Hieron. *Rex effœminatus, grande malum.*

1318. Ad iudicandos præcipuè populi seniores & Principes, erectum tribunal in eodem cap. exprimit Isaias num.13. & 14. quos contrà subditur num.15. *Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum?* Videbantur statim subscribendæ pœnæ, à tam nefariis Iudicibus, & Principibus exigendæ: & tamen subiungit immediatè Propheta num.16. *Et dixit Dominus: Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion,* &c. Vbi deinde multa pœnarum genera fulminata in has fœminas apponuntur. Sed, ô heu! quò pergis, sanctissime Vates? In senes, & Principes tribunal erexisti præcipuè; ab his afflicti populi causas expostulasti; quid ergo his relictis, in solas populi fœminas desæuis? Quid in vnum ignauiorem sexum ira debacchatur? Credo, qui totum virorum populum, & maximè seniores, & Principes, iam in fœmellas molles degenerasse, voluit significatum: & quos num.12. dixerat mulieres, nunc indidem Sion filias appellauit: ac proinde sit idem punire fœminas, quam in eneruatos viros animaduertere. Fauet Hieronymus ibi, post adductas alias interpretationes sic concludens: *Alij secundùm tropologiam mulieres, animas interpretantur: quæ si extento collo ambulauerint, & se erexerint in superbiam; & non virilem duritiem, sed dissolutionem sectatæ fuerint fœminarum; corripiuntur à sermone prophetico, & omnia perdunt ornamenta virtutum.* Quia nescit, qui vitiis deformatur, in fœminam molliculam non transformari. Omnia ergo attulit ornamenta virtutum Virguncula diuina, quæ, dum promittitur, virilitatis cognomine decoratur.

Isaiæ 3. *Idem ostenditur.* Hieron.

Perinde autem erit, si dixeris, ideò increpatis senioribus, & Principibus, ad fœminas supplicium detorqueri: quia, vt erant lasciui, & fœminarum amatores, harum pœna acriùs quàm propria torqueri videbantur. Neque mirum, si fœminas doleant, qui hoc vno turpitudinis vitio, plusquàm quouis alio, fœmineam conditionem subiêre. Ita est: nunquam se viliùs effœminat peccator, quàm dum se magis, de fœminarum amore, virum prædicat. Formaturus Deus Euam, sic describitur: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* Genes.2. num.21. Et quàm facilè nouam costam illi supplere poterat, vtque carnem, sic etiam os augere: cur non fecit? Respondet D. Bruno apud Godefr. *Subtractâ costâ locus eius non osse, sed carne repletur: vt ex eo etiam nos infirmiores, & molliores esse sciamus, quòd mulieribus adhæremus.* Nescit Adam ad licitum coniugium non mollescere, non effœminari, ossis duritiem carnis teneritudine commutans. Ecquis non videat, illicitis congressibus, turpibus scortationibus longè vlteriùs virum effœminandum? Et fortasse ideò Adam, cùm ex sola osséa costa sua Euam formatam videret; exclamat nihilominùs: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* num.23. Vnde enim non solùm conosseus, sed etiam concarnis vxoris dicitur, qui solùm os tradidit? Quia, sicut vxor ossis duritiem ab illo perceperat: sic se quodammodo ab eius carne effœminari sentiebat. Benè D. Laurent. Nouar. homil. de Pœnit. de lasciuiæ vitio locutus: *Quid dicam de fœminea specie? Quantum intuendo iam collapsa est anima, & effœminata sunt viscera: & quasi concupiscentiæ sagitta percussus de quodam præcipitio corruit?* Sed ego de hac priuata luxuriæ hypothesi alibi latiùs: iterum ad communem thesim redeamus; dummodo priùs videas, meritò nihil in Maria fœmineum, & molle prædicari, quæ in virginitatis magistram parabatur: nam, vt nihil ab originis radice sauciata, sæuiùs furit, quàm libido mollis, & effœminata: sic meritò Virgo virginum, purissimæ originis prædicatur: vt de vtroque iam non ipsa, sed ipse serpentem conterens viriliter celebretur. 1319.

Amor fœminarum viros effœminat. Genes.2. Bruno. Genes.2. Laur.Nou.

Adstabat

1320. Adstabat supremus omnium Iudex, apud Pilatum iudicandus: instabat homo, Deo sententiam, & pœnam illaturus: & ecce tibi, *Sedente illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* Matth. 27. num. 19. Pono nunc ab Angelis illi factas repræsentationes, & Christianam innocentiam inspiratam, quò Domini causa iustior appareret. Sed, ô quid vobis vultis, Angeli beati? Cur non senioribus illis, Scribis, & Pharisæis potiùs prædicta mysteria inculcatis? Quantò efficaciùs apud illos, quàm apud fœmellam procederet reuelatio? Respondet aptè Chrysostomus Orat. 2. in Parasc. apud Gretser. *Tanquàm alter Ioseph veritatem per insomnia cognitam, aduersùs Iudæorum clamores testatur: decebat enim eos à fœminis vinci. Vicit eos Rahab meretrix: vicit eos, quæ sanguinis fluxum patiebatur: vicit Chananæa: & nunc rursus fœmina eis aduersatur.* Decebat, inquam: quia illi corroboratis pertinaciâ culpis sic diffluebant spiritu, vt omni essent fœmina euiratiores: præ quibus, hæ piæ, aut saltem minùs impiæ, viri habebantur, mysteriis percipiendis aptiores. Sic vir effœminatur vitio: sic fœmina de virtute virilescit.

Matth. 27. *Vir per culpā, fœmellæ postpositus.* Chrysost.

1321. Præcipitur Abrahamo circuncisio, vt ab illa exteriori, cuiusvis operis perfectionem, & animæ deuotæ interiorem disceret sanctitatem: vnde populus corde magis, quàm corpore nosceret circuncidi. *Circuncidetur*, inquit Deus, *ex vobis omne masculinum.* Genes. 17. num. 10. At, cur, si vtrique sexui æqualis sanctitas commendatur; non potiùs commune aliquod signum etiam ipsis fœminis, eligitur? Cur character, qui tantummodo viris conueniat, destinatur? Quia in hoc signo, non tam abscissio, quàm circuncisio affectuum commendabatur. Non capies, ni audis Stephanum Cantuar. ibi apud Godefr. *Abraham est vir iustus, qui debet circuncidere omne masculinum; id est, omne opus bonum purgare: non est enim aliquod opus bonum, quod non indigeat purgatione*, &c. *In circuncisione parum est, quod abscinditur, respectu illius, quod remanet: ita magnum est bonum, quod remanet, licèt malum excutiatur. Ast fœmineum opus nullatenus debet circuncidi: sed ex toto deleri.* Effœminantur opera peccato, vt prauis operibus animus effœminatur: non circunciditur fœmineus spiritus, sed penitùs abscinditur: deletur potiùs, quam purgatur. Ideò non sub spiritu fœminineo promittitur Maria, ne in ipsa promissione delebilis appareret.

Virtutis opus, cur circuncidendum. Genes. 17. Steph. Cant.

1322. Quis Annæ vota anxia non miratur, quæ dum toto animæ nisu infamem maledictæ sterilitatis notam cuperet deletam, dicebat tamen: *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederísque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* 1. Reg. 1. num. 11. Nam, si satis fugandæ sterilitatis infamiæ sexus fœmineus: nónne satius indifferenter postularet? In extremis, quæ bona sunt, aptè quæruntur: optima, quando necessitas non ita vrget. Miser, indigentiæ opem quærit, non voluptati. Quid ergo Anna maledictionem pessimam illius æui; non quauis, sed optima virilis sexus benedictione orat repellendam? Vt vides, non solùm prolem, sed & hanc sanctam, & Deo dicandam iugiter, postulabat: & talem fœmineo vocabulo exprimere recusauit: timuit sollicitare fœminam, ne potiùs Dæmoni consecrabilem petere videretur. Pulchrè D. Anthonius de Padua Dom. 3. post Pascha: *Sexum virilem petit, non fœmineum: nouerat enim, quòd Pharao fœminas sibi reseruari iussit. In sexu ergo fœmineo, effœminata mentis opus designatur.* Virilis oritur Maria, ne Dæmoni reseruata intelligatur: & masculum eius spiritum dum suffocare præsumit Infernus Pharao, & fœdatæ originis vorticibus absorbere; obtrito capite miserè trucidatur. Alludit autem Anthonius, vt vides, ad locum illum vulgarem in hac materia, ex libro Exodi, vbi Pharao ad obstetrices: *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit; si masculus fuerit, interficite eum; si fœmina, reseruate.* Non tamen est vulgaris elegantia D. Cæsarij Arelat. hom. 4. *Hoc ipsum, quod Pharao paruulos Hebræorum pueros iubet interfici, & fœminas reseruari, Diaboli vtique speciem præ se ferens, inimicus spiritui, & amicus carni, inuidens virtuti, consentiens voluptati, fortitudinem præfocabat, concupiscentias nutriebat.* Quasi non posset Dæmon expressiorem typum Diaboli referre, quàm dum fœminas nutrit: sicut iste effœminatas, id est, peccatrices fouet conscientias. Ideò ergo masculæ virgini insidiatur serpens, sed conterendus.

Virtutes masculæ exigendæ. 1. Reg. 1. Anth. Pad. Exod. 1. Cæs. Arel.

Diuini verbi efficaciam commendaturus Paulus ait: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus.* Subdiuidere videtur Apostolus animam hominis ab eiusdem spiritu: cùm tamen reapse vnum, & idem sint: nimirum, quia diuersis affectibus dum addicitur, diuersas rationes sortiri iam videtur: nam, dum carnis voluptatibus adhæsit, anima erat, quę dum diuinæ anhelat vnioni, iam dicitur spiritus. Pende tamen ad rem tantam innuendam, non absque delectu visa vocabula vsurpari: dum enim priùs effœminata culpis inuoluebatur, fœmineo vocabulo *anima* dicitur: Græcè, ἡ ψυχή: quando roboratur in virum, quasi mutato sexu, mutat & nomen, & vocatur *spiritus*. Græcè saltem neutraliter τὸ πνεῦμα. Ne lusisse videar, audiendus iterum ibi D. Anthonius Dom. 5. post Pascha: *Nota, quòd anima est res incorporea, rationis capax, viuificando corpori accommodata. Hæc animales constituit homines, qui carnis sunt sapientes, sensibus corporis inhærentes. Quæ vbi perfectæ rationis incipit esse, continuò abdicat à se naturam generis fœminini; & efficitur anima particeps rationis, regendo corpori accommodata: quando enim anima est, viuit, quod carnale est, & effœminatur animus, & spiritus.* Vno verbo: vult S. Doctor homines anima viuere, spiritu gubernari: illam virtute virilizari; hunc vitio effœminari. Redolet ergo Maria tota spiritum, nihil animale vnquam tulit, ideò virilitatis insigni condecoratur. 1323.

Spiritus per culpam effœminatus. Anth. Pad.

Et meritò spiritus carni traditus effœminari dicitur, cùm cuiuslibet peccatoris viri caro, fluxæ plusquàm mulieri comparetur. Mouetur omnibus dubium ad illa verba Apocalypseos, vbi ita de Sanctis Christo adhærentibus: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum, quocunque ierit.* cap. 14. num. 4. An non multi, qui virginitatis laureolam non sunt adepti, Agnum sequuntur? Planè. Quid ergo solis non inquinatis cum muliere, nobilis hæc sequela attribuitur? Quia iusti omnes, 1324

Viri caro effœminatur per culpam.

omnes, aut nunquam effœminatis quibusvis desideriis carnis respondentes; aut saltem per pœnitentiam penitùs renunciantes; cum muliere non coinquinati meritò commendantur: vnde immaculati à fœminea culpa in diuino conspectu apparuêre. Ambrosiaster ibi: *Possumus per mulieres corpora Sanctorum intelligere: per viros autem, animas: quia, sicut vir, & mulier vna caro vocatur; ita corpus, & anima, vnus homo. Et quemadmodum fœmina inferior est viro, ideòque necesse est, vt à viro regatur, eiúsque dominationem perferat: ita corpus multò inferius est, quàm anima; & ideò necesse est, vt ab spiritu regatur, atque domitur, eiúsque desideria frangantur. Quod quia Sancti facere studuerunt, non sunt coinquinati cum mulieribus: quia ex coniunctione corporum nullas sordes traxerunt, in quibus Dominum offenderunt.* Ideò peccator, vbi caro imperat, vbi effœminata culpa non domatur, sed dominatur; iam non vir, sed euiratus; inferior, & mollior fœminà est habendus.

Ambrosiast.

1325. Eò tendebat vox illa Isaïæ ad peccatorem: *Vt mulierem derelictam, & mœrentem spiritu, vocauit te Dominus.* cap. 54. num. 6. Nimirum, mœrens iste spiritus, carni deditus, & eius patiens libidines dominantes, imperióque subiectus voluptatis, in molliculam fœmellam deformabatur. Crediderim ideò num. 5. antecedenti dixisse Prophetam: *Quia dominabitur tui, qui fecit te.* Vt qui, quòd carni adhæresceret dominanti, effœminabatur; iam Dominatori Deo subiectus virilesceret. D. Anthonius Dom. 3. post Pasch. Serm. 2. *Dominus gratia sua inspiratione vocauit mulierem; id est, animam peccatricem, mollem, & effœminatam, ad pœnitentiam.* Et signatè Dominus ipse, vocator dicitur: sola quippe diuina voce, & inclamatione, tam mollis, & eneruatus spiritus poterat excitari. Quid mirum, si cum virilitate cor amisit: imò, eo ipso, quòd euiratur, excordiatur. Id sibi voluit Sapiens Prou. 12. num. 8. *Doctrinâ suâ noscetur vir: qui autem vanus, & excors est, patebit contemptui.* Viro deberet fœmina contraponi: sed pulchriori antithesi *excors* adducitur: quia iam supponitur amissa virilitate in fœminam abiisse, qui in excordem, & vanum degenerarat. Beda ibi: *Viros vocare solet Scriptura eos, qui virtutibus sunt præditi diuinis: qui autem vanus, & excors est, patebit contemptui; quia ipse virilis animi fortitudinem habere contempsit.* Vocetur Maria vir, ne habenda serpenti contemptui præsumatur; quem non excors, sed cordatissima contriuit deceptum.

Isaïæ 54. Effœminatio ista ex. ori.

Anth. Pad.

Prou. 12.

1326. Tandem, illud eiusdem Salomonis Prou. 19. num. 15. *Pigredo immittit soporem: & anima dissoluta esuriet.* in Sixtian. sic vertitur: *Pauor detinet effœminatum.* Neque enim tam pigra peccatoris ignauia, nisi ab effœminato spiritu proueniret. Vbique enim verissimum est illud D. Cæsarij Arelat. hom. 6. de vitulo masculo immolando Leuit. 3. num. 3. id est, de sacrificato Christo, vbi ita: *Quotidie Pater Filium recipit, semper Christus credentibus immolatur: hic est ille vitulus saginatus, quem in veteri Testamento docemur offerre, &c. Masculus immaculatus. Masculus, id est, contra omne peccatum robustus, ac validus: masculini enim, & virilis est animi, illecebram repudiasse peccati: sicut fœminea fragilitatis ignauia est, vitij suscepisse lasciuiam.* Respondet ergo masculo, & immaculato genito, genitrix mascula, & immaculata: mascula, quia contra omne peccatum robusta, & valida: ideò ἀυτὸς, ipse, & non, ἀυτὴ, dum editur, appellatur. Hæc habui, si minùs acuta, saltem minùs obuia, quæ celebri loco Geneseos cumularem. Nunc titulum anthologicum aliunde propinquiùs confirmemus.

Prou. 19. Sixtian.

Leuit. 3.

Cæsar. Ar.

§. III.

Vitia vtplurimùm catenata.

1327. PROBANDVM iam, radicem vitiorum, in vitiata origine collocari, quod vt apertiùs constet, concatenata indoles peccatorum declaranda: nullibi enim clariùs, quàm in hac re, abyssus abyssum inuocare intelligitur. Catenatos labores appellamus: quia vtplurimùm, semper aduenientem vnum noui subsequuntur: at meliori iure catenatas hinc culpas diceremus; & vtplurimùm originem fœdatam, vt vidimus ex Augustino, fœdissimæ aliæ culpæ subsequuntur. Optimè ergo inferimus, Mariam in origine non peccasse, quæ deinceps omninò immunis prædicatur: sicut ab Augustino innocens vir probatur Christus; quia infans peccatum non contraxit: nam in cæteris catenata ista procedere, voluit summus Doctor, vt vidisti. Subsequentes annulos euitat Maria, certè quia non primò alligata: frustrà ergo de concarnalitate Christi omnium actualium pura prædicatur, quæ ex Augustino vix talis posset intelligi, si catenæ principio obstringeretur. Etiam Ethnicis, vtcunque lux oborta, miseram hanc concatenationem manifestauit. Seneca epist. 16. *Naturalia desideria finita sunt: in falsa opinione nascentia, vbi desinant, non habent: nullus enim terminus falsò est. Viam eunti aliquid extremum est: error immensus est. Retrahe te à vanis: & cùm voles scire, quod petis, vtrùm naturalem habeat, an cæcam cupiditatem; considera, an possit alicubi consistere: si longè progressò, semper aliquid longius restat, scito id naturale non esse.* Sic enim ex se complicata, & catenata errantium à cæca originis cupidine vestigia, vt in immensum procedere videantur.

In vitiis abyssus abyssum inuocat.

Seneca.

1328. In quæ non præcipitia scelerum, misera Synagoga deiecta est? Penè omnia præcepta Domini, in ipsum Dominum, sceleſtissimè retorsit violanda. Et vnde ruina tanta? Quia, dum à primo præcipitat gradu præceptorum, vix potuit, nisi ad vltimum lapsa, contineri. Acceperat primum præceptum de *diligendo Deo*, id est, vt melior Theologia docet, de Deo credendo: hoc enim est illud Deuter. 6. num. 4. *Audi, Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.* Hoc dum spernit, iam cætera sic conculcat, vt ipsius Dei nece coinquinetur, & sacrilegè effuso sanguine polluatur. Grauiter Chrysol. ad hunc locum Serm. 169. *Hoc Synagoga dum videt in Filio, amittit in Patre: dum non credit in Christo, Christum lethaliter crucifigit. Cui meritò per Decalogum consequenter dicitur: Non occides. siquidem, dum Iudæus ipsam mandatorum seriem capite detruncat, antè*

Id probatur.

Deut. 6.

Chrysol.

antè Christi, quàm legis extitit homicida: vnde & totum corpus retorsit in Christum. Quia non poterat totum violati Decalogi corpus in Deum non retorquere, quæ caput eiusdem, iugulatione violatum iam retorserat. Quid enim violato legis capite totum violandum corpus non præsumeretur? Cur ergo è contra totum peccati corpus ideò conculcasse Maria non præsumatur, quæ prius eius caput, id est, originis vitium conculcarat? Ideò sanè non peccauit de cætero: quia se in origine puram conseruauit, aut fallit (nefas) regula Augustini. Sed pergat citatus Chrysologus.

1329. De eodem. Chrysol. Deum itaque non credens, iam ipsum occidere satagit Synagoga: nec tamen sistit. Audit: *Non mœchaberis.* & nihil aliud cogitat adultera, quàm perfidas mœchias. Chrysol. *Damnata est Synagoga, quæ iuncta Diis Gentium repulit Christum: quæ seposita potestate dominantis, coniugis eidem descendit affectu.* Iam non mirum, necē coniugis optet, quæ admisit adulteros; est hæc pura, puta, conditio fœminæ adulterantis. Sed adhuc lapsus, adhuc ruina. Audit: *Non furtū facies.* & nihil aliud, quàm noua furta in Dominū meditatur: & quidni, post furtiuos congressus adulterantium. Pergit Chrysol. *Furata est Dominicam Resurrectionem, quæ pretium militibus dedit, vt Resurrectionis infoderet, & occuleret veritatem.* Sic proinde meritò, quæ verborum vanitate mendax, Discipulorum furto ablatum Dominicum Corpus iactabat; operum suorum malitiâ, furti conuincitur apertissimè; infami furacis titulo inurenda.

1330. Plura adhuc. Sisténe tandem, perfida Synagoga? Minimè: vix enim potest, dum à primo labitur, nisi ad vltimum gradum deturbari: & primo alligata, nisi ad postremum annulum, catenam contorquere. Non *falsum testimonium* dicere præcipitur: & tota falsis adhibitis testibus, corrumpendæ desudat veritati. Concludat grauissimè Chrysologus: (Chrysol.) *Hæc est, quæ conquisiuit falsos testes, vt impleret illud Psalmi: Exsurgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Et reuerà aliter tradere non poterat veritatis authorem, quia semper sola impugnat falsitas veritatem. Sic ruit, sic per gradus cadit præceptorum: nam, si Dominum Deum credidisset vnum, ad hoc ruinarum barathrum non venisset.* Sic è contra Deipara ideò subsequentes gratias omnes consecuta; quia gratiam primam potuit retinere: ideò cætera vitia facilè repulit; quia in primo, discrimen euitarat: ideò in reliquis gradibus iniquitatis non fœdatur; quia in priori labi non permissa: ideò denique ramis culpæ non luxuriat; quia radicem penitùs exsiccarat.

1331. Luc. 22. Cura Christi erga Petrum negantem. Vbi Petrus ter Dominum negauerat, addit Lucas: *Et continuò, adhuc eo loquente, cantauit gallus: & conuersus Dominus respexit Petrum: & recordatus est Petrus,* &c. cap. 22. num. 60. Quàm diligens exactionis gallicinium apparatur! quàm sollicita diuini vultus conuersio admouetur! Equidem implendæ Christi prophetiæ, & cautelantibus minis satis videbatur, si post aliquod spatium gallus cantillaret: cur tam sedula musica ad lamentum? cur tam prouidus respectus ad pœnitentiam? Quia, licèt satis dicta videbantur; non tamen satis erant implendæ prophetiæ. Ter negaturus Petrus, antequàm gallus cantaret, annunciatur: vnde illi trina tantummodo negatio permittenda, pariter declaratur: cauit ergo veritati suæ Dominus diligentissimus; nimirum, quia præuiderat fore, vt, ni ipse pietatis, & gratiæ obstaculum adhiberet: Petrus non solùm ter, sed tricies denegaret: & si tentatio vrgeret, fortè trecenties. Ambros. Serm. 45. *Fidem Petrus, nec admonitus potuit custodire: toties lapsus est, quoties, ne laberetur, admonitus. Et nisi modum quendam tertiò denegandi, ei Dominus statuisset; forsitan sæpiùs interrogatus, sæpiùs abnegasset.* Sic vix poterat prima negatio magnetico culpæ contagio imbuta plures alios negationum annulos non connectere, & catenam perfidiæ longissimam contexere. Nec ita congruè suis principiis intelligeret Augustinus, Mariam Christi concarnem à peccatorum aliorum catena liberatam; nisi eam à primo annulo poneret absolutam. Ambros.

Iam mysticam magis, quàm naturalem suam miseriam nouerat Caïn; ideò trepidus pauet, pauidus exclamat: *Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Genes. 4. num. 14. Non vnum, aut alium hostem timet: sed quosuis, & omnes spolia sibi detracturos perhorrescit. Nimirum, anima, ipso occisi Abelis piaculo vulnerata; sic imbellis relicta, vt à quauis tentatione deinceps se vulnerabilem præsentiret: vbi primò percuteris, iam multis aliis te præbes percutiendum. Hugo Victorinus ibi apud Godefr. post multa de Caïn: *Cuius etiam voce illud aptè subiungitur: Quisquis inuenerit me, occidet: quia mentem diuino desertam auxilio, quæcunque tentatio impetierit, subuertit.* Ad minus ergo, dum Mariam in origine fœdamus, Deiparam in eo statu constituimus, cui, quantùm est ex se, omnes culpæ venirent concatenandæ: quod in quauis culpa veniali, vtpote gratiam non perdente, non ita verè poterat intelligi. Et tamen, qui hanc Deiparæ puramus indecentem, illam eidem adscribere non trepidamus: ideò enim reuerà nec vnam venialem concedimus Mariæ inurendam; quia, præter priuatam maculam eiusdem, iam aliarum vtcunque esca posset existimari: semper enim suspecta similium, quæ se vni culpæ subiecit aliquando. Defer id ad rem nostram: & illatam sæpè Augustini infer rationem. 1332. Genes. 4. Vna culpa cæteris te reddit proniorem. Hug. Vict.

Exsurgit in Dauidem Goliath, id est, Diabolus contra Ecclesiam, aut singulos illius iustos, init certamen. Huius ergo dum arma numerantur, quibus Inferno robore animæ vulnerantur; sic subditur de hasta: *Hastile autem hastæ eius, erat quasi liciatorium texentium.* 1. Reg. 17. num. 7. Vastissima in hastili arbor declaratur, & vectis teretis ingens magnitudo, vnde è prælo, vel trapæto desumenda videbatur comparatio, vel saltem è nauigij malo, quibus vectes in hyperbolen solent accommodari: cur ergo ab stamine solummodo declaratur? Respondet Stephanus Cantuariens. ibi apud Tilm. *Hastile, tentatio Diaboli. Liciatorio texitur tela: hastile verò Diaboli, quasi liciatorium: quia per tentationem texuit telam mortalitatis nostræ, & miseriæ: quia per tentationem incidimus in peccatum: vnde: Præcipitabit Dominus telam, quam orditus est, super omnes nationes.* Nescit tentatio, vbi primum obuoluit licium, illo esse contenta; sed licia liciis connectens telam texit: vix enim vnquam sistit peccator; sed culpam semper nouis, ac nouis cumulat incrementis. Ideò Saluianus lib. 6. de Prouid. de peccatoribus locutus: *Est enim, licet in assimilibus reatus, hac eiusdem æmulatio,* 1333. Dæmon vitiorū textor. 1. Reg. 17. Steph. Cant. Saluian.

æmulatio, quæ bonorum. Vt, sicut boni optant cunctos honestate mentium vincere, sic mali cupiant prauitate superare. Nam, sicut hæc bonorum gloria est, vt quotidie meliores sint: sic pessimi optimè palmas sibi vniuersorum scelerum vindicare. Donec abyssus abysso inuocatâ obruat miserrimos. Si licio constringis Mariam, iam telam indidem tramandam timeret Augustinus.

1334. Trita in hanc rem verba illa Isaiæ: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* cap. 5. n. 18. Isaiæ 5. Sed non caret mysterio Græca lectio, quæ vertit: *Væ, qui trahunt peccata quasi funiculo longo.* Non satis erat funiculus, quo vinculis obstrictus diceretur, nisi funiculi longitudo expressior poneretur: cuius rei causam aperuit D. Basil. Mag. in hoc caput sic scribens: *Quemadmodum enim, qui funes nectunt, aut plectunt iunceas storeas; vt, quod superest ex fune cœpto contorqueri possit, alterum ei attexunt, & interserunt, quò longior euadat, & augeatur. Pari modo, qui in profundum malorum sese inant se protrudere, priusquam peccato sit impositus finis, adoriuntur secundum: rursus huic alteri aliud continenter coaptant, &c. Ob hoc ait: Væ, qui trahitis peccatum, velut in funiculo longo.* Illi quidem se festinant obtrudere, fateor: sed ita, vt à fine prioris peccati aptam natam ansam subiungendo arripiant secundo: titillat enim suauitas prioris, & pruriente libidine prouocat ad similia. Ideò Euseb. Gallican. hom. 3. ad Monachos de hac re, ita: *Verbi gratia, mali cuiuslibet, aut obtrectationis passio impugnare me cœpit: si non statim me pœnitudo vitæ huius* (lego, *vitij*,) *momordit; cras tanta huius mihi vitij facilitas veniet: & quædam, vt sic dixerim, suauitas; vt reuocare me ab illo, & continere non possim. Ita enim euenit, vt qui primo tempore emendare noluerit, incipiat secundo, nec velle, nec posse.* Quæ omnia à fortiori pro originali culpa pugnant: quam propterea decenter in Maria non fuisse asseueraueris, quæ nec torquendo funiculo, nec prauæ facilitati destinabatur.

Peccator vix primam perficit, cùm secundam culpam inchoat.

Basil. Mag.

Euseb. Gall.

1335. Maius est, quod rei nostræ asserendæ ait Salomon: *Manus in manu, non erit innocens malus.* Prou. 11. n. 21. Prou. 11. Dum enim otiosus à peccato cessare videtur, ipsa interior iniquitas ebullit, & quasi animam inficit, & corrumpit: vt pronior noua, & noua scelera concatenet. Nam reuerà planissimum erat, peccatorem contractâ aliquando culpâ, etiamsi paulisper quiesceret, non fore innocentem: nec id tanquàm aliquid mirum docebat Salomon: sed id voluit, etiam cessantem, de nouis culpis nocentem appellandum quodammodo, vtpote, qui ad eas, de concepta priori culpa visus fermentari. Abbas Cellensis lib. de Panib. cap. 4. *In Ægypto nec nominatur azyma: totum fermentatur, totum corrumpitur: melior dicitur, qui corruptior. Coinquinatis, & infidelibus nihil mundum, vt ait Apostolus: sed pollutæ sunt, eorum mens, & conscientia. Etenim quiescens Ægyptius ab operatione exteriori iniusta, quod dicit Salomon: Manus in manu, non erit innocens malus. dum non animaduertit, fermentatur. Sicut pasta, non solùm cùm ei admiscetur fermentum, fermentatur: sed multò magis, cùm à commixtione cessat, qui commiscuit, & ipsa pasta benè cooperta, quasi quiescens dormit. Sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquanto tempore* (*fortè, quia deest occasio*) *à malo opere cessare; eò tamen quasi acriùs sæuit in corde, quò non transit in opere.* Quod longè veriùs, & clariùs in culpâ originali; quæ etiam breuissimo tempore, imò & momento corrumperet Mariam, vt deinde in culpas pronior haberetur: sed ideò has non commisit in ætate grandiori, qui illam in Conceptione euitauit.

Etiam à culpa otians culpam fouet.

Abb. Cell.

1336. Alludit autem Cellensis ad illud Oseæ: *Quieuit paululùm ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.* c. 7. n. 4. Oseæ 7. Putares, quieuisse à commiscendo culpæ fermento: quasi iam illam culpæ pertæderet; sed solùm quiescit, vt aptiùs tota massa, quasi dormiens condiatur; & serpente veneni corruptione, tota fermentetur: vt, quò corruptior, eò præruptior, & violentior propellat obices, & in noua scelera robustior accingatur. Pergat Cellensis citatus: *Vnde Oseas: Paululùm ciuitas, &c. Quasi diceret: Vt studiosiùs cogitatum perpetret malum, callidiùs pro tempore retrahit manum: confotum enim stuparum superiectione incendium, non dormit, sed serpit; non extinguitur, sed reficitur. Sic voluntas mala, velut flamma latens, vincit tandem suppositos necessitatis, & reiicit, velut torrens, dilationum obices.* Vide, quem non funiculum contorqueat, quam non longissimam vitiorum catenam connectat peccator, qui semel concepto veneno, etiam quiescens, totus in perditionem apparatur.

Id vlteriùs explicatur.

Abb. Cell.

1337. Hæc tamen concatenatio, vt passim monui, non aliunde incipit aut durior, aut profusior, quàm à corrupta origine. Plenas paginas Patrum huc posses congerere: do tantùm vnum, vel alterum verbum ad rem præsentem. Vocabatur feliciter quidam ad cælestium epulas nuptiarum: qui demens renuit, dementior excusatur, dicens: *Iuga boum emi quinque, &c. rogo te, habe me excusatum.* Luc. 14. num. 19. Luc. 14. O hominem infaustissimum, etiamsi aliunde te excusares: sed & hinc amentissimum, quòd iuga captiuitatis cuiusdam bestialis emens, libertatem angelicam, & liberale gratiarum conuiuium vilipendis! Sed, quid faceret sibi relictus? Graue iugum filius Adæ à conceptione sua trahebat: & eius conditionis, vt ad noua semper iuga sollicitaret; quid ergo nisi iuga iugo addens iugalem eam catenam fabricaret? Grauiter Gillibertus Serm. 26. *O stolida anima! anima tam inualidâ ceruice, & attrito corde! vnum illud portas, quod tibi corrupta imposuit nobilitas: & plura comparas? Non indiget emere, quod gratis innascitur. Alia adiicis emere; & ab hoc, quo opprimeris, collum eximere non potes, &c. Nec tibi pretium suppetit, vnde redimas. Nescis, quàm graui iugo tenearis? Nisi Sanguine Christi, auferri non valet. Abundas, vt plura emas: non abundas, vt ab isto te redimas. O misera diuitia tua! Satis es locuples, non vt mitiges; sed vt multiplices vincula colli tui, & compedes aggraues.* Reuoca huc, quæ suprà dixi, de sacra nostra Vitula, nunquam attrita collo, nunquam subdita iugo, ex Epiphanio: & videbis apertè, ex argumento Augustini, ideò noua iuga non emisse, quia à primo præseruata, Filij Sanguine feliciùs redempta fuerit. Nec enim decens Mater Maria sub aliqua actuali culpa; & indecentior, si culparum radicem, iugum iugorum, & impiorum annulorum magneticum illum annulum connectendæ catenæ aptissimum toleraret.

Originis culpa, radix vitiorum.

Gillibert.

1338. De Christo capiunt aliqui illud propheticum: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Psalm. 1. num. 3. id est, vt nosti ex vsu sacro, iuxta peccatores fluidos, & languentes, quibus destinato tempore fructum redemptionis communicaret. Illud tantummodo venit examinandum, cur non tam absolutè iuxta aquas, quàm iuxta *decursus aquarum*, id est, iuxta aquas perpetuò decurrentes dicatur complantari. An, quia naturâ ipsâ homines labiles semper fluunt ad finem, labuntur ad mortem? Planè: sed non solùm ad quanuis mortem; sed maximè ad illam culpæ funestiorem. Nimirum, ab ipso fœdatæ originis ortu, decurrimus in culpam: & sic decurrimus, vt nunquam sisteremus, nisi Christi Sanguis opponeret repagula. Origo illa, fons malorum scatens, in perennes nos lapsus conuehebat; ideò nunquam humana natura, nisi in decursu perpetuo consideratur. D. Gregor. hom. 2. in Ezech. *Fortitudo Dei per Incarnationis suæ mysterium propinqua reclinata est, peccatorum suorum pondera portanti generi humano; quod ab ortu suo quotidie diffluit ad mortem: sicut de illo in Psalmo dicitur: Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Iuxta decursus quippe aquarum plantatus est, qui iuxta lapsus incarnatus est diffluentium populorum.* Meritò ergo infero ex mente Augustini, ideò Deiparam posteà non defluxisse; quia primo illi fonti, totius decursus principio non immersa. Non itaque repagulum, vt sisteret: sed serenitatem, ne vnquam moueretur, accepit Aqua nostra: id est, non tam curantem gratiam, quàm præseruantem.

Psal. 1. Idem ostenditur.

Gregor.

§. IV.

Incrementum excellentioris cuiusvis gratiæ, proditur rudimento. Culpa feliciùs ad radicem eneruatur.

1339. Ex duplici adhuc capite anthologicus titulus confirmatur. Solet Deus vtplurimùm futura excellentissimæ gratiæ incrementa, in ipsis rudimentis innuere, & egregiam in coronide sanctitatem, ab ipso sui initio declarare. Cur ergo singularissimam Mariæ in totius vitæ decursu innocentiam, ab ipsa originis innocentia non probaret? Cur illa gratiæ plenitudo tam hominum conditioni supereminens in progressu, ad ingressum originis, illis non supereminenet? Deinde, nunquam feliciùs culpa noscitur abolita, quàm dum ad ipsam radicem eneruatur: cur ergo tanta actualis culpæ immunitas Deiparæ attributa, detruncatæ culparum origini, id est, originali culpæ eneruatæ non assignabitur? Cur tam integra totius vitæ salus, interceptæ originis ægritudini non tribuetur? Vtrunque suo ordine dum ostendo, rei nostræ probabiles ad formam consequentias, & ad materiæ decentiam plusquàm probabiles, & piis penè certas iam deducam.

Maria Conceptio, futuram sanctitatem declarauit. culpa radicitùs eneruatâ.

Huc veniunt verba Sapientis, dum affectum, 1340.
quo primæ virtuti animus copulandus, sic declarat: *Vbera eius inebrient te omni tempore: & in amore eius delectare iugiter.* Prou. 5. n. 18. Vberum lac commendat ceruæ, vt paulò ante dixerat, charissimæ: & inde hinnulo suauissimo non tam lactis dulcedinem, quam vini ebrietatem vult sugendam: vt adhuc inter virtutis vbera, & lactens; iam ardentis, & inebriantis cuiusdam charitatis feruores æmuletur. Fortassè aliquid tale voluit Gillibertus, de perfectionis monte locutus Serm. 31. *Et si in hoc monte, sine intermissione habitare nondum possumus, recurramus frequenter ascendentes, inebriemur vberibus: sic enim Scriptura habet: Vbera eius inebrient te omni tempore. Videte, ad quem sensum, vberum interpretationem deflectat: ad ebrietatem, & oblectationem amoris.* Quasi vix vnquam fixam stationem in hoc monte esset comparaturus: nisi, qui, in ipsis lactentis gratiæ rudimentis, iam sacræ ebrietatis feruores sobrios gustare videretur. Sic puto explicanda illa, de Ecclesiæ vberibus: *Et erunt vbera tua, sicut botri vineæ.* Cant. 7. n. 8. Vt paruulis suis non tam lactis suauitatem, quàm vini generositatem videatur instillare: & inter spumantes lactis fontes, feruentia vini pocula exundare; sicque incipientis virtutis feruor, index futuræ profectionis certissimus habeatur. Quantò ergo altiorem montem ascendit Maria, quàm cæteri; quantò ibi stabiliùs creditur quieuisse: tantò illius initia diuersioris cuiusdam generis fuisse existimanda; tantò clariùs non lactata peccato, sed lacte quodam originalis gratiæ, quod ipsos etiam seraphicos feruores excederet, intelligenda.

Prou. 5. Iustitie propalatur, gratia de vaticinio sit futura.

Gillibert.

Cant. 7.

Pulchrum est mihi in hanc rem illud Ecclesiastici monitum: *Fili mi, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore* cap. 2. num. 1. Primos ad virtutis penetralia instituit accessus, vt vides; quando non tam graditur animus iam robustus, quàm repit infans: & tamen sic delicatulo, & tenello, virilem quandam, & perfectam intimat stationem. Scilicet, verum est, quod Valer. Max. lib. 3. cap. 1. probat, inter ipsa crepundia, indicem sui esse virtutem generosam: *Attingam nunc quasi cunabula quædam, & elementa virtutis, animi procedente tempore, ad summum gloriæ cumulum peruenturi: certo cum indolis experimento datos gustus referam.* Sic corrigendum, quod vulgò legitur, *gestus referam.* Id sibi voluit Ecclesiasticus in re gratiæ: vt in ipsis cunabulis, gustus quosdam futuræ excellentiæ præberet animus; & ad stationem de magnanimitate animaretur, qui serpendo de ætate incedebat. Benè itaque Deipara, procedente tempore, ad tantam peccati immunitatem peruentura, & ad summam gratiæ excellentiam promouenda; in ipsa origine gustus quosdam putabitur retulisse. 1341.

Eccli. 2. Virtus incipiens, sui index.

Val. Max.

Vix percepit Elisabeth Mariæ salutationem, *cum exultauit infans in vtero eius.* Lucæ cap. 1. num. 41. Calcibus, nimirum, teneris, & brachiolis vix benè animatis, sed animosis iam, ventris maceriem, carnis parietinam perrumpere tentabat Ioannes Baptista: intempestiuum ortum videtur affectare. O quid conaris, infans prodigiose? Imperium gratiæ, quod accepisti, nusquam naturæ violat priuilegia 1342.

Luc. 1. Baptista lex.

gia : neque spiritus ille, quo tibi repletur anima, corpus ab statura debita fraudaturus, sub qua ad nouem menses enasceris perfectus. Mense septimo vitalis aliquando prodit partus : at sexto, quo nunc degis, vix Solis lucem videas, cùm ad tenebras mortis deduceris, & sepulcrum hoc ventris, immani terræ tumulo commutabis. Quid ergo satagis? Nimirum, ostendere iam tũc, qualis postea futurus. Benè Chrysol. Serm. 91. *Ipse sine visceribus, visera Matris exsuscitat: & quia tardabat corpus, solo spiritu implet euangelizantis officium. Quid dicam? Ioannes, antequàm Christum præcederet, se præcessit.* Quasi dicat: In ipsis ædificij cuiusvis fundamentis impolitis, exigendæ machinæ sublucet speciositas. A primis rudioris adhuc tabulæ lineis, Apellææ imaginis lumina subnotantur. Meridianus feruor, ab ipsis lucis vagitibus deprehenditur. Nescit Nilus fluentis sui pelagus tenui fonti, sed illi paradisiaco imputare. Virtus illustris futura, ab ipsis rudimentis splendescit : à teneris vnguiculis, leonis signat imperium : & plusquàm Herculeo robore, in cuna iacens, aut è cuna serpens, serpentes contrucidat. Sic Baptista Præcursor Christi futurus, sibi præcurrit : exhibens qualis futurus, dum talis est, etiam cùm vix est. Quantò æstimas Mariam Ioanne excellentiorem; tantò in illa excellentiora hæc indicia debes reputare : quod nunquam (vt suprà sæpè latiùs probaui) decenter poteris; nisi id, quod isti in vtero, illi præclariùs concesseris in origine.

Chrysol.

1343. Vt Ioannes non tam pro dignitate Christum præcessurus videbatur, nisi se præcederet; fitque sibi iam Præcursor, quia Dominici Præcursoris partes erat posteà egregiè obiturus, & index cælestis Agni iam maior, recèns adhuc in vtero tãti muneris indicem se præbet : sic suo modo de Iacob in visceribus adhuc maternis fratrem supplantante. Genes. 25. n. 22. possumus philosophari. Sunt grauia Tertulliani verba lib. de anima, cap. 26. vbi vterinæ fratrum rixæ describuntur, & partus contentiosus declaratur. *Collidebantur in vtero eius paruuli.* loco citato : de quo ita Afer cultissimus: *Ecce viscera Rebeccæ inquietantur, & longè adhuc partus, & aëris nullus impulsus : ecce duplex fœtus, in locis matris tumultuantur, & nusquam adhuc populi duo. Portentosa fortè petulantia infantiæ, antè certantis, quàm viuentis; antè animosa, quàm animata, si tantummodo matrem subsultando turbasset: at, cùm partus aperitur, & numerus inspicitur, & auguratus recognoscitur; puto iam non animæ solummodo probantur infantium, sed & pugnæ. Detinebatur, qui præuenerat nasci, à præuento, nondum pleniùs edito, tantùm manu nato.* Non tam mysterium, quàm meram animationem intendit Tertullianus: satis tamen subinnuit, fore, vt vix posset Iacob fratrem iam grandem supplantare, nisi in ipso ortu præbitis monumentis : imò nec sic illustris ortus, nisi vteri rixam indicem habuisset. Supplantat meritò deinceps serpentem Infernum Maria: quia se indicem in ipsa supplantatrice origine, victoriarum suarum exhibuerat.

Virtus futura ab vtero quandoque designatur.

Genes. 25.

Tertull.

1344. Ad ligni vitæ, id est, ad gratiæ ingressum custodiendum, non solùm vigilat Cherub, excubat gladius; sed etiam ignis gladium reddit horribilem : *Et collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Genes. 3. n. 24. Nunquid non gladius, robore cherubico adigendus, per se satis? Quorsum flammeus ardor, cui satis nitor metallicus ad terrorem? Quia, quemadmodum nihil, nisi quod est naturæ igneæ, illæsum flammas intrat: sic nemo fausto pede, excellentioris gratiæ limen adit, nisi qui in ipso ingressu iã ignitus, & feruidus futuram excellentiam annunciet. Galfridus ad cap. 3. Prouerb. post multa de hoc loco: *Sed nec tepidè accedendum: magnanimitate opus est, & feruore; quia gladius etiam flammeus perhibetur.* Non ergo tam denegatur ingressus, quàm ingressuro apponitur conditio: liminis feruor feruidos excipit benignè: desides, atque ignauos flamma deuorat : lignum vitæ raro postmodum firmiter apprehenditur, nisi ad ingressum feruidè attrectetur : iam præsagia dimittendi secum portat, qui admittendo tepidum se exhibuit. Quantò altiores radices hoc lignum in Maria, quàm in ipsis protoparentibus egisset, nemo denegauerit : credo, quia in ipso originis ingressu longè se feruidiorem, & futuræ firmitatis prænunciam declarauit.

Genes. 3.

Virtus, cur initio feruida requiratur.

Galfrid.

Varios illos cælestis seminis casus exponens Christus, de feliciori vltimo sic subiungit: *Cecidit in terram bonam; & ortum, fecit fructum centuplum.* Luc. 8. n. item 8. Mirum mihi, quod dicitur, *& ortum:* cùm videretur dicendum, *& crescens*; vel, *& frugescens:* re enim vera non tam de ortu fecit fructum, quàm de spicatione pubescenti : & tamen ortus solummodo ad fructum commendatur. Nec immeritò: quia, ni fallor, vbi germinans pullulauit herba, talis apparuit, vt statim spem cumulatissimi fructus tutaretur : vbi erumpit calyculus, norunt experti, in quam floris pulchritudinẽ vernaturus. Mariæ adhuc in herba gratiæ suæ, in origine, iam fructum centuplum futuræ maternitatis nunciabat. Nescio, quomodo hinc videtur allucere illud, quod communi consensu de Deipara plures explicarunt : *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Ps. 86. n. 2. Erat Sion (typus Deiparæ) aut sanctior ciuitas, aut turris venerabilior, omnibus aliarum Tribuum excellentior. Sed, cur solummodo huius portæ, non tam aliarum portis, quàm ipsismet vrbibus, & tabernaculis præponuntur? Puto: quia ingressus ipse, & limen gratiæ Marianæ ex genio suo illustris, adultis iam aliorum sanctitatibus antecellunt : in ipsa enim originis porta iam mons euaserat, iactandis his fundamentis aptus, quæ molem desuper erigendam, propemodum infinitam nunciarent. 1345.

Luc. 8.

Adhuc in herba futuros fructus annunciat.

Psal. 86.

Manna priscum cælestium gratiarum symbolum apertissimum, matutino solummodo tempore aptè colligebatur: *Colligebant illud mane.* Exod. 16. n. 21. Ab exiguo enim Solis radio tabescebat: vnde, vt ait Salomõ Sap. 16. benedictioni diuinæ obtinendæ oportebat Solẽ præuenire, & ad orientem lucis adorare. Semper tamen dubium, cur ita manna typicum conderetur subtile, labile conderetur, vt ad primos Solis radios euanesceret: vt solummodo prima luce collectum perduraret. Esto enim: præcipiantur Solem præuenire vigiliis cõmendatis : sed, cur sic vigilantes, etiam post Solis exortum perdurabilem cibũ acquirere nõ dicantur? Cur solũ, quã initio diei sollicitè affectant benedictionem, firmã, & perennem sibi stabiliunt? Respondet Balduinus ibi apud Tilm. *Qui studiosi sunt operarij, operantur cibum, qui non perit, incipientes mane: hoc est, mox initio fidei, vel conuersionis.* 1346.

Exod. 16.
Sap. 16.

Huius initio vigil feruor, futuræ stabilitatis index.

nis. Illa itaque benedictio è se stabilitatem promittit, & prænunciat, cui in ipso ingressu obtinendæ vigilem, atque feruidum te exhibuisti. Feruida illa gratia in principio non tibi in progressu abolenda, stabilis perseuerat; ideò quò stabilior, & purior in Maria, quàm in Angelis deinceps perseuerauit; satis ostendit in principio originis suæ, feruidiorem omninò erupisse: fausto illo Deiparæ ingressu, faustissimi eiusdem progressus prænunciantur.

1347. Hinc tandem conciliabis illud Prou. 16. num. item 16. *Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Dum agitur de perfecta possessione, etiam virtutis perfectio videtur denotari. Conciliabis, inquam, cum versione Septuaginta, qui apud Sixt. ita legunt: *Nidi sapientiæ magis eligendi auro: & nidi prudentiæ magis eligendi argento.* Quia reuerà gratia tenella, in nido adhuc, & implumis, sic debet splendere, sic futurum præsagire certum; vt pro summâ eiusdem possessione veniat computanda. Eleganter in re simili Seneca epist. 31. *Agnosco Lucilium meum: incipit, quem promiserat, exhibere. Sequere illum impetum animi, quo ad optima quæque, calcatis popularibus, ibas. Non desidero maiorem, melioremque te fieri, quàm moliebaris. Fundamenta tua multùm loci occupauerunt: tantum effice, quantum conatus es: & ea, quæ tecum in animo tulisti, tracta.* Ridendus sanè, qui magna aperit fundamenta; nec tamen illustres superædificat basilicas: at irridendus magis, qui moles parat regias, de fundamentorum ignobili vilitate. Fundamenta machinam superstruendam præsagiunt: nec ignobilem Deus originem Mariæ fundauisset, cui diuinæ Maternitatis moles superponenda: quin potiùs originis immunitas, totius vitæ immunitatem declarauit: nidus ille celerrimos futuri temporis volatus præsagiuit.

Prou. 16. Nidus virtutis qualis. Septuag.

Seneca.

1348. Sed est adhuc aliquid singularius his addendum, vnde etiam purissima ab initio indoles Mariana, & futuri præsagiens declaretur. Enutrito, & adoptato Moyse, addit Textus: *In diebus illis, postquàm creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos.* Exod. 2. num. 11. In Græco est: Ταῖς ἡμέραις ταῖς πολλαῖς. *In diebus illis, diebus, scilicet, multis.* Si dierum ordinarius cursus explicetur, certè non longus fuit. Iuuenis tunc erat Moyses: imò, vt erat indolis egregiæ, citissimè adoleuit. Quid ergo Septuaginta addentes τὸ *multis*, explicatum voluerunt? Fortè illud innuunt, paucos, videlicet, Moysis annos, pro multis computandos: quippe in illis paucis, & corpore, & ingenio, virtuteque magis sic profecit, vt ipsa virtutis elementa, iam futuram excellentiam indicarent: imò iam cum paucis floribus, multi posteà colligendi fructus sublucerent. Ideò fortasse Philo lib. 1. de vita Moysis: *Præceptores puer inter modicum tempus superauit, natiua docilitate institutionum præcurrens, vt reminisci videretur, non discere: in rebus difficilibus de suo comminiscens aliquid. Quippe præclara ingenia multa nouant circa scientias: anima benè nata, præceptis obuiam se offerens, à se ipsa magis, quàm à magistris adiuuatur.* Audis, vnde optima Moysis indoles, & benè sata conditio colligatur, facinorum suorum prænunciatrix? Pende ergo Mariam præceptis obuiam se offerentem, multùm in re gratiæ comminiscentem, & primam virginitatis votum, vltrà Scripturarum præceptum, emittentem: & iurabis, illam optimè satam, nihil originalis culpæ ad lasciuiam præcipuè promouentis, contraxisse: sed de præclaro gratiæ originalis ingenio, tantum additamentum fuisse commentam. O nouent multa circa scientias præclara Societatis nostræ ingenia! fouendæ nouis additamentis pietati! & inter cætera nouis Mariæ mirabilibus declarandis, plures quotidie innouent rationes. Immoremur his adhuc.

Exod. 2. Societas Iesu cur in scientiis plura nouet.

Philo.

Maria prima, virginitatis votum emisit.

Principum Orbis Magistrum se se exhibens 1349.
Princeps Propheta, sic scribit: *Apprehendite disciplinam; ne quando irascatur Dominus.* Psal. 2. n. 13. Plures, quibus fauet Hieronymus, vertunt ex Hebræo: *Osculamini filium.* Quasi sit idem, scholam virtutis ingredi, & supremis æternæ Sapientiæ osculis inhiare: ac inter conuersionis rudimenta, iam perfectionis officiis assuescere. Scilicet, hoc semper generosæ cuiusdam animæ insitum ingenium, vt Magistri dicta extollat, præoccupet addendo: sicque semper quemuis percipiens fructum, iam in eodem percepto, spe noui, & vlterioris florere videatur: & in ipso ingressu, oscula reconditissima auguretur. Ignarus virtutis tyro, qui sibi à magistro traditis non addit: aut tradenda, de ingenij odore subodoratus, si minùs capit, saltem non captat. Vnde hoc? Certè, vt dixi, à præclaro ingenio, ab idonea anima. Grauiter Seneca epist. 38. *Eadem est præceptorum conditio, quæ seminum: multùm efficiunt, etsi angusta sunt: tantùm, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in se trahat; multa inuicem, & ipsa generabit: & plus reddet, quàm acceperit.* Accepit Maria præceptum castitatis, reddit vltrà, & vltrò virginitatis votum: quia mens idonea, & absque fomite genita iam hos fructus paritura elucebat. Apprehendit ingressu originis disciplinam; sed tot magisterij prænunciis, vt iam osculata Filium videretur.

Psal. 2. Et cur.

Seneca.

Nunquam te, aut in scientiæ, aut in perfectionis via, præclaræ, & magna promittentis indolis 1350.
discipulum exhibebis, nisi præcedentem magistrum sic feruidus subsequaris, vt, dum eadem teris vestigia gressu celeri, eadem videaris reddere laxiora, vtpote vehementius aliquid superaddens. Fragilitati humanæ Christus condescendens, sic præcepit: *Omnia ergo, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines; & vos facite illis.* Matth. 7. num. 12. Quia satis, quà Magister erat, inculcatum hominibus intelligebat, si proximos præciperentur diligere, vt se ipsos. Quid tunc egregius Discipulus Paulus, in feruidis suis Corinthiis exposcit? *Nemo, quod suum est, quærat; sed, quod alterius.* 1. Cor. 10. num. 24. Multùm, vt vides, addidit. Quid ita? Quia non se probaret præclaræ indolis Discipulum, nisi ab acceptis, & noua, & maiora comminisceretur. Pulchrè de his locis Saluianus lib. 3. de prouid. *Vides, quàm fideliter præcepta Christi fuerit executus? Vbi enim Saluator sic nos pro aliis, sicut pro nobis iusserit cogitare: ille plus aliorum nos commodis iussit consulere, quàm nostris. Boni, scilicet, Domini bonus famulus, & singularis Magistri præclarus imitator, qui in vestigiis Domini sui ambulans, potentiora quodammodo, & expressiora pedibus suis fecit, Domini sui esse vestigia.* Nonne tantus Discipulus, tanta comminiscens iam tunc præsagiebat, fore; vt gentium omnium Magister haberetur: In tantum

De eodem.

Matth. 7.

1. Cor. 10.

Saluian.

tantum profuit, quia optimâ, vt sic dicam, gratiæ indolem, & singularissimum priuilegium, in prima illa sua vocatione sortitus est. Illa, illa origo Pauli conuersi, satis, qualis futurus, augurabatur. Maria emisso voto præceptum legis, & Doctorum disciplinam cumulans, satis se virginitatis Magistram, & Deiparam futuram annunciabat. Decenter ergo tantum, in virginitatis incognitæ prærogatiua, incrementum, in eius origine pura volumus præmonstratum: cùm nihil, vt nosti, peccato originis cognatum magis, quàm luxuria. Vt ergo aliarum gratiarum, sic virgineæ puritatis futuræ, purissima origo indicem propalauit.

§. V.

Cætera tituli præmissi, breuiùs percurruntur.

1351. Culpa radicitùs amouenda.

CVLPA eò feliciùs ab aliquo aliena putatur, eò gratiùs, ne noceat, eneruatur; quò intimiùs reuellitur ad radicem. Hęc erat secunda pars thesis propositæ, qua inferebam, sic eneruatas in totius vitæ decursu culpas erga Mariam; meritò origini præseruatæ, id est, detruncatæ radici tribuendas. Pauca in hanc rem testimonia, iam nunc congero. Conuenerunt in templum oraturi de mystica affectuum antithesi, Pharisæus, & Publicanus: ille paululùm tumidus, hic timidus omninò: neque mirum descendat iste ab alio iustificatus. Illud rarius, Publicanum non in re quauis, sed absolutè dici exaltandum: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Quasi meritò in quouis gloriæ, & virtutum genere eminenter collocandus. Ecquid ille singulare patrauit? Hoc tantùm legis: *Publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. num. 13. Sed & hoc vnum, maximum quid erat: quid enim omni gloria non exaltaretur, omni virtutum cumulo non exultaret: qui cor percutiens sedulò, non vtcunque omnia vitia, sed & ipsam vitiorum radicem reuellebat? Iam quodammodo securus vitia defluentia contemnebat, qui horum scaturientem fontem exsiccabat. D. Zeno Veron. Serm. in Ps. 130. post multa de Pharisæo: *Publicanus autem non membratim Deum, sed totus exorat: quia timore totus est humilis, sua peccata contestans: secundùm Domini dictum, à quo procedunt vniuersa genera peccatorum, pectus crebrò percutiens, quodammodo cor suum manu verecundè castigat.* Cupiebat stabilem salutem reportare, nec talem futuram credebat, nisi radicitùs cordis scaturiginem castigaret. Et benè, *castigat*, dixit D. Zeno, quia, vt hic habet D. Cæsarius Arelat. homil. 34. *Qui ad cælum leuare oculos non audebat, sed inclinato ad terram capite pectus tundebat, & peccata intus inclusa quasi Iudex seuerissimus vindicabat.* Frustrà enim Iudex correcta in totum vitia speret, nisi illa intrinsecùs, & funditùs extirparit. Vtriusque Sancti Doctoris gnomen comprehendit Eusebius Gallic. hom. in Dom. 11. post Pentec. *Meritò autem pectus percutiebat: quia ibi peccauerat, ibi fons, & origo mali, &c. Hoc igitur Publicanus percutiebat, & se de se ipso quodammodo vindicabat.* Congruè igitur Deus, qui actuales culpas sic erga Deiparam voluit imbelles, & eneruatas, harum fontem, & originem creditur impediisse, vt præseruata de cætero immunitas, præseruatæ Conceptioni tribuatur. Nam, vt benè Chrysol. Serm. 143. *Per peccatum primi hominis, natura lethale vulnus accepit, & cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ.* Integra enim natura, vitæ, & virtutum, quæ ducunt ad vitam, origo foret: sicut corrupta, mortis, & culparum ad mortem ducentium manet scaturigo.

Luc. 18. — Zeno Ver. — Cæsar. Ar. — Euseb. Gall. — Chrysol.

1352. Abolit urus Iacob à familia sua idololatriam, abiiciendos præcepit Deos alienos: & subdit Textus: *Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant: & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Genes. 35. num. 4. Sed, cur inaures suas simul traderent, quæ nihil ad idololatriam pertinebant? Non tam dantium idola, quàm idolorum inaures hic intelligas: nosti enim ex Scriptura, de simulacrorum comptu, & splendore, ad vanam adorationem homines prouocari. Meritò ergo, qui idololatriæ omninò renunciabant, idololatrandi radicem penitùs auertebant: ne ad ornamenti idololatrici aspectum denuò obstupescerent. Fauet pro parte August. tom. 4. lib. 1. quæst. 111. *Quæritur, quare & inaures, quæ si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant: nisi, quia intelligendum est, phylacteria fuisse Deorum alienorum: nam Rebeccam à seruo Abrahæ inaures accepisse Scriptura testatur: quod non fieret, si eis inaures habere ornamenti causa non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ sunt, vt dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.* Nouerunt enim, & meritò, non tam aptè ad ramos, quàm ad radices idololatriam reuellendam. Sicut aptiùs in Deipara culpas omnes actuales intelligimus detruncatas: quia radicem originis nouimus interceptam.

Genes. 35. Radix culpæ extirpanda. — August.

1353. Ab Adami culpâ, terrâ spinis horridâ; ab Abelis occisione, humano sanguine funestatâ: & nouis semper sceleribus chirographum seruitutis nostræ apud Dæmonem confirmabamus: quæ postquàm latè expendit D. Athanasius lib. de Pass. Dom. sic de adducto per Christum remedio concludit, déque Dæmone spoliato: *Ea de causa cùm eum omnibus spoliasset Dominus; hoc genere vestimenti indutus, ad mortem processit: vt ostenderet, victoriam de morte, non temerè; sed pro nostra salute partam esse. Gestabat in coccinea chlamyde speciem sanguinis, spinásque in corona; & chirographum in calamo: quo iam olim instrumento nos Diabolus ars sue, rationibúsque inscriptos habebat: vt vnà cum morte, etiam ista simul demoliretur, & rerum naturam ab istis malis purificaret.* Alludit, vt suprà exposui, ad vsum priscum, quando arundine chartæ scribebantur. Itaque in redemptione nostra mundatiua, non solùm culpas omnes extinguit Christus: sed etiam culparum phylacteria, incomptos comptus, misera instrumenta. Cùm ergo fide sanctum putetur, Mariam, saltem quoad culpas actuales, non tam mundatiuam, quàm præseruatiuam redemptionem obtinuisse; decenter inferimus, originali culpæ subiectam non fuisse: hæc enim, non solùm actualium est phylacterium, comptus, & instrumentum, sed etiam radix penitùs,

Idem probatur. — D. Athan.

Sueton. penitùs, & origo, vt vidimus: nescit autem in quouis genere Christus, nisi perfectissimam victoriam reportare. Benè Suetonius de Cæsare Victore, cap. 6. *Nullum vnquam hostem fudit; quin castris quoque exueret: ita nullum spatium perterritis dabat.* Quia vix firma victoria ab hostibus, in agmine, & aciebus: si ad castra, vbi reficerentur, possent recurrere: ergo, vt acies funditùs perdere nosceretur, castra radicitùs euertere curabat. Sic Christus in redemptione Matris præseruatiua: vt incedentes vitiorum acies, id est, actuales culpas, aduersùs illam ignauas, & imbelles omninò redderet; priùs originem corruptam, id est, germana vitiositatis castra profligauit. Hoc tamen supremæ prouidentiæ discrimine, quòd priùs, vt dixi, castra præoccupauit: quibus Cæsar, post agmina debellata, succedebat. Hæc pauca de vitiorum radice in Deipara, non admittenda: quæ tot capitibus fœdior, quàm quæuis è leuibus actualibus: quas tamen D. Thomas ob identitatem carnis Matris, & Filij, Matri omninò denegandas meritò asseuerauit.



ANTHOLOGIA XX.

Maria, humilis obedientiæ Princeps, ex Adamo non rebellauit.

§. I.

Superbia fœtor est arcendo Deo, qui humilitatis allicitur suauitate, piissimè expugnatus.

1354. *Maria, cur de humilitate Deũ trahat.* ROBAVIT Angelicus Doctor in hoc art. Mariam nec leuissima culpa actuali fuisse maculatam: ne ex illa, aliquid commercij, inter Christum, & Belial intercedere videretur. Belialis autem nomine effrænem impetum, & iugum perruptum indicari, apertissimè demonstraui: vnde optimè, ni fallor, inferebam, à fortiori Deiparam ab originali culpa præseruandam: quia in hac præcipuè tota Belialis proteruia reperitur: cùm in superbo Protoparente rebellante, omnis nostra natura iugum fregerit, effræni deinde impetu debacchatura. In præsenti ergo Anthologia, non est animus probare fusè in Protoparente nos omnes rebellasse; cùm id omnium ferè Patrum suffragio, singulis ferè scriptorum suorum paginis inculcato, confirmetur: & vel ab ignauo lectore innumera possint notari testimonia, quibus superbum indolis nostræ ingenium, ab origine corrupta declaratur. Nec item lubet, illa, quæ de Deiparæ humilitate, & obedientia, Patres scripserunt propemodum immensa, huc congerere: vnde optimè probaretur, indecenter Mariam in obedientiæ humilis principatum designatam, immeritò rebellanti origini assignari: hæc obuia cuiuis facilè occurrent. Vtrunque ergo aut supponentes, aut tantùm obiter, quando res postulauerit, inculcantes; aliunde Examinis doctrinam, & anthologicum titulum confirmabimus. Ostendo igitur in primis, nullam culpam arcendo Deo, fœtidiorem superbia: nullam virtutem eidem alliciendo, humilitate suauiorem. Vnde ergo, non vtcunque Deum, sed in filium, traheret Maria, nisi humillima, vt Patres buccinantur? Cur, si leuissima culpa actuali, Mariæ arceretur; fœtidissima corruptæ originis superbia omninò effugandus non intelligatur?

Nihil gratius Deo, quàm suum thymiama. E thuribulo sacro cum fumo, vota, & amores populi ad cælum ascendebant: hic fumus grati pectoris index, virtutum soliditatem impetrabat: hic odoratus halitus, adorantis spiritus pietatem referebat: & ecce tibi eodem thymiamate, eodem thuribulo, superbiæ suæ litat Ozias: & sub dio fumo, vanitatis suæ fumos præsumit consecrare: *Sed, cùm roboratus esset,* inquit Textus, *eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressúsque templum Domini, adolere voluit incensum, super altare thymiamatis.* 2. Paralip. 26. num. 16. Huc certè peccatorem reduxit superbia, vt ipsis virtutis instrumentis, vitio deseruiat: & id vnde vita pendet, impendat morti; quod iam in Cant. & suprà fusè demonstraui. Nunc mihi dubium, cur ex omni pontificio munere, quod auidè affectabat, solas has partes adolendi thura, & cremandi odores vsurpare præsumpserit Ozias? Et quidem, si tropologicè loquamur, illam non vulgariter æstimarem rationem, quòd cùm se superbia fœtidum præsentiret; accessurus, imò insultaturus sacerdotio, cupiit odoribus immisceri: si fortè sub his innatus fœtor dissimularetur. Exhalat enim turpem superbia Mephitim, & fœtidum arcendo Deo halitum euaporat. Disertis verbis de hac re Ecclesiasticus: *Sicut eructant præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum: sic & cor superborum.* cap. 11. num. 32. Vbi Hugo Card. *Cor superborum fœtorem spirat. &c. fœtidus autem dicitur superbus, quia, sicut fœtens, nunquam de aliis nisi fœtida dicit, & spurca.* Fœtida, nimirum, verba, & fœtidus halitus, putrescentis, & fœtidi cordis, dant indicia.

Marginalia (right): 1355. *Superbia, fœtor est arcendo Deo.* — 2. Paral. 26. — Eccli. 11. — Hug. Card.

Nouit

1356. Nouit Magdalena apud superbissimum Pharisæum, Christum discubuisse: & dum lacrymas, & pœnitentiæ gemitus paratura videbatur in primis; omnium priùs, vnguenti apparat alabastrum. Quid ad delicias confugit, luctui impendenda? Credo, vt suauissimo humilitatis monumento pedibus irrorato, superbiæ pharisaïcæ fœtorem auerruncaret. *Osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Luc. 7. num. 38. de quo, licèt reconditus, Gregorius in Cat. ità: *Pharisæo dicitur: Oleo caput meum non vnxisti: quia ipsam quoque Diuinitatis potentiam, in qua se Iudaïcus populus credere spopondit, digna laude prædicare neglexit. Hæc autem vnguento vnxit pedes meos. quia, dum Incarnationẽ eius gentilitas credidit, summa laude, eius etiam ima prædicauit.* Spernit superbia Diuinitatis caput, humanitatis pedes amplectitur humilitas: & fastuosa Deitatis neglectio, affectuosa humanitatis corrigitur confessione: sic halitus fœtidus Pharisæi, oleum capiti denegantis; vnguenti humiliter pedibus infusi fugatur euaporatione, ne Christus ab impio conuiuio fugaretur.

Magdalena lau.

Luc. 7.

Gregor.

1357. Facit pulchrè ad rem nostram vox illa Deiparæ, quæ pretiosissimam suam humilitatem (qua Verbum è paterno sinu traxit in parthenicum) ostensura; in hæc erupit: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Cant. 1. num. 12. Suppono enim cum Patribus, vt nosti, in nardo ista, appositè significari humilitatem. Illud ergo expendendum, cur ad maiorem sui abiectionem, humillima aliàs Virgo, herbam aliam viliorem, in comparationem nō assumpserit? Cur odoratissimam nardum, & inter aromaticas segetes pretiosissimam vsurparit? Necessariò humilitas odorata fuit apponenda, quæ in superbiæ fœtidissimæ antidotum parabatur. Requirebatur illa fragrans Deo attrahendo; quem ista in protoparentibus fœtens, ab humano commercio exterminarat. Acutè Rupertus ibi, ex ore Virginis: *Quid enim? Cùm esset in sinu, vel in corde Patris, de illis altissimis suis respexit humilitatem meam; hoc est, quod dico: Dum esset Rex, &c. Dum ita esset, nardus mea dedit odorem suum: & hoc odore delectatus, descendit in vterum meum. Olim in Eua, malo superbiæ odore offensus, & ob hoc, ab humano genere auersus fuerant: nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ sic ad genus humanum conuersus est.* Imbue ergo Mariam Euæ, imò Adami superbia fœtente: nardum eius conspurca primæuo rebellionis næuo: & cum illis potiùs despectam de communi fastidio, quàm ad commune remedium fateberis respectam.

Cant. 1. Maria Antiesm.

Rupert.

1358. Aggreditur Christus Dæmones in sepulcris commorantes: ad quem tunc illi: *Quid nobis, & tibi, Iesu, Fili Dei?* Matth. 8. num. 29. Certè nihil commune, aut moris, aut amoris; multùm tamen conueniens, inter puniendos reos, & punituram Iudicem reperitur. Quid ergo congressum, tanquàm nouum, demirantur? Quia, licèt pœnas meritò sibi infligendas faterentur: tamen propinquitatem, & accessum, tanquàm aliquid singulare obstupebant. Quasi dicerent: Superbiâ nostrâ è cælo deiecti, eadémque fœtentes, fœtentia sepulcrorum colimus domicilia: quomodo ergo de solito suo more, fœtor iste teterrimus te non arcet: ne hac etiam vel longissimus transires? Fouet aliquo modo hanc mentem Chrysol. ad hunc locum Serm. 16. *Hoc est dicere: Vitæ author, quid tibi cum mortuis? Habitator cæli, quid tibi cum sepulcris? Odor Paradisi, quid tibi cum fœtore? Quos de cælo eiecisti, quos de Paradiso exclusisti, quibus nunc tollis vrbes, regiones habitabiles negas; permitte inhabitare nos, vel sepulcra.* Quasi esset mirum, vt dum de superbia, vt constat, fœtentes expelluntur, vnde & fœtidis immorantur monumentis; à Christo cæli odore adeantur, cui sunt fœtores isti abominatio. Sed, ô quantùm in hoc fœtore superbię Christo esset commune cum Belial, si ab illa Matre carnem sumeret, quæ aliquando superbæ rebellionis sepulcrum fœtores expirarat! Certè iam illud: *Quid mihi, & tibi, mulier?* iam non ad mysterium, sed ad iudicium dici videretur. Si enim ex culpa veniali materna, vt vult D. Thomas, Beliali communicabat; quomodo de abominabili fœtore superbiæ, immunis diceretur?

Matth. 8. Dæmon fœtens de superbia.

Chrysol.

1359. Meritò proinde Salomon: *Abominatio Domini est, omnis arrogans.* Prou. 16. num. 5. Septuaginta in Sixtian. *Immundus apud Deum est, omnis sublimis corde.* Vbi minùs, quàm par est, intelliges, si genericam peccati capias immunditiam: quis enim de eo vnquam dubitaret? Quæ ergo hæc immunda abominatio? Superbia, & arrogantia, instar fœtentis stercoris, antonomasticè immunditia abominabilis appellatur. Quid enim alicubi immundius; quid putrescenti stercore fœtidius? Grauiter D. Paulinus epist. 10. ad hunc locum de Deo: *Suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem: & in stercora redigit superbos: quia omnis, vt scriptum est, superbus, immundus apud Deum.* In stercora ducitur fœtorem exhalaturus. Quidni ergo arceatur Deus à superbo, si portatile redolet sterquilinium? Aut, quomodo Maria singulariter à Patribus Deum traxisse di atur; si, quæ de culpa veniali etiam condonata, quoad Incarnationis mysterium Deum effugaret; quandoque sterquilinij fœtores exhalasset? Et emphaticè apud vulgatum nostrum, *arrogans*, appellatur *abominatio*: illud enim ferè dicimur abominari, quod visu refugimus, ad cuius aut odorem, aut gustum nauseamus. Talis est apud Deum superbus: ideò apud Isaïam *mare feruens*, cap. 57. num. 20. appellatur. Sicut enim tetro limosæ salsuginis odore prouocamur ad nauseam: sic Deus quodammodo, ad superbiæ æstuantis fœtores solet nauseare. Hugo Card. ibi: *Nauseam prouocat: quia abominatio Domini omnis illusor.* Prou. 3. num. 32. Et maximè superbus, addam ego: qui expresiùs, tanquàm mare feruens tumet fluctuans, nescit nisi maritimas fæces, & fœtida stercora exhalare: dúmque inflatur, quæque abscondit immunda, exhibere. Aptè igitur Mariæ mare gratiosum leui venialitatis flatu verberatum, incarnando Verbo nauseam afferret; & tumentibus superbæ originis fluctibus exæstuans, tanquàm placidissimus Incarnationis portus prædicatur. Has in laudanda Maria ad populum phaleratas diuendant alij ratiunculas.

Prou. 16. Superbia antonomasticè immunditia.

Paulin.

Et abominatio.

Isaïæ 57.

Hug. Card.

1360. Hæc satis de superbiæ fœtore Deum arcente; déque humilitatis suauitate eundem alliciente. Venio ad aliam tituli partem fusiùs pertractandam, de oppugnantibus Dominum superbis, sed confringendis; déque humilibus eundem felicissimè expugnantibus. Clarebit inde apertiùs, Mariam nunquam superba origine vitiatam, semper

Superbia oppugnat Deũ expugnanda.

semper humili innocentia præditam: quæ faustæ huic expugnationi aditum reseruauit. Hic itaque violenta prorumpit humilitatis sacræ robustior conditio: Deum oppugnat fortis, fortissima cælorum Principem expugnat: & superata superbia, pro præmio ipsummet assuescit superare. Huc tendebat vox illa Christi Domini; *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. num. 3. de quo D. August. in Cat. *Superbi ergo appetant regna terrarum: sed humilium est regnum cælorum.* Quasi, quot armis superbi terræ Principes, imperia sua curant propagare; tot quidem spiritualibus, cælorum imperium humilis affectet: & quod maius est, illi appetant, nec semper comparent. Hic eo ipso, quòd sic pergit armatus, iam cælorum regnum sub sua missum potestate possit buccinare: ideò magis dicitur, *est*, quàm, *erit*: quasi iam in præsenti sit; nec solummodo in posterum reseruetur.

Matth. 5. August. *At humilitas Deum expugnat.*

1361. Sed latet in hoc loco pulchra allusio, è prima beatitudine, ad primam totius creaturæ infelicitatem. Expendamus. Arripit arma superbus Lucifer contra Deum; sed expugnatur Apocal. 12. Incipit ergo Christus beatitudines prædicans, pestifero superbiæ bello remedium adhibere. Et vnde? Ab spiritus, vt vides, humilitate. Quasi dicat: Superbiæ armis cælum expugnare tentauit Lucifer: sed facilè detrusus est. Delirauit in armorum electione: illæ arces, aut nunquam, aut sola humilitate expugnantur. Fauet Bernardus ibi, Serm. 1. omn. Sanct. post multa de paupertatis humilitate sic subiungens: *Si miserrimus ille è cælo deiectus est, quoniam affectauit celsitudinem, altitudinem concupiuit, sublimitatem præsumpsit; nónne consequens est, beatos esse, qui sponte in paupertatis humilitatem se se deponunt: & iuxta Domini promissionem, ipsorum est regnum cælorum, quod perdidit iste? Attende, quàm sapienter ordinauerit sapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponens.* Sic superbia oppugnans deiicitur: quia sola humilitas, cælestia nouit propugnacula expugnare. Vide nunc, an Maria, quæ vincendo, & vinciendo Verbo diuino, cælorum augusto Principi, de quauis culpa veniali inepta haberetur, inde cælorum Regina coronanda; satis apta veniret, si superbi protoparentis furorem à Lucifero desumptum combibisset.

Apoc. 12.

Bernard. *Medicina Dei quàm apta.*

1362. Huc allusit Iacobus dicens: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* cap. 4. num. 5. Nunquid non & aliis peccatoribus? Planè: non tamen tam apertè resistens exhibetur. Quid ita? Quia cæteri, etsi bellum Deo inferre videantur; tamen latentes, & quodammodo fugientes nituntur rebellare: vnus est superbus, qui aperto Marte, in singulare certamen, in causam manifestam Deum prouocat. Hugo Card. ibi: *Quare hoc dicitur magis de superbia, quàm de aliis peccatis? Quia superbus semper seipsum eleuat contra Deum*, &c. *Quod faciunt alij peccatores: sed quasi latent, & fugiunt.* Oppugnant itaque superbi Deum ipsum, cælo bellum inferentes: quibus proinde Dominus, non tam vt Princeps pugnator, quàm vt propugnator, adscribitur resistens. Propulsat itaque illatum gratię sinę bellum, nulla superbientis animi vi expugnandus; quam tamen, dum dare dicitur humilibus, se quasi pio expugnatam certamine profitetur. Nec abest ab hac mente vox, quæ in Originali habetur, *δίδωμι*: quod pariter significat *dedo*, *trado*: ac si erga humiles, magis gratiarum *deditio*, quàm donatio intercedat. Latinis scribo, non barbaris. Pergo. Volunt autem alludere Iacobum ad illud Prou. 4. num. 34. *Ipse deludet irrisores: & mansuetis dabit gratiam.* Hæsitant tamen, & alia loca congerunt, quibus etiam posset alludere Iacobus. Sed frustrà hæsitant. Recurrant ad Græca, quæ in Prouerbiis ipsissimam eisdem verbis sententiam proferunt, quæ in Iacobi, & in Petri epistolis circunferuntur. Non tamen absque profundo mysterio Vulgatus noster, locum Prouerb. ex Hebræo sic vertit: quid enim aliud facit superbus, quàm operam ludere, dum diuinæ armaturæ ictus impingit irritandos? aut quid aliud facit Deus, dum patienter hos ictus videtur sustinere, quàm superbos deludere, & incassum fatigatos delassare? Si ignauesceret Maria, gratiarum gratiæ, id est, Maternitati obtinendæ, si leuicula labe pollueretur; tu videris, an aliquando superbo fastu rebellans, & omni humilitate exuta, Maternitatis spolium sacrosanctum obtineret.

Iacobi 4. *Superbia impudentia.*

Hug. Card.

Prou. 4. *Superbia delusa.*

1363. Sunt optima ad rem præsentem verba illa Christi; *A diebus Ioannis Baptistæ, vsque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. num. 12. Et cur maximè, ab huius æuo? Quia is fuit Ioannes, vt ab vtero sanctificatus, perfectè protoparentis superbam indolem exueret. Adam Diuinitati inhiat: Ioannes irrogatum sibi Diuinitatis expulit fastigium, quando prædicationis functus munere; *confessus est, & non negauit: & confessus est, quia non sum ego Christus.* Ioan. 1. num. 20. Quasi fidelibus robusta germanæ humilitatis arma porrigens, quibus Protoparente longè feliciores, cælum expugnare possent, & diripere: vt & ipse, dum humilis id fatetur, cælum spoliat, alios comparticipando instituens triumpho. Visus id voluisse Ambros. Serm. 15. vbi ita humilitate cælum describit expugnatum, & Deum superatum: *Cogimus regnum cælorum, & vim quodammodo facimus: vim, inquam, facimus Domino, non compellendo, sed flendo: non prouocando iniuriis, sed lacrymis exorando: non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem merendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur; sed misericordia condonatur. Beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de iniuria nemo causatur: vis admittitur, & religio propagatur.* Hoc à diebus Baptistæ, vt vides: quasi discant iam Discipuli præliari, & vincere armis illis, quæ sapientissimus Magister edocuerat. Cedo contrariis, ni in infinitum quodammodo perfectiùs, humilitatis disciplinam posuisse Mariam, quàm Ioannem, fateantur: at, si posuit, vnde id, nisi quia iste in vtero à superbia paterna plenè mundatus; Maria verò in ipsa origine pleniùs præseruata?

Matth. 11. *Baptista laus.*

Ioan. 1.

Ambros.

1364. Gessit quidem se optimũ huius disciplinæ professorem, notissimus ille euãgelicus Publicanus. Pergebat humilis ad templum cum superbo Pharisæo: vterque oraturus, imò oppugnaturus Deum contendebat. Sortitur Pharisæus primas in certamine: mittit non tam verba supplicia, quàm impia iacula: sed diuini pectoris clypeus, qui superbis resistit, deludit ictum. Accurrit ergo Publicanus: *Et longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum dicens: Deus,*

Humilitas in terra cælum sibi subiicit.

Luc. 18.

Deus, propitius esto mihi peccatori. Luc. 18. n. 13. Quid tunc? Expugnatur Deus, qui humili, non tam visus dare gratiam, quàm dedere: non tam mittere dona, quàm spolia ministrare. Attende: *Descendit in domum suam iustificatus.* num. 14. At, quomodo gratias è cælo retulit, qui oculos in cælum non leuauit? Quomodo, quod non viderat, spoliauit? Quia ad primam humilitatis vocem, cælum è propriis polis commotum, & quasi prostratum in terra, sese illi tradidit diripiendum. Acutè D. Bernardus Serm. de quatuor modis orandi, vbi de humilibus obsecratoribus: Bernard. *Credo ego de talibus dici posse: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vim faciebat regno cælorum Publicanus ille, qui, dum non audebat oculos ad cælum leuare, ipsum cælum ad se potuit inclinare.* Non attollebat oculos ad cælum de humilitate: & cælum inclinatum, se illi non solùm intuendum, sed etiam spoliandum obiectabat. *Inclinauit*, inquit Dauid, *cælos, & descendit* Christus in Mariam: descensurus indecenter, inquit Angelicus Thomas, si Mater labe aliqua veniali vnquam fœdaretur. Decentissimè ergo ad superbæ originis vitio fœdatam, cælis descenderet inclinatis: at sciant isti, etiam ad minores gratias, nisi humilitatis conceptâ piâ violentiâ non inclinari.

1365. Prodit è Christo virtus, & hæmorrhoïssa curatur: sistit ad tactum fimbriæ fluxus sanguinis, Luc. 8. flumine sanitatis retardatus: tunc Christus: *Quis me tetigit?* Luc. 8. num. 45. Verba quidem primo aspectu, interrogationis cuiusdam increpantis plena. *Gratia, humilitatis est spolium.* Causam subdit altercantibus Discipulis: *Tetigit aliquis: nam ego noui virtutem de me exisse.* num. 46. Sed hem, mi Domine, si Saluator venisti, quid, quòd salutem facias, scandescis? Certè non erat ista scandescentia, non benignissimi Domini ira vera: sed quædam iræ vmbra, qua dotibus humilitatis declarandis, ab inuito quodammodo, & superato, raptam interim salutem significabat. Quasi humilitas fœminæ præ verecunda reuerentia in diuino conspectu apparere non audentis, diuinam virtutem, tanquàm debitum spolium, piissimâ violentiâ ad se traheret. Bernardus proximè citatus: Bernard. *Simile aliquid mulier illa egisse videtur, quæ profluuium sanguinis habens, dum timeret ad Christum accedere, fecit ab eo virtutem exire: furtim enim tetigit fimbriam, & curata est ab infirmitate. Vnde & indignantis quodammodo verbum videtur: Quis me tetigit? Et addit: Sensi à me exire virtutem.* Sed, ô indignationem omni misericordia suauiorem! ex qua discimus piissimè superatum, & ab humilitate victrici se Deum spoliatum protestari. Rapuit Maria non solùm salutem, sed Saluatorem in Filium: non futura potis, si in re leuissima vnquam deliquisset: puto, quia innocentem humilitatem originis retinebat: quia nec Adamo rebellarat.

1366. Nec absque latente emphasi, vt videtur, hoc piæ fœminæ gestum enarraturus Euangelista præmisit: Luc. 8. & 10. *Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur: & mulier quædam*, &c. num. 42. *Humilitatis furtū pium.* Ad viam enim, iter peragentibus latrones, & violenti solent occurrere: expertus id doceret homo ille Luc. 10. num. 30. qui ab Ierusalem descendebat in Iericho. Latronem ergo violentum se exhibitura mulieris humilitas, Christum è monte descendentem occupauit, & spoliauit. Accommoda huc verba Ambrosij suprà citati, sic subiungentis: *Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo. Aggredimur ergo in itinere Dominum, siquidem ipse est via; & more latronum, suis eum spoliare nitimur: cupimus illi auferre regnum, thesauros, & vitam.* Ambros. *Sed ille tam diues, & largus est, vt non abnuat, non resistat: & cum omnia dederit, nihilominus omnia ipse possideat: aggredimur, inquam, illum, non ferro, non fuste, non saxo; sed mansuetudine, bonis operibus, castitate.* Mansuetudo enim, quæ tota humilitatis consistit firmamento, & tota est humilitas; in hoc pio certamine, primas victoriæ partes obtineat, necesse est.

1367. Misceamus obiter expressius iam aliquid de Maria, quæ in hac pia humilitatis violentia, totum obtinuit principatum: *Humilitas Mariæ quàm robusta.* ideò diuinus eius Panegyrista Christus ad illam: Cant. 4. *Sicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Cant. 4. num. 4. de quo ibi Rupertus: Rupert. *Putásne, illa turris manufacta, de qua legitur: Cepitque Dauid Sion, hæc est ciuitas Dauid? Imò turris Dauid non manufacta fuit, cui tuum, ô dilecta, collum debeat assimilari: & hæc humilitas Dauid*, &c. *Filiæ Sion, ait Dominus apud Isaiam, eleuatæ sunt, atque ambulauerunt extento collo. Hæc fuit superbia illarum: propterea expugnari potuerunt. Tuum autem collum nequaquam extentum fuit; sed est sicut turris Dauid, id est, sicut humilitas Dauid, per quam ille coram Deo fortis, & contra homines stetit inexpugnabilis: ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, cùm esset Rex vnctus, dixit ad Saül: Quem persequeris, Rex Israël? canem mortuum, & pulicem vnum.* Quasi turris illa Dauid, vnde tot clypei, omnis armatura fortium, pendebant, eximia eius foret humilitas: quam longè superans Maria, etiam coram Deo, imò & contra Deum piè fortis habita. Hinc iterum Christus: Cant. 7. *Collum tuum, sicut turris eburnea.* Cant. 7. num. 4. de quo idem Rupertus iam suprà ad rem aliam perpensus: *Quia est collum tuum, vel quale est collum tuum? Vtique non extentum, imò amabiliter demissum: & hæc est humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima. Verè, sicut turris eburnea, & aspectu amabilis; & statura sit fortis. Cui fortis, cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis: Diabolo autem terribilis, & inaccessibilis.* Itaque, quò magis Marianum collum humile deiicitur: eò altiùs in turrim Deo expugnando fortissimam erigitur. Quàm aptè ergo ad hominem ex doctrina D. Thomæ, imò & ex eiusdem verbis conuincatur Rupertus, nemo non viderit. Maria non esset fortis Deo trahendo, si vel etiam leuissimè superbiens timeret; quid, si tumida origine abruptissimè superbiret? O turrim humilitatis Marianæ gratis inaccessibilem Diabolo prædicatam: quam tamen in origine rebellantem toto superbiæ pondere prostrarat!

1368. Alludit autem in his verbis Rupertus ad similes decertationes; licèt de perfectione inæquales, vbi etiam prisci aliqui Patriarchæ, iam in spiritu Christi doctrinam ebibentes, humilitatis armatura, de piissimo Deo piè triumpharunt. *Humilitas Deum de triumphat.* Talis fuit Iacob, ad quem proinde Deus: Genes. 32. *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Gen. 32. n. 28. At, vnde fortis? Equidem ab humilitate: inde enim diuinum antagonistam

nistam expugnauit, vnde humilis, ad preces, & ad fletum se profudit. *Et inualuit*, inquit Oseas cap. 12. num. 4. *ad Angelum: & confortatus est: fleuit, & rogauit eum.* Quasi inde confortaretur, & inualeret, vnde ad humilitatem se proiecit. Ita Rupertus statim adducendus. Occultior lucta, sed æquè gloriosa illa Moysis, qui Deum iam iam proteruas Tribus fulminaturum, tandiu non dimisit fortis, donec iste pius populo, pœnam remisisset. *Dimisi*, inquit, *iuxta verbum tuum.* Numer. 14. num. 20. Quàm potens verbum, quod instans iam supplicium repressit; sacrilegique populi retorsit pœnas iustas: arma tamen, sicut suprà per Oseam, sic per Dauidem cognoscenda nobis, curauit Deus: *Et dixit, vt disperderet eos: si non Moyses, electus eius, stetisset in confractione in conspectu eius.* Ps. 105. num. 23. Emphatica sententia: nihil stando ineptius, quàm quod confractum labitur: & tamen Moyses tunc stat robustior eluctando Deo, quando ipsius conspectui subditur confractior. Scilicet, quò magis de humili sui æstimatione contritus; quò magis reuerenti, apud iustas Domini iras, timore confractus: eò munitior; eò vincendo, & vinciendo Domino potentior. Nunc audiendus Rupertus loco posteriori suprà citato, pergens ex ore Christi ad Mariam: *Quomodo ipsi Deo fortis? Quia, si contra Deum fortis fuisti, ait ipse ad patrem tuum fidelem Iacob; quantò magis contra homines praualebis? Ad Moysem autem: Cerno, inquit, quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos; faciámque te in gentem magnam. Et non dimisit eum: imò tandiu luctatus est, vt videns Deus, quòd eum superare non posset, diceret illi: Dimisi iuxta verbum tuum. Quali fortitudine luctabatur iste, vel ille? Profectò humilitate: sicut de isto Psalmista dicit: Si non Moyses electus eius stetisset in confractione; id est, in nimia mentis humilitate, in conspectu eius. De illo autem Propheta Oseas cùm dixisset: In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est. confestim fortitudinis eius exprimens modum subiunxit: Fleuit, & rogauit eum. Igitur, ô dilecta, collum tuum, quod est humilitas tua, turris eburnea, id est, fortissima, atque pulcherrima: quam respiciens Altissimus, dedit tibi gemellos istos dulces hinnulos, duo vbera hæc, virginitatem, & fœcunditatem.* Recolat nunc Lector haud maleuolus, an aptè hæc turris fortis comparandæ virgineæ Maternitati, in origine superbiæ impetu diruta intelligatur; quæ leuiculo aliquo fastu elata, tanto muneri inepta decantatur. Redeo ad alios.

Oseæ 12.
Num. 14
Psal. 105.
Rupert.

1369. Sed, quid mirum, fideles ita fortes præualido sacræ huius armaturę munimine existerent? Quid mirum, contorta iam penè diuinæ vindictæ iacula retorquerent, lapsámque è cælo supremi furoris sententiam retardarent? Si etiam infideles, nescio qua humilitatis vmbra obarmati, cælestis iræ impetum propulsare, misericordiæ cælestis gazas spoliare potuerunt? Audiuit fulminatam à Iona sententiam Rex barbarus: & indictum è cælo bellum propulsaturus, *surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco.* cap. 3. num. 6. At vnde Princeps infidelis, impia gigantum olim cælum inuadentium progenies, sic mansuescit; vt turres in cælum non erigat; & cæleste bellum, scelestissimo armorum præsidio, licèt falsus, retundere non curaret? Erat, absque dubio, prudens: vidit quàm malè parentum arma, olim aduersùs cælum præualuerint: quàm turpiter arrogantia deiecta fuerit, cognouit. Arripit ergo è contra humilitatis arma, in quibus spem victoriæ certam non dubitat collocari. Grauiter D. Ambros. Serm. 40. *Sapiens Rex, qui sciret, quemadmodum aduersa sibi superare deberet: hostes enim virtute superabat, Deum humilitate vincebat. Sapiens planè Rex, qui intelligeret, quibus armis vteretur pro temporis qualitate: cum enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica: cùm irascitur ei Deus, corripit arma iustitiæ.* Sic triumphauit Rex; & saccum in purpuram gloriæ, stratum cinereum in currum laureatum commutauit. Nescit enim diuina potentia humilitatis robori herbam non porrigere. Vide autem obiter in his verbis Ambrosij, Ignatium nostrum in vtraque militia, ad vnguem expressum.

Humilitatis vmbra victrix.
Ionæ 3.
Ambros.

1370. Niniuitico Regi similis fuit Achab Israëliticus. Percipit diuinas minas, & auxilia belli comparat ab humilitate. Loricatur sacco, accingitur ieiunio, 3. Reg. 21. num. 27. & subditur statim num. 28. *Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens: Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Accurrit itaque Dominus, interpellat Prophetam; & quodammodo honori suo, & verbi, de prænunciatis malis, fidei consulens, suggerit in implementi obstaculum, Regis humilitatem; tantùm expressiori voce non dicens: Quid miraris, expugner, & subscriptam sententiam expungam, si vibrat, quamuis fictam, Achab, humilitatis laruam? Ego verò, mi Elia, his armis nescio non cedere. Quod quidem absque dubio sic foret, si Rex in illa humilitatis vmbra perduraret: vmbratilem enim fuisse humilitatem, fatetur D. Gregor. hom. 10. in Ezechiel. *Achab Rex iniquus, à Propheta reprehensus, cùm contra se diuinam sententiam audisset, pertimuit, & magno mœrore deprehensus est: ita vt Prophetæ suo Dominus diceret: Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur, &c. In quibus Domini verbis personatum est, quomodo & in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum: si sic eis & reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præsens sæculum: aut, quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis, in eis, qui placent; si hæc ad tempus placuit in eis, qui displicebant.* Qui tamen mœror, & afflictio, vt vides, vim sortiturus, & etiam in displicente placiturus, humilitatis cognomine decoratur.

Idem probatur.
3. Reg. 21.
Gregor.
Pœnitentiæ encomium.

An non igitur longè aptior Maria Deo vincendo, & carnis puræ retibus vinciendo, si vsquam leuissimè fœdaretur; quàm si totam humilitatem, per superbæ originis, & rebellantis naturæ maculas, deturbasset?

* * *

§. II.

§. II.

Impiorum superbia perimitur infelicior, dum sibi visa faustior, supereminet.

1371. SECVNDVM pro anthologico titulo argumentum, sic efformo. Superbia, dum magis sibi visa faustior, supereminet; tunc magis infelicior perimitur: sed Maria quantumuis sanctitate supereminerct, de quouis leuiculo næuo, quoad maternitatis titulos consequendos, vtpote indecens, perimeretur: ergo à fortiori originali superbia intumescens omninò aboleretur, quoad tantam dignitatem obtinendam: cùm hæc peremptio, & diuina execratio in vnam præcipuè superbiam soleat deseuire. Id, in quo tota est argumenti vis, iam fusiùs confirmemus. Est ergo hæc innata superbiæ misera conditio, vt inde obruatur miserior, vnde irruit insolentior. Hinc Isaïas: *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest: & redundabunt fluctus eius, in conculcationem, & lutum.* cap. 57. num. 20. Nihil tumido mari similius, quàm tumens animus. Sed, cur non tam inquietans dicitur, quàm non quiescens? Nunquam tumidius mare, quàm dum æstuans feruet: aquarum montes deuoluens, rupices montes ferit: & inter incondita sæuientis fragoris verba, verbera infligit littoribus: spumarum saliua astris insiliens. Heu stultum! quò fertur violentiùs, eò feritur sæuiùs: & vndis, quibus lacessit, flagellatur. Procopius ad hunc locum: *Fluctuationem patiuntur, maris instar, seipsos vlciscentes: quòd, quos fluctus ad littora trudit, assiduè parit quidem; sed eorundem reflexionem, rursum pati cogitur, non aliter ac isti.* Meritò igitur non tam dicitur inquietans alios impia superbia, quàm ipsa non quiescens: quò enim intumescit sæuior, sæuit dirior; eò necesse est, abiectior opprimatur.

Superbia dũ magis supereminet, perimitur. — *Isaiæ 57.* — *Superbia se ipsam verberat.* — *Procop.*

1372. Sed grauiora sunt, quæ subiunxit Propheta: *Redundat fluctus eius, in conculcationem, & lutum.* Neque enim solùm verbere refluctuantis æstus, spumas resorbentis, tumor iste infamatur: verùm etiam luto infæcatur. Gloriam de tumore sperabat mare; rupésque, & littora salso vomitu offuscare: ast quàm fallitur! littoris immunda verrit, rupes abluit, & putorem, quem aliis facere præsumebat, congesto in se stercore resorbet. Hugo Card. ibi de his: *Sicut enim fluctus maris percutiunt stabilitatem littoris, & in se reflectuntur: sic persecutio malorum percutit Sanctos, qui sunt quasi in tuto littore, sed non læduntur: & in se, ipsum mare reflectunt, & lutum trahunt. Mali enim ex persecutionibus suis inundantur; sed iusti abluuntur.* En feruor maris, en superbi tumor: dum magis de triumphato littore, de afflicto iusto præsumit coronari: abiectiùs, & viliùs conspurcatur, conculcatos fluctus resorbens lutulentos, dum, qui humiliter patitur, ablutior, & comptior perseuerat. Penè eadem metaphora vsus Salomon: *Quasi tempestas transiens, non erit impius: iustus autem, quasi fundamentum sempiternum.* Prou. 10. n. 25. Glomerantur nubes, obducunt tetra cælum caligine: nunc fulmina, nunc flumina iaculantur: & dum superbæ terram præsumunt commouendam, suis ipsis impendiis euanescunt. Sic & tumens superbia, impiè procellosa, constanter persistente iusto, in quem tonabat, miserè sibi ipsi, tunc maximè ruinam machinatur. Quid ergo Marianum mare sic olim æstuans amaretur?

Et conspurcat. — *Hug Card.* — *Prou. 10.*

Hoc est, quod in libro Iobi, aduersùs impium prophetatur: *Deuoret pulchritudinem cutis eius, & consumat brachia illius primogenita mors.* cap. 18. num. 13. Tota miseri gloria, velut apparens, & phantastica pulchritudo, in cute, & forinsecùs radiabat: nihil solidum, nihil ab interiori securum resplendebat. Sed, cur vana ista pulchritudo, imò pulchra vanitas, non cuiuis, sed primogenitę cuidam morti obtruditur deuoranda? Quia, cùm peccatum mortis titulo meritò insigniatur; quæ alia erit mors primogenita, quàm superbiæ vitium, quod ab origine transfusum, omnium peccatorum radicem apparauit? Non aliunde ergo gloria, quàm isthinc iugulanda: quia superbus inde perimitur infelicior, vnde gloriosior supereminet. D. Gregor. ad hunc locum: *Si peccatum mors, non incongruè primogenita mors, superbia valet intelligi: quia scriptum est: Initium omnis peccati, superbia. Pulchritudinem igitur cutis eius, & brachia illius primogenita mors deuorat: quia iniqui gloriam, vel operationem superbia supplantat.* Maria igitur, quæ etiam veniali, & vitali, vt sic dixerim, culpa Maternitatis gloriam videret deuoratam; si fœdatæ origini, id est, vitiorum radici, primogenitæque morti superbiæ subdatur, quomodo firmam Maternitatis gloriam conseruaret? 1373.

Iob 18. — *Superbia mors primogenita.* — *Gregor.*

Et quidem oculatissimè superbiæ, titularem mortis primogenituram adscripsit Gregorius: quia ab ipsa morte, tanquàm à matre, prædictam miseriam quasi hæreditariam, visa trahere superbia. Superbiens mors à protoparente inducta vniuersum humanum genus deuastabat: tunc insolentior facta ipsum Deum vitæ authorem, quem exaltanda humilitas Cruci affixerat, præsumit detriumphare: sed in hoc maximo suæ gloriæ negotio miserè triumphanda debellatur. Aptè Chrysologus alibi latiùs inculcatus: *Quis poterat subuenire occiso, nisi Christus, qui vitam reparauit occisis? Qui talionem morti reddidit, per mortem, mortem peremit? atque eam prodidit contumacem, quæ incubare iussa pœnis reorum, attentare ausa est ipsum Iudicem, inuadere ipsum innocentiæ præsumpsit authorem.* Nunquam magis mors tumuit ad ictum; sed nunquam inualidum experta, magis timuit. Vah, mors superbiens, quæ dum in authorem vitæ tela iacis, iaces tuismetipsis telis contrucidata: te etiam superba contumacia dum extulit, deturbauit. Longè à Matre vitæ (sic passim vocatur Deipara) hæc labes, ne à destinata gloria deturbaretur. 1374.

Mors à Christo mortua. — *Chrysol.*

Ardet Achab malignantis febris incendio, exæstuat auaritia: vineam petit tanquàm recreandus frigida, nec impetrat: tunc addit Textus: *Et proiiciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* 3. Reg. 21. num. 4. En miser torquetur sæuissimè, quia alienam possessionem non extorquet. Itáne? Vincola pauperculi satis erat, vt tantum Regem, & illum opulentissimum inedia mortali condemnaret? Non crederem. Auaritiæ facibus absque dubio, seueriora incendia addiderat superbia. Venerat ad 1375.

Rex superbus perit. — *3. Reg. 21.*

ad summum tumoris infaustus iste: putabat decreta sua, instar oraculi, colenda: & absoluto suo dominio nihil denegandum. Si ergo in tam abruptum ascenderat superbia, quid illi iam superesset, nisi præcipitium? Ambr. lib. de Nab. cap. 4. post alia: ***Aut certè non manducabit panem suum, volens se morte multare, quod ei aliquid negaretur.*** Quia se perdat, necesse est, quando sublimius sibi prehendit culmen: & mors in genere culpæ primogenita, in genere pœnæ mortem adeat; quæ etiam, vt vidisti, superbiens iugulatur. Fac Mariam non leui, sed grauissimo superbiæ originalis feruore æstuantem; & obiter è destinato regno deturbabis.

Ambros.

1376. Amœnissima est in hanc rem Dauidica comparatio: postquàm enim Propheta superbientes ceruices seruitutis iugo confringendas testatur, sic subiungit: ***Fiant, sicut fœnum tectorum, quod, priusquàm euellatur, exaruit.*** Ps. 128. n. 6. Et cur non sicut campi fœnum, quod faciliùs, aut prætereuntis manu euellitur, aut proterentis pede conculcatur? Quia campestre fœnum, ruralis herba, ni euellatur, ni conculcetur, combibito humore viuit aliquandiu: tectorum herbæ, etiam lædente nemine, de ipsa loci celsitudine citissimè cõtabescunt. Vidisti passim hyberno humore tecta, & solaria herbas parturientia: gaudent misellæ ibi radices agere, quò procerissimæ arbores vix improbè cacumina erigerent: herbidæ pompæ spernunt societatem: & ipsis sibi videntur cedris imperare. Heu herbæ fatuæ! heu fœnum stultescens! quantò ad virorem tutiùs, securiùs ad amœnitatem humiliori rure nasceremini? Præterit breuissimè tectorum humor, & subitò arescitis. Eleganter ibi D. August. ***Fœnum tectorum, herba est, quæ nascitur in tectis, in solario integulato: in alto videtur, & radicem non habet. Quantò meliùs humiliùs nasceretur, & latiùs viresceret? Modò nascitur altiùs ad celeriorem ariditatem: nondum euulsum est, & aruit.*** Ipsa itaque loci affectata sublimitas superbos consumit: & ridiculas pomposi throni radiculas manifestat. At Maria in Sion firmata, & in electis eius mittens radices; indecenter sterili, & fraudaturo virorem, superbiæ solo plantata existimatur, cuius Maternitatis decor, etiam à longè minùs infeliciori plantario exsiccaretur.

Psal. 128. *Superbi gloria cur citò arescat.*

August.

1377. Obscura, sed æquè pulchra in hanc rem, illa eiusdem Vatis Psalmo 72. qui totus in superbos obarmatur: ***Veruntamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos, dum alleuarentur.*** num. 18. Quid enim est, ***propter dolos posuisti eis?*** Sequor nonnullos è nostris, qui τὸ ***propter***, Latinissimè explicant, ***iuxta dolos, prope dolos***; id est, iuxta laqueos, foueas, decipulas, & cuniculos superbis posuit. Ecquid illis posuit? Id graui aposiopesi, ni fallor, reticuit Propheta, (vnde obiter Lorini obiectionem, contra hunc dicendi modum, dissolues,) vt nihil infelicitatis sit, quòd iuxta hos dolosos laqueos, superbis apparatum non intelligatur in pœnam: quibus enim dolosioribus laqueis ad miseriam poterant incidere, quàm dum sic permittuntur falli, vt ipsam, quam putant, celsitudinem, ruinam experiantur: & dum alleuari nisi, eo ipso miserrimè deiiciantur? Sic vltima verba explicat August. lib. 14. de Ciuit. cap. 13. ***Elatio, quæ in vitio est, eo ipso, quò respuit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius. Et fit, quod scriptum est: Deiecisti eos, dum extollerentur. Non enim ait: Cùm elati fuissent, vt priùs extollerentur, & posteà deiicerentur: sed cùm extollerentur, tunc deiecti sunt: ipsum quippe extolli, iam deiici est.*** Optima gnome: ipsa se perimit superbia, cùm præeminet: de medio tollitur, dum altior attollitur. Id ab eodem Vate, exemplo fumi alibi explicaui, qui eo ipso facilior euanescit, quò pomposior in aërem eleuatur: ipsemet eiusdem ascensus, defectus recognoscitur.

Psal. 72. *Superbia citò de medio tollitur, cùm attollitur.*

Lorin.

August.

Sed videtur parenti Psalti obstare sapiens filius Prou. 16. num. 18. sic scribens: ***Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus.*** Si enim ipsummet ***alleuari***, iam esse ***deiici*** voluit Dauid: vt eo ipso, quò eleuabatur, ruere etiam impius videretur; cur Salomon eodem spiritu, non identicam, sed præcedentem ruinæ facit exaltationem? Certe, quia exaltatio cordis, licèt videatur exteriorem præcedere ruinam: tamen vna, eadémque est cũ interiori ruina, qua exaltatum cor, iam Deo vile, abiectum, & coæquatum solo recognoscitur. Consentit ergo de interiori ruina patri, filius. Bene ibidem idem August. ***Illa prorsus ruina, quæ fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in manifesto: dum illa ruina esse non putatur.*** Itaque interna illa ipsa exaltatio, occulta est ruina, qua dum quisquis se erigit, deturbatur. Aptissima comparatione illustrat hanc materiam Chrysostomus hom. 20. ad finem, in cap. 11. Epist. ad Rom. locutus de superbis: ***Quam ergo similitudinem reperiemus, quæ conueniat illis? Mihi videntur accensæ stupæ similes esse: nam & illa post incendium, tumidum quid esse, & nescio quid præcipui immutata videtur: modicum verò passa contactum, totum amisit, omni cinere vilior apparens. Tales sunt & illorum animi: nam & illorum inanem inflationem, si facilis quidam contactus apprehendit, humiliare, deiceréque potest.*** Itaque superbientis inflatio, stupæ est inflammatio. Inscia ista lucem appetit, vt oppetat: dum magis lucet, cineres se luget, ad leuissimum tactum dispergendos. Penè ergo infausto superbæ originis incendio correptam: & quæ de quouis veniali ventilamine, Matris non indeptura titulos dispergeretur; idoneam in cineres aliquando redactam, & ab ipso tumore ruentem, tantæ gloriæ ministerio existimato.

1378.

Prou. 16. *Interna exaltatio, occulta est ruina.*

Superbi gloria, lumen stupæ.

Chrysost.

§. III.

Humilitatis terra, vnica est imperij aurifodina.

COHÆRET dictis prærogatiua illa eximia, per quam prædictæ superborum miseriæ, ex diametro humilitatis felicitas opponitur. Ipsa superbiæ elatio, vt vidisti, deiectionis, & deturbati throni omen est certissimum: è contra humilitatis deiectio, iam faustissimum imperium prænunciat: imò iam ipsa Imperatrix est: vtpote, in qua, corona iam delitet, vt metallum in fodinis: sola quippe humilitatis terra, certissima est regnorum aurifodina. Quomodo ergo ab originis superba indole, Maria in 1379.

Humilitas imperij aurifodina, latè.

tantum

tantum regnum eueheretur? Quomodo potiùs ab innocentissima humilitate euectam non credamus? Si culpâ quauis leuissima regno ineptiret; quid ab illa culpa pessima pateretur, quæ tota rebellans innata indolê, humilitati opponitur, per quam intactam, id regni comparandum? Describebat Ecclesiasticus illum, quem Deus euehit, & sic subiungit: *Oculus Dei respexit illum, in bonum: & erexit eum ab humilitate ipsius: & exaltauit caput eius: & mirati sunt in eo multi, & honorauerunt Deum.* cap. 11. n. 3. Cur expressè respicere dicitur, vt exaltet; qui inconniuenti obtutu, omnia respiciens erat supponēdus? Latet ratio, ni fallor, haud incongrua. Sicut enim aurifodinarū cognitores, in latissimo campo, aut vasto monte, immotis palpebris, & oculis attentissimis huc, ac illuc respiciunt, donec aperiendæ aurifodinæ signa aucupentur: sic visus Deus dignos honoris, & imperij viros eruturus, attētiùs præ solito respicere, donec humilitatem, imperij reperiat aurifodinam. Ideò fortè nonnulla Græca exēplaria apud Sixt. addūt, θεωρήσαντες, id est, *multi qui considerauerunt, honorauerunt Deum.* Isti enim humanis iam oculis humiles considerarant: nec in illis signum aliquod eruēdi imperij deprehēdunt: vnde & meritò Deū laudant; quia acutiori obtutu aurifodinam ditissimam reperiit: & inde nouit regna exerere, vbi illi abiectissima seruitia cōputabant. Sic enim euenit, vt in eo ipso loco, quē millies, ac millies considerauimus, & inspeximus, & tandē vt inutilem despeximus, ibi fodinarum magistri, aurū occultum subodorentur. Hunc verò locum non de vili conditionis statu, sed ipsa humilitatis virtute capiendum, voluit D. Anth. de Padua Dom. 3. Quadrag. *Est humilis, sicut quidam vermis, qui dicitur intestinum terræ, qui contrahit se, vt magis se extendat. Sic humilis se contrahit, & humiliat, vt fortiùs ad capienda bona cælestia se extendat, de quo Ecclesiasticus: Erexit eum ab humilitate ipsius,* &c.

Eccli. 11.

Sixtian.

Anth. Pad.

1380. Ipso titulo, *alleluia*, Psalmi centesimi decimi secundi argumentum, clarissimè Psaltes sceptriger declarauit: ibi ergo postquàm omnes à Solis ortu, vsque ad occasum diuinis laudibus inuitat; iam causam iustam proponit tanti encomij postulandi: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra?* Sed hæccine vna, aut saltem præcipua causa Dei commendandi, seu eiusdē potentiam, seu scientiā consideres? Nōnne in pluribus operibus Deus illustrior exhibetur, quàm in hoc, quòd humiles aspiciat? Sed pende, quid statim subdat: *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperē: vt collocet eum cum principibus, cū principibus populi sui.* n. 5. 6. 7. Certè apud nos, hinc maximè diuina, siue potentia, siue scientia relucet; inde maximè, vt paulò antè dixi, Deū laudibus honoramus, quòd vnus nouerit in humilitatis fodina, humanis oculis abiectissima, aurum pretiosissimum, & gloriosissima imperia intueri. Lege ibi Lyranum, qui sic concludit: *Hoc patet in Manasse, Rege Iuda, qui propter superbiam suam, de regno suo fuit deiectus à Deo: & ab inimicis suis, in carcere fœtido reclusus, & fame afflictus: & propter humilitatem suam, vnde à Deo fuit reuelatus, & in regnum restitutus.* 2. Paral. 33. Quasi non posset regnum superbo Regi stabiliri, nisi ab stabuli stercore, nisi ab humilitatis puluere foderetur. Sic paterna hæreditas Manassi non hæreret, nisi ille humili abiectioni adhære-

Psal. 112. *Per humilitatem regnū restituitur.*

Lyran.

ret, & ius suum indidem solidum confirmaret. Hoc nosse, omniscientiam; hoc exequi, omnipotentiam requirit.

Hinc iam verba Deiparæ ad cognatā attentiùs trutinanda: *Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. n. 48. Putant vtplurimùm Interpretes, Mariam naturæ vilioris abiectā conditionē, non gloriosam generosæ humilitatis virtutem, hic protulisse: eò vel maximè, quòd humilis de gratia animus, nescio quomodo frequenter sibi ipsi occulitur, vt nullatenus se humilē recognoscat. At, quāuis id passim eueniat, nō ita in Maria putauerim euenisse. Christus se humilē sanctè, & corde mitē prædicauit, & agnouit: & hoc Matri concessit priuilegiū, vt humilitatem suam, absque tumoris periculo agnosceret: & qui optimè nouit *magna* sibi facta esse à Deo, etiā magnorum principium sibi inditum, & factū à Deo penetrauit. Nunc iā apparet sententia huius loci. Cupiebat Orbis Magistra edocere, vnde ad regnū fideles se norint euehendos: & supremi sui regni fodinam, in exemplar collocauit. Quasi dicat: Aurifodinas alias Regibus assumendis aptiores Deus non inuenit, quam humilitatē: vt enim sterilioribus terris materialis Sol enutriēdo auro influit: sic Sol diuinus, nudo, & nihil sibi arroganti spiritui, coronas influit, regna suppeditat. Hic ergo Sol iustitię, gratiarū suarū radiis, non meis meritis, humillimū mihi indidit spiritū: vnde nunc creaturarum Reginam omnium generationum laudibus beatā prædicandā assumpturus, humilitatis à se præmissæ respexit aurifodinam. Prætereo alios Patres antiquiores, qui hūc locū de humilitatis virtute explicarunt. Do antiquissimū Orig. ibi in Cat. *Quid humile, atque deiectum, quæ Dei Filium gestabat in vtero? Sed considera, quoniā humilitas in Scripturis, vna de virtutibus prædicatur, quæ à Philosophis modestia dicitur: sed & nos eā possumus appellare quodā circuitu, cùm aliquis non est inflatus, sed ipse se deiecit.* Iusti itaque ad regnū, de humilitatis spiritu erigūtur: Maria ad supremū regni gradū, incōparabiliter cæteris euehenda, incomparabilem cæteris humilitatē requirebat. Si ergo quauis vena leuissimè degeneri, hæc fodina sic interpolata crederetur, & corrupta, vt maternitatis coronam auerteret, thronum impediret; putas, decenter origine tumidissima huic regno comparando superbiret? 1381.

Maria humilitas regnatrix.

Origen.

Firmantur ista verbis illis Christi ad Discipulos: *Nolite timere, pusillus grex: quia complacuit Patri dare vobis regnum.* Luc. 12. n. 32. Vbi benè Chrysol. Serm. 23. *Promissionem regni sine timore seruilis status audire non sufficit: quia qui libertate vix dignus est, capere non valet insulas principatus. Dominus ergo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus.* Sed, si ad promissum regnum seruitus pauescit: quomodo his ipsis verbis regnū pollicētibus confirmatur? Cur præcipit, ne timeant, qui statim ingentē timoris prosternantis causā inculcat? Pende id, quod immiscet: *Pusillus grex.* Id est a me pridē humilitatis preuētus prerogatiua. Quasi dicat: Timeant serui regnū promissum, tanquā aliquid monstrosū, atque dissonū, qui adhuc in seruitutis vinculis rebellant: vos autē vobis pusilli, & humiles spiritu, quid timeatis regni nouitatem? Nōne agnata humilitati corona? Nōne pro solio. 1382.

Luc. 12. *Humilitati vni, nō monstrosa corona.*

ex hac vna aurifodina, quam in vobis collocaui, imperium vobis legitimè suboritur? Fauet idem Chrysol. initio prædicti Sermonis, ad hæc verba: *Acquisiuit humilitas, superbia quod amisit: & grex pusillus, ac mitis; totas & varias edomuit propria mansuetudine feritates.* Quid ergo timeant, tanquàm monstrosum, regnum, quod dum legitimè diremptum protoparentum superbia: sic legitimè præbita humilitate per Christum comparatur. Idem se aperit Chrysol. iterum in eundem locum Serm. 35. *Si regni, quod promittit pusillis, desideres nosse qualitatē, ipse aperit se dicendo: Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cælorum. Esse in cælo, mirum est: in cælo viuere, est maiestatis: iam regnare in cælo, quanti sit, sensus desinit æstimare mortalis: & tamen, homo, quod æstimare non potes, percepisti.* Percipit quidem regnum, qui se paruulum percipit: qui dum humilitatis suæ puluere se condit, iam leges videtur regni sui condere; séque ipsum ad imperij condire excellentiam. Vt ergo Discipulis reuelatur præconcessa humilitas, vt regni se iam sentiant capaces: sic à fortiori Deipara, è præconcessa, & præmonstrata sibi humilitate, regni sui tenorem proponit imitandum. Si ergo monstrosa illi corona Reginæ Matris, ob veniale crimen etiam condonatum; quid, si superbæ originis seruitute dæmoniaca olim rebellasset?

Chrysol.

1383. Nec tamen ex eo, quòd Maria inditam sibi à Deo reuerenter agnosceret humilitatem; propterea desinebat (instar Filij) se vermem, & nō hominē, & populi abiectionē reputare; imò potiùs, quò in omnibus à Deo acceptis erat perspicacior; eò se, è se ipsa magis vermē vilissimum agnoscebat: vnde hinc maximè, tanquàm vermis ille, quem intestinum terræ dixit Anthonius, de contractione ad regnum extendebatur. Ascendebat Maria, iam regio diuinæ maternitatis fastigio euecta, Orbi stupenda, Angelis admiranda: ad quam tunc Christus apud Salomonem Cant. 3. num. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Ecquot alia sunt longè pulchriora, quibus crescens, & ascendens iste virtutum cumulus pulcherrimus, posset comparari? Certè multa. Cur ergo cùm maximè ad regnum ascendens exprimitur, soli odorato fumo, & pigmentario pulueri comparatur? Vt verba amantis Filij expressa, occulta dilectæ Matris iudicia nobis reuelarent. Habebat se Maria de humilitate, vili quouis fumo tenuiorem; abiecto quouis puluere despicabiliorem: ideò Christus illam fumum, sed odoratum; puluerem, sed pigmentarium appellauit. Quasi ex hac humilitate præcipuè ad regnum ascendisset. Oro Lectorem, ne percurrere oculis grauetur, quæ purchra, licèt pluscula, ex Ruperto ibi ad Deiparam, transcribere non grauabor: *Quid enim fumus est, & quid est puluis, nisi spiritus lacrymosus, & conscientia valdè humilis? Et quidem sua æstimatione vera humilitas, est fumus innoxius, quasi cremij, siue torris obusti: & puluis terræ sine aqua, & sitientis: iuxta illud: Quia defecerunt, sicut fumus, dies mei; & ossa mea sicut cremium aruerunt. Et Abraham dixit: Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis. Sed non ita æstimatione Dei. Aliter, & melius, ille te discernit. Tu dicis: Puluis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit: & ille dicit: Non, sed puluis pigmentarius, seu puluis pigmentarij, puluis myrrhæ, & thuris, qualem Pigmentarius Spiritus Sanctus conficit ex optimo thure, quod est suauitas mentis; & ex myrrha probatissima, quod est mortificatio, siue incorruptio carnis. Tu dicis: Fumus sum teter coram diuinis oculis, qualis de camino, siue de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit: & ille dicit: Non: sed fumus ex aromatibus myrrhæ, & thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo, ante altare aureum; vsque ad oculos, & olfactum Domini.* Meritò itaque, quæ in puluere vili, & fumea inanitate humillimè se putabat collocatam; indidem ad coronam describitur ascendens. Quæ igitur sub venialitatis culpæ fumo displiceret; omninò tanto regno veniret indecens, si superbiæ fumos, & pestilentes halitus ab origine combusta olim exhalasset.

Humilitas fumus, sed aromaticus: puluis, sed pigmentarius.

Cant. 3.

Rupert.

Hinc fit, vt Christus Dominus, Beatitudinum suarum basim posuerit humilitatem: & eidem statim regnum assignauerit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. n. 13. de quo D. Greg. Nicænus lib. 6. de Beatit. *Videtur mihi sermo, paupertatem, & inopiam spiritus nominare, voluntariam animi humilitatem.* Pensanda tamen in hac re, Saluatoris nostri benignitas, dum nobis sic facilem ad coronā ingressum ministrauit. Cur enim aliis virtutibus prætermissis, vnicā imperij fundamento prælegit humilitatem: nisi, quia hæc virtus hominibus natura vilibus, terrigenis abiectis, eò proniùs consequenda visa, quò illis agnata, & quodammodo ingenita potuit existimari? Grauiter Nicænus citatus: *Quoniam igitur cætera omnia, quæ circa naturam diuinam conspiciuntur, superant modum humanæ naturæ. Humilitas autem coalita, atque consueta nobis humi repentibus, & ex terra conflatis, & in terram defluentibus, est: si tu in eo, quod à natura tua non est alienum, & à te præstari potest, Deum imitatus fueris: beatam formam ipse induisti.* Dixerat multa de Deo homine, qui ex se nobis vnam humilitatem discendam prædicarat. Et benè, non tam dixit, *erit regnum*; quàm, *quoniam vestrûm est regnum*. Vt enim in fodina iam est aurum, licèt absconditum: sic in humilitatis thesauro iam dignitatis infulæ, regni sceptrum, imperij diademata delitescunt. 1384.

Matth. 5.

Nicæn.

Humilitas humano generi, & genio visa connaturalis.

Nicæn.

Sublimem gloriæ suæ pompam, fastum gloriosum ostensurus Christus, currum efformapit, cui Libani incorruptio, ligna ministrat: argenti candor columnis seruit, sicut & splendor auri reclinatorio: gemmeo cultu media construuntur. Pretiosa planè hæc materia; sed plebeiis ditioribus quandoque communis. Purpura sola est, quæ Reges insignit, monstrat Imperatores: quam proinde Romani sic habebant sacram, vt terram hac fortè tactam raderint: ne locus iam tactu purpuræ sacratus, pedibus profanari videretur. Et tamen in prædicto diuino ferculo, purpura *ascensum* occupat, id est, epibasim, siue gradum, quo currus scandebatur: locum, scilicet, semper pedibus conculcandum, semper fœdandum puluere, semper cœnosa terra conspurcandū. Pende verba: *Ferculū fecit sibi Rex Salomō de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatoriū aureum, ascensum purpureū.* Cant. 3. n. 9. Ecquid sibi in tā abiecto loco vult maiestas regia? Certè ibi nascitur: in illa cœnosa terra in puluere pedū excusso, imperatorius splendor, decor purpureus enutritur: nam inter Dei amicos, 1385.

In lutulenta humilitatis terra, corona delitet.

Cant. 3.

qui

qui verum componunt diuinæ gloriæ gestatorium, illi sublimiores sunt, illi purpurati Principes, quibus humilitas locum contemptibiliorem designauit. Gillibertus ibi, apud Tilm. *Quid tu istic dices, qui humiliationē, seruitutem, reputas? Seruus non est, quem regalis purpura nobilitat: humilitas suscepta pro Christo, regiam prefert dignitatem.* Et pulchrè gradus iste purpureus, vocatur *ascensus*: quia humilitas Crucis purpureo Agni sanguine rubricatæ, quæ hic etiam designatur; dum illi vnimur, eo ipso ad regiam nos extollit dignitatem: inde firmior ad imperium ascensus. Iterum Gillibertus: *Hic tu pedem libenter pone, vt pes tuus intingatur in Sanguine Christi. Euacuaris à gloria Christi, si alia re nobilitari præsumas: nam, si compateris, & conregnas.* Tu nosti, quàm multi Patres hoc ferculum de Deipara Christum gestante explicarint. Si ergo purpureæ dignitatis fundamen, & ascensum quauis veniali macula ineptum credis Filio gestando, regno adipiscendo; quid nō penitùs de superba cōmunis rebellionis origine, requisitam humilitatem credis corrūpendam?

Gillibert.

1386. Nam reuerà, summa humilium horum Regum maiestas in eo sita est, quòd diuini queant esse, & thronus, & ferculum Salomonis: qui, vt sepè clamat per Prophetas, super humilem, & abiectum requiescit. Vnde capies illud Isaiæ 6. n. 1. *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Fuit iste, vt nemo nescit, superciliosus tumore Princeps, & propter frontosam superbiam, in fronte, leprā percussus. Dum ergo moritur, tunc Deus in solio cernitur constitutus. Ac si non posset in regno illo Solymitano, thronum sibi illustrem, atque regia purpura radiantem sibi aptare Deus, dum Rex superbissimus viuebat: qui quodammodo ab omnibus gentis suæ finibus, humilitatem (quæ vnicè imperatorium Domino parat solium) prauo exēplo exterminare videbatur. Allucet his, licèt magis anagogicus, D. Anthonius de Padua Serm. 1. Adu. *Rex Ozias superbus, & leprosus, vitium superbiæ significat: quæ, cum in homine mortua est, Dominus sedet super solium. Anima iusti, sedes est sapientiæ: in anima excelsa humilitate, eleuata à terrenis per æternorum contemplationem, requiescit Dominus.* Nescit Dominus iustos suos, & purpuratos Principes, sibi in regium thronum adaptare, nisi ab humilitatis aurifodina eruantur. Sed pendat Lector, (de quo infrà fusè,) ex eo omnem maculam vel leuissimam à Deipara, in hoc nostro articulo, repulsam ab Angelico Doctore: quòd Maria non solùm in anima, vt cæteri; sed etiam in carne, thronum Deo fabricauit, singularissimè in illa habitaturo. Vnde ergo illi superbiam (qua maximè hic thronus conspurcatur, & deiicitur) ab origine superbissima assignauit? Ignoro, fateor. Pergo.

Humilitas Dei thronus sublimis. Isaiæ 6.

Anth. Pad.

1387. Vidit Anna humilis, superbum æmulæ Phenennæ verticem deturbatum: & diuinam agnoscens manum exclamat subitò: *Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & sublenat: suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum Principibus, & soliū gloriæ teneat.* 1. Reg. 2. n. 7 Et vnde iste pauper, & egenus tam subitò, non vtcunque, sed ad regnum dicitur sublimatus? Quid miraris? Iacebat in puluere, in humilitatis stercore, & imperij fodinā sic fouebat. Ideò Lyranus ibi: *Quia de diuitiis, & honoribus frequenter deiecit aliquos propter eorum superbiam: & aliquos pauperes, & abiectos eleuat ad diuitias, & honores, propter eorū humilitatem.* Puluis itaque ille, & stercoris abiectio regium honorem, & gloriosum solium, pro solito effudit. Non tāta inter Annam, & Phenennā antithesis, quāta inter Mariā, & Euam: inde Virgo in vero suo Cantico, à figuratiuo isto verba deprompsit: *Deposuit potētes de sede: & exaltauit humiles* Luc. 1. *Potentes* dicit, quos priùs *superbos mente* appellarat. Id est, ni fallor, protoparentes deposuit ob superbiā; secundúmque Adamum Christum, & optimā Antieuam, de profunda humilitate exaltauit. Hoc est, quod de Christo dixerat Dauid: *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum* Ps. 8. n. 5. Quasi non caderet corona aptè, nisi dū caput creaturarū omnium in sua passione, Angelo consolanti minoratū, subiacere videretur. Vt iam resurrectionis corona de humilitatis aurifodina, gloriosior, & dignior erueretur. Tertul. de cor. Mil. cap. 14. *Minoratus à Patre modicū quid citra Angelos: & ita gloria, & honore coronatus.* Nec aliunde ita pulchrè coronandus. Hoc est, quod de se ipsa, Maria paulò antè: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* De quo D. Aug. apud Glossam: *O verè humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundū purificauit, Paradisum aperuit, & hominum animas liberauit! Facta est Mariæ humilitas, scala cælestis, per quam Deus descenderet ad terras.* Protoparentum ergo superbiā regnum occluditur; nouorum humilitate reseratur: & putes huius scalæ gradum primum, id est, originem, superbiā mortiferā perfractum, quæ posteà vel leuissimè impulsa, ne Deum ad terras deduceret, indecens laberetur?

Maria Antieua 1. Reg. 2.

Lyran.

Luc. 1.

Christus à Cruce gloriosior. Psal. 8.

Tertull.

Luc. 1.

August.

§. IV.

Congeruntur pluscula humilitatis priuilegia, quæ præcipuè instituto præsenti visa conducere.



ADHVC plura humilitatis priuilegia congestim examinanda, vt videamus, plùs Christo cum Beliale, id est, superbo Principe, & Dæmone rumpente iugum conuenisse, si Mater ab origine iugum fregit, & humilitatis iura conculcauit, quàm si deinde veniali quouis næuo obscuraretur. Certè ex mente D. Thomæ quoduis vestigium actuale leuissimæ superbiæ indecentem Mariæ Maternitatem reddidisset: quid, si immani originis superbia efferueret? Illibatæ omnes virtutes Deiparæ requiruntur; quid, si humilitas, qua maximè Deum à Patribus traxisse fertur; sacrilego originis ausu temeraretur? Ita est: Incarnationi Verbi peragendæ nihil humilitate integrius requirebatur: ideò ab Augustino, vt vidisti, scala descensuro Deo appellatur. Hinc D. Anthonius de Padua Dom. 11. post Trinit ad illud Eccles. *Altissimus creauit de terra medicinam* c. 38. n. 4. sic scribit: *Altissimus, qui est Christus, de terra, id est, de Carne sua, creauit medicinam, scilicet, humilitatem,* 1388.

Humilitas, generis nostri medicina.

qua sanauit humanum genus. Putas ergo, hanc Carnem Christi, medicantis humilitatis exhibitricem, quæ inutilis à Matre proueniret, si in ipsa leuissimè laberetur; iam aptissimam esse, cùm ibidem originalis superbiæ fermento, tota corrumperetur? O vnde medicinale huius humilitatis germen, à superbissima Matris origine vitiatum, sic nobis decenter veniret salutare: si etiam leuissima de labe, quasi ob indecentiam inefficax à Deo existimaretur? Benè est: salutaris huius germinis foliola, vel etiam à leui puluere defendimus: quòd autem eius radix pestilentissimo verme corrodatur, non curamus.

1389. Intumuit Agaris venter fœtu cōcepto, sed magis cōcepta inde superbia animus intumuit, adeò vt & dominam sterilem despiceret. Indignatur in illam Sara iustè, quā iniustè deinde fugiens Agar euitat. Angelum inuenit, imperatum ab illo audit regressum: & post alia subdit Angelus: *Ecce concepisti, & paries Filium.* Gen. 16. n. 11. Ecquò tendis, cælestis nūcie? Nuncietur partus feliciter, quia adhuc matri dubius; quid concepisse refers, iam pridem id scienti? Imò, quid addis, *ecce*: quasi tunc conciperet, quæ multò antè de conceptu iā agnito superbierat. Nimirum, fœtus, quē mortuum gestabat, tunc reuixit: meritò ergo ibi concepisse dicitur, quia tunc vitalē prolem recuperauit. Et vnde mortui pœna, vnde præmiū rediuiui? Respondet ibi Lyran. *Dicunt Hebræi, quòd Agar passa fuerit aborsum: quod potuit esse in pœnam contemptus dominæ suæ, & superbi recessus sui ab ea, & ex labore itineris in fugiendo: sed, cùm acquieuit Angelo monenti de regressu, & humiliatione; Dominus, qui respicit humiles, viuificauit fœtū in vtero extinctum. Et quia ista expositio est secundùm litteram Hebraicam, & satis consona litteræ sequenti: ideò secundùm hoc, potest exponi translatio nostra.* Non conciperet decenter Maria Christum, si quauis macula leui vnquam fœdaretur: & decenter conciperet, si fœditate lethalis superbiæ ad originē macularetur? Agar superbiens fœtum extinguit, humilis recuperat: & non credamus diuinum fœtum Mariæ superbæ denegandum, humili concedendum? Quantùm præstat Christus Ismaëli, tantùm maternæ humilitatis præstabit dispositio suo modo: infinitus fructus, infinitum quodammodo fomentum requirebat: vnde claudicas, ni vsque ad possibilem, id est, origineam excurris humilitatem; superba Matris Conceptio, merita decentia Conceptioni Filij consequendæ penitùs extingueret.

Humilitas fœtum viuificat.
Genes. 16.
Lyran.

1390. Altercabatur cælestis paterfamiliâs, cum vineę suæ cultore, de ficu sterili, & frustrà etiam terram occupante, succidenda, Luc. 13. vbi mihi semper dubium, cur animæ emortuæ, & per gratiam in opera virtutum restituendæ, vtplurimùm in sacro Textu arbor sterilis, & deinde fœcunda, typus assumatur. Cur enim nō cælum nubibus horridum, & deinde serenitate sudum appellatur? Cur non tenebricosa nubes, & deinde percutiente Sole radians assumitur? Cur non limosus fluuius piscium sterilis, tandem crystallinus, & piscibus scatens dicetur. Cur denique non mille aliis compareretur, quæ olim sterilia, & immunda; posteà purissima, & fœcundissima euadunt? Cur solummodo arbores in vtroque Testamento huc conuehantur? Dicam, quid cogitarim. Nihil est illorum, quæ ab sterili incomptu, in fertilissimum comptum reducuntur; cui viliori instrumento, abiectiori impendio comentes fructus procurentur, quam arbor. Arbor de stercoris abiectione fœcundior eleuatur; ideò cultor ad Christum: *Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & stercora mittam.* n. 8. Benè ergo hinc sumitur comparatio: quia infœcundus spiritus non aliunde meliùs in fructus gloriosissimos, quā ab humilitatis erigitur abiectione. Didici ex D. Paulino epist. 10. qui ad hunc locum, ita de hoc stercore: *Mihi videtur æterna pia humilitatis vtilitas indicari, quæ sterilem fœcundet animam, ne per vacuam arrogantiæ speciem sibi, iuxta illum Pharisæum placens, velut arbor infelix frugibus, inutili fronde luxuriet* Mariana ergo arbor summū fructū productura, summa proportionaliter fœcūditate debuit confoueri: & quæ vel leui vitiolo ad maternitatis gloriam sterilesceret, à fortiori, de superbia originis mortifera illam impediret.

Luc. 13.
Fœcundat animam.
Paulin.

Sed, quis, inquis, beneuolus iste cultor intercedens? Respondet Chrysol. Serm. 106. *Cultor vineæ, qui infructuosam ficum iubetur excidere, est Præsul Synagogæ Angelus, qui sterilitatem, quia non potest excusare, inducias impetrat supplicādo.* Hinc etiam ad rem nostram probabile argumentum deduci potest. Prætermitto suprà dictam Paulini explicationem: sumo parabolam, vt in se est. Angelus, Synagogæ consulens, sub vilissimę materiæ typo remedia curaturum spondet: & quid hoc est aliud, quàm profundam mentis suæ humilitatem exhibere? Certè, vt vile stercus absque horrore tractat agricola arbori fouēdæ: sic, dum res postulet, materias abiectiores tractabit humillimus Angelus, si fortè alumnos suos curare queat. Nimirum, cælestes illi spiritus, summoperè humilitatis radiis splendescunt: hanc originalis suæ gratiæ conseruatricem ideò dulcissimè amplexantur; quia eiusdem defectu, alios cum Lucifero corruisse agnouerunt. Æquúmne igitur, vt Angelorum Regina, cui longè maiora priuilegia debentur, non vtcunque temeratam humilitatem; à ipsa radice superba corruptam penitùs sortiatur; Angeli semper humiles, Maria initio superbiens reperiatur? Si Angelus ideò non iam penitùs Dæmon, quia humilis: Maria, quia superba, tam penè dæmoniaca haberetur: & non plus ab hac labe Matris, quàm à leui defectu, Christo iam cum superbo Beliali conueniret? Do in rem meam pauca humilitatis angelicæ testimonia. 1391.

Chrysol
Angelorum humilitas, qualis, & quanta.

Nunciaturus Gabriel Christi Præcursorem, patri dubitanti, sic ad illum: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi nunciare.* Luc. 1. n. 19. Quàm illustre nomen! *Gabriel*, fortitudo Dei est, vt ex notatione Hebraïca ignorat nemo. Hunc titulum vbi audiret Zacharias, qui ex Scripturis, Deum per excellentiam *Fortem* passim appellari agnoscebat; iam hunc nuncium de gestata, pro titulo, diuina fortitudine, tanquàm penè diuinum, primo aspectu reueriturus videretur. Ecquid, beatissime Spiritus, tanto prolato vocabulo homunculum perterres? Quid tibi seruo, tantā captas à cōseruo reuerentiā? At quidem interim, si expendis verba, debitæ humilitatis non obliuiscitur: & se conseruū ingenuè protestatur. Pulchrè Chrysol. Serm. 90. *Dum dicit nomen, designat meritum: cùm se refert astare, se missum refert, seruitutem fatetur: ne prærogatiua nominis, debitum celaret obsequium.* Nescit Angelus, sub quauis gloriæ pompa, agnatam humilitatem, 1392.

De eodem.
Luc. 1
Chrysol.

tatem, tanquàm sibi longè gloriosiorem, non exhibere: ne vnquam tantam dotem vel leuiter interrumpere videatur. At Angelorum Regina longè excelsior, hanc vnam maximè per originis superciliosum tumorem dicitur corrupisse: & quæ de veniali culpa Angelis non imperaret, vtpote non Deipara, quia indecens; ipsa superbo fastu vitiata creditur Imperatrix.

1393. Deduxit Stella Magos tandiu pergens, *vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer*, Matth. 2. num. 9. Nimirum, vel in humilis tugurij, vel in cauatæ rupellæ superlimine. Ergóne, inquis, tam paululùm è terra eleuata stella antecedebat, vt pergens ad præsepium, ipso accessu stetisse præsumatur? Non crediderim: neque enim stella, id est, lucida exhalatio propriè diceretur, nisi in solita sublimioris aëris regione appareret. Vnde ergo, & quomodo adstitura humili tecto deiici potuit ab illa altitudine, præter conditionem suam, quæ suprà consistens, potuit immissis fulgoris crinibus idem significare, & cometæ conditionem non amittere? Quia, licèt pro apparenti figura cometa videretur, vnde in aëre suspensa cerni debuit; re tamen vera, cùm Angelus sub phantastico cometæ corpore esset, haud debuit omnia Cometæ iura retinere. Agedum, Angele purissime: & cur non ab altis lucem iaculatus locum designasti; sed tumet ipse sub stellato corpore descendisti? Respondet Theodotus Ancyranus Orat. de Natiu. in actis Concilij Ephesini, vbi viri sanctitas, & doctrina, quantùm claruerit, ignorat nemo: *Virtus superna deducens Magos, assumpsit stellæ speciem*, &c. *Stetit, inquit, stella supra locum, vbi erat puer: ergo relinquens altitudinem stellæ, qua apparebat, humilior facta est: vt statu suo natiuitatem Regis ostenderet.* Neque enim humillimum Regem natum, nisi humilis nuncius debebat præmonstrare: nec potuit Angelus gloriam ministerij sui eximij, nisi humilitate eximia cumulare; quam naturæ suæ à Deo cum gratia insitam, tanquàm pulcherrimam dotem percolebat. Et veniet Maria Angelis dignior, condigna humillimi Dei Mater: cuius naturam, insita originalis superbia olim fœdarat. Deglutiat palatum laxius, non hoc meum.

Matth. 2. *Item de Angelorum humilitate.*

Theodot.

1394. Et quidem par erat, vt quæ Angelorum Princeps, sublimiorem cælorum thronum ascensura destinabatur, ipsis Angelis humilior procederet; & humillimi Filij, sui typus expressior, gloriosior æmulatio. Vnus Ioannes, abstrusiores diuinæ mortis circunstantias, quas cæteri prætermiserunt, curauit, oculatus tanquàm testis, exponendas: iam ergo traditurũ animã Christum sic describit: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* cap. 19. n. 30. At, cur caput inclinat, tanquàm morte instante iam languidum, qui immediatè antea emisso clamore, se ipsius mortis Dominum ostentarat? Scilicet, per mortem, ad Patrem cælorum possessionem capturus pergebat Christus. Vt ergo ostenderet cælorum portam haud proceram esse, sed humilem, vtpote humilibus tantùm ingressuris accommodatam; non iis, qui extento collo, & elato capite procedunt: ipse caput inclinat, eò altior in throno collocandus, quò ad portam humilior accedebat. D. Anthonius de Pad. initio citatus: *Porta cæli humilis per quam qui vult intrare, necesse est, vt inclinet se: hoc autem docuit Christus, qui inclinato capite tradidit spiritum.* Aut igitur putes,

Porta cæli humilibus patet.

Ioan. 19.

Anth. Pad.

Angelis (vtpote humilitatis illibatæ gratiâ Christo similioribus) hanc portam expeditiorem, quàm Mariæ; aut Mariam integrioris, & illibatioris cuiusdam humilitatis prærogatiua reputes coronatam. Primum non dixeris: quia eò ingredientibus porta facilior, quò iam ingressis thronus sublimior. Secundum non poteris congruè, nisi illi originalem gratiam, omni protoparentum supercilio alienam assignaueris.

Quid enim magis Angelos seruos, quàm Deiparam Reginam, Christo proximos assignabimus de humilitate, cùm hanc, de consessu throni, longè proximiorem prædicemus? At sanè vna est humilitas, cui singulari titulo approximatio ad Deũ debeatur. Possem ire per innumera: vnicum tantùm adhibeo testimonium. Missos à Centurione ad Christum seniores populi, & deinde domesticos alios amicos, qui pueri salutem reportarunt, disertis verbis docuit Lucas cap. 7. rémque ita, vt iacet, euenisse, variis locis testatur Augustinus. Miraculum tamen idem enarraturus Matthæus, sic scribit: *Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens.* cap. 8. n. 5. Et vnde accedens dicitur ipse, & approximans, qui tantummodo per ministros, qui magis ipsi accessisse dicẽdi videbantur, Christum adierat? Variè respondet August. sed totus ad rem meam, lib. de sancta virginit. cap. 42. *Fidem Centurionis illius ideò præcipuè laudauit, nec se inuenisse in Israel tantam fidem dixit: quia ille tã humiliter crederet, vt diceret: Non sum dignus, vt sub tectum meum intres. Vnde nec Matthæus ob aliud, eum dixit accessisse ad Dominum, cùm Lucas apertissimè insinuet, quòd non ad Deum ipse venerit, sed amicos suos miserit: nisi quia fidelissima humilitate magis ipse accessit, quàm illi, quos misit. Vnde propheticum illud Ps. 137. Excelsus Dominus, & humilia respicit: excelsa autẽ à longè cognoscit. Vtique, tanquàm accedentia.* Excelsa itaque ab Excelso recedunt, vt vix, & quasi à longè cognoscantur: humilia tanquàm proximè accedẽtia dignoscuntur. it ergo Maria de illibata humilitate purior, quã Angeli: vt indidem apertiùs meliori titulo, Deo proximior intelligatur. Nihil Christo conuenit cum peccato, & minùs cum Beliali superbo. Qui ergo de quauis culpa leui à Maria, quoad Matris decus, elongaretur; vnde ad illam aliquando superbam accessisse intelligetur?

1395. *Humilitas ad Deum approximat.*

Luc. 7.

Matth. 8.

August.

Optimum aliud huc venit argumentum à Mariæ virginitate desumendum. Destinabatur illa in virginitatis Principem, virginum Virgo: nec inuenies (vt fusiùs in Cantico Trop. probaui,) suauiorem virginitatis sociam, humilitate; aut eiusdẽ infensiorem hostem, superbia. Hæc pudicitiæ lena, virginei floris Auster pestilentissimus. Cur ergo Deus, qui nouam, & illibatã virginitatis pulchritudinem in Matre producebat; non illi statim nouam, & illibatam inderet nutricem humilitatẽ? Displiceret virginitas Mariana Deo in Matrẽ, si leuissimo alicuius culpæ næuo, quandoque obscurraretur: & placeret, credo, si abominabili superbiæ originis corruptæ, tanquã labili basi fundaretur. Parco subdere testimonia: quia plura ex Cantico huc transferre quiuis potest, aut passim apud Patres plurima inuenire. Solùm noto, quòd cùm ab his affirmetur, frequenter occultam superbiam, manifestâ luxuriâ puniri, satis indicari, constupratam priùs animam per superbiam, constuprabile per fornicationem

1396. *Superbia, luxuriæ mater.*

corpus reddidiſſe. Pluſquàm ergo angelicam Mariæ virginitatem non ſatis colimus, qui illi aliquando originariam ſuperbiam admiſcemus: vt, quæ ex ſe nec leui næuo fœdanda edebatur, turpiſſimo ſtuprabilitatis principio macularetur.

1397. Aptiùs tamen adhuc ad rem, in qua ſumus, facit & hoc aliud. Ne quid Chriſto cum Dæmone conueniret, Matrem ab omni leuiſſima culpa actuali curauit præſeruandam. Cùm ergo, vt in ſuperiori Anthologia latè probaui, aptiſſimam radici ſoleat Deus medicinam adhibere; quid prius, quid antiquius haberet, quàm innatam illam corruptæ originis ſuperbiam anteuertere, vnde vitia cuncta ſolent priuato iure pullulare; cùm diuino iam Oraculo celebretur, malorum omnium initium eſſe ſuperbiam? Quid decentius cogitaret, quàm Matri primæuam originis humilitatem irrogare, qua deinde inoffenſo pede, viam virtutis ſecuriſſimè percurriſſe intelligatur? Planè hinc facillimè dignoſcitur de Matris defectu actuali, nihil inter Chriſtum, & Belialem ſuperbum conueniſſe: quòd ab initio illi virtutum ſecuram indidit nutricem, humilitatem: & lenam vitiorum, ſuperbiam effugauit. Dixi de primo pluſcula in Cantico, vbi de hac virtutum baſi, & fundamento: denuò pauca ſuggero. Inter alia piiſſima verba, quibus Iacob contra fraternam furiam, diuinam ſibi opem implorabat; hæc intermiſcet: *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis regredior: erue me de manu fratris mei Eſaü.* Geneſ. 32. num. 10. Quaſi diceret: Humili à te, Domine, ſpiritu donatus, cedens propterea inuidis fratris furoribus; baculum tantummodo, ſiue arundinem vilem ſociam mihi adhibens, hoc flumen olim pertranſiui: nunc ipſa tuæ gratiæ dona nouis cumulans præmiis, diuitem, & onuſtum ſpoliis iam reducis. Ergo erue me: neque enim tu vnquam gloriam, & opes, niſi ſecuras, & firmas, præconceſſæ humilitati aſſignaſti: neque ego aliunde rerum mearum ſpem in tutiori colloco, quàm dum tui dono, me humilem recognoſco. Sic ex mente Guillelmi ſtatim citandi, loci ſententia videtur explicanda. Illud tantummodo dubium, cur ad ſtatus ſui humilitatem ſignificandam, baculi potiùs, quàm cuiuſuis alterius rei meminerit prudentiſſimus Iacob? Cui ita ſatisfacit Guillelmus de Cailloé ibi apud Godefr. *Baculus ſpiritualiter nobis congruit, quaſi pueris: ſolent enim pueri, baculos pueriliter equitare, quorum pueritia, nobis ſeria dictat, ſi mundana contemnentes equos ſuperbiæ, quorum aſcenſor Geneſ. 49. num. 17. cadit retrò; Saluatoris pueritiam, in ſtultitia huius baculi, per humilitatis veſtigia proſequamur.* Pulchra gnome; ſed obſcuriuſcula exemplo nemini non obuio allucebit.

Humilitas, firma baſis ſanctitatis.

Geneſ. 32.

Et felicitatis.

Guillelm.

1398. Edunt quandoque equeſtria ſpectacula Dynaſtæ, & venuſtè compti equos exercent pulcherrimè phaleratos: ſuperbiunt illi ornatu, hi ſeſſoribus, intuentium ſe oculis venditantes. Euenit frequenter, vt horum quidam haud ſatis domiti, vel leui nouitate perterriti, vel innato furore feruęſcentes; inflatis ſubitò naribus, arrectâ iubâ, poſtremis tantùm calcibus nixi ſe ſe attollant; miſeros ſeſſores ab ephippio pariter, & à vita deturbantes. Hæc, dum ad forum maius. Videre eſt ad priuatas plateas, pueros baculis, & arundinibus ſuperequitantes colludere, nihil per ludum, ab equitibus ſeriò exercitum, prætermittentes. Fingunt popiſmata, demittunt habenas, ſoluunt e carceribus, ſiſtunt ad metam: nunc gyrant ſedulò: nunc gradatim veſtigia componunt: nunc glomerant properantes, & tolutim greſſus diſponunt: inſultus ſimulant, fugas, ictus, caſus: denique nihil ibi cernitur, quòd hîc non exprimatur: niſi quod extra aleam, citra periculum. Sic in re noſtra. Hoc vnicum diſcrimen inter ſuperbi, & humilis animi glorias reperitur; ille, dum vehitur tumens, aut cadit, aut impellitur, aut colliditur, vtpote ſublimior: hic demiſſus, & prudenti diuinæ pueritiæ fretus ſtultitia, nec periculum ſubit, nec poterit deturbari. Vnde ergo ſecurior Maria extra cuiuſuis lapſus aleam conſtituatur, quàm ſi ab origine, effrænem ſuperbiæ equum equitans intelligatur?

Exemplo illuſtratur.

1399. Poſtquàm inimicarum gentium ſuperbiam, à Deo conculcandam, & deriſui exponendam celebrat Dauid; ſic Dominum precatus ſubiungit: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam: quia, Deus, ſuſceptor meus es.* Pſ. 58. num. 10. Planiſſima primo aſpectu ſententia, quæ tamen ſi exenteretur, iam de reuelato myſterio, non ita fuiſſe facilem apparebit. Benè etenim, & pro debito obſequio, Dauidica fortitudo Deo cuſtoditur, dicanda, ſcilicet, & eiuſdem ſeruitio impendenda. Sed, cur ſua dicatur, quæ tantũ à Deo illi indita fuerat, qui poſuit, vt arcum ęreum, brachia eius? Quid tibi fortitudinem videris aſſignare, Rex prudentiſſime, dum dicis *meam*: ſi iam profanata furto, eo ipſo minùs grata Domino cuſtodietur? Imò nihil humilius coram Deo, vnde nec ſibi aliquid vtilius proferre potuit: non furem contumacem, ſed ingenuum debitorem ſe exhibet Dauid. Pulchrè locum explicuit D. Anthon. de Pad. Dom. 14. poſt Trinit. *Fortitudinem meam ad te, id eſt, tibi attribuendo, cuſtodiam. Vis, quod accipis, cuſtodire? Non tibi, ſed Domino tribue. Si verò tuum tibi attribuis, furti reus conuinceris.* Inde itaque tantummodo ſuam dixit: quia in illo erat; tanquàm in depoſitario, ſcilicet, fideli, & de benignitate Domini, vſufructuario. Quod dum humiliter fatetur; iam ſecuros ſibi, eius fructus ſeruandos, & cuſtodiendos agnoſcebat: nullibi enim acceptas à Deo dotes foues feliciùs, ſecuriùs cuſtodis, quàm in humilitatis ſcrinio, nullo vnquam Dæmonis furto diripiendas. Decenter ergo tot dotibus Mariæ intactis conſeruandis, intactum hoc ſcrinium præmiſſum deſignatur. Fruſtrà poſteà neque minimum comptum à Dæmone ereptum profitemur, ſi in ipſa origine totius comptus cuſtodem occiſum, totum præreptum ſcrinium exiſtimamus: imò ideò ſcrinium hoc de cætero inuiolabile facilè intelligitur; quia initio, neque bipenni impia perfringi, neque adulterina claui potuit aperiri.

Pſal. 58.

Humilitas, virtutũ cuſtodia.

Anth Pad.

1400. Iam id, quod de ſuperbia protuli, profert eleganter idem Dauid Pſ. 35. num. 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.* Superbia, vt alibi dixi ex Plinio, vtpote frontoſa, inter ſupercilia hominis, thronum collocauit: nihil in illo præruptius inuenit: ideò effrons tota in frontem corrugatam commutatur. Cur ergo pes tantummodo appelletur? Reſpondet idem D. Anthon. Dom. 2. poſt Paſcha;

Pſal. 35.

Plin.

Superbia, radix vitiorum.

Anth. Pad.

Pascha: *Sicut enim omnia membra pedi innituntur: sic omnia vitia superbiæ, quia ipsa est initium omnis peccati.* Hic pes vbi semel te ingreditur, & calcat; iam basim subsequentibus vitiis subministrat: expelleris è pio cœtu, nec poteris stare: gressúsque in omnia iniquitatis genera retorquebis. Ideò iterum Psal. 118. n. 132. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.* Vatablus vertit: *Formato gressus meos eloquio tuo: & non dominetur mihi vlla vanitas.* Vbi vlla fuerit superbia, siue vanitas; ibi iam quasi in radice, omnis iniustitia dominatur. Optimè ergo infertur, ideò à Deipara actuales omnes defectus effugisse; quia nunquam illam originalis superbiæ pes calcauit: nulla illi deinceps dominata fuit iniustitia; quia nulla protoparentis superba vanitas affecerat eandem. Sic Christo minùs conueniat cum Beliali superbo, cùm Mater à superbia fuerit alienior.

Psal. 118. Vatabl.

1401. Tandem sic concludo. Gaudet Deus, vt opera naturæ, & gratiæ, quæ producit, sibi inuicem correspondere videantur: vtque in tam diuersa materia, similis adfixus character vnum, & eundem authorem manifestet. Hinc est, vt, qui ad naturalium productionem nihil sibi assumpsit, vt creationem, excellentissimam à se actionem, de nihilo subiecti manifestaret; sic in spiritualium productione, aliquod nihil cupit inuenire, vnde excellentissimam operationem suam commendauerit: & quò maiorem molem sanctitatis molitur, eò profundius hoc nihil prærequirit. Nemo autem negauerit, eò excellentius hoc nihil reperiri apud Sanctos, quò humiliores se nihil putant: nihil sibi tribuunt, omnia à Deo habere profitentur: ab hac annihilatione beata ædificium suum inchoat Omnipotens. Superbus verò dum intumet, dum sibi arrogat, iam è se aliquid secum gestare cupit, vnde diuini operis, ex nihilo illustriùs producendi, excellentiorem contendit offuscare. Cogita ergo, quantò excellentiorem molem in Maria, quàm in Angelis diuinus Architectus meditaretur: & iurabis, longè accommodatiùs nihil hoc humilitatis in illa, quàm in Angelis refulsisse. An verò talis intelligatur, quæ in Adamo rebellis, in origine radicaliter superbiens intumuit; Lector, etiam minùs emunctus, iudicauerit. Subdo huiusce rei exemplum non inelegans.

Vnde tot humilitatis priuilegia.

1402. Destinabatur Iacob à Deo, in principem familiæ, primogenituræ titulo extollendum. Nihil ergo videbatur expeditius, vt forti suauitate præpositus scopus attingeretur, quàm si puer, qui iam fratrem in vtero supplantarat, prior egrederetur, ipsóque anterioris ortus iure, magna illa promissa obtineret: nec tamen ita res euenit. Nascitur, vt nosti, priùs Esaü: *& protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Genes. 25. num. 26. Hic est Iacob. Plantam, tanquàm spolium, tenebat supplantati priùs: tanquàm symbolum deinceps sæpiùs supplantandi. Cur ergo hunc ortu priorem non edit Deus, quem priorem dignitate futurum destinabat? Quia, si prior Iacob nasceretur, iam maxima illa, quæ in illo deinceps Deus collocaret, illustrioris apud homines natiuitatis videbantur supponere fundamentum: iam gratiæ primogenita, primogenitis naturæ inniterentur: vult autem Deus ad summa illa, quæ destinat, vt merum quoddam nihil supponatur, vt ita magis denuò facere, quàm facta iam augere videatur. Hoc est, quod de humilitate ponderabam. Pulchrè ibi Oleaster: *Stupenda valdè sunt indicia Dei: vt Israel esset magis gratus Deo, noluit eum primogenitum facere, sed eum extollere ad primogenituram; non solet Dominus alta eleuare, sed infima.* Id est, noluit eum ab ortu facere primogenitum: quia iam ibi ius naturæ, præoccupare gratiam videretur beneficij: sed eum posteà extollit, (sicut in humilitatis infimo solet,) vt id totum à gratia processisse nosceretur. Ipse se clariùs aperit statim: *Non gaudet Deus facta facere, sed infecta. Esaü ex vtero factus exiit: ideò nihil amplius voluit Dominus in eo facere: non sic frater eius, ideò à Domino factus est magnus.* Magna ergo illa, quæ Mariæ fecit Deus, necessariò felix illud nihil, id est, ancillæ humilitatem respexerunt: & quò hæc illius magna, maiora sunt, quàm quæ Angelis facta; necessariò illibatiorem humilitatem requirebant. Non itaque ab origine Mater superbiens, ne Filius cum effræni Beliali aliquid commune sortiretur.

Idq; exemplo declaratur.

Genes. 25.

Oleast. In Visitat. Mariæ.

§. V.

Obedientia protoparentis, inde pretiosa, quia non causam, sed meram imperantis Dei voluntatem requirebat. Hæc illi seruitus rationalem libertatem conciliabat.



HVCVSQVE de superbia, & humilitate in genere disseruimus: quia natura ab origine corrupta, tota superbiens est: & Belial, id est, *absque iugo*, humilitate prostratâ, totam tumidè superbiam spirat. Iam nunc ad priuatam quodammodo humilitatis speciem, *obedientiam*, scilicet, veniamus: tum, quia hæc præcipuè per protoparentum inobedientiam, spreto diuino præcepto, violata, ab Scriptura, & Patribus deploratur: tum, quia in obedientia originaliter ab Adamo nobis transfusa, coniunctiores nos reddit Beliali, qui primus rebellans, obedientiæ iugum rupit, & debitæ summissionis vincula confregit: vnde in Matre per inobedientiam fœdata potiùs, quàm quauis actuali culpa, maiorem Christus conuentionem haberet, cum Beliale. Videamus igitur, quanti Deus faceret protoparentis obedientiam, cui merè originalem gratiam posteris communicandam obligauit: deinde, quomodo rebellante illo, ab origine corrupta rebellem inobedientiam hæreditemus: deinde, quàm Christus hanc obedientiam curauerit resarcire; quámque obedientiæ filialis, Mater æmula: ne in Adamo, aut saltem ne in se aliquando rebellasse intelligatur. Tunc si quæ alia videbuntur annectenda, haud parcentes labori subiungemus. Prædicto itaque ordine procedamus. 1403.

Obedientiæ excellentia.

1404. De protoparentis obedientia, deriuandæ nobis gratiæ felicitas dependebat: originaliter grati nasceremur, si Adamus, vt par erat, obediens permaneret. Neque mirum: pretiosissima enim erat apud Deum, & diutino etiam in filios fauore prosequenda, obedientia illa, quæ tantùm de mera imperantis voluntate imponebatur, quámque feliciter cæcus Adam, non sub alio rationis, necessitatis, aut conuenientiæ motiuo; sed sub solo obsequij tenore, intuitus exequeretur. Nihil gratius domino subditus potest reddere; nihil grandius à subdito dominus potest postulare. Obsidebant Philisthæorum castra Bethlehem; & in agmine instabat castris hostilibus Dauid: suspirat interim aquam difficilis cisternæ, nec nisi rupto hostium munimine, effuso suorum sanguine, comparandam. Vix suspirata vota Regis percipiunt tres duces è fortissimis, cùm per summum vitæ periculum illato hostibus excidio, allatam aquam offerunt Principi, vt crederes, sitibundo. Abstinuit tamen Dauid, qui *libauit eam Domino*. 2.Reg. 23. num. 16. Ecquæ culpa, si sitientibus labris aquam admoueret? Certè nulla. At, inquis, carò extitit: vnde noluit minùs temperanti desiderio; aquâ pretio emptâ sanguinis adblandiri. Demus minùs temperans fuisse aquæ desiderium; at semel allatâ, iam grati animi foret significatio, si potaret: ne vile suorum reputasse obsequium videretur. Quid ergo? Non sitierat Dauid: idque dum effundit aquam, suis manifestat: neque vile fuisse sibi obsequium sic declarat. Cur igitur tanto discrimine aquam imperat, quâ non eget? Respondet Ambros. in Apol. Dau. cap. 7. *Exercuit subditos ad virtutis officium: vt etiam per pericula, regali imperio voluntarij milites obtemperarent. Quòd autem noluit bibere, declarauit, probandorum militum se imperasse gratiâ, non sitis victum necessitate.* Nihil ab illis maius potuit postulare, & accipere: vnde in hoc præstantissimo obedientiæ genere, non tam aquam, quàm heroïcæ virtutis experientiam sitiebat.

Obedientia non causam, sed superioris attendat voluntatem.

2.Reg. 23.

Ambros.

1405. Hinc iam capies, cur protoparenti præceptum imponatur in ligno scientiæ: *Ex omni ligno comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Genes. 2. n. 16. Nunquid lignum istud in Paradiso productum pestilens erat? Absit: imò optimum. Nunquid occultior aliqua causa apud Deum, cur illud potiùs, quàm cætera prohiberet? Non apparet: nec vlla probabilis de singularitate excogitabitur. Cur ergo ibi potiùs, quàm alibi præceptum constituitur? Vt mera imperantis voluntas agnosceretur: vt homo solummodo disceret obtemperare, quia Dominus, quà talis, poterat imperare; congruam præcepti causam, merum dominantis arbitrium; arbitratus. Tertullianus (si fortè is est) lib. de Trinit. cap. 1. *Cum omnia in seruitutem illi dedisset, solum liberum esse voluit: & ne in periculum caderet rursus soluta libertas, mandatum posuit: quo tamen non in esse malum in fructu arboris diceretur; sed futurum si fortè, (ex voluntate hominis, de contemptu laræ legis) præmoneretur.* Sic interpungo impexum locum, &, ni fallor, apertiùs penetrandum. Ergo non fructus ille malus dicebatur: futurus tamen malus fortasse, præmonebatur: scilicet, si præceptum violaretur. Lu igitur, *si fortè*, Tertullianicum est, vt nosti: non quòd addubitet de malitia, in præcepto violato: sed, quod, vt sæpè alibi, hac phrasi violatoris innuit libertatem. Ad rem. Noxia Adamo foret soluta libertas: ideò cohibetur præcepto: sed in illa arbore, in re illa, quam non alia ratio, sed sola voluntas Domini perhiberet: vt quò hinc Adam obtemperantior, etiam Deus in filios foret beneficentior.

Genes. 2.
Idem ostenditur.

Tertull.

Inde, ni fallor, æstuantior orta serpentis inuidia: cùm enim iste præceptum de venerando Christo tot de se circunstantiis rationabile, & etiam absque iussu peragendum, perfringeret rebellis: protoparentum obedientia torquebatur, dum præcepti nullis causis vestiti, sed mero imperio nudi, & inde difficilioris, videbat obseruatores. Propterea sic adorsus: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?* Genes. 3. num. 1. Occultam rabiem statim patere fecit: & quod magis doluerat, enunciauit. Quasi dicat: Nulla, aut ab arboris damno, aut à Dei vtilitate causa effingetur: vt meritò fructus iste prohibeatur: cur ergo tanta est stoliditas vestra, vt cæcam obedientiam, (heu quanti hodie serpentes cæcè obedientibus sic adsibilant,) & inutile præceptum exæquamini? Sed suis se verbis confundit; & Eua, si leuis, & læuæ mentis non fuisset, optimè posset respondere; ideò pretiosiorem esse obedientiam, quia cæca, imperantis tantummodo vocem, nec rationem aliam attendebat. Grauiter D. Thomas Valent. Conc. 2. de Annunc. Virg. *Neque iam difficile fuerat deprehendere fraudem, si profanum eius attendisset sermonem. Cur, inquit, præcepit vobis Deus? &c. Imò, cur non præcipiat Deus, ô miser, qui omnium est Dominus? Cur, ô maledicte, non se præcepto monstret omnium Deus, quæ condidit verbo? Quid insolentius, quid procacius, quàm ab omnium Conditore Domino, dati præcepti rationem perquirere; iussionis iniunctæ causam expetere?* Igitur hanc sic pronam, & promptam, ideóque pretiosissimam obedientiam, cui proinde Deus gratias posteris transmittendas connectebat, tanquàm eximium Protoparentum ornamentum, inuidus serpens vellicare conabatur. 1406.

Quando doceat Lamon, hanc cæstorum obedientiam.

Genes. 3.

Thom. Val.

Et benè *ornamentum* obedientia ista, quæ vbi audit præceptum, non discussa ratione, obedit illicò: neque enim aliter sic pretiosa apud Deum, hec pretiosissimè comptos obedientes exhiberet. Prodiit Eliezer quæsitum sponsam filio Domini sui, Isaaco, scilicet, spei summæ deposito, quam etiam in stellata charta Deus confirmarat: vnde certus, fore, vt felici euentu rem perageret, præbenda puellæ munera è thesauris Abrahami ditissimis apparauit: *Ex omnibus bonis eius portans secum.* Genes. 24. n. 10. Venit Mesopotamiam: vidit Rebeccam, & eam nuptam sibi promissam recognouit: cúmque ex omnibus illis, quæ tulerat, pretiosissima quæque puellæ obligandæ statim oblaturus videretur; tantùmmodo *protulit inaures aureas, & armillas totidem.* num. 22. Et ex his tantùm puella sponsi magnitudinem, & opes afficienda coniectaret? Inaures, & armillæ satis Abrahamicam opulentiam testarentur? Satis: erant grauiores, & ditiores mysterio, quàm pondere. Benè Ambros. lib. de Isaac, cap. 3. *Veniebat iam cœlestibus dotata mysteriis: veniebat magna secum ornamenta, & aurium, & manuum ferens: eò quòd auditu, & operibus emineat Ecclesiæ pulchritudo.* Auditus quidem fidei mysteriis, & obedientiæ 1407.

Hæc grande est ornamentum.

Genes. 24.

Ambros.

dientiæ præceptis auscultandis; & manus inde operibus fœcunda; præcipuè mysticis his muneribus cumulantur.

1408. Pulchrè Sapiens: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* Prou.25.num.12. Præceptum itaque asperius, & arguens, non solùm obedientem aurem auro, sed etiam gemmis ornat. Vbi nota, Rebeccæ, quæ suauitati nuptiarum aduocatur, tantummodo inaures aureas: huic verò, qui dum arguitur, asperioribus subeundis imperatur; aureas simul, & gemmatas inaures adhiberi. Ratio est in promptu: quia coronæ Dei, non solùm auro nitent, sed gemmis interseruntur. Igitur, quia quò obedientia est durior, eò certior est corona, voluit Deus; vt inauris obedientiæ, aurea simul esset, & gemmata: vt cùm statim in coronam esset vertenda, secum iam omnia coronæ construendæ necessaria deportaret. Fauet Euseb.Gallic.Serm.castig.ad hunc locum: *Obtemperando deuotio, operationis tempore fulget margaritum: remunerationis tempore delabitur in coronam.* Et est emphaticum satis in hac sententiola gemmea, illud, *delabitur:* si enim delabi dicimus, quod ab alto deorsum ruit; quomodo ab aure compta, ad frontem coronandam delabitur margaritum, quod potiùs ascendisse dicendum videbatur? Nisi, quia ita facilis, & prona via est ab aure obediente, ad frontem triumphatricem; vt iam descensus, & delapsus dici queat: nisi fortè dixeris, quodāmodo esse maius Deo obedire, quàm Deo frui: quò maior charitas exhibetur obsequendo, quàm præmia comparando. Delabitur ergo margaritum ab aure obsequente, ad frontem redimiendam: quasi altiorem sibi thronum putaret, dum seruit, quàm dum potitur.

Prou.25.12 confirmatur.

Euseb.Gall.

1409. Quæres iam ad rem nostram, vnde sic compta nobis obedientia, sic Deo pretiosa, solummodo in aure dicatur collocanda? Respondeo: quia ea esse debet, vt non tam à mente, quàm ab aure pendere videatur. Tantùm audit perfectus obediens imperata, & nihil causæ discutiens, pronus rapitur exequendis, vt audire, & obedire idem sibi esse, insinuet propemodum. Obedientia, quæ discutit, iam displicet minùs Deo pretiosa. Iactabat se quodammodo Omnipotēs, de populo sibi morigero comparando. Et vnde maximè? Pende verba; *Populus, quē non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.* Ps.17.n.45. Vatabl.ex Hebr. *Mox vt auribus percipiebant, obsequebantur mihi.* Exclamat ergo meritò Bernard. *Dum necdum paratus est visus, auditus excitetur, auditus exercitetur, auditus excipiat veritatē. Felix, cui veritas attestatur dicens: In auditu auris obediuit mihi. Dignus, qui videam, si, priusquàm videam, obedisse inueniar.* Hęc sola apud Deum pretiosa obedientia; hæc præmiorum dignè capax, quæ tantummodo audit, vt obediat: apud quam obedire, & obaudire perinde est. Iterum idem Propheta de diuinis mandatis: *Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.* Ps.18.num.12. Vatablus vertit: *Etiam seruus tuus perspicuè illis admonetur.* Ibi enim retributio multa meritò speratur, vbi pro eodem, *præmoneri mandatis, & mandata custodire* visum supponere. Qui, vt custodiat, tantummodo præmonitione opus habet; is nihil moratus non tam rationem imperij, quàm imperantis attendit voluntatem. Tam pretiosæ ergo obedientiæ Adami, meritò tam largam retributionem spondet Deus; vt ab illa, in omnes eius posteros gratiam deriuaret: vnde in illam, vt vidisti, tanquam in excellentius protoparentum ornamentum, inuidus serpens infremuit debacchatus.

Obedientia cur per aurē explicetur.

Psal.17. Vatabl. Bernard.

Psal.18. Vatabl.

1410. Vellem in hanc rem transcribere totam illam de obedientia epistolam Patriarchæ nostri D. Ignatij, quam nunquam satis laudatam admiratur Orbis. Audeo dicere, nihil in hac materia legitur, aut prudentius, aut limatius. Delibo tantùm pulchram sententiam: *Postrema subiiciendi iudicij ratio est, cùm facilior, tutiórque; tum etiam apud Sanctos Patres in more posita, vt statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior præceperit ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem. Atque vt ad credēda, quæ Catholica fides proponit, toto animo, assensúque vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda, quæcunque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sine vlla prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham filium Isaac immolare iussus.* Itaque ex mente sanctissimi Patriarchæ, obedientiæ Abrahami, non tam ex ardui operis difficultate, quàm ex feliciter cæco illo iudicio voluntatis, quo absque rationis discussione ferebatur, pretiosissima apud Deum fuit reputata. Pende nūc Abrahæ præmia: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli; & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Genes.22. à num 16. Nihil vnquam anteà homini augustius promissum: quia nullus pronior absque causæ disquisitione obediuit. In posteros suos tandem Christum emissuros, deriuat à cæca obedientia, benedictiones Abraham: sicut longè strictiori iure Adam cæcè obediens originalem gratiam in posteros deriuaret.

Obedientia cæca encomium.

Ign.de Loy.

Genes.22.

1411. Sunt elegantissima in gesto Abrahæ, & ad rem nostram, verba Chrysol.serm.55.vbi ita: *Si Deum credis, & confessus es Patrem, quidquid iusserit, quidquid in te elegerit, crede tibi satis esse salutiferum; crede satis esse vitale. Mandatis data discutere non licet: patris monita retractare non conuenit. Sit licèt paterni mandati species tristior; res tamen ipsa salutifera, & vitalis. Sic Abraham, vbi Deum, Patrem credidit, mandatorum formas non attendit asperas & acerbas. Circuncisionem recipit verecundam: & quæ cælestis Pater iubet, non discutit, sed iudicat gloriosa. Parricidium considerat perscelestum: sed quia Deus imperat, totum pietati committit.* Vbi obiter notent Superiores, frustrà à subditis obedientiam cæcam postulare, ni tales sint, vt paterni animi, & affectus, ab ipsis subditis meritò credantur. Ad rem. Non se durum dominum, & tyrannum exhibuit Deus erga protoparentes, dum, vt in rebus fidei, sic etiam in obsequiis obedientiæ, captiuandum sibi voluit intellectum: qui enim se tot exhibitis antè beneficiis patrem, & hunc tenerrimum exhibuerat; nihil non vtile, & vitale præcepturus, veniebat existimandus. Quid? Illa ipsa obedientia sic homini imposita, nouum, & magnum erat beneficium. Recole, quæ ex Pseudotertulliano suprà dedi: qui sic eodem cap. 1. de Trinit. concludit, subdens causam, cur vni homini,

Prælato solummodo qua Patri hæc obedientia solet exhiberi.

Chrysol.

Hoc hominē decorat.

Pseudoterr. homini, præter omnia animalia, arbitrium libertatis concedatur: *Nam & liber esse debuerat, ne incongruenter Dei imago seruiret: & lex addenda, ne vsque ad contemptum dantis, libertas effrænata prorumperet.* Incongruum erat seruitium, si necessariò, instar bestiarum, & non instar Angelorum liberè, homines Deo deseruirent. Addendum tamen libertati præceptum, ne effrænis iure suo abuteretur.

1412. Parum id. Ipsa hominis libertas, hoc fræno gloriosior incedebat: & quæ absque illo bruta quodammodo videretur, inde libertatis verè rationalis titulum comparauit. *Libertas est rationalis.* Attende. In illa naturali seruitute bestiarum, dum lex non reperitur, iam libertas quædam exprimitur, & immunitas: sed quàm stolida, quàm abiecta! Fastidium hîc Dei interuenit, non bruti generis priuilegium: ideò non iubentur bestiæ, ideò non constringuntur præcepto, ideò liberæ à mandati iugo dimittuntur; quia pecuina obsequia fastidio forent Creatori. At naturali hominis libertati seruitium imponitur, indicitur præceptum, obedientia irrogatur: vt seruitus ista iam rationalis esset, & gloriosior; & proinde obsequia ministraret, quæ Creatori forent delicio, & voluptati. Nunc capies germanum Tertullianum lib. 2. contra Marc. cap. 4. Tertull. *Sed & quam augusti legem, quam in controuersias torques; bonitas erogauit, consulens homini, quò Deo adhæreret: ne non tam liber, quàm abiectus videretur, æquandus famulis suis cæteris animalibus, solutis à Deo, & ex fastidio* (sic corrigo, perperam enim *ex fastigio* legitur) *liberis. Sed vt solus homo gloriaretur, quòd solus dignus fuisset, qui legem à Deo sumeret, vtq; animal rationale, intellectus, & scientiæ capax, ipsa quoque libertate rationali contineretur ei subiectus, qui subiecerat illi omnia.* Quasi non iam libertas rationalis meritò veniret appellanda, illa Adami, si à Deo soluta, & ex fastidio libera, æquanda belluinæ naturæ relinqueretur. Meritò proinde hæc obedientiæ lex non tam à rigorosa iustitia, quàm à blanda bonitate proueniens prædicatur. Meritò libertas rationalis, id est, voluntas, & intellectus, dum subiicitur; non tam amitti dicitur, quàm decorari. Grauissimè magnus meus Ignatius citatus, hanc rem persequitur, nemini aut prudentium; aut spiritualium, non lectitatus.

§. VI.

Ex protoparente rebelli, rebelles orimur: inde in antidotum, Christi obedientia: huic verò apprimè similis Mariana.

1413. XPOSVI obedientiæ præceptum gloriosum, Deo ad pretium, homini ad honorem. Debuerat Adam ipsis illud pupillis habere charius: Domino subiici, qui illi cætera omnia subiecerat. *Ideò inobediens, bestia est.* Sed, heu dolor! nihil habuit despectius. Fregit iugum, donum spreuit, præceptum violauit: & qui de libertate rationali Deo subdita, bestiis e fastidio solutis præponebatur; eadem soluta, bestiis postponitur. Nec aliunde vnquam meliùs percepi vulgare illud propheticum: *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ecquis priscus honor? ecquæ noua similitudo? Non intellexit miser honorem illum, quòd solus dignus fuisset, qui legem à Deo sumeret: vtque animal rationale intellectus, & scientiæ capax, ipsa quoque rationali libertate contineretur ei subiectus, qui subiecerat illi omnia. Ergo, dum non intelligit, negligit: legem violat, excutit iugum, quasi cupiat esse solutus à Deo, & e fastidio liber, reuera non tam liber, quàm abiectus: id est, pura, puta bestia: inde ipsis subiugalibus viliùs subiugandus, quia rationale iugum conculcarat. Ecce similitudo.

Nec id satis: si enim viliùs homo, quàm bestia subiugatur; non solùm similis, sed ipsis bestiis euadit iam longè peior. Ideò D. Prosper Aquit. de diu. prom. par. 2. cap. 2. alibi datus: *Comparatus est iumentis insensatis; & non similis, sed peior factus est illis.* Neque mirum: cur enim non peior bestiis habeatur, qui, dùm subditas per Deum bestias sibi videbat, se ipsum Deo subdere recusabat: Capiunt bestiæ è fastidio liberæ, irrogatam per Deum homini ministrando seruitutem: homo per honorem subiectus, ingenuam obsequendo Deo detrectat seruitutem. Exclamat grauiter Tertul. lib. de Pat. cap. 4. *Etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris eas à Domino prouisas, traditasque. Meliora ergo nobis erunt in obsequiis disciplina, quæ nobis Deus subdit? Agnoscunt denique, quæ obediunt: nos cui soli subditi sumus, Domino, scilicet, auscultare dubitamus? At quàm iniustum est, quàm etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris; idem illi, per quem consequeris, de temetipso non rependere.* Hæc protoparentis miseria, hæc infelicitas: inde miserior, inde infaustior, quòd loco gratiæ per obedientiam posteris transfundendæ, infames inobedientiæ suæ hæredes nos instituit, vt quemadmodum in illo omnes rebellauimus, sic in culpa originali, hanc maximè inobedientiæ labem contrahere videamur. 1414. *Et peior. Prosp. Aq.* Tertull.

Potuit quidem, sic posteros per Adami peccatum, gratia spoliare Deus, vt licèt illos tandem morti traderet; non tamen pœnis, & miseriis vitæ pariter addiceret: cùm mors sola ad minas adiiceretur. Vnde iam mirum aliquibus, cur summa illa bonitas, immensa pietas, non hanc tantùm, sed illas immisceret? Aptissimè tamen respondetur, ex ipso ligno, quod præcepti materia proponebatur, potuisse meritò Adamum coniectare, non solùm mortem, sed & malorum vitæ experientiam, sibi, & posteris de impia violatione imminere: cùm enim cætera omnia Paradisi ligna ad bonum tantummodo pertinerent; vnum verò lignum scientiæ, solummodo bonum, & malum simul inculcaret; quid iam queramur in Adamo rebellantes, & inde hæreditariam inobedientiam concipientes; si vitæ nostræ bonis, inserta etiam mala admiscentur? Fructum mali, & boni inobediens gustauit Adamus: meritò ergo nos in illo, & deinde ab illo inobedientes, mala etiam cum bonis miserè degustamus. D. Gregor. 1415. *Inobedientes sumus ab origine.*

Nicenus

Nicænus lib. de Beatit. *Nam, cùm Deus bonum, nulla permixtione cum malo confusum nobis fruendum proposuisset; vetuissétque experientiam boni cum malo permisceri: quoniam præ ingluuie, sponte nostra contrario degustato (dico autem de verbi diuini contemptu, & inobedientia) nos ingurgitauimus, & expleuimus: idcircò prorsus humanam naturam in vtrisque versari, & modò res tristes, modò lætas inuicem experiri oportet.* Sic pressè inobedientiam nostram, parentali illi connectit Nicænus: vt, quod illi euenit, nobis propriè, & pulchrè euenisse testetur: sic enim nobis ab origine contemptus, & inobedientia innata, vt à paterna illa quodammodo indistincta reputetur. — *Nyssen.*

1416. Post multa, quibus diuinæ excellentiæ dignitatem commendat Iob, sic concludit: *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.* cap. 28. num. 25. Naturam humanam intelligit, instar venti rapidam, volatilem, & violentam. Quorsum ergo, ecquod pondus naturæ adhibetur? Quorsum? Vidisti passim exorta subitò procella, apem lapillo pedibus attracto fieri grauiorem: vt pondere librata, non iam leuis in ludibrium auræ circunrotetur? sic naturæ nostræ leuissimæ, pondus inijcitur, ne facilè circunuoluta rapiatur. Ecquod tandem illud pondus? Respondet D. Anthonius de Padua Domin. 11. post Trinit. ad hunc locum: *Ventus dictus, eò quòd sit vehemens, & violentus. Natura humana ab adolescentia sua, prona est in malum, & tanquàm ventus leuis, & violenta: & ideò Deus fecit ei pondus, id est, obedientiam Prælatorum: vt ipsius pondere pergrauata, inaniter, sicut Diabolus, non eleuaretur super se, & sic miserabiliter caderet subtus se.* Leuitas ergo illa violenta, quæ per obedientiam corrigitur, inobedientia est, quam natura ab adolescentia sua (id est, dum adhuc in Adamo adolesceret) inuasit miserè, & inde per originem transmittit: vnde, sicut Adam Deo rebellans, Dæmoni obsecutus, superbiam fuit Dæmonis imitatus; sic & nos instar Dæmonis superbimus. — *Iob 28.* — *Obedientia, natura grauum pondus.* — *Anth. Pad.*

1417. Faustissimè euangelizabat Ieremias Christi aduentum, de Fœmina illa felici virum circundante: de captiuitate sublata: de gratiæ pulchritudine restituta: tunc ita subdit: *In diebus illis non dicent vltrà: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* cap. 31. num. 29. Quia cùm Christus maximè in originalis culpæ venerit medicinam; meritò stupor noster, à parentum esu contractus promittitur abolendus. Illud ergo iam venit examinandum, cur ab arbore vetita, (suppono probabilius vitem non fuisse,) non tam pomum, quàm vua gustata prædicetur; cùm pomum decerpere, non racemum vellicasse dicantur protoparentes? sed, cùm de stupore relicto, aptissimè metaphora esset desumenda, meritò pomum, quoad effectus, vua acerba, id est, propriè omphax appellatur: cùm ex omnibus immitioribus fructibus, & omphacinis, stupidiorem hebetudinem vuæ, dentibus soleant asportare. Adde etiam ex sola vua, efficacius ebrietatis instrumentum, vinum, scilicet, educi. Quidni ergo fructus inebrians, significantiùs per vuam referatur? Ecquæ alia nobis ebrietas sæuior, quàm originalis ista inobedientia? Grauiter Balduinus apud Tilman. ad cap. 35. Ieremiæ: *Amor mundi vanus est, amor voluptatis dulcis, amor propriæ voluntatis pertinax: vix enim anima quidquam plùs amare potest, quàm propriam voluntatem, propriámve sententiam: proptereà cùm à propria voluntate retrahitur, quasi a se auulsa, quasi inflicto vulnere sancia cruentatur. Amor propriæ voluntatis, vinum est mentem inebrians, & omnes sensus eius perturbans, vt putà, auditum, ne audiat obedientiam: oculos discretionis, ne videant veritatem: caterósque sensus, suis officiis destruit: in medio eorum miscens spiritum vertiginis. Vinum propriæ voluntatis eliquatum est, & expressum in torculari inobedientiæ: & vuâ acerbâ, quam comederunt patres nostri, & dentes filiorum obstupescunt. Adam pater inobedientiæ vinum hoc miscuit, & poculum mortis filiis propinauit: quasi diceret: Bibite ex hoc omnes. Et adhuc quidem bibunt ex eo omnes peccatores terræ.* Æstimaui grauissimam sententiam non interrumpere. Habes itaque originalem culpam in nos transfusam, ab inobediente Adamo; præcipuè fœda inobedientiæ rabie efferari. — *Ierem. 31.* — *Inobedientia, ebrietas est.* — *Balduin.*

Cùm ergo Christus, vt dicebam, maximè in originalis culpæ veniret medicamen: hæc verò maximè contra obedientiam insolesceret, quid prius haberet Adam secundus, quam per summam obedientiam nos reformare; qui ab inobediente primo deformabamur. Grauiter Balduinus citatus, sic statim subiungit: *Christus contrà, qui non venit facere voluntatem suam, sed Patris; calicem obedientiæ vsque ad mortem propinauit nobis dicens: Bibite ex hoc omnes*, &c. *Norunt hoc illi, qui omnem voluntatem suam suspectam habent, qui se sibi non credunt: sed alieno arbitrio se regendos committunt: qui semper trepidant a se, quasi per se aliquid velle: propterea vinculis obedientiæ sese ligant, & voluntatem suam in necessitatem conuertunt, & libertatem in seruitutem redigunt: sed omnia propter Christum, vt in Christo sit seruitus libera, & necessitas voluntaria.* Sic à Christo id boni præcipuè comparauimus, quod per culpam originalem maximè amiseramus: vt ab Adamo rebelles, iam à Christo obedientes redderemur, aptam contra venenum antidotum comparantes. Nulla charta sufficeret colligendis iis, quæ de obedientia Christi exemplaris nostri apud Scripturam, & Patres reperiuntur: subdo pauca, quæ minùs obuia, vt formandum infrà argumentum, insurgat robustius. 1418. — *Christus obedientiæ magister.* — *Balduin.*

Cogitabat iam Christus de prædicatione sua, post diutinam sacri mysterij, & ministerij occultationem inchoanda: vtque Prædicatoribus, de superando priùs Diabolo, præberet exemplum, superandis tentationibus accingitur. Sed pende verba; *Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Matth. 4. n. 1. Animus fortis, virilitas robusta, non tam duci, quàm pergere solet, hosti euertendo. Erumpit exultans, non fertur violentus: trepidantis antagonistæ est, non tam se hostibus, & periculis immittere, quàm committi ab alio. Obuiam it armatus miles strenuus, non impellitur, nisi ab innato robore. Quid ergo non tam pergit, quàm ab Spiritu Sancto ducitur Iesus, contra aduersarium? Non robori secundas tribuit, dum obedientiæ primas concedit; Inde enim Christi robur excellentius, dum nullibi absque obedientia vires voluit exercere. Pulchrè ibi Isaac apud Tilm. *Dominus Iesus omnia agit, aut missus, aut ductus, aut vocatus, aut spontaneus. Missus venit in mundum:* 1419. — *Matth. 4.* — *Idem tentatus ex obedientia.*

Isaac. *dum: ductus vadit in desertum: vocatus surrexit à mortuis*, &c. *Ad passionem verò properat spontaneus: factus tamen in hoc obediens Patri, vsque ad mortem. Doctor enim, & exemplar obedientiæ, extra eam, quæ sola via est ad vitam, nec agere, nec pati quidquam voluit.* Vt, sicut ab Adamo certissimam mortis viam inimus obedientiam: sic à Christo exemplari, certissimam vitæ viam, obedientiam, scilicet, aggrediamur.

1420. Pulchrè verò ab hoc Patre, tunc maximè *spontaneus* dicitur Christus, cùm mortem subit, cui maximè de imposito præcepto obligabatur: quia quò obedientia mortis erat cæteris omnibus difficilior, eò ad illam promptior, & magis spontaneus Christus properabat: vt ita excellentiùs obediens exhiberetur. Notauit sedulò Ioannes describendas moribundi Christi actiones, quem iam expiraturum sic describit: *Et inclinato capite, tradidit spiritum.* cap. 19. num. 30. O quid hysteron proteron, in te tam attentè explicanda committis, Euangelista? Agedum, commuta verba: priùs sic moribundi animam efflant, quàm inclinent caput: Christo sic eueniret: nec enim in hoc gesto, mortalium consuetudinem mutasse, credendum venit: cur enim priùs inclinaret caput, quàm expiraret? Sed audiendus D. Athanasius in Quæstionario, quæst. 76. *Quid est illud: Et inclinato capite tradidit spiritum. nam omnes moribundi moriuntur primùm, & tum demum inclinant capita? Quia omnes Scripturas Christus adimpleuit, Incarnationem, Natiuitatem*, &c. *Istis, inquam, omnibus impletis, quæ pati debuerat, sola mors restabat adhuc: atque hæc quidem sibi metuens appropinquare non audebat; ideò Christus inclinato capite vocauit ipsam: nam, antequàm caput inclinasset, verebatur propiùs accedere.* Vnde ergo magis spontaneus obedientiam mortis adimplesset, quàm dum metuentem vocat annuens, & potenti nutu quodammodò trahit inuitam? Sic nos inuitat ad mortem, aut violentam, aut naturalem, pro ipso hilariter, susceptâ obedientiâ, subeundam.

Mors Christum timuit.

Ioan. 19.

Athanas.

1421. Hinc monitum illud Petri: *Christus passus est prò nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* 1. c. 2. 21. Et quomodo passus? Nónne, vt fide cõstat, per obedientiam? Haud dubiò. Non igitur plenè Christi vestigia sequeris, licèt pro ipso moriaris, nisi etiam obediens moriaris. Martyres, præcepto non deserendæ fidei obediunt moriendo: cæteri, nisi vsque ad mortem in obedientia perseueremus, vt iam obedientes mori videamur, minùs perfectos Christi nos exhibere imitatores. Ideò ergo Antistitum Antistes, tunc maximè in exemplum proponit Christum, cùm obediens moritur, vt, qui omnia per inobedientiam amisimus, tunc omnia Christi bona comparemus, cùm eius obedientiam didicerimus. Grauiter iuxtà, & acutè Balduinus ad hunc locum apud Godefrid. *Obedientiam vsque ad mortem requirit à nobis Sanguis Christi, qui pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum*, &c. *O rem mirandam, & stupendam! inde obligamur vsque ad mortem obnoxij, vnde per mortem dimittimur, à morte liberi: inde debitum mortis contrahitur, vnde debitum mortis absoluitur. Iam ergo ex noua causa debitores mortis sumus: quanuis non ex veteri culpa; nihilominùs ex noua gratia. Sed mors peccatorum pessima, debita pœna quadam est exsolutio: sic tamen vt ingratitudinis nulla sequatur absolutio. Pretiosa verò mors Sanctorum, per mortem Christi est quædam gratiarum actio, & vicissitudinis nonnulla similitudo: hæc autem similitudo mortis, obedientia est vsque ad mortem.* Quasi dicat: Si Christus moritur, ô Petre, vt morte sua nos à morte liberet; quomodo moriendi exemplo, ad commoriendum illi, nos inuitat? Quomodo per Christum mortuum, morti obligamur; si ipso mortuo ius vitæ comparauimus? Ad mortem, nimirum, obedientiæ gloriosiorem omni vita prouocamur: & quanuis naturalem hanc ex delicto non deberemus, iam esset ob dilectum subeunda. Vide, quæ suprà de simili Deiparæ morte latè dixi. Itaque Christus ex obedientia, iam soluta maledictione, nobis obedientibus mortem pretiosissimam relinquit.

1. Petri 2.

Obedientia vsque ad mortem quare.

Balduin.

Quid plura? Totus mortifer de inobedientia extitit Adam primus: salutifer totus de obedientia extitit Adam secundus. Aduerte, si non aduertisti ad verba illa Pauli toties repetita: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Philip. 2. num. 8. Quid ergo? An, si Christus acceptandam Patri pro nobis mortem offerret, nec id tamen ex obedientiæ ageret præcepto, Iesus non diceretur, & glorioso hoc Saluatoris titulo careret? At fortè non acceptaret Pater illam mortem, quam, vt pro nobis actu haberet efficacem, obedientiæ præscripto voluit cumulatam. Pulchrè Bernardus in Serm. *Ecce nos.* vbi ita: *Ipsum nomen Iesu, quod est super omne nomen, & in quo flectitur omne genu, obedientiæ remuneratio est.* Ac si non tam ob magna, quę passus, quæ operatus est Christus, gloriosum Saluatoris titulum obtineret, quàm quòd & opera illa, & tormenta obedientiæ sacræ apice coronantur. 1422.

Iesu nomen obedientiæ præmium.

Bernard.

Iam vela dictis à num. 1403. rei nostræ contrahamus. Obedientia in statu innocentiæ pretiosissima apud Deum, quam proinde Dæmon summoperè ab homine eripere procurauit: vt primus rebellis, rebellionis consortem haberet naturam nostram secum pariter in Infernum detrudendam: omnis quippe posteritas Adamo deturbato, inobedientiæ furore insaniens sic Duci Dæmoni magis adhærebat. Hinc Christus obediens affert medicinam, & obedientiæ pondus nobis iniicit, ne deinceps instar Dæmonis, superbientes eleuaremur. Nihil ergo nos inobedienti Dæmoni fecerat similiores, quàm hæreditaria inobedientia originis: nihil à se Christus totus obediens, magis voluit alienum, quàm dæmoniacum hoc vitium: nihil maiori cura contendit, quàm nihil in carne sua Adamaticæ inobedientiæ reprehendi. Quæ igitur mens concipiat, eum, qui ne cum Beliali superbo, & iugum rumpente conueniret, omnem maculam leuissimam longè auertit à Matre; eandem in originali inobedientia reliquisse? Concarnis Christo Maria, inobediens, & tota Belialem spirans, non plùs filium necteret Beliali, quàm si leui otiositatis nutu degeneraret? Cæcus videat. 1423.

Obedientia Mariæ.

At quàm sedulò obedientiæ Princeps, Matrem obedientissimam curaret Christus, satis vidit Alanus iam suprà datus, qui ad illud: *Collum tuum, sicut monilia.* Cant. 1. num. 10. vbi hoc monile, 1424.

Similis Christi obedientiæ.

nile, de Christi obedientia explicauit: *Ornamentum ceruicis, quæ est obedientia, Christus est: ipse enim prior factus est obediens vsque ad mortem: exornatio ergo, & monile ceruicis eius, id est, obedientia Virginis, obedientia Christi est. Sed & ceruix eius, id est, obedientia, similis facta est obedientiæ Christi, quæ est monile Christi. Magna ergo in hoc laus Mariæ, magna eius gloria: quòd imitatio eius gloriæ, exæquatur obedientia Christi, quam imitatur ipsa.* Expendi alibi, ad rem aliam hunc locum. In præsens nota, quàm nihil paternæ inobedientiæ contraxerit Maria, quæ de obedientia maximè Christo similis, (quantùm res patitur, ad exæquationem) commendatur. Quæ ergo de peccato veniali quouis, contra cæteras virtutes; minùs, quàm par erat, Christo veniret similis; putas in ea virtute, quam maximè Christus fecit, & in qua Mater illi dicitur simillima, originalem inobedientiam meritò admisceri? Putas prædicta nuper obedientiæ ornamenta Adamo ablata, decenter etiam Mariæ auferenda, quæ in eam parabatur, cui, tanquàm in similiter obedientem, ipsa Christi obedientia, imò ipse Christus obediens instar gemmati monilis dederetur? Decorè sanè absque obedientiæ iugo, & instar Belialis, soluta ponitur illa, cui is, cui nihil conuenit cum Beliale, tanquàm iugū decorum, tanquàm gloriosum monile destinabatur!

Alan.



ANTHOLOGIA XXI.

Maria Dei thronus purissimus ad delicias.

§. I.

Diuina stabilitas mobilis: inquietus Deus, donec in corde puro requiescat: vnde Maria thronus purior commendatur.

1425. X eo, quòd singularissima Deus in Maria habitaret ratione, non solùm amicè gratam animam eius, sed etiam corporaliter adimplens casta viscera; infert benè Doctor Angelicus, nulla nec leuissima culpa actuali Deiparam aliquando temeratam: longè meliùs illaturus ab originali macula præseruatam: cùm hæc (vt clariùs ipsa luce, in Examine demonstraui) non solùm fœdiùs animam coinquinet; sed etiam speciali quodam modo carnem, & viscera suscepura Deum conspurcaret. Vnde ergo sibi indecens habitaculum de præterita culpa veniali exhorreret; quod de originali longè fœdiori deleta, non exhorruisse præsumitur? Rem ergo vt anthologicè illustremus, videndum in primis, quàm voluptuosè sibi ad delicias humani pectoris habitacula quærat Deus, illáque purissima: quàm doleat, hæc sibi de admissa labe denegari. Inde patebit, quàm ardenter sibi dilectius tabernaculum Marianum affectaret: longè penitiùs doliturus, si sibi de spurcitia contracta eriperetur: quippe ex totius Ecclesiæ mente Mariæ tribuuntur verba illa Prou. 8. n. 30. *Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludēs coram eo in omni tempore.* Vbi Septuaginta apud Sixt. vertunt: *Eram penes illum disponens, ego eram, cui adgaudebat: quotidie autem iucundabar in facie eius, in omni tempore.* Quasi dum cætera omnia construeret, Mariam altiùs construendam meditaretur, proludens in paruis, (vt suprà fusè dixi,) & quodammodo in Angelorum, & protoparentum innocentia proficiens artificio: vt tandem perfectiùs innocentiorem Matrem produceret: cui proinde vni, inter omnia, tanquàm longè excellentiori domicilio, iam ab initio sæculi dicitur adgauisus. Iam ad rem.

Omnes creaturæ, Mariæ proludia.

Prou. 8.

Gloriatur Deus, & meritò, stabilitatis suæ, quòd motis cælis, immobilis perseueret: vnde Sap. 7. num. 23. diuinus Spiritus dicitur *humanus, benignus, stabilis, certus, securus,* vt nihil in illo immobilitatis, de stabilitate certa, & secura, inesse cognoscatur. Quis ergo iam non miretur, ibidem num. 20. eundem hunc Spiritum diuinum, & æternæ sapientiæ assistentem, *mobilem* appellari? Pende verba: *Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis.* Imò, quod magis est, de eodem Deo, iam sub diuinæ sapientiæ Numine, & nomine, explicato, additur num. 24. *Omnibus enim mobilibus, mobilior est sapientia.* Et quomodo esse potest, vt summa stabilitas, cum mobilitate summa possit cohærere? Vnde fiat omnium mobilior Deus, à quo terra ponderibus librata suis stabilitatem mutuatur? Respondet D. Gregor. Magnus homil. 5. in Ezech. *Homo quippe in ea regione, in qua est, vbique discurrit: proculdubio vbique obuiam venit: & repentè, vbi non creditur, inuenitur. Omnipotentis ergo Spiritus, vt vbique præsentia signaretur, simul & mobilis, & stabilis dicitur: stabilis, quia per naturam omnia continet: mobilis autem dicitur, quia vbique etiam nescientibus, occurrit. Tenens ergo omnia, stabilis: præsentem se omnibus exhibens, mobilis appellatur.* Sumit S. Doctor exemplum ab humano discursu: sed ita sumit, vt satis exprimat, quodammodo fieri mobilem Deum, dum mobiles quærit homines: du-

1426.

Sap. 7. Deus mobilis, vt peccatorē sibi subdat.

Gregor.

dum iustificandis occurrit: donec in illis stabilem quandam requiem sortiatur: inquietus interim, & dolens, purissima sibi hospitia denegari.

1427. Ignorat nemo ex Ruperto, quid sit illud Genes. 1. n. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua; & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ferebatur, nimirum, quasi inquietus, quasi mobilis, huc, ac illuc concursando: et tandem dicitur quieuisse, donec creato homine innocente die sexto, *requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat.* cap. 2. n. 2. Vtpote iam constructo hoc vno gratissimo tabernaculo. Sed adhuc ly, *ferebatur super aquas*; maiori emphasi dictum mihi videtur. Cur enim, si iam tunc terra producta erat, licèt sub aquis; non ibi, sed super aquas volitet Spiritus? Cur non tam aquas intimè, quàm super aquas dicitur deferri; quasi humesceret, credo, si eò penetraret? Sed nosti, non terram stabiliter fixam; sed aquas mobiliter fluidas, frequens, & clarissimum lapsi peccatoris symbolum haberi. Aquæ genio suo fluctuant, feruntur æstuanter, mobiliter agitantur. Talem ergo se Deus in typo iam ostendebat, qualis erat in figurato ostendendus. Non penetrare intimè aquas dicitur; sed desuper inquietus volitare: quia à fœdo humani cordis eiectus domicilio, cupidus redeundi, illud superuolitat: vt homo recuperata puritate, hospitem iterum dulcissimum excipiat. Suaui comparatione rem illustrat ad hunc locum Hugo Card. *Ferebatur: quia quæcunque fluant homines per peccatum, semper superfertur Dominus: sicut auicula super nidum, cùm pulli eius rapiuntur.* Sic requiem suam queritur ereptam, quærit recuperandam.

Genes. 1. & 2. Quàm sollicitè Deus nos quærat, & lapsos doleat.

Hug. Card.

1428. Vix peccat Adam, vix Eua labitur, cùm subdit Textus: *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis,* &c. Genes. 3. num. 8. Non ambulans simpliciter auditur Deus; sed deambulans, id est, huc, ac illuc quasi errabundus, & vagus: nec abire volens; & tamen discedere coactus. Benè Hugo Victorinus ibi apud Godefr. *Neque abiit in directum elongans, quasi irreuocabilis, nec reuersurus amplius: sed propè gyrans, & iuxta deambulans: abiit, & non abiit, modò vadens, & modò rediens: & magno quodam incerto æstuans: quasi nolens sedem suam deserere: nec valens pollutam mansionem sustinere.* Quæ verba altiùs dedi ponderata in Cant. Tropol. n. 879. Venit tamen huc apta prædicti alterius Hugonis comparatio. Sic auicula, cuius pulli, aut sæua manu rapti, aut duriori fuste deiecti, nidum iterum, & iterum superuolitat: vt Deus erepta protoparentibus innocentiæ pulchritudine, corda vacua, nidum priscum anxia auiditate circumgyrabat. Illud tamen hic denuò venit ponderandum, cur cùm Deus posset, pia hæc desideria manifestare, si quodammodo defixus, & attonitus Adamo adstitisse describeretur: eo, scilicet, habitu, quo solemus erepto nobis thesauro hærere perculsi, quóque Magdalena, erepto sibi Domino, adstabat monumento; non stans, sed gyrans, & deambulans ostendatur? Nimirum, hac mobilitate, teneritudinis suæ stabilitatem commendat Deus: neque enim aliunde dulcior appareret habitaculi sui desiderator, quàm dum illud per culpam iam videbat instabile, & mobile, ipse instabilis, & mobilis quodammodo redderetur. Idem Venerabilis Hugo Victor. citatus: *Non ambulauit, sed deambulauit huc, ac illuc, quasi errabundus, & vagus, in directum non vadens, sed pergens quocunque: hoc est deambulare. Et quare deambulare voluit? Vt ostenderet se talem foris, qualis intus cœperat ille esse: iam enim in eo mota erat veritas, & fluctuabat: & ideò veritas foris deambulabat: deambulabat tamen, & non discedebat,* &c. Sic diuina stabilitas mouetur inquieta, donec iterum pura mansione ad requiem fruatur.

Genes. 3. Inde diuina quies inquieta.

Hugo Vict.

Expertus prodigus adolescens, quanto suo damno à blandimentis paternis, à geniali domo deuiarat; iterum paternam domum cogitat, æternam pietatis suspirat mansionem: surgit, pergit, & vix apparet, *cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ipsius.* Luc. 15. num. 20. Exercet quidem Deus misericordiam: sed cur stabilis natura, misericordia motus exprimatur? Non mirandum: quandoquidem, qui progressus non potest exercere corpore, qui spiritu implet omnia; sic tamen pietatis graditur affectibus, vt accurrens, necessariò currisse supponatur. Chrysol. serm. 3. *Mouetur misericordia, qui loco non potest dimoueri: accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu.* Scilicet, non tam auidus, &, penè dixerim, indigus, filius paternæ domus; quàm pater filialis pectoris habitaculo egere videbatur. Motus currit, & accurrit, hospitium iam gratiâ paratum ad delicias habitare: vt qui haram porcorum iam reliquerat, in aram Dei purissimam sacraretur. 1429.

Et mota mobilitas.

Luc. 15.

Chrysol.

Dæmonis quidem vmbram, & inde nigerrimam, emisit Noë ab arca coruum exploraturum aquas diluuij: *Qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Genes. 8. num. 7. Feliciora deinde auspicia capturus, Spiritus Sancti typum emisit columbam: *Quæ cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam.* Ibidem, num. 9. Adhæsit, vt nosti, coruus corruptis putredine cadaueribus, pastu fæculento, inter lutulentas algas immoratus. Sed, cur columba his abstinens, ad aperta iam diu montium cacumina non immoratur? Nimirum, inquis, munditiis assueta, ab his humidis adhuc, & cœnosis abstinuit: optima ratio, si cacumina adhuc cœnosa erant. Sed, quid dicendum, si post quadraginta dies, iam nec immeritò, siccata existimemus: cur ibi non requiescat paululùm columba? qui dum typus Spiritus Sancti fausta nuncia iustis laturus emittebatur; non in altis, & de peccaminosa superbia elatis, potuit vel breue ponere hospitium: tandiu inquieta, donec in arca apud iustos requiesceret. D. Anastas. Sinaita Hexam. lib. 1. *Prior coruus auolauit super aquas: & cùm suffocatus esset, vel periisset tenebrosus coruus Satan, aut etiam ad crassitudinem, & carnalitatem peccati adhæsisset, (non enim possumus omnes sermonem capere;) tunc Spiritus Dei columba superferebatur, volans super aquas, non inueniens requiem pedibus suis, vt tabernaculum figeret in homine, aut inhabitaret, aut inambularet: etiamsi omnia montium cacumina essent detecta: quæ quidem significabant peccati infirmorum euidentiam, & vitij nimiam elationem, eiúsque induratam, & callosam vecordiam.* 1430.

Genes. 8. Spiritus Sanctus in humilibus requiescit.

Anast. Sin.

Vides Deum inquietum, & sollicitum, vt mundissimam sibi inueniat mansionem: vides illum 1431.

Maria Spiritui Sancto similis. illum à cæteris creaturis deuiantem, vt solùm in homine iusto requiescat: nec dubitabis longè ardentiori desiderio, longè inquietiori, vt ita dicam, voto, exoptasse Mariam Christum parituram: Christo enim condendo, omnia ab æternitate Dei vota collimabant. Si ergo ministratura Christo thronum, & habitaculum, immunda de leuissimo næuo actuali haberetur; putas satis mũdatam, si vnquam fœtidissimis originis sordibus macularetur? si superbum cacumen inde erigeret? Imò ea fuit Maria, vt æternæ columbæ mundissimæ, id est, Spiritui Sancto, (quantùm ratio creaturæ patitur,) de prima sua gratiæ infusione, sic veniret similis, vt propterea toties in Cantico, columba appelletur. Hieronymus, siue Sophronius Oratione de Assumptione sæpè citata: *De huius ad cælos ascensione, multò admirantis intuitu,* *Hieron.* *secretorum contemplator cælestium, in Canticis: Vidi, inquit, speciosam ascendentem, quasi columbam, desuper riuos aquarum. Et verè speciosa, quasi columba, quæ illius speciem columbæ, ac simplicitatem demonstrabat, quæ super Dominum venit, & docuit Ioannem: quia hic est, qui baptizat.* Non potuit cælestis columba gratiùs, quàm in Christo requiescere: nec decuit Christum singularissimo Incarnationis modo in Matre habitare: nisi ea esset, quæ columba pura, puriorem columbam diuinam tota exprimeret. Ac si (vt more nostro loquamur) solueret Christus Spiritui Sancto domicilium domicilio. Præbuerat Spiritus Sanctus columbam candidissimam Mariam Christo suscipiendo: præbet se Christus cum fœnore habitaculum, immortali columbæ suscipiendæ.

1432. Recole, quæso, quod initio huius Operis dixi, n. 46. de causa, cur vetuerit Deus, ne Dæmon decipiendæ Euæ indueret columbam: vbi ex Hugone dixi, pollui quodammodo, etiam tot ante sæcula, vas illud, in quo posteà Spiritus Sanctus esset *Maria qualis columba.* appariturus. Vbi obiter Hugo aliam causam inuoluit, quam nunc perpendendam ex Magistro appono. Ergo Magister Sententiarum lib. 2. distinct. 21. post alia, ita: *Voluisset quidem Dæmon in* *Mag. Sent.* *specie columbæ venire: hæc, nempe, vt animal innoxium, & simplex, ad mulierem decipiendam congruentissimum Diabolo fuisset instrumentum: sed non erat consentaneum, & conueniens, vt per immundum, & malignum spiritum, redderetur homini columba inuisa, & exosa: in cuius posteà specie, Spiritus Sanctus hominibus erat appariturus.* Itaque, ex mente insignis Theologi, phantastica illa species columbæ, etiam Spiritu Sancto grauida, horrori hominibus veniret: quia vera aliquando columba, ipsius Dæmonis baiulam se gessisset. Quid, si illa ipsa columba, quam Diabolus re ipsa indueret; posteà indumentum Spiritus Sancti seriberetur? Si nulla latentis Dei munditics, vmbram priscæ columbæ nobis redderet plausibilem; quid si veritas ipsa obtruderetur? Cogita ergo columbam nostram reapse ab origine Dæmonis baiulam; & putabis, non futuram Christo horrori, vt ab eadem baiulari pateretur? Foret tibi exosa vitiata species columbæ à primo sæculo: & Christo veniret grata, veritas paulò antè præcorrupta? Et tamen columba, nihil reapse à Dæmone contraheret, nihil Deo traderet: quid autem inde contraheret Maria, quid Deo dedit, tute nosti. Quidni ergo purissimam, in intimius hospitium, & singularem thronum, columbam, Verbo diuino pararet Spiritus Sanctus, qui sibi vitiatam etiam columbæ vmbram penitùs euitauit? Ni fortè putas, puriorem esse Spiritum Sanctum, quàm diuinum Verbum: & in tantum, vt ille vmbratiles fastidiat immunditias: hoc sordidius, etiam veris, non dubitet volutari. Logi. Aut fortè præ nimis, plùs blanditiarum, & amoris Spiritum Sanctum columbæ suæ phantasticæ apud homines aucupatum, quàm apud eosdem Verbum, veræ Matri Theotoco conciliasset. Gerræ. Vix suauiter nos traheret Spiritus Sanctus in illo phantasmate, cuius veritas alibi fœdaretur: traxisset verò Christus suauissimè in veritate carnis, quæ paulò antè in Matre conspurcaretur. Nugæ.

Facit huc vox illa Dei ad Ezechielem, post multa dicta de populo: *Si fortè ipsi audiant, & si* 1433.
fortè quiescant: quoniam domus exasperans est. cap. *Ezech. 2.* 2. num. 5. Quietos cupiebat Deus, puto, quia in *Deus violêter a corde humano repellitur.* prosequendis, ipse priscam requiem captans inquietabatur quodammodo. Cur enim vocetur *domus*, vbi suauis denotatur habitatio; & pariter *exasperans*, vbi inculta, & senticosa asperitas innuitur; nisi vt Deus à dulci suo habitaculo, non sponte, sed vi repulsus intelligatur? D. Gregorius hic homilia 9. *Domus inhabitatur à Domino: si ergo domus, quare exasperans? Si verò exasperans, quare domus, quæ vtique iam non habitatur? Domus,* *Gregor.* *quia in ea Deus per fidem habitare cœperat: exasperans verò est, quia ab ea prauis moribus repulsus exiit: vt vacua remaneat, quam priùs cælestis inhabitator replebat.* Ambiri sanè debebat diuinus habitator: & tamen ambit ipse, & patitur repulsam: rogat, sollicitat, prensat, si fortè quiescant corda, post vitium misere ruentia; vt ipse in eisdem requiescat: nescit enim alibi ad voluptatem, deliciosum sibi figere domicilium. In Hebræo legitur: *Quia domus rebellis est.* vt, cùm superiori Anthologia probauerim, Mariam non rebellasse, intelligatur, pacificam, & suauissimam semper Domino mansionem præstitisse.

§. II.

Maria thronus faustus ad victoriam: augustum templum ad maiestatem: vitalis Paradisus ad delicias: cuius tutæ custodiæ Deus singularissimè excubuit.

APPARVIT Moysi Dominus, idque *in flamma ignis de medio rubi: &* 1434.
videbat, quòd rubus arderet, & non *Exod. 3.* *combureretur.* Exodi 3. n. 2. Id est, vt ex *Maria rubus contra serpentem.* omnium ferè Patrum, & totius Ecclesiæ mente constat, apparuit in vtero Deiparæ gestatus Christus, quin vel conceptus, vel partus communi incendio, virginitas purissima violaretur. Res plana. Sed cur thronus hic typicus, non potiùs in arbore, & planta pretiosiori, flammis cincta, & flammas irridente collocatur, cùm perinde mysterio deseruiret? Respondere visus Eucherius in form. spirit. cap. 4. *Rubus Ma-* *Eucher.*

ria Virginis præfiguratio erat, eò quòd quasi de humani corporis rubo, Saluatorem tanquam rosam emiserit. Vt enim natura videtur mirabile, stellam odoris, oculum prati, florum Reginam, id est, rosam, à despicabili, & horrescente spinis planta ortam: sic in gratia longè mirabilius, vt Sol iustitiæ, immortalitatis oculus, Angelorum Rex, Christus, ab humana carne oriretur: cùm infinitum vsque, magis præstet Deitas carni, quàm spinis rosa. Adhuc tamen eadem restat difficultas: cur enim inter tot veprium genera, vnde spinigenæ rosæ æquè apta veniret comparatio; rubus priuatim eligitur; & vnus tanquàm mysterio aptior adhibetur? Apud naturæ Mystas, rubus vnus est inter plantas, qui serpentem triumphat: do Ambrosium Hexam. 3. cap. 8. *Rubi folia superiacta serpenti, interimunt eum.* Non potuit aptior thronus typicus Deo erigi: quia verus noster Marianus, inde Deo decens, quia Infernum serpentem triumphauit: cui dum spolia detrahit, tanto suscipiendo hospiti apparatur.

Ambros.

1435. Confundebat Christus Iudæos, non ab iniquo fœdere, sed de victoria iusta ex Inferno reportata Dæmones eiecisse: deinde sic addit: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Luc. 11. n. 21. Ecquæ Dæmonis arma, nisi peccata? Si ergo contraria contrariis curantur; & fortia fortioribus debellantur contrariis; quam, quæso, armorum rationem, contra vitiorum arma opposuit Christus? Certè perfectissimam ab omni peccato innocentiã. Theophylactus ibi: *Arma Diaboli, omnia peccatorum genera, in quibus fidebat, & præualebat: arma igitur, inquam, illa diripui ego, qui sine peccato inuentus.* Non aliter exarmatur Dæmon: non aliter spolia eius detrahuntur: vt, cùm audis rubum nostrum fortissimo serpenti fortiùs insultantem: iam celebres innocentiæ consortem, quem vides victoriæ participem: ideò statim fœmina è plebe, paulò pòst Christum à Matre commendat: *Beatus venter, qui te portauit.* Quasi victori Filio, necessariò maternus thronus victor esset iungendus: & vterque eodem epinicio celebrandus. Celebrabat Virgil. lib. 1. Didonem de spoliato tyranno:

Luc. 11.

Arma Dæmonis, peccata.

Theophyl.

Portantur auari
Pygmaleonis opes pelago, dux fœmina facti.

Virgil.

Ego dixerim veriùs: *Portantur auari serpentis spolia: ah felix! Dux Fœmina facti.* Vnde portans thronus victor; pariter cum portato, per quem hanc comparauit, victoria decantatur.

1436. In idem recidit illud Christi de Matre: *Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Cant. 7. n. 8. In cælo erat Verbum: descendere in vterum virgineum iam parabat: & tamen non tam inde descensurum dicitur, quàm palmam ascensurum. Credo vidisse satis ipsos sublimiores cælos, parthenico vtero longè esse inferiores: hunc thronum longè de excellentia altiorem intelligendum. Fauet ibi Dionysius: *Si per palmam intelligitur illustrissima Virgo, constat, quòd Vnigenitus Dei per Incarnationis mysterium, descendit in eam, & apprehendit fructus eius: quia merita præclarissimæ Virgunculæ, tam acceptissima habuit, quòd dignatus est fieri Filius eius.* Nusquam apud Angelos illibatiora merita inuenit Deus, nullibi puriorem innocentiam, vnde sibi purissimo, thronum purum exædificaret. Sed, cur, qui de rubo inter frutices humiliori, priùs similitudinem desumpserat; cùm transfertur ad arbores, non quamuis, sed altissimam elegit? Quia, licet alterius proceritas, ab alterius humilitate ad formam distinguatur; ad mysterium tamen vnicè conueniunt. Rubus in serpentis necem, palma in eiusdem detriumphati insigne vsurpatur: nec nisi laureato, & palmis cincto throno Deus suscipiendus.

Cant. 7.

Maria, palma victrix.

Dionys.

Testabatur id Christus ibidem paulò antè, ad eandem Matrem: *Quam pulchra es, & quàm decora, charissima in deliciis! Statura tua assimilata est palmæ.* cap. eodem, n. 6. Staturæ rectitudo, & proceritas, columnæ potiùs aptè compararetur; vel, si ad arbores recurras, cedrus, & cupressus, in vtraque pagina huc solent frequentiores aduocari: Mariæ tamen, vna palmæ apta nata seruatur comparatio. Idem Dionysius: *Assimilata est palmæ: nunquam enim per culpam est incuruata; sed omni virtute, & sapientia iugiter stetit erecta, ac gloriosissimè de inuisibilibus hostibus triumphauit: vnde victoria palmâ meruit insigniri.* Ipsa Mariæ erectio, palma est: & dum nunquam curuatur culpæ, Tartareas incuruat potestates. Sic in illa, tanquàm in throno semper palmato, singularissimè Christus habitauit: quasi palmis, & victoriis Matris decentior veniret, palmas suas ab Inferno reportandas aditurus: inde enim istæ quodammodo pulchriores, & decorè lemniscatæ: quòd ipse è victrici palma, surculus generosior, robustiùs germen pullulabat: ideò, ni fallor, in Apocalyp. dictus vincens processisse, vt vinceret, cap. 6. n. 2. quia, qui iam Dæmonem vicerat in Matre superante, in se ipso perfectiùs erat superaturus. Benè itaque in solam palmam dicitur ascendere, cùm ad Incarnationem descendit, cui ex decenti necessitate, palmata carnis tunica, palmatum ferculum vteri, & miro modo palmata illa curulis debebatur.

1437. Cant. 8.

Idem probatur.

Dionys.

Propterea caput hoc septimum, vbi inhabitatæ huius palmæ tot erant epinicia celebranda, erumpit faustè n. 1. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Vbi benè Theodor. de Ecclesia, apud Delr. *Non dixit, castra castrorum; sed, chori castrorum: ex castris enim fiunt chori: cùm enim in castris virtutis vicerint milites, Pæana canentes reuertuntur, & choros ducentes victoriæ præconiũ laudibus concelebrant.* Pulchrè notatum; sed curtè, ni aliquid addatur: de quo enim vsquã milite Christiano id vnquam in tota sua latitudine potuit explicari? Nam certè si ad originem singulorum respicias, non choros; sed planctus videas. Maria ergo sola est, in qua, vt alibi fusè dixi, nullum respicias punctum, vbi non semper virtus firmissima, & insuperabilis armatura splendescat. Dionysius iterum: *Tu igitur, Congregatio fidelium animarum, meritò inuocatis Sponsam hanc singularem: quoniam potens est vos adiuuare, tueri, perducere. Quia non potestis considerare in ea, nisi aciem virtutum firmissimam, & omnium spiritualium insuperabilem vim armorum.* Nihil in Maria non cernitur munitum: progressus vitæ, Natiuitas, Conceptio, insuperabili vi armorum roborantur. Nec alia futura, quæ paulò pòst, victoriæ thronus palmatus, in quem Christus descenderet, erat describenda.

1438. Cant. 7.

Theodoret.

Maria, præsidiũ nostrum.

Dionys.

Sed neque minùs aptum ad rem nostram, quod de 1439.

de sacri huius habitaculi amplitudine ponderandum. Monebat Apostolus Corinthios suos, vt Ethnicorum commercia euitarent, subdens: *Qui autem consensus templi Dei cum Idolis?* 2.Cor.6.n. 16. Quasi esset irrefragabile similitudinis argumentum, quod à templo idolis profanato desumebatur. Sed vnde hæc repugnantia? Nónne Machabæorum tēpore templum idolis profanatum? Nónne passim in primitiua Ecclesia, & hodie apud Iaponios sacratiora templa idolis polluuntur? Planum, heu dolor! Cur ergo quasi de re minimè à Deo ferenda, hinc deducitur comparatio, exaggerando quodammodo dolori, quo Deus profanatum animæ templum prosequetur? Pende quid addat: *Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.* Quasi dicat. In templis materialibus, licèt magnificis, licèt sumptuosis, sic inhabitat Deus vt augusta eius maiestas, quodammodo inter angustias comprimatur. Vnde, quanuis horum violationem ægrè ferat: at visus dissimulare. Animarum verò templa, vbi non solùm non compressus habitat; sed etiam ad voluptatem deambulans spatiatur: hæc, inquam, sic augusta templa polluì, intentissimè dolens vix ferre poterit. Horum excellentiam grauiter describit Bernardus ad hunc locum Serm. 27. in Cant. *O quanta illi animæ latitudo, quanta & meritorum prærogatiua, quæ diuinam in se præsentiam, & digna inuenitur suscipere, & sufficiens capere? Quid illa, cui & spatia suppetunt, & deambulatoria ad opus quidem Maiestatis? Non est profectò intricata forensibus causis, curisve sæcularibus: nec certè ventri, & luxuriæ dedita: sed nec curiosa spectandi, nec cupida omninò dominandi, vel etiam tumida dominatu: oportet enim his omnibus vacuam esse animam, vt cælum fiat, atque habitatio Dei.* Pulchra verba in præsens expendenda.

2.Cor.6. *Iusti suauissima capacitas Deo excipiendo.*

Bernard.

1440. Non solùm graues culpas, sed etiam leuem curiositatem, amotam vult Bernardus ab illa anima, quæ Deum est capaciter exceptura: licèt defectus isti iam condonati, non impediant: at in Maria, quæ longè singulariori modo Deum excepit, meritò noluit Doctor Angelicus etiam leuem culpam præteritam denegandam: quasi indecenter hinc singularissimum hospitium tantæ maiestati venturæ arctaretur. Quid ergo, si præcederet turpissimum peccatum originale, in quo (vt suprà variis locis fusè ostendi) tanquàm in radice specialissimè forent, gula, luxuria, dominandi cupiditas, tumiditas dominatu? Nisi dubites de augusta Mariæ amplitudine, quam sæpè Patres, cælo capaciorem celebrarunt. Putabat impius Marcion, Christum nostrum, non manifesti huius ab operibus Creatoris, sed latentis cuiusdam, & vsque tunc occulti Dei Filium fuisse: contra quem sic acutè Tertullianus lib. 1. cap. 9. *Sed non euagabor, vt dicam: Deus ignotus fuit, latuitque: illum regio latebrarum obumbrauit, noua vtique, & ipsa ignota, & similiter tunc quoque incerta: certè immensa aliqua, & maior indubitato, eo, quem abscondit.* Et meritò: neque enim absconderis, nisi à capaciori. Pende ergo totum Deum absconditum in vtero Mariano: & dum illam capaciorem Deo dicere non potes, saltem de excellentia omnibus Angelis fatere capaciorem: vnde & puriorem: cùm tota hæc capacitatis amplitudo, de puritate veniat desumenda.

Et vnde.

Maria cælo capacior.

Tertull.

Submersis iam Ægyptiis, opimis clarus spoliis triumphat Israel, & gratias liberatori optimo acturus, ita cecinit: *Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.* Exod. 15. num. 2. Et quomodo glorificandus, quomodo exaltandus? Id subditur expressè in Hebræo Textu: *Faciam ei tugurium.* Mirum dictu! Meditabatur populus iam templum, inter operis miracula octauum numero; sed primum excellentia, tempore Salomonis construendum: aut saltem tabernaculum illud euoluebat, cuius descriptor Deus, fabricator Beseleel; vbi cedrus, purpura, argentum, aurum, gemmæ fusissimè expenderentur: & tamen rusticum tabernaculum hoc appellat; &, vt benè notat ibi Oleaster, *Tabernaculum non qualecunque, sed quale est pastorum, seu tugurium.* Quid ita? Quia vilescit hospitij excellētia, quantumuis magna, dum hospitis dignitas maior pensitatur. Ideò prudēs Centurio ad Christum Matth. 8. *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Princeps erat, & qui alienis Synagogas pulcherrimas construebat, absque dubio sibi palatium construxisset: nec tamen palatium, sed vili vocabulo, abiectissimum tectum appellauit. Ludolphus 1. par. cap. 42. *Non dicit palatium, non domum, licèt Princeps esset: sed tectum præ humilitate sui, & consideratione magnitudinis Christi.* Semper enim materialia hospitia, quantùm in se augusta, angusta Deo; qui solùm apud animas iustas, commodè, & ad voluptatem diuersatur. Nosti ergo, quā nihil in tabernaculo fœderis, & in Salomonis templo, vel ex minima parte imperfectū; quàm omnia ad amussim polita venerint. Deinde apud Patres lege hæc passim in Mariæ typum vsurpata: & videbis, quantò ista perfectius vndique habitaculum euaserit; vbi non tanquàm in angustiis, sed tanquàm in augustiori cælo, singularissimè Deus habitauit.

1441.

Exod. 15. *Templa materialia, angusta Deo.*

Oleast.

Matth. 8.

Ludolph.

Adhuc pia Centurionis vrbanitas ponderanda. Inuitat se Christus in hospitem: ô felicitas! Princeps cæli, priuati vulgarem domum affectat: ô honor! Comem se vili præbet Dominus gloriæ: ô gloria! Et tamen iste euitat, fugit: ac si minùs de tanto bono, benè habiturus. O quid agis? Diuinus Rex cùm venit, cùm se inuitat, non tam exacturus è domo tua seruitia, quàm beneficia accedit collaturus. Sine nunc, dignatione suauissima vtatur: vt tu inde in nouas hospitij vices compares dignitatem. Sed, quid faceret turbatus omninò? Credidit, vt par erat, venisse Christum, vt subingrediendæ domus prætextu, animam eius subitò penetraret: & vt erat humilis, interiora cordis sui minùs ad decentiam pura arbitratus; trepidauit confusus, sibi timens, Dominum si exciperet: nec alia re decentiùs, & fidem suam, & agnitam Saluatoris maiestatem valuit profiteri. Chrysol. Serm. 15. *Ipsum esse Dominum singulari pauore signauit, ducere dum veretur ad penetrale mentis, in quo familia cogitationum incondita, & confusa versatur: nec patitur aulam pectoris humani, sine vitiorum strepitu, in syncerit atis silentio permanere.* Nulla culpa sic strepit, ministrato vitiis omnibus fomite, vt originalis: cæcus, qui negauerit. Si ergo ex mente D. Thomæ, de quauis culpa veniali præterita, quoad incarnati Verbi hospitium, inhabilis reputaretur, tanquàm maleuola, anima Mariæ; & subdita

1442.

Cor serenum affectat Christus hospes.

Chrysol.

peccatis: quid si ibi aliquando, originale peccatum obstrepuisset?

Maria redemptionis emporium. Cellens.

1443. Sed quidem Maria inde dulce templum, & gratam in syncetitatis silentio aulam, Deo singularissime exhibuit suscipiendo: vnde illibatarum omnium virtutum choro, penetrale mentis purissimæ adornauit. Maius est, quod habet Cellensis lib. de Pan. cap. 21. *In Virgine omnium virtutum chorus adunatur, vt Rex virtutum suscipiatur, &c. Vniuersalis redemptionis commercium in vtero Virginis: virtutes Virginis odorem placabilem reddunt etiam angelicis stationibus: currant omnes homines pro communi salute ad Virginis templum.* Neque enim aliter suscipiendus Rex virtutum Christus: nisi, dum Mater, tanquàm Regina virtutum, præfulgeret. At, vnde decens Regina virtutum, quæ turpissimæ aliquando culpę deseruierat? Vnde aptè totum redemptionis commercium, tanquàm ad diuinum emporium, ad eius vterum conueniret, etiam de veniali næuo respuendum, si totum Dæmonis commercium ab origine in se sustulerat collatum? Imò potiùs, ideò eius virtutes etiam angelicis stationibus mittunt odorem, quia ipsa illis stetit purior, & innocentior, vt dignam stationem Deo præberet: ideò communis salutis facta templum; quia communis ægritudinis expers omninò.

Cor iusti, cur præstantius Dei templū.

1444. Vt autem hanc partem de augusto Mariano templo concludam, pondera mihi emphasim prędictorum verborum Apostoli: *Vos enim estis templum Dei viui.* Cur enim in hoc loco, tam voluit expressam Dei vitam: cùm perinde dicturus videretur, si solummodo *templum Dei* appellaret? Nimirum, summum idolorum suorum honorem putabant Ethnici, si templa illis affabrè constructa erigerent, quin ipsi pura corda ædificarent: ipso propemodum facto contestantes, Diis mortuis mortuas sedes satis esse: è contra fideles, præcipuè viua cordis templa parant, quia viuum habitaturum ibi Numen protestantur. D. Zeno Veron. Serm. de Spirit. ædif. de his, & similibus verbis Apost. sic scribit: *Vos estis templū Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Et verum est: nam, sicut idolis insensatis similia templa conueniunt: ita viuenti Deo, viua templa sunt necessaria: in his enim solis, Sacerdotum Dei structura, & propria est, & perennis: qua & Iudæos, & gentes, vel cæteros antecedimus.* Vides, quàm templa viua, Deo vtcunque excipiendo veniant necessaria? Robora igitur argumentum toties contortum, imò retortum. Mariæ templum, non vtcunque, sed singularissimo modo Deo excepturo inepiret, si quouis affectu vel leuissimè morbido vnquam violatum fuisset: vnde ergo veniret aptum, si infami morte culpæ initio pollueretur?

Zeno Ver.

Maria, Paradisus voluptatis.

1445. Ipsa templi pietas, facilè nos ad Paradisum deliciarum manuducit: siam Maria de Christo suscepto, ab Ecclesia frequenter, nedum à Patribus, *Paradisus voluptatis* appellatur. Dedi suprà de hoc multa: seruaui alia in præsens aptiora. De fluuio Paradisi ita in Genesi: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Genes. 2. num. 10. Quem eundem esse cum fonte illo, de quo dicitur Genes. 2. num. 6. *Fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ.* voluit Rupertus lib. 4. in Cant. quod deinde pulchrè Christo ex Maria nascenti accommodauit. Sed vnde hoc verum? Fons, siue fluuius ibi initium sumit, vnde primò ascendit. Quomodo ergo diuinum Verbum, fons æternus, qui à Patre originem sumpsit: (vnde Dauid ad Deum: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*) quomodo, inquam, non solùm nasci, sed à paradisiaca Virginis terra ascendere, & quasi principium ducere perhibetur? Sed pende discrimen fontium, siue fluuiorum, qui à Paradiso manant, ab aliis, qui alibi terrarum enascuntur. Hi communes fontes, ibi originem reapse sumunt, vnde primò cernuntur emanare. At fons, siue fluuius è Paradiso manans, v.g. Gihon, id est, Nilus, licèt oriri dicatur ibi, vbi priùs emanare cernitur; reuerà non ibi oritur, sed in Paradiso: iuxta quem submersus, & occultus, iterum per abstrusos meatus emergit apud nos. Hinc vota prisca Romanorum, & Gręcorum de Nili fontibus deprehendendis. Consecutos se iactant Lusitani: non quòd reuerà Paradisum penetrarent; sed, quoniam in Æthiopia, & iterum in Congensi regno, Nilum è terra primitùs erumpentem deprehenderunt. Nunc ad rem. Sicut Nilus, quia in occulto, & natiuo Paradiso suo deprehendi non potest; ibi ascendere, ibi oriri dicitur deprehensus, vbi priùs cernitur: sic, quia in æterno paterni cordis Paradiso Christus deprehendi non poterat; tunc ascendere, tunc nobis exultantibus deprehendi dicitur, cùm occulta quodammodo via è Patre delapsus, è Mariana terra ortus visibiliter apparuit.

Genes. 2.

Rupert.

Paradisi flumina quomodo deprehendi dicantur.

Et vnde, inquis, tantum priuilegium? Quia nullus dignior locus repertus est, vt materna, paternæ tanti fontis origini responderet. 1446.
Creatus Paradisus Maria, sed benedictus, vt quantùm res patitur, increato Paradiso Patris, qui est super omnia Deus benedictus, correspondere videatur. Nunc capies Rupertum citatum: *Sicut initio fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ: sicut, inquam, fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, &c. Sic ex te, ô terra benedicta, fons ille ascendit, qui apud Deum erat, & vera lux erat, sicut scriptum est: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Fons, inquam, ille ascendit ex te: non initium, siue principium habens ex te: sed de corde Patris per occultas vias, cum omnibus aquis viuentibus, cum omnibus Scripturis veritatis veniens in te, & æternum sapientiæ fontem, siue puteum faciens in te: atque hoc modo ascendit ex te. Ad quid ascendit? Vtique ad irrigandam superficiem terræ: ad instruendam, siue excolendam Ecclesiam per vniuersum Orbem terræ, &c. Ad hoc, inquam, ex te, ô voluptas, siue locus voluptatis Dei, initium accipiet sanctum Euangelium: vt per vniuersum mundum spiritualem irriget Paradisum.* Quasi non esset apertura, seu potiùs paritura diuinum fontem, nisi terra benedicta foret: id est, à communi terræ nostræ semota maledictione: quasi viuas Dei aquas, imò Deum vitę flumen non posset excipere, quo sterilem Ecclesiam verteret in Paradisum: nisi ipsa integrior Paradisus, & locus voluptatis singularissimè diceretur. Certè Paradisus terrestris, nunquam maledictus: sola enim maledicta est terra, quam Adam erat laboraturus: ideò post culpam à colendo Paradiso eiectus: ne tam beatus locus, inter maledicta iugera cætera, visus computari.

Maria est Paradisus.

Rupert.

Sed notandum obiter, quàm attentè à Mariano Paradiso dicatur procedere Christus, non solùm 1447.

lùm

Maria ab innocentia, tota lucens.

lùm qua fons vitæ, ſed etiam qua fons lucis: vt quemadmodum Sol iſte materialis nihil in Orientis ſui cuna patitur tenebroſum: ſic Sol iuſtitiæ liberalior cunam illam paradiſiacam, vbi excipiendus, vnde exoriturus, largiſſimo lucis flumine inundaret, ne vllæ vnquam illam tenebræ comprehendiſſe intelligantur. Grandius eſt, quod de Deipara meditatur Dionyſius art. 10. in cap. 3. Cant. verſ. 5. *Stans indeſinenter ſub contactu Solis iuſtitiæ, qui radios ſapientiæ, flumina gratiæ, charitatis ardores aſſiduè, & indeſinenter influxit in eam. Sed & ſuperdulciſſimus Spiritus Sanctus Matrem eius, à quo ipſe verè, æternaliterque procedit, continuo incitauit, mouit, accendit ad incrementa profectuum. Quid verò Pater æternus comparentali ſuæ non largiretur? Non dubium, quin ferventiſſimè, frequentiſſimè, exuberantiſſime inundauit in eam. Ipſa quoque optimè fertur aſcendiſſe, vt virgula fumi: quoniam eius profectui non fuit admixta aliqua curuitas culpæ, nec negligentia vlla.* Indeſinenter fuit Paradiſus noſter ad contactum æterni Solis, Verbi diuini, vnde ſplendoris fulminibus, fluminibus gratiæ ab ipſa ſui origine radiaret beata mulier, quæ, vbi nouum ſignum apparuit, ſtatim Sole amicta perhibetur. Ecquæ enim alia lux iſta manans, Sol veſtiens, quàm innocentia? Teſtor D. Anaſtaſium Sinaïtam Hexam. 10. vbi de Adamo in vtroque ſtatu, ita: *Erat enim totus lucidus, & Deiformis, & imago quædam, vt ita dicam, Deiſimilis: poſt peccatum autem, factus eſt tenebricoſus, & inornatus, atrum peccatum omninò indutus. Hæc ergo euenerunt primis parentibus: & Dauid poſteà deflens dicebat: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat cognitionem. Adhuc, inquam, tanquàm dies lucidi erant primi parentes, quando (cùm ex ligno nondum comediſſent) verbum conſilij ſerpentis, à muliere ad virum nondum tranſibat: & ſub intelligentiam cadentis Solis radios, penitùs induti erant, tanquàm veſtimentum. Sed, quando ipſa perſuaſa comedit, etiam nocturnas peccati tenebras induit, tanquàm nox, videlicet, offuſa tenebris: neque ſciens, quid viro conſulat: qui ipſe quoque factus eſt nox.* Innocentiæ itaque veſtis erat, quam Sol iuſtitiæ indeſinenter Matri futuræ apparauit. At Spiritus Sanctus, ſi minùs debet Verbo proceſſionem ſuam, quæ omninò neceſſaria eſt: tamen, quòd dulciſſimum, & beneplacens hoc reſpicit ſui comprincipium, in animi gratam quandam, ſi ita fas eſt loqui, ſignificationē, gaudet eiuſdem Verbi principio paradiſiaco, ornamenta parando, vices rependere. Nihil negat Pater comparentali ſuæ: vt æternus ille Nilus, qui è ſe oritur occultus, in tempore è condigno Paradiſo viſibilis erumperet. Tanti ergo à tota Trinitate impendij facti, ecce effectus, aſcenſio ſine aliqua culpæ curuitate. Clamabat Perſius Sat. 2.

Dionyſ.

Anaſt. Sin.

Culpa incuruat animas.

O curuæ in terras animæ, & cæleſtium inanes!

Perſius.

Maria igitur nunquam cæleſtium inanis, quæ nunquam curua: quæ ſemper recta palma, vt dixi, pullulauit: aliter Chriſti Paradiſus ad delicias non futura; nec ab iſto, fons lucis erupturus.

1448. Nunc de Paradiſo noſtro, provt veriùs vitæ lignum ſingulariſſimè ſuſcepit, & produxit, totidem ſubiungenda: patebit inde, an, quę de veniali næuo, miniſterio tanto indecens veniret, aptior rectè ſub originali fœditate concepta, cōcipiens tantum fructum intelligatur. Rem vt expendam, recudo illum locum Iobi, (de quo iam in Cant. Tropol.) vbi vir magnus, poſtquàm ſe terrenis omnibus vidit ſpoliatum, dixit: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* cap. 2. num. 21. Ecquò reuerteretur? Num ad maternum vterum vnde prodierat? Nugæ. Nouerat ſe in Adamo integro, nudum, ſola ipſa innocentia indutum meliùs, fuiſſe formatum: ſicque in Paradiſo, loco plangoris immuni fuiſſe collocatum. Sperabat ergo, ſe de ſpiritus paupertate patientiſſima, quodammodo ad innocentiam reductum; iterum innocentis terræ natalibus, & paradiſiaco habitaculo reſtituendum. Rem totam firmat Chryſoſtomus in Cant. citato num. 968. Vide. Maius eſt, quod addo. Hic ipſe Paradiſus, qui hominis alibi nati beata cuna fuit, quodammodo etiam illi vterus erat beatior, in quo virtutibus nutriendus, & roborandus ſecurior degebat: non inde infeliciter extrahendus, niſi doloſe homicida ſerpens eò penetraret. Vnde capies, quid addat Iob 3. num. 10. queſtus diem natalem ſuum: *Quia non concluſit oſtia ventris, qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis.* Vbi Haïlgrinus Cardinalis apud Delr. cap. 4. Cant. ſect. 1. ad marginem citatus: *Primus ille Paradiſi hortus hominem cuſtodire non potuit, nec ille homo cuſtodire voluit: ita concluſus non manſit, & vitæ ligni vſum amiſimus. In Iob legimus: Non concluſit oſtia ventris, qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis. Quaſi diceret: Satanas aperuit oſtia Paradiſi, de quo quaſi fœtus ventris humani exiui. Quæ oſtia, ſi clauſa reliquiſſet, ablata forent mala ab oculis meis.*

Paradiſus, naturæ integra fuit vterus.

Iob 3.

Haïlgrin.

Pende nunc, quid Chriſtus cantet in Matris laudem: *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, &c. Emiſſiones tuæ Paradiſus.* Cant. 4. num. 12. Non ſemel, ſed iterum concluſus celebratur. Et quorſum tam exacta cuſtodia? Quia excellentius vitæ lignum in illo complantandum, Chriſtus, ſcilicet, non nobis à Matre in vſum, & remedium prouenturus, ſi ſerpens aliquando ſacratum hunc Paradiſum foret ingreſſus. Haïlgrinus citatus ſubdit ſtatim: *Horum malorum remedium plantauit Dominus alium Paradiſum, quem ingredientes, lignum vitæ illud [illegible] fructu eius comedimus, & non morimur: & [illegible] hortum ita clauſit Deus, vt nulli maligno pateat ingreſſus: concluſit eum tota Trinitas. Potentia Patris muniuit Virginem contra Diaboli violentiam: ſapientia Filij, contra hoſtis fraudulentiam: bonitas Spiritus Sancti, contra eiuſdem malitiam.* Noſti his tribus attributis, diuinæ Prouidentiæ totam conſtare ſuauitatem. Confluant ergo huc illi, qui Marianum Paradiſum ſerpenti peruium putant: & Trinitatem totam potentia munitam æterna, diuina excubantem ſapientia, immenſa redundantem bonitate; non oppugnatam ſolùm putent à Dæmone, ſed etiam expugnatam. Cherub collocauit Deus Geneſ. 3. num. 24. ad alterius Paradiſi oſtium, flammeo gladio horribilem: imperuium ſatis deinceps, contra omnem, aut callidam violentiam, aut violentam hoſtis calliditatem, aditum credens hoc cuſtode: quis enim violaret, aut violentaret tantum gladium? aut quis plenitudinem ſcientiæ cherubicæ deciperet? Sed en idemmet Dominus, cuſtodem ſe Mariæ proteſtatur: & tamen audit Caietanum, & alios conteſtantes, & ſi valeret de potentia, noſceret de ſcientia: tamen de bonitate, fidum ſe cuſtodem

1449.

Cant. 4.

Marianus Paradiſus, nunquā ſerpenti patuit.

Haïlgrin.

Geneſ. 3.

exhibere noluisse: qui enim cum Caietano redemptionem præseruatiuam possibilem agnoscunt, quò aliò vertant Mariani Paradisi violationem, nisi diuinæ bonitati, aut auaræ, aut saltem minùs largæ? An verò id decenter, discant ex acuto, & graui Thomista Oleastro, cuius tam multa, de largitate filiorum debita parentibus suprà: subdo eiusdem pauca.

1450. Animi ergo, puerulus rusticaturus aliquando prodiit Ruben: & addit Textus: *Reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit.* Genes. 30. num. 14. O quid contra auidulum puerilitatis ingenium, Ruben, moliris! Flores sunt, quorum ordinarias corollas ludibūdi pueri, etiam Regum gemmatis anteponunt: sed flores id temporis ita pretiosi, vt pro illis Rachel pretiosos mariti fructus vendere non dubitarit. Quid ergo hos tales tam facilè à te amoues, matri admoues: quibus quò pretiosioribus longè auarior, & rapacior adhæsurus videbaris? Imò propterea ipso naturæ ductu, pulchriores præ solito flores matri detulit, cui bona quæuis sua deberi agnoscebat. Oleaster ibi: *Admonet locus iste, filios patri, & matri sua acquirere, & inuenire.* At Christus, qui meritis suis, præseruationis flores potuit, & acquirere, & inuenire, hos Matri denegaret; omnésque materni Paradisi flores infesto Austro permisit exurendos. O diuinum Pædagogum, diceret aliquis, iam à se politissimè edocto alumno, si fas credere, vrbanum minùs! Ruben à te institutus campestria florum grata munuscula matri detulit; tu materni Paradisi flores, quasi non esset ager, cui benedixit Deus, infernis porcis truncandos reliquisti. Quis assentiat?

Genes. 30. *Filiorū bona, parētibus debēda.*

Oleast.

1451. Quibus non plagis Ægyptum percussit Deus, quibus non damnis? Restituendo Israëli induratum afflixit Pharaonem? Mirum est dictu. At, si Princeps barbarus, & infidelis supremum Dei dominium ignorabat, nec Israëlem illi præcipuè credebat subiectum: cur non solùm duræ perfidiæ, sed etiam infruniti animi, & iniustæ de contumacia retentionis reprehenditur? Quia non solùm culpabiliter infidelis, quòd tantis signis Dei dominium non crederet: sed etiam inexcusabiliter iniustus possessor, quòd tantis beneficiis Israëli collatis, Israëlem ipsum singulari modo Dei Filium coniectans, seruiturum tanto Patri non reddebat. Huc tendebant verba Dei: *Filius meus primogenitus Israël. Dixi tibi: Dimitte filium meum, vt seruiat mihi: & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Exod. 4. à n. 22. quia, licèt iniustus Pharao, dum seruorum suorum opera illi denegabat: at inde iniustissimus; quia filiorum debita seruitia Patri interdicebat. Oleaster ad hunc locum: *Tenentur filij seruire parentibus: neque potest quis filium detinere, ne seruiat patri suo. Ecce ego occido filium tuum primogenitum. Quia priuas me meo, priuabo te tuo.* Exactissimè à filiis adoptiuis vult seruiri diuinus Pater: an non ergo, dum naturalis Filius, Matri deseruiret? Ne denegemus Mariæ Primogeniti sui debita obsequia, ne in pœnam primogenitis nostris spoliemur. Hæc obiter, ne Deum materno Paradiso excubantem, minùs de bonitate largum existimemus. Redeo.

Iusti sunt Dei filij, cui proinde debēt obsequia.

Exod. 4.

Oleast.

1452. Quod dixi de Paradiso nostro, & fontem, & lignum vitæ suscipiente, pulchrè coniunxit D. Bernardus in Deprecat. Mariæ, vbi ita: *Meritò de Dei areola flos ille speciosus, præ filiis Paradisi electus est, super quem requieuit Spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, Mater pulchritudinis? Verè Paradisus Dei tu es: quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo qui manducauerit, viuet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore Altissimi prodiit, de medio ventris tui exiliuit, atque in te in quatuor capita se se dispergens, ad irrigandam faciem arentis mundi emanauit, lætificans ciuitatem Dei: omnis enim, qui biberit ex eo, non sitiet in æternum. Et erit plusquam Paradisus hic: de cuius aqua si quis biberit, sitiet iterum.* Vna, vt dixi, paradisiaca terra maledictionem euitauit, non falso peccati sudore, non afflicti hominis vomere, riganda, rumpenda, & inde spinas, & tribulos germinatura. Et quid aliud de Maria voluêre Patres dum illam passim meliorem Paradisum appellarunt, quàm à communi culpæ maledictione immunem prædicare? Et meritò; nec enim vitæ lignum diuinum, è terra spinas olim culpæ producente, germinaret: quod hanc à D. Thoma dicitur abhorriturum, si aliquando, non tam venenatas, quàm minùs comptas herbas procrearet. Refugeret fons vitæ locum, vbi vel leui puluere tangeretur, & inter luculentas algas, cœnosos limos, indidem erupturus decenter existimetur?

Maria qualis Paradisus.

Bernard.

1453. Imò, propterea decentissimè flos iste, floridus noster Iesus de areola Dei Patris, in areolam Matris Virginis transplantatur: quia, si non pari vtrobique; at de proportionata innocentia, consimili vernabat securitate. Hinc humiliter, & sanctè præsumptuosa confidentia Mariæ ad inuitandum: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Cant. 5. num. 1. Hinc iam suscipientis exultatio: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum.* cap. 6. num. 1. Quod vt capias, præmittenda sunt verba Cælij Rhodiginij, lib. 12. cap. 2. *Ætnæum venatorem scito admodum, & docto prouerbio vsurpari posse animaduerto, pro eo, cuius sit cassa, inutilisque venatio; quique, sicut inanis progreditur, ita etiam nunc regreditur,* &c. *Author sexto Bibliotheces Diodorus quoque, apud Ætnam odorum fragrantiâ, sagaces canes odorat carere, naturam sensus, florum odore superante.* Quærebant peccata nostra, vt suprà dixi, cælestem fideiussorem, &, tanquàm canes, prædam morti tradendam inuestigabant: vbique Christus foret extra Mariam, hostilibus venatoribus obuiaret: tantummodo in illa areola, in illo monte aromatum tutus erat hinnulus diuinus: vnde iterum illa: *Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes aromatum.* Cant. 8. num. 4. Quia, nimirum, Paradisi huius fragrantia, sagacem culpæ superat odoratum, sensum fallit. Parum id: Ætnam suaueodoram saltem ingrediuntur venatores: & licèt de florum fragrantia frustrà desudent prædæ; at tamen flores ipsos quandoque duro pede terunt, auidà manu carpunt: at verò Paradisum nostrum, sacram areolam, nunquam ingressus impius venator, non solùm prædam non tulit, sed nec minimum florem detruncauit. Ideò Bernardus citatus: *Hortus conclusus tu es, Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introiuit. Tu Sanctorum areola aromatum à cælesti consita Pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabilis.* Adhuc in eandem anthologicam materiam, nonnulla subiungenda. Vide infrà, num. 1468.

Christus in sola Maria, tur securus.

Cant. 5 & 6.

Cæl. Rhod.

Cant. 8.

Bernard.

§. III.

§. III.

Subdo pluscula de Maria specialiter Deum excipiente: vnde integræ originis comprobetur.

1454.  VIDIT Petrus transfiguratum in monte Christum, & raptus ibi manendi desiderio, exclamat: *Bonum est, nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Mar. 9. num. 5. At, vnde, inquis, tanta fiducia Petro, qua Dominum in campestrem mansiunculam inuitaret? Ex ipsius Christi sibi perspecta facilitate. Benè Timotheus Antiochenus Orat. de Cruce apud Gretss. tom. 2. sic Petrum hic inducit alloquentem: *Tanta est, Domine, demissio tua, vt in tabernaculo habitare dignatus, eaque modestia etiam ante tempus gratiæ vsus fueris: an non in tabernaculum Abrahæ ingressus? an non suscepit te Patriarcha?* Non itaque temeraria Petri vota videbantur: & tamen condemnat illa seriò Euangelista dicens: *Non enim sciebat, quid diceret* num. 6. At, vnde inurbana Petri temeritas, vnde inscitia? Si tabernacula comis habitat Deus, cur Petrus de construendo tabernaculo rusticitatis veniat inculandus? Meritò: quia, qua facilitate, & incompto apparatu seruis homunculis paranda tabernacula cogitabat; eadem tabernaculum Deo parandum credidit ad decentiam. Aliter Abraham, qui si minùs pro dignitate, saltem pro decentia, tabernaculum, & mensam suam vni Domino apparauit, sicut tres videns, vnum sibi proposuit adorandum. Idem Timotheus ex ore Christi: *Ingressus sum in tabernaculum Abrahæ, & ingressus mansi. Sed animaduerte fidem, & scientiam, & victoriam Abrahæ: ternum me agnouit cum duobus Angelis num tria tabernacula fabricatus est? num me cum seruis comparauit? an non vnam ad suscipiendum Dominum mensam parauit? Imitare Abraham, & fac tabernaculum.* Nihil mutaui à Gretseri nostri exacta semper versione. In re enim, siue vnius, siue plurium tabernaculorum, indignum erat, vt id Deo excipiendo aptum videretur, quod excipiendis hominibus satis erat: neque excellentius aliquod artificium Domino destinari. At quidem Maria sub communis originis labe, ordinario artificio constructa, quantumuis deinceps impolluta, non excedebat hospitium ordinarium, humano cuiuis fœtui suscipiendo: ideò Deo indecens, nisi singularis originis structura formaretur; vt cælesti artificio à diuinis manibus visa prodiisse.

Marc. 9.
Hospitiū Deo singulariter parandum.
Timot. Ant.

1455. Nec solùm hinc, sed aliunde etiam inurbanitas Petri adaugebatur. Piscator ille erat, non scenofactor: retia consuere, non construere nouerat tabernacula: & qui nec homini sciret aptum; affectus immoderantia, condignum Deo parare tabernaculum præsumebat; impensè priùs disceret, opus erat: & post multas, vix decentem Deo scenam meditaretur. Pulchrè adhuc Timotheus citatus: *Quid verò tibi in mentem venit, Petre? Quæ non didicisti, facere aggrederis? Retia didicisti contexere: num etiam tabernacula exædificare?* Non ab ordinaria, & consueta sua piscatura, sed ab inusitata quadam scenopœia, in hæc vota erumpere, si fortè, debebat Petrus; insolita nouæ artis ratio in piscatore fuerat supponenda. Sic in re nostra propemodum: humanus vterus solita corruptæ originis arte nouerat homines per corruptionem concipere, & eosdem cum dolore parturire. Vt ergo in Maria per virginitatem Deum conciperet, & cum iucunda pareret integritate; nouam illibatæ originis artem disceret, necesse erat: neque aliter decens Deo tabernaculum appararet.

Affectus immoderatus rapitur extra obiectum.

Nisi fortè dixeris, aliunde verba Petri displicuisse, tanquàm per supinam ignorantiam scopum aberrantia: cùm enim deliciæ Dei sint esse cum filiis hominum, non singulis diuersa tabernacula; sed Moysi, & Eliæ, totoque nouo Collegio, cum Christo pariter, vnum, atque idem commune tabernaculum debuerat apparare; idque non tam materiale, quàm spirituale longè excellentius. Pulchrè rem vidit Gillibertus Serm. 11. *Quàm bonum, & quàm iucundum habitare amantes in vnum: aloqui non est habitatio in vnum, nisi in amore,* &c. *Actionis officia transeunt, permanent contemplationis. Bonum est hic tibi esse: hic tibi fac tabernaculum. Non tibi vnum, & dilecto vnum: sed tibi, & ipsi vnum. In hoc cubiculum dilectum tuum introduc, ingredere in requiem tuam, vt requiescas a laboribus tuis, sicut & à suis Deus.* Expende nunc, quæ multa suprà dedi, de nobis in vtero virgineo, ad felicem regenerationem cum Christo gestatis: imò, quæ Patres, & Theologi, de Deo, & homine in sacro isto thalamo desponsatis, & vnitis scripserunt: videbis, nullum vnquam felicius, & gratius tabernaculū, amantibus in vnum congregandis fingi potuisse. Credes igitur, id, quod in tantum mysterium, & ministerium de quouis incomptu sordesceret veniali; de sordidissima originis culpa non longè indecentius existimandum? Credes non plenissimè, vt ab omni labe præseruaretur, fuisse custoditum? 1456.

Dei delicia, esse cum hominibus.

Mirabar aliquando, quod de thalamo Salomonis sacro, id est, Deipara, canit Sapiens sceptriger: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Cant. 3. n. 7. Vnde enim lectulus, in quo quiescit diuinus Salomon, aliena custodia indigebit? Quid faciunt angelicæ excubiæ thalamo defendendo, vbi ille iacet, qui æternus veritatis oculus dormit vigilantissimus? Quid caueat lectulus noster timores nocturnos, si luciflui hospitis radiis immortalibus illuminabatur? Quid non superuacanei cælestes enses, vbi verbum efficax, & viuum, omni gladio ancipiti penetrabilius condebatur? Admiratio iusta, si sermo esset de Virgine iam Christo grauida, iam tantum hospitem retinente. Sed non eò tendit Sapiens: custodiam memorat, qua ab initio Maria præmunita, ne vnquam lectulus Dei futurus, vel leuiter macularetur. Grauiter D. Bernard. in Deprecat. citata: *An non horruerunt Principes tenebrarum, quando viderunt, præter morem, armaturæ omni fortiore instructam, contra se procedere fæminam fortem, ad bella doctissimam, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos? In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum, suo se inuicem ordine tuentium, (siqui-* 1457.

Cant. 3.
Maria quā sedulò ab initio custodita.

dem

dem ordinatione perseuerat dies :) sed & innumerabilium beatorum Spirituum militiam, ad ministerium tanti Principis delegatam fuisse, non ambigitur : vtpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac prouiderent, ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes inuaderet. Nimirum, timor, & tremor venerunt super eos, ita quòd dicerent : Ecce plusquàm Eua hæc : castra Dei sunt hæc : fugiamus Israëlem. Prouidentia vel cæco indicat, non præsenti, sed futuro hospiti factam præparationem. Qui vel leuissimum hostis nutum prohibuerunt; credo, lethali originis ictui non conniuerent.

Bernard.

1458. Sed, quia ad rem meam locus iste visus aptissimus; lubet nonnulla eiusdem strictiùs ponderare. Non vtcunque virtutes tribuuntur Mariæ, sed *suo se inuicem ordine* tuentes. Quorsum id? Vt, quia ordinatione iustorum dies mysticus perseuerat, quod ad hunc locum Psalmi notant Patres; dies Marianæ sanctitatis, de ordine, & debita gratiæ dispositione, integer, & illæsus intelligatur. Nesciuit noctem culpæ, vbi nullus est ordo, sed horror summus, dies Marianæ virtutis, qui suo se semper ordine tuitus, & tutus dicitur. *Inde timor, & tremor venerunt super eos*, quos Principes tenebrarum initio dixit: quid enim tantam lucem tenebræ sustinerent? Sed quid eiulant? *Ecce plusquàm Eua hæc.* Quàm ridiculus illorum metus, quàm futile Bernardi encomium, si de Eua iam lapsa sermo esset! Cur enim magna causa timoris Maria, quam femellæ à se superatæ præponebant? Quid laudaret Bernardus, si Mariam Euæ lapsæ præponeret : quam absque dubio, meritis Magdalena, Catharina, Agnes, & innumeræ virgines (vt taceam Apostolos) superarunt? Ergo Eua integra omninò intelligitur : quasi dicant : Euam obstupuimus primitùs innocentia, & dotibus instructam : & non nisi sub dolo inuadere ausi sumus. Ecce plusquàm Eua hæc, longè puriori innocentia, & dotibus excellentioribus paratior : hanc contra nullus dolus, nulla astutia præualebit. Nihil ergò nobis, nisi fuga pudenda, nisi dira desperatio meditanda : fugiamus.

Maria, felix Antiena.

1459. Vtrunque iterum ibidem iunxit Bernardus, vbi de Maria Aurora ita : *Felix Aurora felicis diei extitisti nuncia : talis dies, talem Auroram diei decuit. Et rectè quidem Aurora implesti officium : ipse enim Sol iustitiæ de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præueniens, in te lucis suæ radios copiosè transfudit : quibus Potestates tenebrarum, quas Eua produxerat, in fugam conuertisti : atque ita desideratum cunctis gentibus Solem, mundo inuexisti.* Aurora tenebras nescit, licèt quandoque humanis oculis de nubium interpositione caligare videatur. Reputatur aliquibus Maria obscurata communis fœdæ originis interiectu : sed in se lucida semper; & eo splendore præuenta, qui tenebras ab Eua inductas in fugam conuerteret. Sed quàm vana præuentio; si ipsis Euæ tenebris inuolueretur. Sic ergo ordinatus dies, sic plusquàm Eua innocens custoditur Maria, ne alienus hospes præparatum diuino Regi excipiendo thalamum macularet. Addo pia verba D. Thomæ Valent. Conc. 1. de Assump. *Sola ista prudentissima mulier, sola cognouit, sola recepit, sola adorauit, vestiuit, vnxit, pauit, fouit, &, vt Martha fidelissima, ministrauit : excepit illum in domum suam, in vterum suum, intra viscera sua : & in virgineo thalamo peregrinantem interius Regem gloriæ hospitauit : & velut altera Sunamitis summo Prophetæ, Prophetarum Domino, mensam, candelabrum, lectulúmque parauit : lectulum in vtero, candelabrum in intellectu.* Et vnde aliquando Deus maiores specialis alicuius hospitij obligationes subire potuit? quódve intimius habitaculum excogitari? Hoc ergo etiam de leui culpa abhorrendum; gratum de origine fœdata suspicemur?

Idem ostenditur.

Bernard.

Thom. Val.

Sed Doctor Angelicus in hoc nostro Art. singularem hunc modum, quo Deus in Maria habitauit, vt vidisti, eò præcipuè defert, quòd non solùm in eius anima, sed etiam in eius vtero hospitaretur. Vide, quæ in Examine expendebam. Recudo tamen adhuc S. Doctoris verba : *Tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitauit, non solùm in anima, sed etiam in vtero. Dicitur autem Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideò simpliciter fatendum est, quòd Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale.* Recole igitur, oro, quæ multa de carne Mariana passim notaui, turpiùs, & signatiùs originis fœdata vitio, & fomitis rebellione sordidanda, quàm si quouis actuali peccato graui interiori pollueretur. Recole pressiùs, quæ dixi de indecentia carnis virgineæ inculpabiliter libatæ, Christo suscipiendæ : & cùm videris longè fœdiorem esse carnem culpabiliter in origine violatam; inferes necessariò, longè indecentiorem sic venisse. Subdo tantummodo pauca, quæ huc seruaui. 1460.

Maria indecētior, de animæ, quàm de corporis corruptione.

D. Thom.

Postquàm Maria cedrum se dixit, cypressum, palmam, rosam, oliuam, & platanum, postquàm se primis aromatum humili exultatione comparauit, ita subiungit : *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Eccles. 24. num. 23. Suauissimum è vitibus nonnullis odorem exhalari, probaui ad cap. 2. Cant. Cur tamen vitis nostra, quæ, vt suauissimum odorem vitæ in Christo exhalauit; sic etiam racemum salutis in Cruce protulit exprimendum; non tam huius, quàm illius ratione, fructificantis vteri laudauit excellentiam? Quia, licèt vtrinque verè, clariùs tamen ex primo vteri integritatem commendabat. Pulchrè ibi Vverricus apud Tilm. *Ac si apertè dicat : Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum : sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris, quomodo virginitas genuit Saluatorem? Sicut flos vitis, odorem. Si corruptum inueneris florem pro eo, quod dedit odorem; violatum crede pudorem; quia edidit Saluatorem.* Sic enim pleniùs, & decentiùs sacra Maternitas commendatur, cùm simul virginitatis ratio exprimitur. Quæ ergo se Matrem absque virgineo corpore vix credit commendari; dignam se Matrem, anima fœdiùs longè corrupta existimaret? Et benè inter tot alias similitudines prædicto capite quodammodo steriliter prolatas; cùm se fructificantem, & Matrem dixit Maria, vitem comparationis ergo appellauit : quod vt explicem, præmitto Ambrosium Hexam. 3. cap. 14. vbi de vite, sic, imò de vitis pampino, & folio. 1461.

Eccli. 24.

Maria de virginitate vitis.

Vverric.

Denique doceat nos pampinus naturæ gratiam, & 1462.

diuinæ

Et vita victrix. *diuina Sapientiæ interna mysteria : videmus enim ita scissum, atque diuisum, vt trium foliorum speciem videatur ostendere : ita pars media distincta* Ambros. *est, vt, nisi inferioribus hæreret, separata spectantibus videretur. Ea autem ratio videtur seruata naturæ, vt & Solem faciliùs admittat, & vmbram obtexat. Denique proceriùs media pars eius extenditur, & in ipsa summitate tenuatur : vt plùs pulchritudinis, quàm tegumenti præferat : etenim brauij speciem videtur effingere : significans, quòd vua, inter pendentes cæteros fructus habeat principatum, cui tacito quodam iudicio naturæ, sed euidenti indicio, innascitur species, & prærogatiua victoriæ. Secum igitur habet brauium suum, quo & munimen sibi præbetur aduersus iniurias, vel aeris pariter, imbriúmque violentiam.* Ideò igitur singularissimus Mariæ fructificantis typus, vitis. Inde cora fructuum princeps vua, nisi à planta cingentibus brauiis victoriosa, pullularet : quia indecorè Christus, nisi à Maria creaturarum omnium Regina procrearetur. Longè priùs quàm vitis vuam concipiat, iam victrix, iam brauiis refulget coronata : & tacito naturæ iudicio, & manifesto foliorum indicio, tantam prolem iam comitur productura, iam dignior destinatur. Quidni Maria etiam ab initio, tantum fœtum susceptura condignè præparetur ? Probat racemus fructalem principatum à gloriosa planta: cur Princeps Principum, seruilem sibi Matrem exprobrari patiatur ? Redeo.

1463. Angebatur in Cruce Christus vndique doloribus, spinis lacerus, clauis confixus: sed acu- Euangelistæ prærogatiua. tiùs afflictæ Matris amoribus pungebatur : dúmque à Patre deseritur de mysterio ; solitum curandæ Matris non deserit ministerium:Ioannem Ioan. 19. illi, quali quali solamine substituit in filium: *Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 19. n. 26. O quale ænigma ! Vnde Ioannes dicitur Mariæ filius? Vtcunque loco filij venit, cur simpliciter filius appelletur ? Virgineus vterus vnum edidit, quem concepit Saluatorem, & Dominum : cur illi nouus conceptus seruus attribuatur ? Quid Virgini commune, cum fœtu purè humano ? Imò, quia Virgo fuit, & Mater, ideò virgines edat, necesse est. Maria Ioannem, si non hominem, virginem tamen fudit : proptereà erecturus virginitatis vexillum Christus, Ioannem virginem absolutè Mariæ filium appellauit, vt disceremus, virgines omnes in Ecclesia subsequentes à Deipara Virgine processisse : nec enim satis digna Virgo Mater Dei credenda, nisi totius virginitatis fons pariter crederetur. Galfridus ibi apud Galfrid. Tilman. *Quodammodo Ioannes Virginis Matris in virginitate filius fuit : cuius illa, si non carnem; carnis tamen integritatem edidit ; & illum, si non hominem ; tamen virginem genuit. Cæterùm, quàm multos hodie parit sanctissima illa, fœcundissimáque virginitas ! quàm felix eiusmodi generatio ! Suo equidem modulo fœcunda simul, & incorrupta posteritas.* At Maria, vt sæpè per plures paginas ostendi, non solùm virginitati ; sed etiam omnimodæ gratiæ nos regenerauit : quæ ergo, vt virgines ederet, singularissimum virginitatis accepit priuilegium, vt sola Mater, & Virgo haberetur : cur Sanctos, & gratiosos productura, non id singulare gratiæ acciperet priuilegium, vt vna, ab origine sancta prouenire ? Decentius sanè suscipiendo Verbo, hoc secundum, quàm primum priuilegium.

Nunciat Gabriel Mariæ Christi conceptionem : ad quem tunc illa : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Luc. 1. num. 34. Quid 1464. modum quærit, quæ promptissimè obediens, quæ Luc. 1. Votum Marianum virginitatis. credens fidelissimè prædicatur ? Fidei, & obedientiæ laudata cæcitas, inde fit ad meritum perspicacior : vnde mera dicentis, & præcipientis verba, & imperia attenduntur. Quid ergo modus ab omniscio quæritur executore ? Ipse dixit, ipse præcepit : ipse perficiet : quid modum scrutaris, Maria, quæ rem fideliter suscipis exequendam? Nec minima hic dubitationis imperfectio ; sed maximus quidam virginitatis amor exhibetur. D. Bernardus hom. 4. super *Missus est.* ita habet: Bernard. *Cùm sciat Dominus meus, testis conscientia mea,* In Annunt. Mariæ. *votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum ; qua lege, quo ordine placebit, vt fiat istud ? Si oportuerit, me frangere votum, vt pariam talem filium : & gaudeo de filio, & doleo de proposito.* Non consentit Bernardus in hoc loco illis, (quibus nec ego vnquam potui assentire,) qui putant, Mariam virginitatem Maternitati promissæ præposuisse: affectantes per immodicam hyperbolen, virginitatis encomia minùs prudentia : sed tantummodo vult Sanctus Doctor ostendere, Mariam sic amantem pudoris, vt minùs gratum haberet priuilegium Maternitatis, nisi & hoc aliud integri pudoris illi annecteretur:non enim imperfectionem, aut minorem resignationem inuoluit ille dolor, quo quis sentit non posse ad ingens Dei obsequium quandoque, nisi minoris puritatis dispendio, peruenire. Sic dolent iusti, quòd proximos non lucrentur, nisi admixto commercij puluere, quem vix indidem possunt euitare. Vide suprà à num. 1348.

Hinc iam clariùs, cur Maria, audita gratiæ 1465. plenitudine suscepta, faustáque inter mulieres benedictione, conturbetur:vt proinde ad illam An- In eodem Festo. gelus subiungeret : *Ne timeas, Maria : inuenisti enim gratiam apud Deum : ecce concipies in vtero, & paries filium,* &c. num. 30. Nouerat, nimi- Luc. 1. rum, Angelis doctior, Scripturarum peritissima, quid mulierum vocabulo veniret intelligendum, & dum audit: *Aue, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* suspectum si fortè pudori negotium, meritò anteuertit, & cogitat, qualis sit ista salutatio. Neque enim certa de Angelo, de verbis intùs illustrata, ad auditas sibi laudes turbari, sed humiliari penitùs debuerat:at humilitas profunda, non tam inducit turbationem, quàm importat serenitatem : inde ergo turbatur, quòd se inter mulieres audiat benedictam, quæ inter virgines mauellet volente Deo benedici. Bernard. in Serm. de verbis Apocal. *De cætero sanè & virginitatem carnis, & propositum virginita-* De eodẽ Mariano voto. *tis, ipsius quoque propositi nouitas euidenter illustrat : quòd, videlicet, in libertate spiritus, legis Mosaica decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul, & spiritus sanctimoniam vouit.* Bernard. *Probat enim propositi inuiolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti Filium Angelo, respondit: Quomodo fiet, &c. Fortè enim proptereà primo turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio, quòd benedici se se audisset in mulieribus, quæ, nimirum, benedici in virginibus semper optabat. Et ex tunc quidē cogitabat, qualis esset ista benedictio, quòd iam videretur esse suspecta. Vbi verò in promissione Filij, manifestum virginitatis periculum*

culum videbatur, non potuit vltrà dissimulare, quin diceret: Quomodo fiet, &c. *Meritò proinde, & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit.* En tibi sollicitudo, qua Maria corporis integritatem custodiebat: & ex mente Bernardi, propterea diuina fœcunditate donatur Virgo, indéque ex parte Dei Maternitatem congruè promeretur, quòd hanc illi gratissimam munditiem obtinebat. At quantò gratior mundities spiritus, cordis integritas, quàm corporis, inde patet, quòd longè grauiùs cor fœdetur per culpam, & anima per peccatum, quàm corpus per inculpabilem mariti deflorationem. Si ergo hinc indecens, & incongrua Deo suscipiendo, quantò inde indecentior prouèniret?

1466. Exemplo rem perpende. Comparat Ambrosius Susannam Christo Serm. 50. ita scribens: *Similiter enim persecutores in Susanna passa est pudicitia, sicut in Christo passa est iustitia: illa enim, dum in adulterio conuincit Presbyteros, ipsa tanquàm adultera retinetur: hic, dum in sacrilegio arguit Pharisæos, ipse tanquàm sacrilegus accusatur. Quod quidem sacrilegium in Pharisæis, maius adulterium vocari potest: grauius est enim religionis adulterum esse, quàm corporis: & plus est integritatem Diuinitatis lædere, quàm integritatem hominis violare.* Et cur grauiùs adulteratur religio, quàm fœmina? Quia ibi immediatè Deus læditur: hic longiùs, media quodammodo offenditur creatura. Sic proportionaliter in re nostra: Maria, vt latè probaui alibi, coniunctior Deo de spiritu, quàm de corpore: vnde ille vicinius in illo, quàm in isto violato læderetur. Et quid, quòd illud, vt suppono, corrumperetur innocens: ille non nisi per culpam corrumpebatur? An tibi decentior apud Deum ventura Susanna videretur, si inuitâ, violenter adulteros passa foret polluto corpore, spiritu intacto: an, si lubens intacta carne, polluto animo adulteros concupisceret? quis non videat?

Stuprum mentis fœdius, quàm carnis. Ambros.

1467. Commune est apud Patres, Mariam, & Euam virgines, licèt sub longa diuersitate, comparare: sed audiendus Tertullianus lib. 2. de Car. Christi, cap. 17. *In virginem adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis: in Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ: vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti; credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.* Quasi non satis congruè salus veniret, si naturali virginitati studiosa virginitas, sicut prauæ credulitati, sancta credulitas, non responderet. Sic minutos hos apices in proportionando remedio curasse Deum, credit Tertullianus. Cur igitur Euæ tunc innocenti, dum aggreditur perditionem, Maria perfectiùs innocens opponi non existimetur? Non ita aptè hic sexus restitueretur, nisi Virgo deleret, quod deliquerat virgo: & aptè restitutus credatur, nisi vtrobique origo pura intercedat? Gratiórne hic sexus de Virgine incorrupta, quàm de origine integra proueniret? Pergo. Sed in hac vtriusque virginitatis comparatione, illud mihi semper visum dubiusculum, quòd prima virgo verbum mortis ædificatorium aure percepit, mente combibit, non vtero concepit: Verbum autem Dei structorium vitæ, non solùm mentem imbuit; sed Marianum vterum grauidauit. Vnde ergo proportio desumatur? Soluit acutè nodum ibidem Tertul. sic subiungens: *Sed Eua nihil tunc concepit in vtero ex Diaboli verbo? Imò concepit: nam exinde vt abiecta pareret, vt in doloribus pareret, verbum Diaboli semen illi fuit. Enixa est denique Diabolum fratricidam. Contrà Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israël, interemptorem suum, saluum quandoque præstaret. In vuluam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet.* Habes obiter charitatis fraternæ excellentiam, quam Dæmon summoperè in nobis violatam cupit, dum primum grauidantis verbi sui fructum fratricidio commendauit: quam Deus per incarnationem, nobis doctam & commendabilem voluit, & restitutam. Ad rem. Euæ adhuc innocentis virginitas sic fuit inermis, vt à verbo Diaboli expugnaretur, fœcundata partui futuro corruptionis, & malignitatis: cur ergo non innocentis Mariæ virginitas reputetur, quæ longè fortior, Dei Verbo, partui integritatis, & salutis grauidatur? Si responsura virginitas virginitati, cur peioris conditionis, quod ad innocentiam attinet, Mariana?

Maria qualis Antitenu. Tertull.

Charitatis fraternæ excellentia.

1468. Concludo totam hanc materiam de Deo, non nisi decentissimè Virginem habitaturo, nô inuenusta explicatione Cellensis ad Zachariam. Vidit Propheta Verbum diuinum, terras per incarnationis mysterium, ingrediens: quod sic describit: *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum: & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo.* cap. 1. num. 8. Si quæris ab antiquis, cur amorum Numini Veneri myrteta consecrentur; respondent, id inde ortum, quia cùm primò è mari patrio, terras peregrinas, amorum Dea attingeret, ad myrtos abscondita, petulantes inuadentium hostium impetus euitauit. En verus veri amoris Deus, vbi primùm deserto patrio Cælo in terris cernitur peregrinis, confugit ad myrteta: quia ab hostilibus hominum peccatis impetitus, vt dixi num. 1453. innocentis Virginis virenti semper nemore defenditur. Quid enim myrtus arbor odorifera, & imputribilis, sempérque virescens, nisi incorruptum virginitatis florem denotabit. Adde, quæ Hieronymus Lauretus in sua Sylua ex Scriptura, & PP. vbi myrtus, ornamentum virtutis, & mentis tranquillitatem notare comprobatur. Sic fabulæ lenocinium, veritatis pietate superatur.

Christus in sola Maria tutus. Zachar. 1.

1469. Illud ergo dubius, cur humanitas sanctissima, quæ hîc diuini Verbi gestatrix intelligitur, rufa prædicetur, id est, rubens: sic enim ex Hebræo vertit Lyranus: *Super equum rubeum.* Totus venit amator hominum Deus, sub amatoriis hieroglyphicis agnoscendus: & amantium instar, internos mentis affectus, externis his coloribus testaturus. Cur ergo viridis humanitas non depingitur, vt Christum spem nostram denotaret? Cur non cærulea, vnde sacram zelotypiam, de hominibus Dæmoni corriuali adhærentibus, significaret? nam reverà, si ad metaphoræ attendas proprietatem, non minùs à naturali equo, *rubeus*, quàm viridis, & cæruleus color alienus. Quid ergo? Sed premo magis dubium ex Ioanne, qui Verbum Dei verax, fidele, & coronatum Apocal. 19. à num. 11. sic describit: *Et vidi cælum apertum: & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax,* &c. *& vocatur nomen eius, Verbum Dei.* Candida, nimirum, & impolluta

Christi humanitas, quæ pura.

Apoc. 19.

impolluta hic denotatur Humanitas. Benè Cellensis citandus: *Joannes Euangelista hunc eundem equum vidit album, vtique sub alio sacramento; videlicet, quia agnus sine macula peccati erat.* Cur igitur iam in Cælis sedens impollutam Humanitatem, de candore ostentat; terras verò ingrediens, eandem eadem innocentia fruentem, non tam candidam, quàm rubentem ostentauit? Attende iam.


Cellens.

1470. Reuerentia, & castus affectuosæ humilitatis pudor, ruborem apud nos solet contrahere: vt autem ostendatur, quàm profunda reuerentia, quàm humili pudoris casti affectu Humanitas Verbum exciperet; pudibundo quodammodo rubore suauiter infecta demonstratur: quæ reuerentia, licèt semper eadem duraret; in primo tamen instanti intensiorem emisisse affectum credenda est. Nunc capies Cellensem lib. de Panibus, cap. 23. *Aptauit Pater Verbo corpus, non cuiuslibet coloris, vel habitudinis: sed quale Deum decuit; sed quale ad peragendum cursum, necessarium fuit: sed, quale nostra redemptio expostulauit: inde namque est illud in Psalmo: Corpus autem aptasti mihi. vel, aures perfecisti mihi. Aptauit, inquam, equum equiti, vt nobilissimo corpori, nobilior associaretur anima, & super vtrunque sederet Diuinitas. Fortè equus iste ideò rufus est, quia dignitatem sessoris, non sine verecundia intuetur: & ita propter suam reuerentiam rubore perfunditur.* Immaculatissima quidem longissimè super omnes Angelos erat sacra illa Humanitas: & tamen ad tanti hospitis intimè vniti conspectum rubet quodammodo, & omninò se minorem suscepto beneficio protestatur. Agedum: fatearis, necesse est, nullibi, præter hanc Humanitatem, intimiùs Deum susceptum, strictiùs vnitum, quàm Mariæ: ergo post illam Humanitatis, nulla humilior reuerentia, nullus pudor castior, quàm in Maria Deum suscipiente. Tunc sic: ne rubor ille modestiæ, & humilitatis, in ruborem indecentiæ, & in confusionem indignitatis transire videretur; necessariò in Humanitate ponimus, excellentissimam, quæ cogitari potest, innocentiam: ergo indidem in Maria, excellentissima, post hanc, innocentia erit constituenda. Quid? Credis satis album pro decentia equum, satis impollutam, & absque macula peccati Humanitatem, si à Matre oriretur per turpissimam originem fœdatam: quæ tamen à D. Thoma, minùs pura, & minùs segregata à peccatoribus existimatur, si à Matre venialiter peccante processisset? Deus itaque singularissimo modo, sub debita proportione, habitans in Christo, & in Maria, proportionatam parauit, & condecentem hospitio puritatem. Festino nunc ad Artic. 5. breuissimè absoluendum.

Quàm diuini Verbi reuerens.

Cellens.






EX QVÆST. XXVII TERTIÆ PARTIS D. THOMÆ,

ARTICVLVS V.

Vtrùm Beata Virgo per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.



AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd B. Virgo per sanctificationem in vtero, non obtinuerit gratiæ plenitudinem, siue perfectionem. Hoc enim videtur pertinere ad priuilegium Christi, secundùm illud Ioan. 1. *Vidimus eum, quasi Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Sed ea, quæ sunt propria Christi, non sunt alteri attribuenda: ergo Beata Virgo plenitudinem gratiarum non accepit in sanctificatione. Prætereà, ei, quod est plenum; & perfectum, non restat aliquid addendum: quia perfectum est, cui nihil deest, vt dicitur in tertio Physic. sed Beata Virgo postmodum additionem gratiæ suscepit, & quando Christum concepit, (dictum est enim Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te.*) & iterum, quando in gloria est assumpta: ergo videtur, quòd non habuerit in sua prima sanctificatione plenitudinem gratiarum. Præterea: Deus non facit aliquid frustrà, vt dicitur 1. de Cælo: frustrà autem habuisset quasdam gratias, cùm earum vsum nunquam exercuit: non enim legitur, aut docuisse, quod est actus sapientiæ; aut miracula fecisse, quod est actus gratiæ gratis datæ. Non igitur habuit plenitudinem gratiarum.

Sed contrà est, quòd Angelus ad eam dixit Luc. 1. *Aue, gratia plena.* quod exponens Hieronymus in Serm. de Assumpt. dicit: *Benè gratia plena: quia cæteris per partes præstatur; Mariæ verò, se tota simul infudit gratiæ plenitudo.*

Respondeo dicendum, quòd quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere; tantò magis participat effectum illius principij: vnde Dionys. dicit 4. cap. cælestis Hierarchiæ, quòd Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis, quàm homines: Christus autem est principium gratiæ, secundùm Diuinitatem quidem authoritatiuè; secundùm humanitatem verò instrumentaliter: vnde & Ioan. 1. dicitur: *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundùm humanitatem: quia ex ea accepit humanam naturam: & ideò præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.

Ad primum ergo dicendum, quòd vnicuique à Deo datur gratia, secundùm hoc, ad quod eligitur: & quia Christus, in quantum est homo, ad hoc fuit prædestinatus,

&

& electus, vt esset Filius Dei; in virtute sanctificandi hoc fuit illi proprium, vt haberet talem plenitudinem gratiæ, quòd redundaret in omnes; secundùm quod dicitur Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima authori gratiæ: ita quòd eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet, & eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes deriuaret.

Ad secundum dicendum, quòd in rebus naturalibus, primò quidem est perfectio dispositionis, putà, cùm materia est perfectè ad formam disposita. Secundò autem est perfectio formæ, quæ est potior: nam & ipse calor est perfectior, qui prouenit ex forma ignis, quàm ille, qui ad formam ignis disponebat. Tertiò autem est perfectio finis, sicut ignis perfectissimè habet proprias qualitates, cùm ad locum suum peruenerit. Et similiter in B. Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima quidem quasi dispositiua, per quam reddebatur idonea ad hoc, quòd esset Mater Christi. Secunda autem perfectio gratiæ fuit in Beata Virgine, ex præsentia Filij Dei in eius vtero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quam habet in gloria. Quòd autem secunda perfectio sit potior, quàm prima; & tertia, quàm secunda; patet quidem vno modo, per liberationem à malo. Nam primò in sua sanctificatione fuit liberata à culpa originali: secundò in conceptione Filij Dei fuit totaliter à fomite mundata: tertiò verò in sui glorificatione fuit liberata etiam ab omni miseria. Alio modo, per ordinem ad bonum: nam primò in sua sanctificatione adepta est gratiam inclinantem ad bonum: in conceptione autem Filij Dei, consummata est eius gratia confirmans eam in bono: in sui verò glorificatione, consummata est eius gratia, perficiens eam, in fruitione omnis boni.

Ad tertium dicendum, quòd non est dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam gratiam prophetiæ: non tamen accepit, vt haberet omnes vsus harum, & similium gratiarum, sicut habuit Christus; sed secundùm quod conueniebat conditioni ipsius. Sapientiæ enim vsum habuit in contemplando, secundùm illud Luc. 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Non autem habuit vsum sapientiæ, quantùm ad docendum: quia hoc non conueniebat sexui muliebri, secundùm illud 1. ad Timoth. 2. *Docere autem mulieri non permitto.* Miraculorum autem vsus sibi non competebat, dum viueret: quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis; & ideò soli Christo, & eius Discipulis, qui erant baiuli doctrinæ Christi, conueniebat miracula facere: propter quod etiam de Ioanne Baptista dicitur Ioan. 10. quòd signum fecit nullum: vt, scilicet, omnes Christo intenderent. Vsum autem prophetiæ habuit, vt patet in Cantico, quod fecit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c.

EXAMEN TEXTVS D. THOMÆ.

1471. *Maria perfectio semper creuit.* SVPPONO hic cum Caietano, conclusionem Doctoris Angelici procedere tam de perfectione intensiua, quàm extensiua. Suppono deinde cum Suario, hanc plenitudinem non negare maiores gratiarum cumulos, (vt apertè fatetur D. Thomas,) Virgini in progressu vitæ additos. Solùm ergo significatur, gratiam in prima sanctificatione datam, plenam, quantùm rei, & temporis circunstantiæ exigebant, fuisse: in qua, quodammodo in radice, plenior subsecuturus cumulus contineretur. Nonnulla ergo, quibus hinc præseruata ab originali næuo arguatur Maria, breuiter iam transcurro.

1472. *Christus caput Adami integri.* RESPONDEO DICENDVM.] Solida quidem est ratio D. Thomæ, & ipso naturæ lumine ferè euidens; scilicet, eò magis principij alicuius effectus participari, quò intimiùs illi approximatur: vnde, cùm Christo gratię totius principio, Maria ratione Maternitatis, cæteris creaturis sit proximior; sequitur euidenter maiores omnibus gratias participasse. Aduerte igitur, etiam ex doctrina D. Thomæ, quam tradidi in Examine articuli primi, Christum gratiam Angelis, & protoparentibus promeruisse: quod de his adhuc confirmo vlteriùs ex eodem D. Thoma (D. Thom.) quæst. 8. art. 3. in corp. vbi ita; *Dicendum est, quòd accipiendo generaliter secundùm totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum.* Vbi benè infert Suar. (Suar.) disp. 23. sect. 1. §. *Secundo dubitari*, &c. Christum, caput Adami, in statu innocentiæ collocati fuisse. Et meritò: nisi fortè, aut Adam tunc non homo appellandus: aut tempus illud mundo non adscribendum: quorum vtrunque est ridiculum. Esse verò caput Adami integri, perinde dicitur, ac esse principium gratiæ originalis illi collatæ, vt per se patet. Hinc ergo ad rem nostram sic argumentor.

1473. *Maria Christo propinquissima.* Virgo proximior fuit Christo, quàm Adam: sed hic, à capite suo, & gratiæ principio, originalem gratiam accepit: ergo & Maria meliorem adhuc originem comparauit. Minor patet ex dictis. Maiorem concedit D. Thomas, dum Mariam propinquissimam appellat. Probo consequentiam: Deipara de hac summa propinquitate omnibus maiorem gratiæ plenitudinem accepit, vt fatetur S. Doctor. Sed hoc esset falsum, nisi gratiam originalem consequeretur: ergo & hanc consecuta. Hæc minor multipliciter probatur. Primò, quia, vt suprà latè ostendi, non est absoluta plenitudo, quæ in potiori parte sui vana fuit. Secundò, quia hæc plenitudo datur Mariæ ad decentiam Maternitatis; indecens futura, si locum vacuum veniali culpæ relinqueret, indéque neque condignè plena appellanda. Sed, vt Sole clariùs probaui, indecentior de originali culpa veniret: ergo à fortiori minùs condignè plena diceretur. Tertiò, quia Maria impensiùs in Matrem præparanda de sanctitate, quàm de aliis prærogatiuis: sed nulla gratia gratis data illi defuit tempore ad decentiam accommodato: ergo neque gratia iustificans, accommodato tempore illi deesse potuit ad decentiam. Quod autem accommodatius tempus, quàm illud, quo, si prætereiretur, ancilla Dæmonis, Deo abominabilis, Adamo integro vilior redderetur?

Confirmatur ex integro argumentum. Maria, 1474. *Cant. 4. Et antonomasticè proxima.* dum propinquissima Christo dicitur, per antonomasiā *proxima* appellanda: vnde illud Cant. 4. n. 7. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Septuaginta vertunt: *Tota pulchra es, proxima mea.* Sed hic locus Cantici, ex mente D. Thomæ, (quod in superiori Examine ostendi,) prout Mariæ accommodatur, necessariò in sensu præseruatiuo capiendus: ergo Maria etiam ab originis culpa præseruatur. Maior, & minor patent. Probo consequentiam. Maria in hoc sensu antonomasticè est *proxima*, id est, omnium proximior: ergo in hoc sensu nullus meliorem acquisiuit præseruationem: atqui si originaliter fœdaretur, iam Angeli (quos, vt suppono ex articuli primi Examine, redemit Christus, idque ex Patribus alibi ostendi,) meliùs, & decentiùs præseruarentur: ergo. At quidem Christus, quà homo, Angelos præseruans redemit instrumentaliter: quà autem homo, & gratiæ instrumentum, magis proximus est Mariæ, à qua natus: igitur meliùs hanc redimens præseruaret.

Sed premo hanc instrumenti rationem. Christus, quà homo, est gratiæ instrumentum, per hu- 1475. *Instrumenti causa plus illi, quàm cæteris seruiuit.* manam, scilicet, naturam, quam accepit à Virgine, vt fatetur hîc D. Thomas: quod nihil aliud est, quàm nobis fructus gratiæ germinasse, & mansiones paternæ domus dispositas comparasse. Sed ingenium Dei est, vt nemo priùs fruatur vtilitatibus ab aliquo instrumento, siue causa prouenientibus, quàm is, qui quodammodo talis causæ est causa, & instrumentum instrumenti: ergo Maria, à qua causa gratiæ processit, priùs omnium illius fructus, & vtilitates comparauit: id est, ordine intentionis priùs quam Angeli, & protoparentes, sub gratiæ splendoribus intelligenda. Minor, in qua sola est difficultas, ostenditur ex verbis Deuter. à n. 5. cap. 20. vbi de delectu militum faciendo: *Duces quoque per singulas turmas, audiente exercitu, proclamabunt: Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & dedicauit eam? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè* Deuter. 5.

moriatur

moriatur in bello, & alius dedicet eam. Vbi Lyranus: *Accipitur hic, dedicare, pro strenare: id est, facere solenne conuiuium, de inhabitatione ipsius.* Iniquum enim videbatur, nisi ipse ædificator, omnium primus domum suam strenaret. Pergit Lex: *Quis est homo, qui plantauit vineam; & nondum fecit eam communem, de qua vesci omnibus liceat? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio.* Clariùs Septuaginta: *Et quis est homo, qui plantauit vineam, & non est epulatus ex ea? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & homo alius epulabitur ex ea.* Quasi nefas, nisi ipse, qui plantarat vineam, primos eiusdem fructus degustaret. Est Christi caro, vera Dei domus, vt bene probat Lauretus ex Ps. 35. cur ergo hanc priùs alij, quàm ipsius ædificatrix Virgo, consequeretur? Est Christus vitis vera: cur ergo primos eiusdem fructus ipsa plantatrix Mater non degustaret? Tendétne illa ad bellum debellanda à Dæmone, vt in eius domo Angelus præseruetur à lapsu? Comedent protoparentes, fructus originalis iustitiæ suauissimos, interim pia, & sedula plantatrice ieiunante? Hoc crediderit, qui Deum sibi ipsi in decretis contrarium existimarit. His faciunt, quæ per plures paginas dixi, de redemptionis primitiis Mariæ reseruatis. Hoc ipsum ex sequentibus firmatur adhuc.

Lyran.

Lauret.

1476. AD PRIMVM.] Vult D. Thomas, ideò Mariam Christo, id est, principio gratiæ propinquissimam fuisse, quia illum edens, & vera Mater pariens quodammodo gratiam ad omnes deriuauit; id est, gratiæ fructus omnibus fecit communes. Tunc sic arguo. Vetat Deus, ne, qui vineam aliis facturus communem, in bellum proficiscatur: ne fortè ibi moriens, à primo fructuum gustu arceatur: sed Maria veræ vitis fructus nobis communes fecit: ergo ipsa primos fructus degustauit. Dabit his lucem, ipsum lucis exemplum. Prima omnium creaturarum, producto iam cælo, & terra, lux à Deo commendatur: *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Genes. 1. num. 4. Et cur omnium prima meritò commendabilis? Respondet Ambros. Hexam. 1. cap. 6. *Nec immeritò tantum sibi Prædicatorem potuit inuenire, à quo iure prima laudatur: quoniam ipsa fecit, vt etiam cætera mundi membra, digna sint laudibus.* Si igitur Maria fecit, vt cætera Ecclesiæ membra gratiam perciperent, cur iure hanc prima percipiens non existimetur? Si ipsa *porta lucis fulgida*, vnde radios combibimus, quibus tenebrarum caligine fugata, digni laude afficimur, & amore: cur non prima omnium, amore, & laude digna æstimaretur destinanda? Vide, quid ferè omnes Patres dicant de *porta orientali* Ezech. 44. num. 1. id est, de Maria, quos dedit Delr. ad cap. 8. Cant. num. 9. vbi Salomon: *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Do obiter Hailgrinum ibi: *Christus se vocat ostium, & Mater hic vocatur ostium; sed aliter, & aliter, &c. Beata Virgo ostium est in Ecclesia, quæ malignis obsistit Spiritibus, ne ad deuotos suos intrent, & accedant, sicut volunt. Et hoc ostium tot tabulis est compactum à Sancta Trinitate, quot in ea sunt virtutes, & priuilegia dignitatum. Hæ tabulæ cedrinæ dicuntur, quia imputribiles sunt, & odoriferæ.* Gratis

Maria priùs lucem Christi percepit.

Genes. 1.

Ambros.

Primitias redemptionis accepit.

Ezech. 44.
Delr.

Hailgrin.

nanque aliorum munimini celebraretur porta incorruptibilis; nisi sibi priùs perpetuam incorruptibilitatem compararet.

Adhibeo in hanc rem longum; sed pulchrum locum Guillelmi, de priuato quodam modo, quo Maria intercedens gratiam dicitur aliis communicare: inde rem nostram apertiùs confirmabimus. Ergo Maria sic ad Christum, de fragilioribus Ecclesiæ membris: *Soror nostra parua est, & vbera non habet.* Cant. 8. vers. 8. vbi Guillelmus ita, ex ore Christi respondentis, (cui vult attribuenda verba sequentia: *Quid faciemus Sorori nostræ, quando alloquenda est?*) locum paraphrazat. *Simpliciter suggeris, Sororem nostrā paruam esse, & vbera non habere. Sed video, quid sibi velit hæc suggestio tua: vis enim, & petis, vt eam per merita tua habeam excusatam, & ignoscam ei, quod iam diuscule talis est, quod iam longiusculè in suis primordiis, in fidei cunabulis hæret: quod nondum euacuauit, quæ erant paruuli; sed adhuc loquitur, sapitque vt paruula. Ecce facio quod petis, ignosco ei super hoc interuenientibus meritis tuis. Sed video, quod hoc solo contenta non sis: video, quid ampliùs velis: ipsā, scilicet, grandescere, quousque vbera habeat. Pete, quod vis: dic expressè, quod velis. Quid faciemus Sorori nostræ, in die quando alloquenda est? quid faciemus? id est: Quid vis, vt faciamus: ecce in voluntate tua pono, quid faciam ei. Non est, quò ampliùs honoretur Mater à Filio. Quid ergo faciemus ego, & tu Sorori nostræ: ego per authoritatem, tu per interuentionem: ego diuinè operando, tu piè cooperando? Sed nondum idonea est, vt ei magna faciamus: paruula est, & impar acrioribus tentationibus sufferendis. Fidelis autem ego, qui non permitto eam tentari, supra id, quod potest. Interim ego dispensatoriè compatiar infirmitati eius, vt, scilicet, acriùs non interrogetur, donec proficiendo grandescat. Cùm autem grandiuscula fuerit, atque ei iam vbera creuerint, quid vis, vt faciamus ei, in die, quæ interroganda acrioribus tentationibus, vtpote iam idonea sustinere?* Non solùm itaque gratiæ principium fundens Maria, gratiam in omnes deriuauit: sed quodammodo diuini huius instrumenti facta instrumentum, & Summi Operatoris cooperatrix; gratiæ conda, & proma, sacráque Corredemptrix appellanda: (quæ omnia suprà fusissimè demonstraui,) vnde omnium prima, gratiam participans est intelligenda.

1477.

A Maria quomodo in omnes gratia deriuetur.

Cant. 8.
Guillelm.

Secundò sic argumentor: Adamus integer, vt suppono suprà probatum, per Christum gratiam accepit: sed, quidquid per Christum accipitur, à Maria Matre quodammodo prouenit, per quam, dum peperit, gratia in omnes deriuatur: ergo Adamus hoc modo gratiam suam debet Mariæ: ergo Maria Adamo priùs, illam intentionis ordine accepit: ergo ab Adamo non potuit infuscari. Probo sequelam: quia Maria in illo priori, grata, & sancta intelligitur: sed Maria ex omnium Catholicorum mente, nunquam sancta intelligitur sub vicissitudinis periculo, sed semper perseuerantter: ergo, &c. Totum argumenti robur pendet ex illis, quæ in Examine primo dixi, de primogenitura Mariæ post Christum in electione ante omnes alias creaturas. Et confirmatur. Saltem Adamo lapso gratia Christi per Mariam fuit communicata: quæ enim pariens Christum; gratiam in omnes deriuauit; à fortiori in illum, cuius maximè causâ, Christus est 1478.

Maria, gratiæ instrumentū.

natus. Planum id. Tunc sic. Sed indecens est; vt quæ Adamo fusura gratiam, ab eodem ignominia culpæ suffunderetur: ergo, &c. Probo sequelam: quia fundere gratiam suo modo instrumentaliter, licèt secundariò, propinquissimè accedit ad præcipuum gratiæ instrumentum Christum hominem, scilicet: ergo, vt huic culpa repugnans est, ita illi saltem indecens veniret. Dices, etiam alios iustos instrumenta gratiæ hoc modo fuisse, dum illam suis meritis, & intercessione aliis congruè impetrarunt: & tamen culpas non euitarunt. Næ, qui ita obiicis, non vides discrimen Deiparæ à Sanctis: illa longè excellentius instrumentum, longissimè efficacius, & *in omnes*: hi in aliquos, & multò inefficaciùs gratiam deriuarunt. Illa concarne instrumentum illius carnis, quæ totale est gratiæ instrumentũ: hi autem quid?

1479. Tertiò: Ideò Maria, vt vult D. Thomas hic, habuit plenitudinem gratię, vt dignè gratia plenum Christum capere nosceretur: sed culpa, vt nemo nescit, de se angustat, & coarctat naturam: ergo culpa indecenter augustam Virginem dicitur angustasse. Hinc Ecclesiæ cantiuncula:

Culpa coarctat animã.

Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.

Dices, posteà perfusa cæli gratia fuisse dilatatam, licèt priùs originis angustiis arctaretur. Contrà primò: quia, quod semel angustatum est, minùs decentem admittit capacitatem: Deo autem taliter claudendo, decentissima capacitas assignanda. Contrà secundò: quia originalis gratia suo genio plusquàm cæteræ, naturam intelligitur dilatare, vtpote fomitis fœdantes angustias anteuertens: ergo hanc habuit Maria, vt excellentiùs foret dilatata. Contrà tertiò: quia vterus Marianus, *Sole, & cælo clarior, & capacior* ab Epiphanio, & aliis Patribus passim appellatur, vt nosti: ergo nebulas, & angustias nunquam passus: ne in his Soli, & cælo materiali cedere videretur, quorum ille semper lucidus perpetuò capax perstiterunt.

1480. Ad tertium. Hîc aduerte, ex illis verbis D. Thomæ, quibus probat Mariam accepisse omnes gratias, & subiungit: *Non tamen accepit, vt haberet omnes vsu harum, & similium gratiarum, sicut habuit Christus.* clarè inferri, Christum non solùm omnes gratias, sed etiam omnes gratiarum vsus habuisse. Quòd si obstes ex doctrina eiusdem D. Thomæ hic quæst. 7. art. 7. ad tert. Christum vsum linguarum non exercuisse: respondet aptè Caietanus, satis esse, cùm plurimos haberet, vt omnes habuisse diceretur, licèt vno, vel altero careret. Habes ergo ex vsu communi loquendi, firmato Angelici Doctoris testimonio, *omnes*, pro maiori parte vsurpari. Cùm ergo Scriptura, vt norunt pueri, hyperboli, tropo, & vsitatis vulgo phrasibus vti soleat: optimè potuit dicere Paulus, omnes in Adamo peccasse, licet vna Maria exciperetur. Et in falsa illa sententia Caietani, (qua voluit Apostolum de debito, non de actu, esse explicandum,) optimè inferretur, omni dempta improprietate dictum, omnes debere: licèt vna Deipara debitum non contraheret.

Particula, Omnes, qui intelligatur. D. Thom.

1481. Et nota obiter circa eos, qui magis piè sentientes asserunt, Mariam non solùm peccatum originis non contraxisse actu, sed etiam in Adamo non peccasse: nota, inquam, plusculos esse, (quos contra totus differit in excellentissimo suo Opere Perlinus,) qui Mariam ab omni debito liberã fuisse asserere reformidãt, saltémque remotũ debitum habuisse contendunt. His ego quidem perinde suo modo euenire puto; atque illis, nesciam, an magis scrupulose timidis, an timidè scrupulosis, qui olim, cùm Spiritum Sanctum, *Creaturam* appellare, nefas ducerent; *Deum* tamen dicere, (quia in Scriptura expressiùs non habetur,) omninò trepidabant. Similiter, quantùm res patitur in lite nostra: Mariam in Adamo peccantem ponere nefas putant, & tamen illam ab omni debito liberam, quasi insolens, & nouum, non sustinent appellare: cùm tamen, licèt non paris necessitatis, similis nihilominùs videatur consequentiæ, à negatione creaturæ, tribuere Spiritui Sancto Deitatem; atque à negatione peccati in Adamo, immunitatem ab omni debito Deiparæ assignare.

Maria, ab omni debito libera dicenda. *Perlin.*

Hæc breuiter pro Articulo quinto: cuius omnia, quæ ad Anthologias reduci poterant, fusissimè iam suprà disputaui. De sexto nihil: quia ad Mariam non pertinet: & si quæ in illo apta immaculatæ probandæ Conceptioni, iam obiter suprà fuêre examinata. Iam ergo Operi coronidem (non valemus coronam) imponamus. 1482.

Designata Metæ adpropero.

I.

Nolui longiùs ire, ne vltra metam; non potui breuiùs procedere, ne citra mentem. Libuit Olympicum puluerem in Mariano stadio colligere. Malui inde non indecorè sordescere, quàm sordidæ dilecti Numinis famæ indormire. Dolebat peccatricis animæ sortem pius Cellensis lib. de Panib. cap. 4. tunc vehemens ingemiscit. *Etsi natiuitatis suæ instrumenta (fortè quia in scriniis Angelorum reposita seruantur, ne hostili incursione, vel tinea comestione corrodantur) non proferat: attestatione tamen idonea id asseueratur, quòd à Deo facta, & ex Deo regenerata, Regis filia nuncupatur. Puella generosa, tenera, delicata, formosa, & candida, ignara doli, laboris insueta, virtutum capax, damnatrix vitiorum, artium inuentrix, constans in amore, verax in promissione, larga in donatione, socialis ad ciues, affabilis ad omnes. Denique rapitur Puella, ô crimen! generositas ancillatur, ô pudor! delicata laceratur, ô pietatis naufragium! formosa denigratur, ô damnum pulchritudinis! obscuratur candida, ô gloriæ conuitium! ignara doli, fraude seducitur, ô iustitiæ exitium! insueta laboris, labore atteritur, ô miserationis exilium! capax virtutum, virtutibus euacuatur, ô exclusio bonorum! vitiatur damnatrix vitiorum, ô commutatio Dæmonum! inuentrix artium inuentorum obliuiscitur, ô ignauiæ fabulum! in amore constans, instabilis inuenitur, ô naturæ ludibrium! verax in promissione, quotidie mentitur, ô peregrinationis inuium! in donatione larga, in auaram vertitur, ô exsiccatio venarum! socialis, sine fœdere, ô vita corruptionem! affabilis infrunita redditur, ô coagulum dilectionis vastatum!* Scitè infausta metamorphosis deploratur. Sed longè magis parthenica dolenda, totos patheti-

1483. *Animæ misera mutatio sub peccato.* Cellens.

cos

cos cordis fontes prouocat, imò cogit in ploratum: iam lapis, si vltrà siccus perdurarem; iam durior, si pro parte non defenderem: & quod minùs pia opinione obtruditur Deiparæ, piis, & longe certioribus testimoniis non conarer expellere. Quid si conatus irritus? At debui saltem conatum: admoui. Amoui à me pariter impietatis suspicionem, ne robur, & æs triplex erga magnam Matrem, in pectore præsumerer aluisse.

1484. Totum in hac materia rationum momentum, è sacro Maternitatis pondere librauí: aut è puri sponsalitij æqua de bilancibus, quantùm res patitur, libra ponderaui: non aliunde potui, aut grauiùs pro decentia, aut decentiùs pro negotio: sartum, tectum de vtroque Mariæ priuilegium: ius summum, tantùm de summa iniuria venerit violandum. Nescit ius Matris, qui honores non parat irrogandos: despicit ius sponsalium, qui non dispicit custodiam apponendam. Matri non tam Pater, quàm Filius, in coronam: Sponsæ non tam parentes, quàm Coniux, in consortium: Filio, & Matri honor, Sponsæ, & Sponso animus communis. Dediderat se, vrbémque suam, Germanico Cæsari latè victori, Segestes. Huius gener Arminius totis viribus patriam propugnans, Cæsari resistebat, vexabat Romanas acies, suorum victoribus inuictus insultabat: tunc sic Tacitus Annal. 1. de captiua turba: *Inerant fœminæ nobiles, inter quas vxor Arminij, eadémque filia Segestis, mariti magis, quàm parentis animo: neque voce supplex: compressis intra sinum manibus, grauidum vterũ intuens.* Quasi licèt corpore videretur captiua; animo tamen vincula irrideret; & cum coniuge libero, libera simul spiritu conregnaret: vterum grauidum intuens, spei basim: graues inde strages hostibus augurata. Habuit quidem Maria Patrem Adamum, sui, suorúmque impium proditorem: cuius ærumnas, corpore tantùm ad mysterium, & ministerium passibili referre potuit. Cæterùm Sponsi vnà, & Filij animo liberrimo, proditioni paternæ nunquam assentiens; rerum salutis spem in vtero collocabat.

Maria plùs Deum sponsũ sapit, quàm Adamum Patrem.

Tacit.

1485. Non decuerat aliter Sponso Regi supremo destinata Regina: regali, & immuni spiritu fuerat procreanda. Cælum editur rerum capacius, Sol productorum lucidius producitur; solo leuioris verbi impendio stat pompa tanta. Admouetur manus homini, consilio mouenda, de supparo considerationis, cuncta superaturo: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. num. 26. Quidni? In Regem destinabatur: tota dignatio tanto operi venerit non indigna. Gregorius Nicænus de opificio hominis, à cap. 3. *O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione præcedente; eodémque pacto cælum: quibus duobus, nihil esse par creatis in rebus potest. Solius ad hominis fabricam Creator ille rerum, quadam cum consideratione accedit: nam naturam nostram condidit, velut instrumentum quoddam regno administrando idoneum.* Minùs regnaturus homo præstat creaturis aliis, quàm hominibus, Maria regnatura. Ecquæ huc consideratio superflua? & tamen decenter creditur Protoplastus immissus innocentiæ: Maria lapsui permissa. Egregiè sanè Dei considerationem sic considerés. Seruus in Regem liberum: Sponsa in Dæmonis ancillam educatur. Hæc fuerint maiora priuilegia Deiparæ concedenda.

Regum dignitas.

Genes. 1.

Nicæn.

Imperitarat sub libera Republica Orbi Pompeius: deturbatur; Romà interim iam Cæsari seruiturà. Cogitat Pompeius Parthos, libertati recuperandæ, laturus inde auxilia: ad quem Lucanus lib. 8. 1486.

Seruilis conditio indigna imperio.

Solos tibi, Magne, reliquit
Parthorum fortuna pedes? quid transfuga mundi,
Terrarum totos tractus, cælúmque perosus:
Aduersósque polos, alienáque sydera quæris,
Chaldæos culture Deos, & barbara sacra,
Parthorum famulus? quid causæ obtruditur armis?
Libertatis amor? miserum quid decipis Orbem,
Si seruire potes.

Lucan.

Acutè, prudenter. Indecenter comparatur libertas media seruitute: nec credendus faustè aliis seruitutem amoturus, qui sponte seruitu i admo. èris degeneres animos arguit ambitiosa famulatus affectatio: infecta hinc dimanaret iam libertas: integros fontes nouit, nouit pollutos. Non decepit Orbem Maria, dum libertatis nostræ amore arma arripit, & conterendum inuasit Serpentis caput: libera prosiliit. Magna est, quòd non seruiuit: maior, quòd seruire quodammodo non potuit. Illud necessarium fuit decentiæ, prærogatiuæ hoc venit decentissimum. Summo Filio, Sponso summo, summo liberatori; Sponsa Mater proportionatè libera correspondet. Adauge, vt libuerit, ni apicem attigerit, curta venerit.

Palpabat Imperatorem suum Statius; & quem nouerat de pulchritudine gloriosulè iactabundum, (nosti Domitianum,) non nisi pulcherrimis contentum commendabat. Venerem (è qua venusta omnia) huius sollicitandis deliciis, impensam prædicat. Ecquæ istæ decentiori iure? Sic in Coma Earini: 1487.

Vxor modesta & pulchra, donum Dei.

Noras cælestes oculos Ducis, ipsáque tædas
Iunxerat: & plenâ dederat connubia dextrâ.

Statius.

Tanto Principi indecenter nisi pulcherrima daretur Sponsa: nec cælestibus oculis pulcherrima æstimanda, quantacunque veniret, nisi de plena manu venustæ Deæ: penè vacuum donum, nisi de charitum thesauro plenum penitùs. Adeste, sacra. Paciscitur cum Deo de nuptiis, Isaac domino apparandis, seruus Abrahæ: de pietatis affectu, de beneuolentia in hospites eligitur: & ecce prodit noua nupta Rebecca: intende qualis: *Puella decora nimis, virgóque pulcherrima.* Genes. 24. num. 16. Non ille in pactum duxerat venustatem: cordis mores, non vultus amores fuerat aucupatus: additur tamen à Deo lemniscus palmæ: & pulchris virtutibus, compar venustas corporis. Oleaster ibi: *Audis, quales Dominus vxores piis eligit, quæ non solùm moribus; sed etiam membrorum pulchritudine sint adornatæ.* Non nouerat, credo, Ducis nostri oculos æternus Pater; ideò Sponsam Matrem illi apparauit, cui an ùm extremis digitis Charites superfunderet. Macte his nuptiis, Iesu, prodit tibi Sponsa Mater, toto morum, & amorum incomptu turpiter deformis: minùs tibi spiritus Sponsæ pulcher, quàm Isaaco pulchrum sponsæ corpus procuratur. At quàm aliter ille in Cantico Sponsam hanc commendet, idque passim; tute lege. Do vnum Rupertum ad cap. 1. num. 15. ex ore Mariæ: *Tu pulcher, & decorus, ita pulcher, vt sis ipsa substantia pulchritudinis: ita decorus, vt sis ipsum decus humani generis. Verè ergo dicis: Ecce tu pulchra es: quia tu pulchritudo mea es.*

Genes. 24.

Oleast.

Rupert.

es. Include plumbo gemmam, liuescet nitor: balsamum olido vasculo, vilescet odor: illa aurum, hoc expetit alabastridem. Æterna pulchritudo, præfœdato aliquando vtero enormiter superfunditur.

1488. Expendi suprà illud Christi ad Mariam: *Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. 4. num. 9. vbi iterum Haïlgrinus: *Vocat Sororem, propter naturæ humanæ contubernium: Sponsam, propter inconcussam fidei constantiã: ipsa enim, velut Sponsa Sponso suo familiarior, maiorem in Sponsi bonis obtinet principatum.* Idem Filius est, quà homo, qui quà homo Deus, Filius Sponsus: ipsa, quæ Mater est, ob inconcussam fidem dilectior Sponsa: fidem intellige coniugalem spirituali matrimonio syncerè seruatam, intactè custoditam, quæ non solum quateretur, sed quassaretur, si originis adulterium sustineret. O non sustinuit: ideò bene hic Dionysius ex ore Christi: *Tu enim mihi placuisti, tam amabilis facta es mihi, quod etiam vnacunque tua intuitione, & affectione ad me, rapuisti me totum in te: & placuit mihi magnificè, quidquid fuit in anima tua, & quidquid processit ex ea.* Quidquid Marianum fuit, non solùm placuit; sed placuit magnificè. Perperam putas, huius intuitionis primitias adultero libatas: perperam hos crines, amatoriis vinculis Dæmonem illaqueantes. Hebes vulnerando Deo sagitta ab illis oculis conuolaret, quæ amoris cuspidem in dæmoniaco pectore obtuderat.

Cant. 4. *Maria vis Deo alliciendo.* *Hailgrin.* *Dionys.*

1489. Et benè vulneratrix Dei Maria dicitur; vt inde erga homines vindictæ vulnera suspendat, dum amoris vulnera perpetitur ab Sponsa: vt turbidum erga nos ponat supercilium, dum dulci crinium pulchritudine irretitur: *Species mulieris,* inquit Ecclesiasticus cap. 36. num. 24. *exhilarat faciem viri sui: & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.* Exhilarauit, & amœnauit Mariæ pulchritudo, faciem aliàs turbidam, & austeram Dei, in humana scelera sæuientis: in eaque adduxit, quæ nondum petere, sed nec etiam appetere præsumeres. Haïlgrinus loco citato: *Species siquidem mulieris, virum potentem humiliat: & seuerum, & austerum emollit. Huius mulieris speciem sic concupiuit Dominus: & ipsa eius desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit: vt ad nostram infirmitatem humiliatus sit Omnipotens: & qui est vita viuentium, emollitus sit ad mortem.* Tantis diuini amoris factis, ficta cedunt, etsi in admirationis pompam excogitata. Summum se putauit dixisse Claudianus in Magn. de Venere, & marito, cuius similia dedi alibi:

Et reprimendo. *Eccl. 36.* *Hailgrin.*

Sic Venus horrificum belli compescere Regem,
Et vultum mollire solet, cùm sanguine praeceps
Æstuat, & strictis mucronibus asperat iras.
Sola feris occurrit equis, mollitque tumorem
Pectoris, & blando præcordia temperat igne.
Pax animo tranquilla datur, pugnasque calentes
Deserit, & rutilas declinat ad oscula cristas.

Claudian.

Quantò maiora, vt vides, sunt ista Mariana? Sic enim à bello, & morte inferenda Deus compescitur, vt ad ferendam mortem compellatur: & qui in homines ferrum indurabat; perpetiendo ab hominibus ferro, emollitur. Vna occurrit Maria dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. num. 2. En trahitur Deus, deposito leone, agnum induit: exuit furorem in homines factus homo: pugnas calentes deserit, & rutilas declinat in oscula cristas. Vide ad hunc locum Patres apud Delr. Quid ergo vnquam tulerit adulterij, per quam protoparentum adulteria abolentur? Quid minora negarentur, cui maiora concessa?

Cant. 1.

Fatetur id ipse Christus posteà subdens: *Auerte oculos tuos a me: quia ipsi me auolare fecerunt.* Cant. 6. num. 4. Si vnius tantùm oculi ictu, respectu leuiori se senserat vulneratum; ô quid duobus collimantibus non cederet? Quid non concederet? Quasi dicat: Quid vltrà cupias, ô Mater? Quid vltra debui facere, & prætermisi? Auerte ergo oculos, quibus quasi precabunda, imò iaculatura, Natum intueris: neque enim maius aliquid dari potest, me dato Filio: & tamen identidem vulnera multiplicas: totum hoc pectus hiat in vulnus, iam vulnus totum. Si perstas, non tam pectus, quàm vulnus sagittaueris: nihil restat dandum, præterquàm continuum dati beneplacitum: hoc si fortè non contenta, auolabo. Hyperbolen amoris pulchram explicuit Dionysius: *Expressissimè potest accipi dictum à Christo ad suam dilectissimam Matrem, ad insinuandum præcordialissimum, valdéque singularem suum amorem: quasi si ampliùs inspiciatur, ab ea ferre nequeat præ vulneratione amoris. Vt intelligatur per modum hyperbolicæ locutionis, amatoriique sermonis: nam superiùs dixit ad eam: Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, in vno oculorum tuorum: quantò magis in duobus?* En Sponsæ Matris digna priuilegia: en filialis amoris condigna monumenta. An, cui Deus sic amanter concessus, originalis gratia inuideretur? Talpa viderit. 1490.

Amor Dei erga Mariã. *Dionys.*

II.

Exhibui anacephalæosim illorum, quæ in toto hoc Opere disserui de Maria Matre Sponsa, & inde Corredemptrice, Conregnante. Huc omnes admoui machinas: an tenues, an strenuas, Lector iudicauerit. Tenues dixeris: fateor. Dum fit delectus periculo ingruenti, non solùm Achilles albo adscribuntur. Nullus exercitus, si tantummodo hi tales conquirantur: & tamen exercitu opus est: nec vno, vel altero Achille misso Helena restituitur: apud hos summa belli est, sed gregariis deficientibus, defectura. Tydidem Superis parem, & purpuratum, sagata cohors detulit ad coronam. Restituendo Mariano honori vndique coguntur auxilia: non valui dux admitti, volui caligularis: nimirum, erubescerem proletaneus. Timidus in hoc negotio, qui quà potest, non militat: iniquus, qui à manipulari exigat, quod ab Hectore. Postulauit à Christo munditiem leprosus: tangitur, restituitur: dicto factum velocius. Et ecce Marcionis calumniæ: contendit Christum ab occulto Deo missum, negat Creatoris filium: quia aliter, atque Eliseus Propheta Creatoris amandat lepram: alter, scilicet, verbo facili: alter septies repetiti Iordanis laciniosa periodo. Contra hunc disertè Tertul. lib. 4. cap. 9. *Sed ideò alius Christus: quia aliter quàm Eliseus: quia potentior Dominus famulo suo. Quid constituis, Marcion, proinde res agi* 1491.

Aliter Rex, aliter minister operatur.

Tertull. agi à seruis, quemadmodum ab ipsis dominis? Non times, ne in dedecus tibi vertat, si ideò Christum negas Creatoris, quia potentior fuerit famulo Creatoris, qui ad Elisei pusillitatem maior agnoscitur? Iniquissimus rerum æstimator Marcion, qui non maiora à domino exegerat, quàm à seruo; à Duce, quàm à milite: imò & iniurius duci, quem magni pendere volebat: cuius tamen laudes de milite superato aucupabatur tantummodo. Benè iterum Tertul. cap. 35. de Christo leprosos alios curante Luc. 17. quem propterea Marcion Creatoris Filium denegabat, quod aliter, quàm Creator in lege instituerat, illos sanarat: vbi ita: *Tantummodo ire iussos, vt se ostenderent Sacerdotibus, in itinere purgauit: sine tactu iam, & sine verbo, tacita potestate, & sola voluntate: quasi necesse sit semel remediatore languorum, & vitiorum, annunciato Christo, & de effectibus probato: de qualitatibus curationum retractari, aut Creatorem in Christo, ad legem prouocari, si quid aliud quàm lege distinxit, ipse perfecit. Cùm aliter vtique Dominus per semetipsum operetur, siue per Filium: aliter per Prophetas famulos suos, maximè documenta virtutis, & potestatis: quæ vt clariora, & validiora, quâ propria, distare à Vicariis fas est.* Infer obiter, probata iam Mariæ dignitate, & mysterij decentia, gratis Deum in illa ad legem prouocari, si quid aliud, quàm communi lege distinxit, in illa perfecit: cùm aliter vtique Matrem sibi prouisam, & cæteras creaturas curare fas esset. Sed ad rem. Aliter, & aliter Imperatores, & milites operantur: sicut aliter, & aliter iustitiæ Princeps, & serui iustificati: non idem robur, non vires similes à me caligulari, & à duce suario, sibi, & Matri defendendæ, exigit Christus: non parum offert, qui è paruo suo nihil aufert denegandum: qui maiora benignus aspicit, non despicit minora fastidiosus: vt gratiam tenuioris feruor, sic sublimioris mentis ignauia iram promeretur.

Legibus suis Deus non tenetur.

1492. Sedebat Ierichuntinus cæcus ad viam, & vitam audiuit prætereuntem: monuère linguam aures, pro oculis supplicaret: *Dauidis Filium* Luc. 18. inuocat in medelam: placuit blandimento fideli, cupitum lumen recepit. Fatentur subinde Pharisæorum Scribæ doctiores illum *Dauidis Filium* Luc. 20. Displicent de titulo, & confusionis tenebris obducendi, apud turbas vitiorum publicatione præstringuntur. Miram effectuum diuersitatem ab eodem prolato titulo, affectuum diuersitas procreauit. Ille non vltrà poterat: isti citrà quàm poterant, obtulêre. Tertul. citatus cap. 38. *Qui olim à cæco Filius Dauidis fuerat inuocatus: quod tunc reticuit, non habens in præsentia Scribas; nunc vltrò coram eis de industria protulit: vt se, quem cæcus, secundùm Scribarum doctrinam, filium tantùm Dauid prædicarat, dominum quoque eius ostenderet. Remunerata quidem fide cæci, quâ Filium Dauid crediderat illum: pulsatâ verò traditione Scribarum, quâ non etiam Dominum eum norant.* Maiora quidem debuerant Doctores, vnde quæ fuerat cæco largissima commendatio, illis inuidiosa auaritia computatur: ille fauorem prouocat, hi furorem. Puniendus cæcus, aut saltem cæcitati deferendus, si, quod valuit, inuideret: commendandi altiùs Scribæ, ni, quod valuerant, subtraxissent.

Luc. 18.
In re virtutis qui plùs debet, plùs soluere tenetur.
Luc. 20.
Tertull.

Instar Christi, Maria: quò mens profundior, hanc altiùs inuestiget: non tamen abiectior, quidquid valeat viribus, suffuretur. In aduersam aciem, non solùm balista molares; sed obuios quosque lapides, funda rotat. Ariete commouetur hostilis porta, sed & mouetur malleo. Singularis clypeus facilè perrumpitur: at clypeorum congeries, testitudinem quandoque format insuperabilem. Nullos propugnatores despicit Maria: litem suam doctis sollicitandam, promouendam doctioribus, dirimendam doctissimis commendat: vt quod intuentur altiùs, robustiùs tueantur. Pulchrè Salomon: *Viderunt eam filiæ Sion: & beatissimam prædicauerunt Reginæ: & concubinæ laudauerunt eam.* Cant. 6. num. 8. Sic locum interpungit citandus Dionysius. Vident ergo incipientes: proficientes laudant: perfecti verò iam prædicant beatissimam. Quò mens illuminatior, eò prodit in encomium excellentius. Dionys. ibi art. 21. *Quanto sunt eminentiores, & magis illuminatæ, tantò profundiùs, atque limpidiùs intuentur, & contemplantur omnem dignitatem, & excellentiam, & gloriam gloriosissimæ Virginis. Hinc Reginæ dicuntur eam non solum videre, vt filiæ: aut laudare, vt concubinæ: sed beatissimam prædicare.* Quidni ergo Societas nostra, non solùm Principes, sed etiam quosuis alios, vtcunque idoneos, Marianis encomiis non destinauerit? 1493.

Quò quis excellentior, profundiùs Mariam veneratur.
Cant. 6.
Dionys.

Et meritò: vt enim suprà probaui, priuato iure Societas huc impellitur: nec enim fideliter militabit Iesu, nisi strenuè Mariæ militauerit: non mouet castra filius, absque Matre. Israelitis sub Moyse castra moturis Dux, quieturis metatrix, nubes erat: cæleste signum terrigenis, vel ducitur, vel figitur. Vexillum, classicum, tesseram nubes vna ministrat: testudo fulminanti Soli obiicitur: submissis aciebus tenditur tabernaculum. Aditur tandem Iordanes: & ecce audit populus: *Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam; vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes: sitque inter vos, & Arcam, spatium cubitorum duum millium, vt procul videre possitis, & nosse, per quam viam ingrediamini.* Ios. 3. à num. 3. Dimittitur ergo nubes veterana; an emerita; an verò exauctorata, non laboro: certe soluitur sacramento. Omnes partes in tyrunculam Arcam traducuntur: agmen mouet, munit, castrametatur. Quid mireris? Iam non Moyses, sed Iesus Naue imperitabat: Iesus secum nubem vetat, inuitat Arcam: Iesu bellis non nubes commilitat, sed Arca. Bellè August. tom. 4. lib. 6. cap. 3. ad hunc locum: *Ex hoc autem facto intelligendum est, quòd columna illa nubis, quæ solebat mouendis castris signum dare, & iter ostendere, iam recesserat, nec eis apparebat, &c. Nunc autem duce Iesu, Arcam Domini sequuntur nube subtracta, tanquàm velamine ablato.* Dedi typica, tu vera vbique Patrum passim inuenies, id est, Iesum nostrum in Iosue, & in Arca Mariam repræsentatam. Vnde ergo non militat Iesus absque Maria: inde nescit Societas vtriusque certamina segregare. 1494.

Societas Iesu cur Mariæ Conceptionem desudet.
Ios. 3.
August.

Dederat fidelibus signa pulchra, pulcherrimo Iesu si inuento fortè, subitò agnoscendo, Maria. Mouentur ad notas isti, & accensi desiderio, adspirant feliciori incendio, sub ipso Numinis 1495.

In idê plura.

nis lumine conflagraturi: inde subdunt: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* Cant. 5. num. 17. Tecum? At, cur quærat Maria, quem iam retinet? Pergite diligentes, quærite seduli, felices inuenite: Maria absentem, non tam re, quam mysterio propalauerat. At, inquiunt, pergat nobiscum, non tam sibi, quàm nobis inquisitura: Quò ibimus, ni Maria præit? Commouit signis, dirigat iam commotos: Iesus absque Maria, oleum, & operam perdituris, inueniendus attentetur. Alanus ibi: *Benè autem dicitur: quæremus eum tecum. quia sine gloriosæ Virginis fide, qui Christum quærit, errare potest, proficere non potest.* An non igitur meritò Societas, quæ tota Iesu sequendo occupatur, Mariæ, quoquo modo potuerit, gratiam aucupatur?

Cant. 5. — Alan.

1496. Nemo igitur, nisi ignauus, laborem euitauerit. Sordet Mariano honori impensa cura? vrgeat te tuus: accipies, quantùm capias: immensum calcar habet spes præmij: de vallo tenui in fortissimam turrim commutaberis. Notum illud de collo Mariano: *Sicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 6. n. 4. Sed non ita obuia Guillelmi explicatio: *Collum Virginis etiam sunt, de ea scribentes: qui, quia per collum, cibum Dei deglutiunt, & in alios, quasi in corpus transmittunt: hi sunt, vt turris Dauid, ab Hæreticis inexpugnabiles: cum propugnaculis, id est, multis extructis sententiis. Mille clypei pendent ex ea, scilicet, defensiones sacræ Scripturæ. Omnis armatura fortium, id est, ad expugnandam prauitatem Hæreticorum, sacram Virginem impugnantium.* O prodigam Doctorum conditionem, si Scriptorum suorum partem, Deiparæ non dicent, si calamum non consecrent. Ipsa, quam propugnas, Virago, te propugnat: sub Mariæ Numine, Hæreticos irridebis inuadentes, inuades irruens conterendos. Hæc pugna gladium acuit, non hebetat: hic vsus arma perficit, non perfringit.

Maria laudatores quales. — Cant. 6. — Guillelm.

1497. Sed non omnes castra iuuant: abhorret lituos auris delicatior: bella horrida, bella. Mars tectus adamantina tunica, metum quibusdam inicit: equorum hinnitibus de naris terrore gloriantium; volantium sagittarum stridore; tympanorum strepitu repercusso; igniuomi tormenti laxantis globos boatu, deterrentur. Ah! ah! amœniora cupis, affectas deliciosa: non effugies: veniam quocunque vocabis. Spondetor Virginis laudibus incubiturus, & porrigam suauissima. Absit turris, facessant clypei, discedat armatura. Huc, flores, imò florum regalitas, adeste, lilia: amœnate visum, olfactum recreate. Cupias palpatum gustum? En apes dulce nectar condunt: en lacteam ambrosiam oues administrant. Candidis liliis intùs lutescentibus, fauus luteus candori lacteo innatans correspondet. Sub his deliciis diffluis, dum affluis virgineis præconiis. Nosti, quid Christus ad Matrem: *Fauus distillās labia tua, Sponsa: mel, & lac sub lingua tua.* Cant. 4. n. 11. Quidni etiam labia sint lilia, cùm per omnia Mater Filio sit similis? Huius verò labia cap. 5. legis liliata. Ecquæ mysticè Mariæ labia? quæ lingua felix? Respondet Honorius ibi: *Labia Virginis ea, quæ de ipsa, Dei secreta aperiunt: quæ, vt fauus distillant: quia omnes sermones de ea dulcedine redundant.* Hos ipsos Virginis laudatores, eiusdem esse *linguam*, scribit: *Quia eius præconia loquuntur, de quibus mel, & lac manat: quoniam eorum doctrina sapientes, & insipientes satiat.* Quem ab scribendis Mariæ laudibus bellica remouent, reuocent blandimenta. Opem vndique Conceptionis suæ honori implorat Deipara: & cessat calamus, sudori parcitur, indormitur studiis? Stimula doctos, Numen.

In idem plura. — Cant. 4. — Honor.

III.

1498. LOquantur ergo Doctores, dum Maria dissimulat. Insimulatur adulterij, & serpenti prostituta defertur: tacet tamen: satis se innocentia sua putat defendendam. Apposite de Susanna D. Ambrosius Serm. 49. *Non apud Danielem Iudicem verborum se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est: sed in sancta fœmina, tacente lingua pro ea castitas loquebatur: castitas enim Susannæ affuit in iudicio, quæ eam defendit & in Paradiso: ibi enim pudori eius consuluit, hic saluti: ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur.* Mariæ gratia, quæ illam in Paradiso à culpæ debito, & proinde à culpa in ipsa Conceptione liberauit; eandem defendet ab accusatione in Concilio proximè futuro: ibi ne Sponsa Dei corrumperetur; hic ne innocens condemnata videatur. Quorsum igitur, inquis, tacente Deipara, & suo ipso priuilegio tuta, loquantur Doctores? Cur ab aliis petat opem, iure suo secura? Audi priùs iterum ibidem Ambrosium: *Tandem Iudicem meretur castitas, Danielem puerum iuniorem; nec dum pubescentis ætatis. Multùm igitur de Deo pudicitia consequitur, cùm Iudicem virginem promeretur: secura enim de victoria castitas, cui est indicatura virginitas. Pudicitia autem causam, nisi vir pudicus, audire non debuit: talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia.* Deiparæ originalis innocentia, humani iudicij superat tribunalia: natura nocens de innocentia haud rectè iudicabit. Castus puer fœminam absoluit castam, purus puram. Spiritus Sanctus purissimus puram absoluet Mariam. Columba è cælo innocentissima, terrenam suam columbam probabit innocentem. Secura est de victoria, innocentia creata, cui est increata innocentia iudicatura. Ideò ergo Maria tacet; ideò impugnantibus apertè non respondet. Quia tamen Spiritus Sāctus sic omnia attingit fortiter, vt interim omnia suauiter disponat: propterea dum in Concilio infallibilem suam sentētiam mediis est hominibus prolaturus, disponit homines ratione conuincendos, & sacris testimoniis suauiter obligandos: à quibus illapso lumine fortiter, veritas Spiritui Sancto, & sibi visa declaretur. His itaque conuincendis opem Virgo sollicitat.

Innocens iustus unde defendatur. — Ambros.

1499. At dices, mirum videri, Mariam innocentem esse: & tamen à Deo in fœditatis suspicionem apud homines incidere permissam: verissima enim illa D. Hieron. cont. Iou. lib. 1. *Claudia virgo Vestalis cùm in suspicionem venisset stupri, & simulacrum Matris Idææ in vado Tiberino inhæreret: ad comprobandam pudicitiam suam, fertur cingulo duxisse nauem, quam tot millia hominum trahere nequiuerant. Meliùs tamen, inquit, Lucani Poëtæ patruus, cum illa esset actum,*

E perfectio nō solùm macula, sed etiam suspicio amouenda. — Hieron.

si

si hoc, quod euenit, ornamentum potiùs explorata fuisset pudicitiæ, quàm dubia patrocinium. Et meritò: semper enim in suspicionem venisse, minùs decorum. Hinc Cæsar repudiatæ vxoris (cuius tamen pudicitia fuerat absoluta) causam prætulit: è tanto domus splendore, non solùm culpam, sed & suspicionem auertendam. Hinc

Leuit. 13. Deus Leuitici 13. à num. 31. hominem, cuius capillamentum, altero, & altero septenario exploratum, lepra immune putabatur, lauandis saltem vestibus addicebat. Et cur ita? Respondet Augustinus tomo 4. lib. 3. cap. 45. *Non erat*

August. *ergo lepra: signum est enim, non lepra, quod sic apparuerit. Tamen etiam propter hoc purgatus à suspicione lepræ, lauabit vestimenta sua: quia & in illo signo aliquid fuit, propter quod lauanda fuerant vestimenta, & mundus erit.* Sic leuem suspicionem Deus abhorruit, vt non solùm lepram; sed & huius suspicionem præciperet repurgandam. Si ergo quæcunque Mariæ tribuuntur, in gradu perfectiori veniunt tribuenda; Maria originalem innocentiam non accepit: meliùs enim cum illa esset actum, si Doctorum encomia, quæ congerunt, exploratæ innocentiæ ornamenta, quàm dubiæ patrocinia venirent. Decentiùs videbatur, si non solùm à communi lepra, sed à lepræ suspicione præseruaretur. Potiùs ergo nulla, quàm imperfectior innocentia Deiparæ tribuenda; quæ si expediret à culpa præseruari, ab eiusdem suspicione præseruaretur omninò: cùm hinc decentior diuinæ Maternitati adueniret.

1500. Næ qui ita arguis, posses Mariam virginem denegare, quòd aliquando corruptionis insimularetur. Posses omninò credere ab actualibus non immunem, quòd aliquibus olim, in venialis culpæ veniret suspicionem. An ergo rectè procedas, iudicet Catholicus. Aliud est ergo, mi homo, dare suspicionem; aliud suspicionem pati: illud propriæ leuitatis est; hoc alieni iudicij non fundati: illud meritò suspectos reddit; hoc merè suspiciosos. Abest à Maria primum: secundum, nec à Christo, nec à Deo abesse scimus. Hoc plusquam satis pro Deipara. At obiter Deiparæ Propugnatores, etiam suspicionem patimur, quam non facimus: non pietatis synceræ amatores; sed contumaces inutilis quæstionis promotores denotamur. Me, me ipsum, dum videret de Conceptione scribentem, sic vir amicus & doctus interpellabat, conatus ab incepto reuocare. Tacui, perrexi: semper enim mihi grande, illud innocentis viri, sed delati, apud Quintil. declam. 17. *Non sum reus inexploratæ pudoris: nec anteacta vita mea,* Quintil.
sub hodierna primùm lite tractatur. Felicior innocentia est citra suspiciones, certior post reatum: &c quantùm infamiæ præstant obiecta, dum nutant; tantundem authoritatis absoluta restituunt. Sic in præsenti hoc Conceptionis scripto fore spero. Probabor pietatis potiùs amator, quàm contumaciæ promotor, quando suspiratum Concilium præsenti dogmate canonice declarato, è Ducum plenis laureis, in milites saltè foliosa deriuauerit.

Sed tardat, inquis, Concilium: & interim dum 1501.
parthenicus honor nutat apud aliquos Scriptorum, in hac re, fama periclitatur. Benè est: indecorúmne, vt cum Maria pariter patiamur? Sed estote æquo animo, Viri docti, non propterea ab scribendo terreamini: differtur vobis pietatis laus, vt reddatur fœnerata. Dubitant omnes Patres, cur à constructione sua laudatis creaturis singulis; vni homini commendatio suspendatur? Et respondet aptè Ambros. lib. de instit. virg. cap. 3. vbi plura de homine, virtutibus in posterum comprobando: *Ideò ergo homo non antè laudatur: quia non in forensi pelle, sed in interiori homine antè probandus, &c. Meritò ergo differtur, vt sequatur fœnerata eius laudatio: cuius dilatio non dispendium, sed incrementum est.* Nemo sibi iustè queritur ablatum, quod tacitis incrementis mactatum interim, differtur reponendum. Quid, quòd & apud Ecclesiam modò etiam, laus non vulgaris: dum enim solùm piam opinionem præcipit celebrandam, iam pios eiusdem celebrat assertores. Auaritiæ fuerit hac laude non degere contentos: ignauiæ non tantam sollicitare. Aptè Valer. Max. lib. 3. cap. 2. *Publica religione consecrata virtus, nulla priuata laudatione indiget.* Imò, & omnibus priuatis laboribus ad gloriam Deiparæ comparanda. Sed ohe! vbi præmonita ad metam properatio? Esto: hîc præfigo.


Suspicio infamiæ alicui, qualis.

Laus de mysterio tarda, fœnerantior.

Ambros.

Valer. Max.

DICO



DICO EGO OPERA MEA REGINAE.



N Tibi, DIVARVM DIVA, quæ Tu affectui nostro de purissima tua Conceptione suggerere voluisti. Opus è Te fusum, luminum Matre, Tibi refusum volo. Scio eum, qui Te laudans fatetur Deiparam, meritissimò Angelicum appellari: vnde tuus Ephrem Theopolitanus apud Photium Cod. 228. *Ad omnem pietatis plenitudinem sufficit, Deiparam credere, & appellare, Sanctißimam Virginem: cùm enim quis dixerit, Deum incarnatum, Virginem peperiße; Angelorum vti videtur Theologia.* Maiori ergo iure, qui Te, vt decens sis Deipara, ab originis labe immunem prædicat, iam Angelicus Theologus prædicabitur. Quantùm ergo me sentio tali imparem titulo; tantùm agnosco, congesta huc encomia è se pungentia, hebetioris ingenij culpâ detrita dari. Vtcunque functus sum munere: ne incarnato Verbo in Canticis nuper celebrato, laudem præcipuam è præseruatione tua ortam, viderer inuidisse. Quidquid hoc est, præludium sit maiorum, quæ Tibi in Filio destino, ô Patrona Ignatij, spes Societatis, infimi huius Alumni vita dulcis, amor tenerrimus.

Ephrem.

Absolui Bilbai die 26. Aprilis, anno salutis 1636. Si quid obiter, quod Fidei, vel modestiæ non cohæreat, excidit imprudenti, rescindatur.

APPENDIX

APPENDIX PRO EADEM PARTHENICA DEIPARAE CONCEPTIONE PROPVGNATA.

I.

Methodus Appendicis.



1502. ADDO, mi Lector, Appendicem Operi, vnde faciliùs, totius ferè quæstionis pondera trutinaueris: sed hoc discrimine, quòd in Opere amœniùs, & affectuosiùs vtplurimùm procedo; ita vt quandoque videar vsurpasse illud D. Hildephonsi, nescio quid magnum (vt putabat) de Deipara cogitantis, Serm. 5. de Assumpt. *Dicam aliquid plùs, si audeo, dicam fideli præsumptione, dicam pia temeritate.* Quandoque verò festiuiùs diuager, sed non absque vtilitate, vmbris illustrandis: vt possem dicere illud Petri Damiani Serm. in eodem Festo: *Hæc sunt ergo, quæ præsenti Festiuitati sub vmbris, & imaginibus dignanter alludunt, & sacratiore tegmine velata, gratiosiùs lucent, cùm potuerint reuelari.* Longè alius sum in Appendice, aridiùs quidem; sed neruosiùs procedere conatus. Lege hanc, si lubet; sin minùs Opere contentus, siste: eadem vtrobique materia, sed diuersa cælatura: nihil hic è Patribus recudo, quod ibi cusum fuerit. Connecto marginales numeros; vt vno, & ideò faciliori vtaris Indice.

Hildeph.

Damian.

II.

Amouetur obex.

PRIMA Antagonistarum, siue pugna, siue querela est, cur tantoperè promouendæ materiæ deludemus, cuius ab Scriptura nullum apertum præsidium; imò contraria tela desumuntur. Scrupulus est, vel etiam manu, imò pede leuissimo, amouibilis. Disserebat D. Augustinus (aut si non is, certè Author magnus, cuius Opus non degener Summo Doctori adoptatur) tom. 9. hom. de Assumpt. an Deipara in cælum assumpta credenda sit: & post multa concludit: *Tantò, quæ magna existunt, cautiùs tractanda sunt, quanto specialibus testimoniis non possunt ad liquidum roborari. Sed, quia quædam Scriptura sancta indagationum studiis quærenda relinquit; non sunt superflua æstimanda, dum vera indagatione fuerint patefacta: fœcunda est enim veritatis authoritas; & dum diligenter discutitur, de se gignere, quod ipsa est, cognoscitur.* Si ergo non expresse dicta; indaganda tamen cautè, piéque foueda proponitur Assumptio; cur non sub altera lanci, Conceptio ab Scripturis trutinabitur? An, aut gratiùs Virgini, aut decoriùs Christo, in veteri illa, quàm in recentiori hac arena desudabitur? Placueritne sibi magis Deipara 1503

Veritas, in Scriptura nõ expressa, indaganda.

August.

de assumpto corpore ad cælum, an de præuento spiritu ad gratiam? Decentiórne meus Iesus de Matre carnis posteà exaltata:an de eadem primitùs à fœditatis illuuie præseruata? Durus, si non assenserim. Quid ita? Quia in his,quæ clarè non exprimuntur, decoris consequentia, & diuini, quod ventilatur, mysterij decentia perscrutanda.

1504. De eximiis Melchisedechi virtutibus,& singulari iustitia, nemo vsquam fidelium dubitauit: præstantissimam illius sanctitatem vbiuis profitemur. At vbi legimus? Certè operum, aut virtutum eius catalogum non dedit Scriptura. Quid ergo credimus? Certè virtutibus cumulatissimum prædicamus: quia, quæ eius pauca memorantur in Genesi, & ponderantur à Paulo, eius sunt generis: vnde decenter consequentia legitima ipse quidem Vir sanctissimus deprehendatur. Rapitur Henoch, euehitur Elias: quò, nescimus: non tamen illos tormentis datos scimus:imò sub congrua statui felicitate degentes piè credimus. At,vnde commoti? Quia & vita præcedens, & munus in posterum destinatum decenter hoc impellunt. Benè citatus Augustinus: *Sunt etiam quædam, quæ quamuis commemorari ex toto omissa sint; vera tamen,ratione creduntur: ad quod ipsa conuenientia rei, quodammodo dux, & preuia creditur. Nihil enim de Melchisedech Sacerdotis Dei excelsi iustitia loquitur: cùm ipsa præcessisse tanta laudis merita cognoscatur. Nihil de Elia, & Henoch,postquàm rapti sunt,vita felicitate commendat: cunctu liquidò scientibus,eos beatè viuere,quos Dominus hinc in futurum saluandos voluit rapere.* Videndum ergo,an supremus ille honor maternitatis,quo expressè in Scriptura Maria decoratur, is sit,vnde decenter necessaria consequentia cæteri, de quibus contendimus,inferantur. Grauiter proinde idem Sanctus Doctor: *Quid ergo de Mariæ morte, quid de eius Assumptione dicendum est, vnde diuina Scriptura nihil commemorat: nisi quærendum ratione, quod conueniat veritati; fiatque ipsa veritas, authoritas: sine qua nec est, nec valet authoritas.* Sic ad rem nostram tutissimi procedimus.

In Scriptura tacita consequentia attendenda.

August.

1505. Et quidem quamuis non sint expressa in Scriptura testimonia, quibus Mariam ab origine fœda præseruatam asserere cogamur, quæque fidem postulent necessariò; sunt tamen ibi nonnulla, figuræque non paucæ,vnde probando mysterio pietas alliciatur: sicque in hoc negotio procedunt Doctores pij, sicut in re Assumptionis processerunt: de qua magnus Hieronymus (imò, vt cum doctioribus volo, D.Sophronius) nobilissimò eiusdem Festi Sermone, sic scribit, annumeratis aliquibus, qui de Scripturæ coniectura assumpti iam in corpore creduntur piè: *Quod sanè factum, & de aliis, quibuslibet locis Scripturarum affirmare conantur, quòd hi iam cum Christo regnent resuscitati in æterna societate. Quod, quia Deo nihil est impossibile, nec nos de beata Maria factum abnuimus: quanquam propter cautelam, salua fide, pio magis desiderio opinari oporteat, quàm inconsultè definire, quod sine periculo nescitur.* Processit tempus, etiam audaciùs Assumptio prædicatur, vt si non definitum ab Ecclesia hoc mysterium; tamen ita iam certum habeatur, vt sola temeritate denegetur: quod idem, imò & maius aliquid de Conceptionis celebritate speramus.

Pietas coniecturas mysterij innestigat.

Sophron.

Illud obiter aduerto, mihi minùs illorum, vt ita dicam, superstitiosæ quodammodo pietati, putari indulgendum, qui omnes cuiusuis Mariani mysterij figuras, in vnam Conceptionem conantur detorquere: euenit enim hic, quod in re simili queritur D. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 195. vbi ita: *Qui vniuersum vetus Testamentum ad Christum transferre conantur, reprehensione minimè carent: siquidem & Gentilibus, & Hæreticis illis, qui id repudiant, in sua aduersùs nos concertatione robur suppeditant. Nam, dum ea, quæ de ipso minimè dicta sunt, per vim intorquent; hoc efficiunt, vt qua de eo haudquaquam intortè dicta sunt, in suspicionem veniant. Per quæ enim illi hos, vt verborum sensum intorquentes, euertunt; per eadem in his quoque, quæ perspicuè de Christo dicta sunt, superiores esse existimantur.* Certè testimonia pluscula, & figuræ, quæ germanæ Conceptioni veniunt accommodandæ, ab aduersariis, vt futiles, irridentur, quasi eiusdem farinæ cum illis computabiles, quæ fragili scipione innixæ corruunt. Medium ergo tenendum, vt ad rem suam voluit prudentissimè Pelusiota subdens: *Ego verò necessariò vtrunque contigisse aio: nempe, nec cuncta de ipso dicta esse; nec rursum de eo nullum omninò sermonem habitum fuisse. Hoc enim conducebat, vt nec omninò de Christo vbique, (apud eos homines, qui de Deo etiam, ac Patre ambigebant, ac dicebant: Fac nobis Deos.) verba fierent: nec rursum, (tum ad conuincendos Iudæos, qui fidem minimè adhibituri erant, tum ad eorum, qui credituri erant, confirmandam spem,) omninò silentur.* Aliæ ergo aliis Marianis mysteriis deseruiunt figuræ sacræ: nec semper ad eundem scopum diuersissimi typi adducendi. Quàm enim durum est credere, nunquam in sacris, præseruatæ allusum Conceptioni: sic vbique, vbi de Maria ænigmaticè agitur, huc allusum contendere, puerile. Sed de hoc alibi.

1506.

Non tamen obtorto collo conducit testimonia.

Isid.Pel.

III.

A decentia mysterium propugnatur.

1507. DVM argumento adducto satisfacerem, dicebam obiter, vbi Scriptura aperta deest, videndum maximè,quid decoris consequentia, quid decentia mysterij requirat. Ita est: non aliunde decentiùs & efficaciùs arguitur, quàm dum propugnandis diuinis mysteriis, eorundem decentia inuestigatur. Hac via, tanquàm regia, & tutissima, Patres incedunt: subsequamur. Hanc facem tenebris præferunt: collustremur: nec diuagantes, tantummodo in Deiparæ decentibus honoribus immoremur. Antiquissimus est D. Georgius Episcopus Nicomediensis,qui Orat. de Præsentatione Mariæ, postquàm latissimè probat educatam illam ab Angelis, cælesti cibo pastam, & nullo non obsequio ministratam, sic concludit: *Tu autem,*

In diuinis, argumentum à decentia efficacissimum.

Maria ab Angelo enuntiata. *autem, ô homo, admirabilem, & nouam in templo viuendi conditionem audiens Virginis, noli de eo dubitare: noli examinare ratione, ea, quæ capere non potest cogitatio: ne subiace comparationi ea, quæ sunt incomparabilia.* Georg. *Vides inauditam naturæ innouationem, & de his dubitas? Vides ipsum Dei Verbum modo ineffabili in eius habitasse vtero; & contendis, fueritne alimentum materiale, an expers materiæ? Vides paterno consilio Spiritus in ea adumbrationem, & de ministerio Angelorum dubitas? Nihil est dubium ex iis, quæ sunt castissimæ Virginis: ex eius magnalibus, nihil est, quod non sit conueniens.* Nulla magnalia, nulla encomia, quæ absque indecentia, & repugnantia tribui possunt Mariæ, illi deneganda vult Sanctus Doctor: omnia quippe ei decenter conueniunt, quæ Matrem Verbi futuram decorabant. An ergo tanto Maternitatis sacramento, consequens, & conueniens veniat pura Conceptio; ipse, credo, interrogatus Georgius fateretur.

1508. Concinit perantiquo Patri, recentior alius D. Laurent. Iustinianus, qui, vt nosti, tribus *Maria nihil decens & non repugnans denegandum.* in locis Deiparam ab originali culpa præseruatam constantissimè prædicauit, (de quibus infrà:) & tamen ibi nullum pro se argumentum putauit adducendum. Puto: quia satis ex mysterij decentia rem petere existimauit: ideò lib. de cast. connub. cap. 11. ita post innumeras Mariæ laudes: Laur. Iust. *Dignum quippe fuit, vt talis esset Mater vnigeniti Dei, Plasmatoris omnium, Conditoris sæculorum. Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid gloriæ, fuit Mariæ.* Et iterum Serm. de Natiuitate Mariæ: *Decebat prorsus, vt immaculata esset mente, & corpore sancta, gratia plena, meritis locuples, virtutum vniuersarum varietate decorata, quæ de cælo suscepit Verbum.* Sic ferè loquuntur quique piè, & decenter, Mariani honoris decentiam inuestigarunt. D. Basilius Seleucus suprà citatus, post immensa Deiparæ præconia, Orationem terminans sic scribit: Basil. Sel. *O ter sacrosancta Virgo: (de qua, qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam is quidem à veritatis scopo aberrauerit; attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam ratione exæquabit:) aspice nos de cælo*, &c. Suppono, tanquàm quid Sole ipso manifestius, possibilem præseruationem: nunquid hanc non illustrem, & gloriosam dixeris? Dicas ergo, neque ab veritatis scopo, ex Basilij iudicio aberraueris: Sacrosanctæ Deiparæ illustria quæque gloriosa veniunt decentissimè tribuenda.

1509. Huc cæteri Patres, etiam ex Principibus prudentissima conspirant pietate. D. Hieronym. citatus: *Qualis, & quanta esset ab eodem diui-* *Maria gratia.* *nitùs declaratur, cùm ait: Aue, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Hieron. *Talibus nanque decebat Virginem oppignerari muneribus, vt esset gratia plena: quæ dedit cælis gloriam, terris Deum, pacémque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam.* Decet itaque Deiparam oppignorans gratiæ plenitudo: quia dedeceret vacuitas, necessariò ex præfœdata origine supponenda. Vnde iterum ibidem: *Quippe, vt ita loquar, beata, & gloriosa Virgo Maria, eo modo, quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cælo sunt, virginibus: vt decenter posset in se suscipere Diuinitatis admixtionem, salua vtraque natura: tamen, cum gratia repletur, cum Spiritu Sancto perfunditur, cum virtute Altissimi obumbratur; fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate.* Impletur donis conceptura, concipiens repletur: certè, quia neque concepta vacuatur: si enim incomparabiliter iam dudum præstabat omnibus virginibus, vt decenter incarnationis ministra foret; cur dubitem de innocentia, innocenti virgini Euæ præcelluisse, cùm id tanto decentissimum mysterio videatur?

Subsequitur D. Augustinus Sermone 35. de Sanctis post mille Deiparæ laudes, vbi ita: *Sed,* 1510. *quid dicam pauper ingenio, cum de te quidquid di-* *Maria, Aurora.* *xero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? si cælum te vocem, altior es: si Matrem Gentium dixero, præcedis.* August. Certè minus est in Maria gratiæ præuentio, quàm Maternitatis subsecutio: nec decenter originalis iustitia illi denegatur, cuius dignitas maiora promeretur: quidquid de Deipara dixeris, sacro eiusdem puerperio iacet inferius. Meritò igitur incertus Author (Bernar- Bernard. dus creditur) Sermone de Virg. in Homiliario Alcuini: *Sicut Aurora valdè rutilans in mundum progressa es, ô Maria, quando veri Solis splendorem, tanta sanctitatis iubar præcurristi, vt verè diem salutis, diem propitiationis, diem, quam fecit Dominus, à tua claritate initiari dignum fuerit. Felix Aurora, felicis diei nuncia extitisti. Talem Auroram talis dies, & talem diem talis Aurora decuit.* Sed, ô indecentissimam Auroram, si à tenebris inchoaret! ô diem minùs decenter initiandum, si Auroræ suæ initia præfœdata pateretur!

Hucusque de decentia in genere disseruimus: iam vnum, vel alterum mysterium Ma- 1511. rianum ex decentia priuatim confirmatum *Maria virginitas.* trutinemus: indéque quàm decentiùs præseruata credatur, aucupabimur. Testimonia illa sacra ex vtroque Testamento, vnde Mariæ perpetua virginitas confirmatur, solitò ab effrontibus Hæreticis proteruiùs irridentur: quid facerent Sancti Patres cetuicosis blasphemiis obturandis? Confugiunt ad decentiam mysterij: quasi vel etiam obstinatissimis mentibus priuilegium aliquod Marianum clarissimum comprobetur, si pro sacramenti decentia stabiliatur. D. Gregorius Nicænus homilia de Natiuitate Christi: Nicæn. *Decebat enim, vt qui in vitam humanam introibat, vt homines integros, incorruptósque seruaret; ab incorrupta sibi deseruiente integritate initium duceret. Nam hominum consuetudo, expertem connubij, incorruptam vocat.* At, quantò decentius, vt qui amissam hominibus gratiam recuperabat, & tollendo peccato mundi adueniebat, ab vndique gratiosa Matre deriuaretur?

Ab Anna sterili oritur Maria. Quid ita? 1512. Præludens Christus in auia, maiora deinde in Matre perfecturus. Quid verò perficit? *Anna Maria filia præludit.* Audi D. Ioannem Damascenum Oratione 3. de Natiuitate Virginis, quem verto ab illis verbis: Ἐπρεπε γὰρ, &c. (Aduerte autem vtplurimùm in Damasceno deinceps afferendo, non illam elegantem Billij; sed rudem nostram ver-

sionem, vtpote clariorem, enucleando mysterio afferendam:) ergo ibi ita: *Decebat enim,* Damasc. *illum, tanquam naturæ Dominum, per quem omnia, & in quo omnia consistunt; vt in auia miraculum innouaret, sterilémque olim iam deinde fœcundam exhiberet: atque ita posteà pro Matre sua nouas naturæ leges constitueret, & Virginem ostenderet Matrem, integrúmque virginitatis eius signaculum custodiret.* Tu videris, an, qui decentissimum putauit, pro fœcunda Matris virginitate leges innouare; pro eiusdem innocentia, veterem peccati legem abrogare dubitaret: cùm longè indecentius à fœdato per culpam spiritu, quàm à corruptâ per naturam carne oriatur.

1513. Hinc grauiter D. Augustinus (vel quisquis ille est) Oratione initio citata ex tom. 9. de Virgine pariente: *Non enim talis conceptus, talisque partus, nisi Deum decuerat, qui venerat redimere, quos voluit creare: creare profectò potestate, redimere humilitate. Humilitatis naturam sumens, sanctam de sanctificato corpore, & immaculatam de immaculato. Ineffabilem enim sanctificationis gratiam, quam concipiendus præbuit, conceptus, & natus non abstulit. Quæ, quantùm in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est, qui de eius natura, naturam suscepit, quam condidit.* Et tu putes decentius, sanctum, & immaculatum vocari Christum à corpore virgineo Matris, quàm ab eiusdem spiritu innocenti? Ineffabili sanctificatione carnem præmuniret, & decenter animam serpenti polluendam derelinqueret? Concinit D. Hildephonsus Sermone 7. de Assumptione Mariæ in Bib. homil. *Visceribus fœcundis, & genitalibus integris Virgo Mater Dominum effudit in terris: concipiens Virgo, pariens Virgo, Virgo grauida, Virgo perpetua. Quid miraris, ô homo? Deum sic nasci oportuit, quando dignatus est esse homo.* Huc etiam facit illud Guerrici Abbatis Sermone 4. de Assumptione, de Ioanne Beatæ Virgini adoptato: *Decebat nanque, vt non nisi virgo Virgini deseruiret: quatenus & Virgo beata, diuino languens amore, floribus fulciretur castitatis, & virginitas adolescentis id interim perciperet remunerationis, & de contubernio proficeret tantæ sanctitatis.* Vides, etiam in his leuissimis, quæ ad virginitatis solatium pertinebant, vnius decentiæ haberi rationem? Meritò igitur, cùm longè decentior sit tantæ Matri innocentia originalis, tantoperè in eius propugnatione desudamus.

Mariæ virginitas. August.

Hildeph.

Ioannis Euangelistæ laus.

Guerric.

1514. Venio ad Mariæ mortem, & sacram sacrosancti cadaueris incorruptionem: hanc enim etiam ex decentia maximè Patres defensarunt. Do pluscula, sed grauissima ex D. Andrea Cretensi, Oratione, & Encomio de Dormit. Mariæ, vbi rem latè firmans, sic subiungit: *Considerandum autem est, an inter miracula inueniendum sit maius eo, quod admirabiliter, & præter opinionem in ea factum fuit. Deprehensum est, legem naturalem euasisse imbecillam, quæ vix tandem concidit: omninò aboletur, & auertitur acerba mortis condemnatio: soluta est vis maledicti. Sed nemo vicerit eam, quæ olim à Deo fuerit definita, nisi sit Deus secundùm naturam, qui omnia mutat, & transformat nutu suæ bonitatis. Ei autem conuenienter nunc quoque decuerit, ea in Matre innouare: sic enim ostendet, eam non solùm esse Matrem secundùm naturam; sed etiam confirmabit eam, quæ est ex ipsa, dispensationem: per quam etiam eas, quæ sunt in ipsa, magis mysticas rationes, modo excellenti extollimus.* Andr. Cret. En tibi circa Mariam vel abolitas, vel dispensatas leges diuinas, quæ nos corruptioni, & infaustæ ad puluerem reductioni condemnabant; idque ob solam tantæ maternitatis decentiam, factum prædicari. Credis igitur indecentiùs post editum Christum, corpus cineribus; an ante editum, corpus, & anima magis, originalibus fæcibus subiacerent? Logi. An lex transfundendæ culpæ, durioris cuiusdam, vt ita dicam, fati erat, quàm illa alia in cineres redigendi? Nugæ: de rebus enim Marianis subdit pulchrè ibidem idem Cretensis. *Sunt reuerà omnia noua, quæ ad eam pertinent, appositè admittentia rationem, quæ superant naturam: vt quibus cedat omnis ratio, & cognitio.* Si omnia, quotquot sunt in Maria, de sublimi quadam decentiæ ratione, rationes nostras longissimè excedentes, noua sunt; certè indecenter illam, veteri, & fœdatæ subiicimus conditioni.

Mariani cadaueris triumphus.

Meritò proinde Augustinus homilia iam ex tomo 9. citata, de hac re ita: *Si dicimus, eam mortis teneri vinculis, & resolutam in communem materiam vermium, & cinerum; librandum est, si hoc conueniat tantæ sanctitati, tantæ aulæ Dei prærogatiuæ.* Quod quàm sit inconueniens, quàm indecens Deiparæ, latè firmat, post multa sic concludens: *Diuinitatis enim sunt opera, quæ dicimus: & ideò possibilia, quæ sunt ab omnipotentia. Christus autem Dei virtus est, & Dei sapientia, cuius omnia, quæ Patris sunt, sua sunt, & velle: velle autem; quæ sunt iusta, & digna.* Si ergo Christus, qua Verbum, Dei virtus, & Dei sapientia, iustum pro decentia, dignum pro honore, corruptionis legem putauit dispensare: quis tandem tibi reuelauit, eandem iustitiam, & dignitatem, in re longè decentiori non inuentam? Dicebat Sanctus Hildephonsus Sermone 5. de Assumptione, de vtraque Mariæ vita: *Non enim ad actiuam, vltrà quàm Matrem Domini decuit, se contraxit: sed toto mentis affectu, & desiderio, ad vitam se contemplatiuam euexit.* Nonnulla etiam sancta actiuæ vitæ opera, si diutiùs exercerentur, decentiæ Deiparæ obstreperent: an illi culpa originis decens adueniret? 1515.

August.

Hildeph. *Actiua Deiparæ vita, qualis.*

I V.

IV.

Huius decentiæ rationes priuatim expendo.

1516. *Maria caro qualis.* CVM ius præcipuum Conceptionis immaculatæ, ex decentia maximè appareat; huius decentiæ rationes, necessariò altiùs veniunt expendedæ. Prima ergo ratio esto: quia, vt Patres clamant, Maria Christo concarnis est; id est, eiusdemmet sanguinis carnem, qui fuerat in Maria, sibi hypostaticè Verbum aduniuit. Decentissimum ergo, ne caro aliquando peccatrix in Matre eadem, licet purior, in Deo, imò Deus perseueret: quippe longè decentiùs apparet, si immaculata sẽper appareret. Quod inde maximè confirmatur: quia nulla actualis culpa (quod Theologi statuunt) sic fœdatam, & pollutam reddit carnem, vt originalis: à carne enim quodammodo sordida per traducem, in animam vera macula deriuatur. Hinc ergo, ni fallor, factum, vt Patres, impollutam Christi carnem, ab impolluta Matris carne desumptam prædicarint. *Guerric.* Benè Guerricus Abbas Serm. 1. de Annunc. thronum illum eburneum Salomonis latè de Maria explicans, sic concludit: *In vniuersis regnis, non est tale opus factum: quidquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis cælestium, terrestrium, & infernorum. Quàm beatus igitur ille venter eburneus, vnde caro eburnea sumpta est Redemptoris: pretium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ maiestatis, thronúsque potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis.* Quasi cãdor, & soliditas eboris illius Christiani, à similiter eburnea Matre, quodammodo hæreditarius deriuetur.

1517. Nec videtur carere emphasi, quòd caro illa Christi vocetur non tam hominum, quàm *animarum pretium.* Quasi illa caro, quodammodo de excellentia iam sit spiritus, vnde aptè pro spiritibus impendatur: hoc enim est, quod de carne Mariana Spiritu Sancto obumbrata, commendant Patres. D. Gregor. Nicæn. homil. de Nat. Domini: *O beatum vterum illum, qui bonitatis præstantia ad se traxit animi bona! In reliquis enim omnibus, vix animus purus Spiritus Sancti præsentiam capit: hîc autem caro fit Spiritus receptaculum.* *Caro Deiparæ quodammodo receptrix gratiæ.* Defæcatissima planè erat illa caro, quæ animæ conditionem gestare videbatur: non fuit vtcunque caro illa subiectum originalis culpæ, qua vtcunque subiectum gratiæ, de bonitatis præstantia celebratur. Caro nostra peccato originali (quod propriè sedet in anima) quodammodo inficitur: Mariæ caro sic præstat bonitate, vt gratiam, quæ verè inhæret animæ, combibere videatur. Hinc D. Bernardus Serm. 9. ex paruis ad illud Prouerbiorum 9. de Sapientia sibi domum ædificante, post multa de Deipara, hoc addidit: *Bernard.* *Extruxit in eo sibi domum Sapientia cælestis: quæ adeò mentem eius repleuit, vt de plenitudine mentis, fœcundaretur & caro: ac Virgo singulari gratia, eandem ipsam Sapientiam carne tectam pareret, quam priùs mente pura conceperat.* Vnde & fortasse, cùm cæteri fœminarum vteri, mortis officinæ appellentur: Marianus vterus non solùm fons vitæ passim à Patribus appellatur; sed etiam priuato titulo à D. Andrea Cretensi Oratione de Annunciatione Mariæ, *Vitæ partus* dicitur, de quo alibi. Sed redeo.

Et quidem cùm perfecta æqualitas Verbi ad Patrem inde deprehendatur, quòd verè ille sit Patri consubstantialis, ὁμοούσιος, cur Maria, quæ verè consubstantialis Filio est, (sumpta, quantùm res patitur, proportione,) quando æqualis fieri non potest, saltem similis de innocentia puritatis non existimetur? Ammonius in Catena Græca Ioannis ad cap. 3. n. 6. ita: *Si Maria caro sit animata, & rationis particeps; fructus quoque eius ipsi ὁμοούσιος, consubstantialis, caro quoque animata, & rationis particeps exstet: neque phantasma, aut aliud quidquam à Genitricis carne diuersum, carnem Verbi putes.* Certè hæc consubstantialitas Christi cum Matre decentissimè purissimam in illa carnem postulat, vt etiam ex hac parte immaculatissimus Christus ostendatur. Visus huc alludere Damascenus Orat. 2. de Natiuit. Virg. vbi ita de Christo: *Ipse ait Ioann. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Neque enim, nisi volente ipso, & quodammodo iubente, Iudæi hoc dissoluere poterant: hoc, inquam, templum ὑπεραμώμου immaculatissimæ carnis ipsius, quod ipse sibi ex vulua huius puræ, impollutæ, ac semper Virginis Mariæ absque humanæ industria artificio construxit.* Quasi inde impollutissimus, quòd etiam ex impolluta oriretur. Et pende, quod paulò pòst subdit idem Damascenus; *nimirum, παναμώμου immaculatissimæ carnis suæ cruore nos abluit.* Est enim παναμώμος, vox composita, quæ, vt nemo nescit, significat rem sic immaculatam, vt vndique sit irreprehensibilis, atque omnibus ex partibus purissima. Nec, puto, poterat fingi vox, quæ tam apprimè immaculatissimam Christi carnem exprimeret: atqui idemmet S. Doctor in titulo orationis tertiæ, vbi habetur: *Sermo in diem natalem immaculatissimæ nostræ Dominæ.* scripsit ipse: Λόγος εἰς τὴν γενέθλιον ἡμέραν, τῆς παναμώμου Δεσποίνης ἡμῶν, Θεοτόκου. Vbi, vt vides, eademmet vox, quæ per excellentiam ex omni parte puram significat Christi carnem, carnem Mariæ similiter commendat.

Maria filio consubstantialis. *Ammon.* *Damasc.*

Huc iterum idem Damascenus lib. de fide orthod. cap. 15. *Creatori, vt crearetur, & fictori, vt fingeretur, & Dei Filius, ac Deus, vt ex puris, & immaculatis ipsius carnibus, & sanguinibus, atque homo efficeretur, subministrauit: primæ, videlicet, parentis debitum exsoluens: quemadmodum enim illa citra venereum complexum ex Adamo effecta est; ita etiam hæc nouum Adamum peperit.* Vbi vides, non nisi puram, & immaculatam carnem, & sanguinem Matris, potuisse decenter Christo aduenire; idque ex eo, quòd Euam à debito liberans, absque viri opera, sibi concarnem, & consessum Christum erat productura: nimirum, obæratus erat sexus fœmineus in Eua, quam vir absque fœmina quodammodo produxit: sed liberatur iam, idque excellentiùs, dum fœmina absque viro, verissimè Christum peperit. Clariùs D. Athanasius serm. de Annunciatione Deiparæ ad finem: *Ex carne eius, & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo, nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit: nimirum, istam Incarnationem, tàmque simul indutam perpetuò gestat: ac proinde ista* 1519.

Damasc. *Christus & Maria concarnes, instar protoparentũ.* *Athanas.*

1518.

ista noua Eua mater vitæ appellatur: variegatáque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Vt ergo impolluta Adami costa, innocenti Euæ formandæ assumitur decenter; longe decentiùs formando innocentissimo Christo, immaculatus omninò Mariæ sanguis eligendus. Neque caret in rem nostram mysterio, id, quod olim dixit Adam, visa Eua sibi concarni, & conossea: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Genes. 2. num. 23. Quid est enim illud *nunc?* Respondet ibi aptè Diodorus in Catena parua ita: *Symmachus, ac Theodotion interpretantur: Hoc semel os ex ossibus meis. Nam aliæ, quæ propagabuntur, mulieres, de mulieris, viríque copula, nuptiali lege exorientur,* &c. *Vt omnibus non modo viris bonis, sed parentibus etiam antesferant se ipsi, qui in vnam carnem conueniunt.* Quasi etiam ex illo creationis modo, quo concarnes fuerunt protoparentes, omnibus deinde posteris suis venirent præponendi. Quid ergo Iesus, & Maria sublimiori longè modo concarnes, deinde posteros omnes per gratiam regeneraturi: non ex vtraque parte in gratia accipienda, cæteris omnibus præstantiores intelliguntur? Dixi, *ex vtraque parte:* quia quod ex parte Christi nemo negat, idem proportionaliter ex parte Mariæ negandum non videtur.

Genes. 2.

Diodor.

1519. Meritò proinde Petrus Damianus serm. 1. de Natiuit. Mariæ, explicatis tribus aliis modis, quibus Deus creaturæ vnitur, addit: *Quarto modo inest vni creaturæ, videlicet, Mariæ Virgini, identitate: quia idem est, quod illa. Hîc taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis, & dignationis immensitatem. Dominus tecum, inquit Angelus. Habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis: quia cum illis eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem. Hoc est ergo aurum fuluum nimis, quo thronus est vestitus: quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virgine indutus est: vt meliori non posset.* Vbi multa de gratia supereminenti, qua Maria induitur: & certè tanta identitas, necessariâ decentiâ Mariam originaliter puram supponere videtur: nescio enim, cur, si indecentissimum habendum putaremus, si Verbum assumeret hominem veniali priùs culpa præfœdatum; non longè indecentius habeamus, quòd carnem originaliter præfœdatam in Matre sibi adaptauerit.

Maria cum Christo identitat.

Damian.

1520. Hinc ergo iam secunda decentiæ prædictæ caussa apertiùs colligitur. Nullo ex sacro Textu testimonio probare possumus, Mariam ab omni actuali culpa fuisse liberam: quod tamen fide sanctum credit Ecclesia; indecentissimum, scilicet, existimans, si Deipara veniali quouis næuo polluta existimetur. At, quantò turpior originalis macula, omnibus venialibus collectim sumptis? Res planissima attendenti: de qua per totum Opus fusè. At dices, ex doctrina D. Thomæ tantùm abesse, vt decenter Maria præseruata existimetur, vt potiùs id Christo indecentissimum sit habendum. Quid ita? Quia decens erat, vt prima, & sola Redemptoris caro originaliter pura appareret: nec tantum priuilegium à Matre priùs delibatum vilesceret. Possem facilè confugere ad identitatem carnis Redemptoris, & Redemptricis, vt paulò antè dixi: neque enim in eadem carne diuersum; sed vnum, licèt multiplicatum priuilegium reperitur. De quo in Opere plenè disserebam. Sed isto, tanquam diuersa caro computetur. Vnde autem indecorum Christo, vt eius tantummodo meritis Mater præseruetur? Suppono tanquã certius apud Patres, solum Christum ex se, & Mariam a Filio ab omnibus actualibus culpis fuisse immunes: tunc sic: Nihil derogatur Christo, imò decentissimum est, si prior, quàm ille, Maria ab actualibus immunis producatur: ergo nec etiam, si prior ab originali præseruetur: cùm id in promerentis Christi gratiam, & gloriam deriuetur, quod latè contra Caietanum ostendo suo loco.

Mariam ab omni actuali præseruatam, fides docet.

Aduerte autem, hunc discurrendi tenorem, quo volunt aliqui in omnibus Christum non tam *primum* de dignitate, quàm etiam de tempore: nec tam *solum* ob excellentiam, quàm etiam ob singularitatem, Principem commendandum, periculosum esse: & sub pietatis prætextu inducere in errores. Exemplo res patebit. D. Chrysost. tom. 6. Orat. de Simeone, & occursu Dom. expendens illa verba Mariæ dicta in Euangelio: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. 2. n. 35. sic scribit: *Vbi illum pro mundo patientem conspexeris, vbi manus illius in Cruce extẽsas, clauisque ligno affixas intuita fueris; tum demum incipies hæsitare, & dicere: Hícne ille est, de quo Angelus tam præclara disseruerat,* &c. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius: ne vllus omninò tentationis ignem euadat. Petrus ter negat, cæteri Discipuli eo deserto fugam ineunt,* &c. *Omnes proinde discesserunt: omnes fugerunt: solus autem Christus, vt aries ille suspensus constans permansit. Pertransiuit itaque illius quoque animam gladius, tentatio nimirum, & quadam animi hæsitatio.* Sic iterum Orat. 2. eius Festi: *Itaque tentationis est expers nemo: sic negauit Petrus: alij Discipuli, derelicto eo, fugerunt: non enim ouis auxilio Pastor indigebat, dum lupos abigeret: neque adiutoribus indigebat Athleta; sed omnes abierunt: Christus verò solus, vt aries pendebat: pertransiuit itaque & illius animam gladius.* En tibi à magno Doctore hæsitationis, & dubiæ vacillationis condemnatur Maria: cuius Charybdis caussa, pietatis prætextus: putauit indecens fore, si alius quisquam, vel etiam Deipara, nisi solus Christus constans, & immunis ab hæsitationis culpa perseueraret. Et si lapsus materialis sub hoc prætextu tantum Doctorem potuit attingere: quis ita præsumptuosus, qui non timeat, ne fortè similiter concidat, dum prætextu simili, solum Christum de carne immaculatâ contendit commendandum. 1521.

Prætextu pietatis instat error aliquando.

Luc. 2.

Chrysost.

Sed iterum ad rem. Si decuit omninò, vt Maria ab omni, & quouis næuo (leuissimo licèt) actuali præseruaretur; cur non deceat, vt ab originali lõgissimè fœdiore arceatur? Certè puritas illa, quam decentissimè in Deipara requirunt Patres, multò funestiùs originis labe, quàm leui otioso verbo cruentatur. Fluuium Paradisi Genes. 2. n. 10. ad Christum referens Petr. Damian. serm. de Annunc. sic scribit: *Fluuius iste est meus Deus Iesus, qui è duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris, & ex vtero Virginis. Vnde Propheta: Dominus Deus noster fluuius gloriosus exiliens in terram sitientem: sed ineffabilibus differentiis longè aliter à Patre, quàm à Matre egreditur: quia etsi temporalis natiuitas gloriosa est, multo* 1522.

Christus à Patre, & Matre gloriosissimè ortus.

Damian.

gloriosior

glori is sior est æterna. Quantùm fuit debitæ proportioni requisitum, totum id decenter factum credendum, vt materna generatio gloriosa, gloriosiori paternæ responderet. Neque putandum, sub culpa originali productam, quæ sub leui actuali, nec Paradisum, nec locum voluptatis diuino fluuio præstaret orituro. De Baptista ab sterili matre orto, dixit lepidè Antipater Bostrens. Orat. de Baptista, & Deip. in hunc modum: *Ex deserta matrice processit ciuis deserti.* Et quantò digniùs Adam secundus æternæ innocentiæ ciuis, ab innocenti, & purissimo Paradiso oriretur? Sed audiendus idem Petrus Damianus, postquàm latè de generatione paterna disseruit: *Nunc accingamus nos ad videndum, qualiter egrediatur de Virgine: quia egressio ista dulcior, & affectuosior est humana miseria, qua intuentium pectora concutit, irrorat oculos, & beatis fontibus vultus amantium superfundit. Hic locum voluptatis vterum Maria intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus. De cuius deliciis Spiritus Sanctus admiratorio sermone in amoris Cantico sic eructat: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? Nunquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum alia conuertuntur in sanguinem, alia cadunt de cælo, alia in tenebras obscurantur? Nunquid in aëre, vel igne, vel ventis?* &c. *Nunquid in aquis, vbi furans & tortuosus Leuiathan immoratur? Aut in terra, quæ sub maledicto Adæ, spinas emittit, & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis.* Nimirum, quia vterus iste nunquam spinas, & tribulos Adæ, id est, propriè originalem culpam contractam germinauit. Prætereo examinare, quæ sit illa prauitas, quam in bonis Angelis (de his enim videtur esse hîc sermo, quippe de malis frigidus veniret) Dominus ipse reperit: videtur enim sic vocare minùs sanctam, & puram naturam angelicam, si cum diuina natura comparetur. Illud verò pende, & hîc, & singulis penè paginis apud Patres, (immensum foret colligere,) Mariæ puritatem, angelicæ, & seraphicæ longè præponi.

Maria, Paradisus. — Antip. Bost. — Damian.

1523. Expendit D. Ioann. Damascenus illud Genes. 49. n. 9. vbi de Christo: *Ad prædam, fili mi, ascendisti.* quod ex Græco legitur: *De germine, fili mi, ascendisti.* Deinde sic habet Orat. 2. de Nat. Virg. *Per germen autem, ò dilecte, quidnam propriè coherenter, quæ intelligas? Annon clarè solam hanc Sanctam, ac Sanctis omnibus sanctiorem, quæ se totam, quota fuit, corpore, scilicet, & spiritu puram exhibuit illi, qui sibi in ea condidit tabernaculum? Mariam dico, quæ seu re, seu nomine, magnum quiddam, & venerabile reperitur.* An foret pura tota, quota est, (consule Græca,) si in ipso statim initio, tota fœdaretur? Aut quid singularissimum, magis decenter habeat Maria, vt inter Sanctos; *sola Sancta* dicatur; nisi quòd vnica inter filios Adæ semper Sãcta fuerit, vt cõdignum Deo præberet tabernaculum? Id clariùs dixit idem D. Doctor in Cant. Ecclesiston. 2. in quodam theotocio:

Genes. 49. — *Maria tota, quota est, pura est.*

Templum te purum, atque intactum,
Dei Genitrix semper Virgo,
Mundi factor inuenit,
Vnicam sanè à sæculo,
In eóque habitans reformauit
Hominum naturam.

Neque enim à sæculo fuit creatura alia ex Adami semine, quæ pura, & intacta dici posset, nisi hæc *vnica.* Nec illa futura *vnica*, si de alio puritatis genere loqueretur Damascenus. Piè propterea Guerricus Abbas Serm. 1. de Assumpt. Mariam assumptam, & thronum Dei futuram celebrans, sic subiunxit: *O Fili Dei, nihil tibi, nihil in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, támque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil vtique in illo sordidum offendisti; quia nulla erat libido; sed purissima castitas: nihil ruinosum; quia nulla erat superbia; sed fundatissima humilitas: nihil obscurum; quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum; quia diffusa erat charitas.* Vix clarius poterant originalis culpæ miseriæ Deiparam non tangentes explicari, quam dum libido, superbia, infidelitas, quæ præcipuè inde oriuntur, hinc amandantur: vt nihil omninò in hospitio displiceret. Quid autem non displiceret originalis culpa, etiam amota, cùm leuicula actualis, etiam immenso gratiæ pondere abolita, omninò adimplendo mysterio displiceret?

Guerric.

Ponderauit acutè Theodoretus 3. Reg. 19. cur 1524.
ignis ille cælestis, qui Eliæ holocaustum deuorauit; deinde totum altare etiam consumeret? Et respondet quæst. 56. ad finem: *Descendit ignis, & consumpsit non solùm ligna, & sacrificium; sed & puluerem, & lapides: ne afficeretur iniuria diuinum altare, impiis illis, sacrificia Dæmoni offerentibus.* Quasi decenter Deus auerteret omnem profanationis vmbram ab altari, quod illi deseruierat. Simili argumento passim (vt nosti) probant Patres perpetuam Deiparæ post partum virginitatem: quia nefas foret, vt humanus, licèt matrimonialis, congressus, aulam illam, quæ Dei fuerat, temeraret. Quis verò non videat, & sacrificio, & Filio excipiendo plùs dedecoris affricari ex præuia fœditate altaris, & Matris; quàm ex subsequente. Qui ergo hanc sic cauit, decenter creditur illi indormiisse? Non crediderim, imò dicerem, Mariam Sole ipso puriorem effectam, vt deinde Solem iustitiæ decenter susciperet. Benè Petrus Damian. Serm. 2. de Natiuit. Virgin. comparans illam cum Salomonis templo dedicato: *Ad illud templum Dominus in nebula descendit, vt cæcam Iudaicæ infidelitatis caliginem designaret: in hoc (sicut scriptum est) in Sole posuit tabernaculum suum. vt sedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminaret. Illi denique templo Deus omnipotens gloriam quidem sui aduentus contulit; sed nihil ex eo in sua natura suscepit. In Beatissima autem Virginis vterum non solùm dignatus est descendere: sed ex eo etiam perfectam sibi substantiam nostræ mortalitatis vnire.* Neque enim decenter præpararetur, si vel tenuissima quadam vmbra caligaret.

Altaris excellentia. — Theodoret. — *Maria, Sol.* — Damian.

V.

Præuiæ dispositionis decentia.



DIxi, decentiùs in hoc negotio præuias dispositiones attendendas in Maria, Filio 1525.
edendo, quàm subsequentes gratias post editum: neque enim tantùm gloriæ in filios redundat iam natos, ab honore, quem tunc pa-

rentes comparant; quantùm dedecoris ab infamia, quam parentes ante generationem contraxerunt. Hinc enim etiam factum est, vt ipso naturæ ductu humanæ disponant leges, vt præuia, non subsequens parentum nota, generandos, non generatos filios offuscare intelligatur. Decuit ergo, vt tanto gignendo Filio præuie Maria disponeretur. Vnde, quò dispositio foret antiquior, eò foret decentior: quò enim vigilantiùs omnis præueniretur macula, eò manifestiùs cuiusuis infamiæ suspicio à Iesu nostro exulans nosceretur. Benè Guerricus Abbas Sermone 4. de Purificat.

Purificatio Deipara. Deip. *Anteà nanque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet; non posteà, quia concepisset: cùm concepisse Sanctum Sanctorum, summa sanctificatio sit; & ea, quæ Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit.* Vnde rectè infert, purificationem Mariæ secundùm legem humilitatis fuisse, non necessitatis. Videamus ergo, quàm soleat Deus benedicendos insigniter filios, parentali benedictione præuenire. Inde claré patebit, quàm decenter Christus super omnia benedicendus, à Matre vndique in benedictionibus dulcedinis præuenta oriatur.

1526. Obiurgata impij Cham impudentia, Sem pariter, & Iapheth benedicendi videbantur, qui sanctissimo patri debitam reuerentiam exhibuerant: tunc Noë: *Benedictus Dominus Deus Sem.* Genes. 9. n. 26. Id est, benedictus Sem à Domino: quia, vt benè notat ibi Lyranus, *in benedictione ipsius Sem benedixit Domino.* Sed, cur solus Sem expressior benedicatur, cùm eiusdem meriti particeps fuerit Iapheth? Audiendus ibi Diodorus in Catena parua: *Cur hoc de solo Sem dicitur, atque excipitur Iapheth, qui eadem reuerentia prosecutus est patrem? an, quia Spiritus Sanctus semen ex ipso Sem fidele prouidebat; qualis Abraham cum posteris suis; ac Dominum precipuè Iesum secũdum carnem,* &c. Decebat enim, vt Christo tot ante sæcula progenitores sanctificarentur: & non deceat proximam Matrẽ vberiùs, & in ipsa Conceptione benedici? Aptè D. Andreas Cretensis orat. in Annunc. Mariæ ex Bib. Pat. *Aue, gratiosa: Dominus tecum. Salue, lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est: ac verigaudij plena facta compensatio est. Salue, verè benedicta. Salue, illuminata. Salue, magnificum diuinæ gloriæ templum. Salue, consecratum Regis palatium. Salue, thalame, in quo Christi humanitas desponsata est. Salue, electa Deo, antequàm nata fueris.* Neque enim magnum aliquid erat, eligi ante ortum, nisi, vt esset verè benedicta, & ita illuminata, vt omnis maledictionis obscuritas inde fugaretur; ideò subdit: *Benedicta tu inter mulieres: ac verè quidem benedicta: nam benedixit te sibi ipsi Deus in tabernaculum.* Bis verè benedicta prædicatur: puto, quia originis culpam, quæ vera priùs fuerat maledictio, euitauit.

Genes. 9. Deus, in præueniendo Christo benedictionibus attentissimus. — *Diodor.* — *Andr. Cret.*

1527. Vocatur Iesus Ioann. 2. ad nuptias: & Dominus ab omni festiua turba alienus, festiuas ibi nuptias non abhorret. Causam vidit præ aliis Anonymus in Catena Græca Corder. *Venit igitur Dominus ad nuptias, vt non solùm viuentes; sed etiam eos, qui gignendi forẽt, sanctificaret, ostendens, se ab initio nuptias instituisse, cùm Euam Adamo vxorem dedit.* Præuenit Christus in patribus honorandis, natorum posteà defendere honorem: frustrà enim garrirent Hæretici, in subsequentes è nuptiis filios, cùm priores illas protoparentum nuptias, tam sedulò sanctificatas demonstraret. Et non decenter præuigilaret Deus Vnigeniti, & consubstantialis sibi Filij honori defendendo, præuie Matrem ipsam sublimiori sanctificationis genere condecorans? Non id putauit Bernardus hom. 2. super *Missus est.* vbi ita: *Deus siquidem (Deus enim est, quem peperit) Matrem suam singulari in cælestibus donaturus gloria; singulari in terris preuenire curauit & gratia: qua, videlicet, ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum huiusmodi decebat natiuitas: qua non nisi de Virgine nasceretur: talis congruebat & Virgini partus, vt non pareret nisi Deum.* Non enim ita decoratur Christus iam editus à Maria, de gloria, quam modò possidet ipsa in cælis; quàm de gratia, qua in terris tantum Dominum editura Mater enituit: quáque interim pro decentia mysterij, & Virgo, & puerpera crederetur. Pulchriùs adhuc, quod statim subdit Bernardus: *Proinde factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem: qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Vides, quàm præuius, & præcox Deus in condenda tali, quam sibi nouerat, & decentem, & placituram? Et credis decentem magis, & magis placituram, si sub originis fœditate conderetur?

Ioan. 2. Honor anitus excellenter. Anonym. — *Bernard.* — *Maria in Matrem conditur.*

1528. Voluerant ministri seduli Matth. 13. eradicare zizania, meritissimò ignibus contradenda: sed prohibentur à Deo, ne simul pariter triticum euelleretur. Quod expendens D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 195. hæc scripsit: *Facere prohibentur, ne vnà cum zizaniis euellatur & triticum: hoc est, ne rapiatur peccator ad vitæ emendationem spectans, ne vnà cum improbis parentibus insontes liberi simul exscindantur, qui adhuc quidem sæpè in paternis lumbis sunt: verùm apud Deum, vtpote occulta cernentem, iam existunt.* Vides, patres iam proximo incendio destinatos, in futurorum filiorum gratiam præseruatos, ne pariter cum illis perire viderentur. Et non credas, præseruandam, in gratiam Filij, Mariam ab originali incendio, quando saltem debitricem fuisse existimemus? Longè cautior, longè prudentior processit Deus, & talem necessaria decentia creauit, qualem tanto futuram dignam muneri præcognouit. Petrus Damian. Serm. 3. de Natiuit. Mariæ: *Antequàm nasceretur, talem creauit eam, vt ipse dignè nasci posset ex ea.* Vnde verò dignè natus putaretur, nisi sic Matris decus præueniret, ne vnquam ancilla Dæmonis haberetur?

Matth. 13. Parentes ob futuram sobolem decorati. — *Isid. Pel.* — *Damian.*

1529. Statim à prima contentione, quam cum fratre Iacob habuit Esaü, dignus quidem fuit, vt inter mortis minas, quas intentabat Genes. 27. n. 41. durioris mortis pœnam experiretur: nec tamen punitur tunc à Deo, quin diutiùs conseruatur. Causam superiori apposuit citatus Pelusiota: *Neque enim Esaü peccantem, nondum edita prole demessuit, ne vnà quoque Iobum euelleret, qui ex eo genus duxit.* Quantò dignior, quantò melior Iobo Iesus noster; tantò debuit fructuosior parenti computari. Illius intuitu, mors temporalis patri, dum expedit, prohibetur; cur huius intuitu, mors culpæ, cùm sic deceat, à Matre non arceatur? Certè non decebat, vt minùs præuius, & prouidus, tantus Filius Matri tantæ adueniret: sed dignissimum erat, vt ita originis fœdatæ expers oriretur, dummodo

Idem. Genes. 27. Isid. Pel.

dummodo plena gratiis, dignè sibi à Deo facta cerneretur. Iterum Petrus Damian. proximè citatus, de Angelo salutãte: *Plenam appellat gratia: quia ipse in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia. Dominus, inquit, tecũ: quia ille in te est, qui talem fecit te: vt & ipse fieret ex te.* Quia nõ faciẽdus ex ea, nisi talis præuia decentia præpararetur, quæ meritò plena gratiis intelligatur.

Damian.

1530. In primo die, Orbis natalitio, videbantur nobilissimæ illius creaturæ concreandæ, Sol, Luna, sydera, vnde cæteris decus communicatur: nec tamen ita factum, vt nosti ex cap. 1. Genes. Rationem vidit Seuerianus in Catena parua: *Cur etiam neque Solem primo die fecit, neque Lunam? Quia nondum prætenderat firmamentum, vbi collocanda erant.* Dedecebat, non præparari priùs thronum pulcherrimum, firmamentum, scilicet, vbi nobilissima astra ponerentur. Ne vsquam dubitares, decentissimè præparandum thronum Marianum, vbi astrorum Princeps condignè collocandus. Grauiter D. Damascenus Orat. 3. de Nat. Virg. *Hoc est, quod hodierna die lætis animis celebramus; nempe, Virginis Natiuitas, festorum præcursor, mysterij Christi præmium. Oportebat enim priùs palatium parari, atque ita Regem adesse: oportebat priùs regiorum incunabulorum fascias contexi, atque ita demum oriri infantem regium. Denique priùs oportebat argillæ massam disponi; & tunc deinde figulum aduenire.* Vt ergo minùs expediret eximio Operi, libróque doctissimo, procemium lituris fœdum, erroribus obtrudere deformem: sic mysteriis Christi, Matrem præfœdatam edere, indignum. Non talis ab æterno præparabatur Maria: sed semper in sui prælectione, amore digna præuisa. Idem Damascenus de eodem, Orat. 1. *Te præscens rerum omnium Deus, dignam adamauit, & amatam prædeterminauit, in vltimísque temporibus produxit; ac Dei Matrem, & Filij, Verbique sui exhibuit nutricem.* Maria, vt latissimè alibi probo, nusquam futura erat, nisi vt Deipara esset. Si ergo simul ac prædeterminatam audis, imò & præcognitam, etiam amatam legis; quid dubitas, nunquam sub culpa præuisam fuisse?

Principi thronus præparandus.

Seuerian.

Damasc.

1531. Grauiter proinde D. Bernardus homil. 4. super *Missus est.* expendẽs illa verba Elizabeth ad Deiparã: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. num. 42. ita scripsit: *Non, quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui: sed, quia ille te præuenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta. Verè enim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sũt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cũ cæteris, etsi differẽtiùs à cæteris.* Quas enim benedictiones nõ præueniret Christus Matri decorãdæ: vnde ipse esset decentior oriturus? Et quidẽ, si, vt ipse Christus docet, nõ potest mala arbor facere fructus bonos: quomodo nõ optima, & absque vllo malitiæ næuo arbor illa intelligẽda, vnde sic optimus fructus germinauit? Ideò statim Bernardus: *Benedictus ergo fructus vẽtris tui, cui benedixit Deus in æternum: ex cuius benedictione benedicta etiã tu in mulieribus: quia non potest mala arbor fructum facere bonum.* Quis enim consequẽs putaret, vt ea arbor, quæ leuissimo actualis culpæ puluere respersa, indecens haberetur æterno vitæ fructui germinando; eadem originis ærugine corrosa, pestilenti Noto afflata, & Adamatico contagio sydcrata, huic producendo apta reputetur?

Maria arbor felix.

Bernard.

VI.

An Christus ad innocentiam matrizet?

FACIT ad rem decentiæ, in qua sumus, quæstiunculã istam examinare. Huc paulò antè adductus impulit Bernardus. Verissima, & catholica est illa Sancti Doctoris Theologia, nõ à benedicta Maria, benedictionem in Christo deriuari: sed è contrà, è fructu tanto, arborem benedici. Aliud ergo est, quod quærimus; an, scilicet, Christus aliquo modo ad innocentiam matrizet; id est, ab innocenti Matre, innocens etiam debeat appellari. Rem vt capias, aduerte primò, verissimam apud multos haberi doctrinam illam Suarij tomo 2. in 3. p. disp. 10. sect. 3. ad finem, vbi asserit, quòd si de potentia absoluta Verbum humanitatem assumeret, via ordinaria procedentem à viro, fœmináque ex Adamo regulariter ortis, talem humanitatem in se consideratam, & sibi ipsi relictã, vt in propria persona subsisteret, ex vi suæ conceptionis obnoxiam esse originali peccato: tamen supposita vnione hypostatica, ex vi illius fieri immunem ab originali culpa: de quo ipse fusiùs tom. 1. disp. 33. sect. 2. concl. 2. Suppono secundò, planiùs haberi apud Scholasticos, humanitatem Christi Domini duplici ex capite hodie immunem esse ab originali culpa: tum ratione vnionis hypostaticæ; tum ratione conceptionis maternæ: ita vt, si quouis casu humanitas illa non vniretur Verbo, ex eo præcisè, quòd à Maria Virgine, vt euenit, cõciperetur, absque originalis culpæ procederet reatu. Lege fusè rem probantes. Expositores etiam sacri rem confirmant, & deducunt ex verbis Angeli ad Mariam: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. n. 35. de quo Salmeron ibi tom. 3. tract. 8. ad medium, ita: *In primis consequentia vis aduerbio, ideò, significata, ponderanda est: quia enim non ex via seminali, quemadmodũ omnes filij Adæ: sed ex Spiritu Sancto, & ex Sanctissima Matre conceptus est; suapte natura liber est, ac immunis ab omni criminis labe in mundum ingressi.* Et paulò post: *Rectè ergo dicitur sanctum in neutro, & substantiuè, quod plus est, quàm si dixisset, sanctus: quia sanctitas ipsa, & natura sanctus, de Spiritu Sancto, & Matre, omni ex parte sancta conceptus.* Idem ferè habet Toletus in Commentario huius loci: & iterum notat c. 111. ita: *Christus sanctus natus de ventre Matris, & in eodem sanctus conceptus, & Conceptio sancta: ita vt etiamsi gratiam ex vnione non habuisset, eam obtinuisset ex vi conceptionis.* Vide etiam Maldonat. & Barrad. quos omnes in hanc rem dedit Doctor Luzerus, primarius apud Granatenses Theologiæ Professor, Opusculo vernaculo pro immaculata Concept. licèt ibi maius saltem aliquid verbo tenus videatur inferre, quàm sit opus tueri; sicut nec etiam est facile confutare.

1532. Christus, ad innocentiam quomodo matrizet.

Suar.

Luc. 1.

Salmer.

Tolet.

Luzerus.

Quæro igitur, an tam puræ ex se Conceptioni, ex qua præcisè Christus innocens gigneretur, decentior veniat pura etiam, & immunis (non ex 1533.

Parentum mores in filios. ex se, sed ex priuilegio) Matris Conceptio; quam polluta, & originis labe præfœdata? Ego quidem sic statuo, cùm in virtutibus exhibitis, & suauissimis Christi moribus, matrizantem Filium Sancti Doctores audacter asseuerent, (de quo fusius in Opere scripsi,) decentissimè in innocentia dicetur matrizator; digniórque quodammodo ab innocenti Matre innocens, quàm innocens à polluta proueniret. Luctabatur quodammodo Iosephi pudicitia, cum Ægyptiæ dominæ lasciuia impudica: & in tam arduo agone iuuenis calcata carnis conditione superabat, Genes. 39. cuius victoriæ causam ex ore iuuenis celebrat Chrysostomus tom. 6. homil. eiusdem: *Seruus quidem, ô mulier, nunquam fui: nobilibus enim sum parentibus procreatus: Abraham, nimirum, & Isaac, quos Deus colloquio dignatus est, aui mei fuerunt: Iacob autem, qui cum Angelo luctatus est, meus pater: quapropter & tecum luctor audacter.* Cedebat enim in honorem Ioseph, quòd luctandi strenuitate patrizaret. Cur ergo in honorem Iesu non cedat, (cùm in hac re non possit patrizare,) quòd in calcando, & eluctando originis serpente dicatur matrizare? Faciunt verba D. Bernardi homil. 2. super *Missus est*, sic scribens: *Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata, immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis, & humilis corde procederet: harum in se virtutum, necessarium omnibus, saluberrimúmque exemplum ostensurus.* Cur ergo nollet ex innocenti innocens prouenire? cur dum humilis, & virgo matrizat, decenter etiam innocens matrizaret? Ego non video.

Genes. 39.

Chrysost.

Bernard.

1534 Inuento scypho argenteo in sacco Benjamin, turbantur fratres, & *scissis vestibus* redeunt in Ægyptum, Genes. 44. n. 13. Et vnde tantus dolor? Fortè furacem puerum fuêre suspicati? Absit, inquis: vnde enim innocentissimus, quem nouerant, frater, apud fratres suspectus furti poterat denotari? Audi D. Ephrem Edissen. Orat. de Ioseph, (habetur apud Lipom. tom. 1.) commotos ibi fratres expendentem: *Neque ipsum solum; verùm & Rachel simul, & Ioseph cum patre insimulabant dicentes: Vos scandalum fuistis patri nostro, tu, & Ioseph, filij Rachel: Ioseph enim super nos regnare voluit, & meritò à fera comestus est: tu autem rursus, frater eius, in ignominia, & probro nos esse fecisti. Nónne vos estis filij Rachel, qui patris sui idola furata, se ea furata negauit?* Quasi inde suspectus furti veniret Benjamin, quòd furacem genitricem sortiretur: necessariò enim quodammodò matrizatores filij reputantantur. Cur ergo à matre peccatrice veniret Christus, vt saltem stultè impiis suspectus haberetur? Benè D. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 193. *De rebus parum honestis in suspicionem venire, his quidem, qui ad virtutis arcem peruenerunt, maximæ calamitatis loco est: iudicari autem, honestioribus, & grauioribus: deprehendi verò, etiam stupentibus, & insensibilibus.* Multò ergo decentius, vt omnem suspicionis occasionem truncaret Christus; si etiam de innocentia matrizans cognoscatur: qui enim indecentem habuit communem generationem, ne quantùm foret ex illa, obnoxius originali fœditati haberetur; decentissimum sibi id haberet, vt ab illa remotior proueniret.

Genes. 44.

Filij matrizant.

Ephrem.

Isidor Pel.

Do in hanc rem grauissima verba Hugonis Venerabilis tom. 3. in erudit. Theolog. tract. de Verbo incarnato, collat. 3. *Mater Virgo electa est, vt de munda immaculatus nasceretur: vt, sicut in cælo Deus habuit Patrem immortalem æternus; sic in terra haberet Matrem Virginem incorruptus. Igitur in cælo qualis Pater, talis Filius: & in terra qualis Mater, talis Filius. In cælo cum Patre æternus, & immensus: in terra cum Matre immaculatus, & mansuetus. In cælo cum Patre incorruptus, & sublimis: in terra cum Matre virgo, & humilis. In cælo imago Patris: in terra imitator Matris. Mater virgo erat, & in humilitate exultabat: Filius virginis virgo humilitatem commendabat. Talis ergo Agnus, qualis Mater Agni, ex munda mundus, ex virgine incorruptus.* En tibi Christum ex mente Venerabilis Doctoris per omnia Matris imitatorem, & matrizantem. Quod ipsemet posteà si rectiùs expendisset, puto, absque dubio, staret nobis, pro immaculata Virginis Conceptione suffragium allaturus: falsò enim mundus ex munda Christus diciitur, si ab originaliter immunda nasceretur. Esset ille quidem Agnus innocentissimus, non tam ex oue, quàm ex hirca quodammodo proueniens: nec proinde qualis ouis, talis Agnus diceretur. 1535.

Christi generatio ab vtroque parente proportionaliter illustris.

Hugo.

Non itaque quantùm proportio patitur, à maximo Filio Mater magna degenerauit, quin talem edidit, vt, licèt dignior, Matri nihilominùs congener haberetur. Hinc exclamabat Isaïas: *Emitte Agnum, Domine; dominatorem terræ, de petra deserti, in montem filiæ Sion.* cap. 16. num. 1. de quo Guerricus Abbas Oratione 2. in Annunciatione Virginis ita: *Id est, abscinde petram de petra: sanctum, & inuiolabilem sancta, & inuiolata proferat Virginitas, &c. Si ergo petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à Matre Filius, quando & ipsa petra nomine censetur. An non rectè vocatur petra, quæ & in amorem integritatis, proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat, & lapidea?* Nihil voluit honoris Christus, quod debita proportione in Matre non præcederet: noluit virgineus Agnus à Matre castissimè nupta, sed non virgine prouenire: ne in virginitatis prærogatiua, licèt gloriosè degener haberetur; & in sola originali innocentia, quæ tantò decentior erat, non matrizaret? Certè eam carnem dedit Maria Verbo, vt (quod volebat Hugo) temporalis generatio æternæ generationi indecens non obstreperet: ideò illa ad Filium: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Cant. 1. num. 16. de quo D. Thomas de Villanoua ibi: *Pulcher, Verbum ex Patre: decorus ex Virgine caro, Pulcher in tua natura, decorus in mea. Pulcher, quia candor es lucis æternæ, & speculum sine macula: decorus, quia speciosus forma præ filiis hominum: in quem desiderant Angeli prospicere.* Pende nunc, si natura humana matrizans, patrizanti Verbo de pulchritudine respondere debebat; decentior longè veniret, vt illa etiam de innocentia matrizaret: sicut & hoc per omnia patrizat. 1536.

Isaiæ 16.

Guerric.

In idem plura.

Cant. 1.

Thom. Vill.

***

VII.

Prædicta proximè ratio roboratur.

1537. LIVNDE verò non inepte proxima ratio roboratur ex eo, quòd apud Patres ferè eadem, quæ de Christo prædicantur, debita proportione seruata, Mariæ tribuuntur: quasi sic perfectè Filius matrizaret, vt, præter Diuinitatem, nihil in illo ferè colluceret, quod suo modo in Matre non præradiaret. In sola ergo innocentia originali dissimilitudo foret aucupanda? Ego non crederem. Immensum esset, omnia, quæ Patres afferunt, huc transferre: libo tantùm pauca, quæ ad manum: feracem vineam aliis vindemiandam feliciùs præmonstrans. Sanctus Sanctorum ab Scriptura, & Patribus celebratur Christus: de Maria verò canit D. Ioannes Damascenus sono 1. citato: *O Sancta Sanctorum, Virgo intacta, Sanctum Sanctorum nobis peperisti.* Quasi vndique sibi vtraque sanctitas de excellentia correspondeat. Author ille incertus suprà adductus Oratione de humilitate Mariæ in Homiliario Alcuini: *Tu electa, vt Sol; ille, inquam, Sol solis Conditor: ille enim electus ex millibus virorum: tu electa ex millibus fœminarum.* An decenter electa in tantum, vt electo Soli diuino veniens comparanda in ipso suo oriente caligaret? De carbone, & forcipibus propheticis Isaiæ 6. sic habet D. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 42. *Isaias, vir summa perspicacia præditus, carbonem exaltari forcipe accepit, Domini nostri Incarnationem clarissimè perspiciens. Per carbonem verò, quem cernebat, diuina essentia significabatur. Per forcipem autem ea peccati expers caro, quam ex nobis sumptam sibi copulauit.* Idem ferè testantur Patres plures. Atqui non pauci forcipem de Maria ipsa intelligunt. In quam rem latè suo loco expendo D. Methodium, & Varadatum. Huc tantùm adduco D. Andream Cretens. Orat. de Annunc. Virg. apud Metaphrast. *Gaude, vrna aurea, quæ contines illam, quæ dulce manna, & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude, seraphica mystici carbonis ardentis forceps.* Planè purior Christi caro, & decentior forcipis instar Diuinitatem apprehenderet, si à Matre similiter forcipe, totius peccati experte deriuaretur, & quodammodo vtrobique par existeret.

Christi encomia suo modo Mariæ tribuuntur.

Damasc.

Auth. incert.

Isidor. Pel.

Andr. Cret.

1538. Quàm passim lignum vitæ, Christus dicatur, nemo nescit: scilicet, ob perpetuum virorem, quem nullus peccati marcor, nulla potuit corruptio inuadere. Talis etiam Maria celebratur. Do vnum Bernardum Serm. 2. Aduent. *O Virgo, virga sublimis: in quàm sublime, verticem sanctum erigis, vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum maiestatis: neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O verè cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis. O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis!* Tu autem vitæ ligno, mortem culpæ decenter assignaueris? Apage, & vide, quid statim addat Bernardus: *Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua: nudata est falsitas tua,* &c. *Nunc responde, si potes, quam ei (Adamo, scilicet,) arborem, cuius arboris fructum inuidere potuit, qui nec hanc quidem virgam electam, & fructum sublimem negauit?* Quis putet, in ligno vetito transgressionis pœnam positam Mariæ, quæ longè pretiosius lignum celebratur? Quis putet, cateruatim cum aliis præceptum in illo ligno subiisse, violatique culpam incurrisse, quæ electa meliori fructu producendo? Non de inuidia, vt voluit Dæmon, sed ad reuerentiam, arbor scientiæ hominibus fuit interdicta. Verùm nec etiam sic Mariæ interdicitur, quæ pariter cum Iesu fructu suo, in illius remedium, tanquàm supremum liberalitatis tentamentum parabatur: non ibi illam serpens fefellit, quæ illius detegendis fallaciis emittenda.

Maria, lignũ vitæ.

Bernard.

Consonat his Petrus Damianus Serm. 3. de Natiuitate Virg. vbi post alia de Christo lilio Cant. 2. sic de Maria scribit: *Lilium vocatur Christus: lilium dicitur & Mater Christi, sicut in eodem Cantico subinfertur: Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias. Sicut lilium inter spinas: sic Beatissima Virgo enituit inter filias: quæ de spinosa propagine Iudæorum nata candescebat munditia virginea castitatis in corpore; flammescebat autem ardore gemine charitatis in mente: flagrabat autem odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis.* Sic passim in eandem rem alij Patres. Quòd si Maria aliquando originis spinis pungeretur; non tam decenter lilium, instar Christi, quàm inter filias spina diceretur; nec tam ab istis alia, quàm eadem inter istas veniret reputanda. Quod tamen minùs illi videtur conuenire, quæ totam Christi virtutem dicitur æmulata. Aptè Ioannes Geometra ad illud Lucæ 1. num. 39. de Maria cognatam visitante in Catena Græca Corder. *Oportebat enim, non Dominum solum, sed & eius Matrem modestia sua in omnibus præmia referre, atque hoc ipsi primarium obtinere, quod secundarium vbique quæreret: quin & omnibus, vti & ipse, exemplo esse modestiæ, ac submissionis.* Vt per omnia Filium exprimens, omnibus præponenda, non aliquibus conferenda cognoscatur. Hic est Geometra ille, qui ad nostrum vsque sæculum latens iam eximius Theologus, & grauissimus Author celebratur, vt notat in suo Prologo Corderius, & ex grauissimis eiusdem scriptis, quæ è Græco vertit, constat manifestè. Ideò mirabilior: quia è priscis, Mariam ab originali culpa immunem decantauit, cuius testimonia iam suprà adduxi. Pergo. 1539

Maria quale lilium.

Damian.

Maria humilitatis exemplar.

Geometra.

Expendit Seuerus in Catena Græca Ioannis, (quam etiam Latinitate donauit noster Corderius) illa verba Mariæ ad nuptiarum ministros: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* cap. 2. num. 6. omnia, quæcunque ibi facienda forent, prænouisse Deiparam: & causam subdit: *Rei autem huius futuræ præcognitio, tam Iesu, quàm Matri communis erat: illi quidem vt Deo; huic verò, tanquàm inspiratæ diuinitùs Prophetissæ.* Quasi etiam illa, quæ Christo Deo, natura conuenirent, suo modo Matri per gratiam communicarentur: ne Mater in hoc à Filio aliena putaretur. Denique locum illum Isaiæ 2. num. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium,* &c. quem tot Patres de Christo explicarunt, non pauci ad Mariam transtulerunt. Damascenus sono 2. 1540.

Maria scientia.

Sever.

Maria mons excelsus.

Et

Damasc.

Et superexaltatus
Mons diuinus, in domo diuini,
Supra virtutes vniuersas
Apertissimè, ô Deipara.

Qui tamen locus adhuc fusiusculè ex D. Gregorio Magno discutiendus.

1541. Ergo Sanctus Doctor homil. 13. in Ezechielem explicans propheticum illud: *Dimisit me super montem excelsum nimis.* cap. 40. n. 2. Christóque accommodans; sic habet: *Fuerunt in eouem populo sancti viri, qui montes iure vocarentur: quia per vitæ meritum ad cælestia propinquauerunt: sed incarnatus Vnigenitus istis montibus æqualis non fuit: quia naturam, vitam, & merita omnium, ex sua Diuinitate transcendit: vnde & rectè mons super verticem montium dicitur Isaiæ 2. quia excelsus ex Diuinitate sua inuentus est, etiam super cacumina Sanctorum: vt hi, qui multùm in Deo profecerant, eius vestigia sequi vix potuissent ex vertice cogitationis.* En tibi Christus ibi figit vestigia, ibi radices mittit, quò cæteri improbè cacumina possint erigere: sic Maria (vt ex communi Ecclesiæ sensu habet Sapiens) in electis Dei mittit radices, ibi figit vestigia: quia infima eius gratia, quam in Conceptione acquisiuit, supremam omnium gratiam excedit: nimirum, vt instar Filij, mons basim suam, super verticem montium collocaret. Sed præstat audire eundem Gregorium initio Commentarij lib. 1. cap. 1. Reg. vbi de monte Ephraïm, vnde Helcana, id est, de Maria, vnde Christus ortus, ita: *Potest autem huius montis nomine, Beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ altitudine transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, vt ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum chóros, vsque ad solium Deitatis euexit? Huius enim montis præcellentissimam dignitatem Isaïas vaticinans ait: Erit in nouissimis, &c. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.* An electio tanta decenter à culpa originis inchoaret? Certè qui montem floridum ascendit conspiciendum, à radicibus vtplurimùm solet eius altitudinem, & amœnitatem contemplari. A basi vertex coniectatur, & ab ingressu interiora cognoscuntur. Pulchra profectò basis, illa peccaminosa, vnde Marianus mons super verticem montium incipit collocari. Pulcher ingressus, vnde subsequentes sirores deprehendas.

Greg. Mag.

Maria excellentia super cæteros iustos.

1542. In Sarephtam famescens, & penè deficiens mittitur Elias pascendus à vidua: & ecce apparet illa paupercula, ligna colligens 3. Reg. 17. num. 10. de quo argutè Chrysostomus tomo 6. homil. de Petro, & Elia; ita: *Quid igitur adhuc ingrederis, Elia? Cur verò accurris ad viduam? Vidisti paupertatis vestibulum, ne interroges, quanta sit eius tenuitas: nihil quæras de his, quæ intra domum sunt, cùm paupertatis ingressum iam videris. Quid est, quòd in eius domum introire velis? Vides ligna colligentem, & ab ea nutriri postulas? Sed habebat ille quasi pignus quoddam, Domini sermonem.* Quia, si non haberet hoc pignus, viso misero vestibulo, prudenter nihil intùs boni esse coniectaret. Famescebat deficiens Orbis, suspirabat Mariam nutriendus: si exhibita ostenderet miserrimum conceptionis vestibulum, & montosæ suæ magnitudinis radices aridas; quis prudenter cætera feliciora coniectaret? Non ergo is mons Maria: sed sublimiori monti Filio, eisdem propè Oraculis comparata.

3. Reg. 17.

Finis à principio coniectatur.

Chrysost.

VIII.

Secundus obex pariter amotus.



ATISFECIMVS vteunque ex mysterij decentia, obiectioni primæ, quæ ex Scriptura, Conceptioni expresse non fauente, depromebatur. Depromitur iam secunda. Nullus priscorum Patrum immunem Mariæ Conceptionem tuetur: innumeri apertè condemnant: vnde ergo, nisi temere, propugnetur? Horribilis visa olim hæc obiectio, iam omninò corruit, fugatis vmbris, phantasmatis euanescentibus. Excussa re diligenter, vix iam supersunt tres Patres, qui expresse Mariam damnent: cæteri, aut sibimetipsis opponuntur, aut facillimè explicantur: è contra verò pro Maria illorum adhuc acies structior. Non profero: quia iam diligentiùs ab aliis eruditioribus longè, Virginis propugnatoribus, res peracta: & paucos alios, qui expresse mysterium tuentur, suo loco collocaui. Hic ergo duo faxo. Primò, testimonia nonnulla Patrum, (quæ ferè omnia, nondum fortasse alicubi adducta videris,) sic facta congeram, vt facilè pius animus Mariæ innocentiam probare conuincatur. Secundò, totidem eiusdem generis adducam, quæ tantam Mariæ gratiam ostendunt: vt vix cum illa originalis culpa stare posse videatur. Scio in vtroque genere longè robustiora alia reperiri: nolui tamen transcribere, quæ facilè è Thesauro catholico Iodoci, & aliis recentioribus cognosci poterunt. 1543.

Voco in primis D. Georgium Episc. Nicomed. Orat. de Præsent. Virg. (habetur apud Metaphrastem, & Lipomanum,) qui ibi templum susceptuum Deiparam, sic alloquitur: *Hanc introduc, tanquam sponsam, cuius pulchritudo est incomparabilis, & gloria ineffabilis: cuius lux oculorum Solis superauit radios. Hortum conclusum, quem peccati cogitationes non possunt intrare,* &c. *Fontem reuerà signatum, ex quo manant fluenta purissima, & irrigant Orbem terræ: in quo limi, qui conturbabat, non sunt deprehensa reliquiæ: ex quo procedens fluuius gratiarum circuit vniuersam, quæ sub Sole est, regionem.* Quæro, candide Lector, quis est limus iste fontem conturbans, cuius nec etiam reliquiæ in Maria deprehenduntur? Certè, quidquid te torqueas, nisi originem immaculatam intelligas, locum contorquebis: terrena enim, siue limosa origo, gratiarum origini opponitur apud Patres: & reliquiæ, aut respectu actualis culpæ Adami, vocatur originalis culpa in nos deducta; aut eiusmet culpæ effectus infaustissimi pullulantes.

Maria, hortus conclusus, fons signatus.

Georg. Nic.

D. Ioannes Damascenus Orat. 1. de Natiuit. Mariæ: *O filiola sanctissima Ioachimi, & Annæ, quæ latuisti principatus, & potestates, & ignea Maligni tela extinxisti, quæ in thalamo Spiritus versata es, & irreprehensibilis seruata in Dei Sponsam.* Fidelissimè, vt vides, verto: Θυγάτριον λάθον, τηρηθὲν 1544.

Damasc.

Maria abscondita.

ρυθὲν ἄμωμον. Quid est autem latere Tartareas potestates, quàm ab illis ita abscondi, vt omninò sine macula, & irreprehensibilis conciperetur? Ibidem post multa sic habet, de quo ne dubites, subdo priùs Græca: ὦ θεῖον ἔμψυχον ἄγαλμα, ἐφ᾽ ᾧ ὁ δημιουργὸς ευρέθη Θεός! νῦν μὲν ἔχων, (vbi meritò, νοῦν ἔχον, corrigit Billius,) θεοκυβέρνητον, καὶ μόνῳ Θεῷ προσανέχοντα, ἐπιθυμίαν ἅπασαν τεταμένην πρὸς τὸ μόνον ἐφετὸν, καὶ ἐξέραστον τὸν θυμὸν κατὰ μόνης τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ ταύτης κυήσαντος. Ζωὴν τῆς φύσεως κρείττονα ἕξεις, οὐ σεαυτῇ, (οὐ γὰρ σεαυτῆς ἕνεκα γεγέννησο,) ὅθεν ἕξεις Θεῷ, δι᾽ ὃν, εἰς τὸν βίον ἐλήλυθας· ὅπως τῇ παγκοσμίῳ ἐξυπηρετήσῃς σωτηρίᾳ· ὅπως ἡ ἀρχαία βουλὴ τοῦ Θεοῦ, τῆς τοῦ Λόγου σαρκώσεως, καὶ τῆς ἡμῶν θεώσεως διὰ σοῦ πληρωθῇ. (Damasc.) Parco elegantiæ, vt seruiam mysterio vertens planissimè: *O diuinum, & animatum simulacrum, in quo Deus artifex deprehenditur? Simulacrum mentem diuinitus habens gubernatam, ac solummodò Deo attendentem, affectúmque omnem concupiscibilem dispositum in id, quod solùm appeti, & amari debet: affectum verò irascibilem, aduersus culpam tantummodò, culpæq; parentem. Vitam natura præstantiorem habebis, non tibi ipsi, (neque enim tui ipsius causâ genita es,) vnde illam habebis Deo, cuius ergo in vitam prodiisti: vt, scilicet, vniuersali omnium saluti ministrares; vtq; vetus Dei consilium, de Verbi Incarnatione, déque nostra deificatione per te impleretur.* Quomodo clariùs originalis iustitia, in qua Virgo concepta, poterat proponi? non tam parentes, quàm Deus singularissimo modo, Mariæ author agnoscitur, vt non tam à natura, quàm à gratia, producta videatur. (*A Deo potius, quàm à parentibus orta.*) Tantùm abest, vt ibi adesse culpa, vt etiam abesse penitùs fomes describatur: quid enim, concupiscentia, & ira sic ordinatæ dicantur: nisi vt sub aureo fræno originalis iustitiæ cohibitas intelligas? Quibus enim aliis verbis originalem protoparentum iustitiam Patres explicarunt? Vnde clariùs, (quod fusè in Opere discutio,) Maria non futura, nisi vt esset Mater, poterat cognosci, quàm ex verbis, quæ subdit Sanctus Doctor, quibus non sui ipsius causa genitam dicit? Si ergo Maria præuiso Adami peccato, naturæ accepit futuritionem, idque in eiusdem remedium; cur ad peccati legem subeundam, violenter retrotrahatur? Pergo. Idem Damascenus in Cant. eccles. Sol. *Pete à Filio tuo, & Deo meo, dari mihi remissionem eorum, quæ feci malorum, sola sancta, sola benedicta.* (Damasc.) Hæc sanctitatis, & benedictionis singularitas, inter omnes filios Adam: quid aliud quàm originalis culpæ singularem immunitatem adsignificet? Idem sono 1. sæpè citato:

Audite admiranda,
O cæli; ausculta, terra:
Quia filia terreni Adam,
Mandatum transgressi,
Filia Dei fuit:
Et Creatorem suum in vtero tulit,
Vt saluos nos faceret, & reformaret, &c.
O Sanctorum Sancta,
Dei Genitrix intacta.

Et quid magnum, vt Maria per regenerantem gratiam sit Dei Filia; cùm iusti omnes talem filiationem sortiantur? Aliquid ergo singulare exprimitur: nimirum, vt verè Adami filia quoad carnem, nihil de Adami culpa contraxisset, vt per excellentiam vnicè Dei filia vocaretur, inter captiuos libera habenda. (*Maria intercessio valida.*) Ideò iterum idem sono 2.

Te inuocamus vniuersi
Genuinam Dei Genitricem:
Seruos irritantes Deum, liberato: (Damasc.)
Nam tu sola liberè
Natum adire potes.

Sola liberè Natum aggreditur: quia sola inter captiuos libera perstitit.

1545. D. Andreas Cretensis Orat. in Annunc. Virg. apud Metaphrast. & inde apud Lipoman. & Surium, ita ad Angelum: *Vade ad Nazareth? Quid ita? Vt Deo gratissimum virginitatis decus, tanquam suauissimam rosam, è spinosa regione decerpat Omnipotens.* (*Maria rosa, & terra benedicta, & fermentum purum.* Andr. Cret.) Deinde Angelus ad Virginem: *Gaude, terra sancta virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruet. Gaude, fermentum sanctum, ac Deo gratum, ex quo totius humani generis massa fermentatur, & in vnius corporis Christi panem euadit.* Vnde hîc terræ sanctæ comparatio deducta, nisi ab illa terra, ex qua nondum maledicta primus Adam formatur? Sed, quod clarius est, cur fermentum sanctum Maria, massæ nostræ fermentandæ, si communem totius massæ habebat corruptelam? Euangelicum ergo fermentũ, quod in farinæ satis tribus miscuit mulier, de Verbo carni Marianæ vnito explicant Patres, vt nosti: hic autem illa ipsa caro fermentum appellatur: quasi id, quod carni Marianæ est Verbum, sit cæteris omnibus caro Mariana: quo quanta exprimatur puritas, tute ponderaueris.

1546. D. Germanus Constantin. in encomio ad adorationem venerandæ Zonæ Deiparæ, (habetur ex Metaphraste apud Lipomanum:) *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei: nobis diuinus David cecinit in spiritu, reuerà ciuitatẽ, de qua gloriosa dicta sunt, apertissimè vocans ciuitatem magni Regis. Quænam ea est? Existimo, eũ manifestissimè, & sine vlla cõtradictione illã, quæ verè est electa, & omnibus superior; non domorum excellentia, & altitudine excitatorum ædificiorum, sed diuinarum, & sublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus excellentem, Mariam, nulli penitùs culpæ affinem, & castissimam Deiparam.* (*Maria nulli culpæ affinis.* German.) Et paulò pòst: *Quid dixerit quispiam de gloriosissima, & laudatissima Virgine, quæ est omni ex parte intemerata, & nulli culpæ obnoxia?* Et iterum ibi, renouandos fideles adhortans: *Illis enim delectatur Virgo ab omni penitùs macula aliena.* Hæc, nisi sint clarissima, pro mysterio nostro, Germani testimonia, ingenuissimè fateor, cæcutio. Certè, non aliter loquimur hodie, qui rem ex professo tractamus: sed, cùm Mariam ex omni parte penitùs mundam, & immaculatam prædicamus; eiusdem Conceptionem præseruatam celebrare intelligimur.

1547. Euthymius Oratione eiusdem argumenti apud eosdẽ, sic ad Deiparam: *O castissimã, & nulli culpæ affinem, quam extimescunt intelligentes omnes Hierarchiæ.* (*Idem.* Euthym.) Et post multa: *Propriè verè, quæ est Deipara, quæ est alter altior, & superior quauis re creata, tam quæ sub aspectum cadit, quàm quæ non cadit. Quæ est pura, impolluta, intacta Patris, (qui nec videri, nec cõprehendi potest,) ab omni reprehensione aliena, & pulcherrima Sponsa.* Nota reprehensionem apud Græcos pro defectu, & macula, vt pueri norunt: pergo. Idẽ ib. *Hodie templũ dedicatur lauda-*

tissimum ab omni labe aliena puella. Audis, nulli culpæ affinem,& ab omni labe alienam? Cur ergo originali culpæ non solùm affinem, sed etiam congenitam ab Euthymio supponi existimemus?

Maria Regina. Athanas. D. Athanasius Serm. de Annunciat. Deip. *Dicimus igitur iterum, atque iterum, & semper, & vndequaque beatissimam. Sicuti ergo, cùm ad ipsum respicimus Regem, Dominum, & Deum appellamus: ita quoque, cùm ad eam oculos reiicimus, Reginam, Dominam, & Deiparam esse animaduertimus.* Nota mihi illud: *Semper, & vndequaque: semper* enim, id est, in quocunque instanti: *& vndequaque*, tam in origine, quàm in actibus, Maria beatissima est, siue felicissima: nunquam, vel alicunde veram miseriam, quæ in sola culpa reperitur, experta. Si enim sanctum Doctorem ad beatitudinem cælestis patriæ detorqueas: nescio, quomodo id aptè possit explicari.

1548. Basil. Sel. D. Basilius Seleucus Orat. de Annunc. Virg. vbi de Angelo consolatoria oratione dubitationi illius obuiam iuit: ait autem: *Ne timeas, Maria: timor enim eorum est, qui offenderunt.* An originali culpa non verè inimici sumus? non verè Deus offenditur? non verus timor obrepit? Nullibi ergo voluit Seleucus lapsam Mariam.

1549. Purgatio, apud sacros Scriptores, quid sonet. Ad calcem breuis huius catalogi aduerto, dici quandoque apud Patres diuersis in locis liberatam in vtero, & ab omni labe purgatam Deiparam. Vnde ab his condemnatam volunt contrarij, cùm purgatio labem supponat: contra quos in Opere fusiùs disputo. Hìc solummodò aduerto, inualidum esse argumentum ostendendis Patribus Mariæ oppositis, quòd illam à labe purgatam, & liberatam vocent. Ratio aperta est: quia illi etiam, qui mysterium nostrum apertissimè defensarunt, hoc termino vsi sunt, quin aliquo modo veritatem inde læsam existimarent. Do par Patrum; Latinum alterum, alterum Græcum. Nemo nescit, quàm sedulus piæ opinionis propugnator fuerit D. Laurentius Iustinianus: quam expressè tuetur lib. de casto connub. cap. 7. vt omnes notant. Adde lib. de grad. perf. cap. 1. vbi plenè, & theologicè agit de culpa originis: & subdit: *Ab hoc quippe originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem: vnde gemens Propheta aiebat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Et iterum in lib. de Fasciculo amoris, cap. 7. post multa de originis peccato, & Dæmonis tributo, ita: *Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis duntaxat Mediatore Dei, & hominum, homine Christo Iesu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.* Et tamen hic ipse tam expressus immaculatæ Conceptionis defensor Serm. de Natiuit. Mar. ita habet: *Quæ enim sanctificata in vtero, & ab omni culpa originalis fuerat liberata contagio; gratiæ plenitudinem, quam mente perceperat, protendebat exteriùs. Illam profectò adhuc in Matris vtero decubantem adamauit Verbum, sibique in Genitricem elegit, vtpote superabundanti iam benedictione præuentam, iámque Sancti Spiritus magisterio deputatam.* Quis ex his verbis, si sola apud illum legerentur, non iuraret, Iustinianum non tam Conceptioni ecclesiasticæ, quàm Thomisticæ illi sanctificationi fauere? Et tamen, quid ipse hic velit, patet ex prædictis. (Laur. Iust.)

Ioannes Geometra insignis ille Theologus, de quo suprà, sic habet hymno 3. post multa de Maria: Ἡμερίης κακίης ἐδὲν ἀφελκομένη. id est, *Antiquæ iniquitatis nihil contrahens.* Et sæpe alibi rem clariùs demonstrat, vt suprà adductis testimoniis vidisti. Audi tamen, quid ipse scribat in Cat. Græca Corder. ad illud Luc. 1. de Maria: *Spiritus Sanctus superueniet in te.* vbi ita: *Superueniet, qui præparet Filio introitum: & præinhabitet, & præpurget ipsi thalamum: vel potius exornet, tametsi præpurum, & præornatum.* Putaretur ex his verbis, non solùm dum concepta, sed iam penè conceptura, Maria contagio aliquo fœdata, cuius purgatione indigebat: & tamen quàm aliter sentiat Geometra, vidisti. Quid ita? Quia liberari, & præpurgari, non tam captiuitatem, quàm nouum importat puritatis additamentum. Cùm igitur apud alios Patres Mariam liberatam ab originali culpa legimus, & purgatam; immeritò ob id solùm ab eisdem condemnatam existimamus, cùm longè decentiori sensu valeant explicari. 1550. Geomet.

IX.

Qualis, & quanta Mariæ gratia.



VENIO ad secundum membrum gratiæ Marianæ, prætermissis, quæ in immensum plura, & pulchriora alij dederunt; quæque alia per totum Opus digessimus. Origen. hom. 6. in Luc. de Annunciatione Virgini facta: *Id enim, quod ait: Aue, gratia plena, κεχαριτωμένη, vbi in Scripturis alibi legerim, non recordor: sed neque ad virum istiusmodi sermo est: Salue, gratia plene. Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur: si enim scisset Maria, & ad alium quempiam similem factum esse sermonem, (habebat quippe legis scientiam, & erat sancta, & Prophetarum vaticinia, quotidiana meditatione cognouerat;) nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset.* Nec solùm in Scriptura non reperitur hoc verbum, priusquàm Mariæ diceretur: sed, vt alibi noto, nullibi apud Authores profanos in vsu est, aut agnoscitur; sed fictum ab inspirato diuinitùs Luca est, vt rarissimam Mariæ gratiam, & noui cuiusdam generis declararet. Sicut Paul. Ephes. 1. n. 6. idem verbū, sed in actiua vsurpauit, vt abundantiam gratiarum, quæ nobis in Christo allata est, significaret: vbi enim nos legimus: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos, in dilecto Filio suo.* Græca habent. Ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Longè tamen alia nostra, & Mariana repletio: vnde Maria singulariter à Deo per Angelum sic salutatur: nos verò sancta quadam hyperboli, eandem illam plenitudinem omnes dicimur obtinuisse. 1551. Maria gratia. Orig. Ephes. 1.

Hinc D. Hildephonsus Serm. 1. de Assumpt. *Non discurrit, quia humilis: nam, quantum mansuetus est quisque, qui iussis obtemperat diuinis; tantùm immitis, qui aut non credit, aut differt obedire, quod audit. Iam humiliat se B. Virgo* 1552 Humilis, gratia plena. Hildeph.

in cunctis, vt totam suscipiat in se gratiam largitoris: quia, quod per partes aliis datum est, tota simul venit in ea gratiæ plenitudo. In gratiam ergo Marianæ gratiæ sic exuberantis nouum illud verbum cuditur, quod pie postea fidelibus, sed limitatiùs à Paulo communicatur. Vnde bene Origenes non alibi positum intimat in Scriptura, (quis autem credat non recordatum fuisse loci Pauli?) quia nullibi, ad tam miram salutationem vsurpatur: quia nullibi ea gratiæ plenitudo. Idem Sanctus Serm. 6. eiusdem Festi: *Hæc Virgo sancta candidata erat virtutibus, & dealbata Spiritus Sancti muneribus, columbæ lacteam seruans simplicitatem, & virginitatis immaculatum candorem: atque ideò sola digna fuit, per quam, & ex qua Dei Filius ad reconciliationem humani generis veniens carnem assumeret: vnde & ei soli angelica illa salutatio conueniens fuit: Aue, Maria, gratia plena. Ceteris enim electis ex parte gratia datur: huic verò Virgini, tota se infudit plenitudo gratiæ.* Sed Hildephonsus, vt nosti, longè apertiùs alibi propugnat Conceptionem.

Hildeph.

1553. D. Andreas Cretens. orat. citata de Annunc. post multa: *Quapropter, ne metuas: inuenisti enim gratiam apud Deum. Gratiam, qualem non est quisquam nactus ab æterno, sicut tu. Quæ etenim talis sit gratia Dei, quæ fontem mereatur? Nacta est itaque gratiam apud Deum. Et ecce concipies in vtero, & paries Filium*, &c. Nulla itaque gratia data Angelis, nulla data integris adhuc protoparentibus, cum Mariana gratia potest comparari: quæ sola de congruo promeruit diuinam maternitatem. Tot ergo fluenta gratiæ fuerunt in Maria: vt quodammodo, si fas est dicere, ipsis iam exhaustis fluentis, ipsum gratiarum fontem Christum, qui solummodo supererat, ad se traheret. Summum fauorem, sola tanta dispositio potuit promereri. Et dices Angelos, & protoparentes in innocentia creatos; Deiparam verò fœdatam originaliter? In hoc Cretensis sensu plures Patrum, verba, & salutationem Angeli vsurparunt. Eusebius Gallicanus, siue D. Eucherius Lugdunensis ibi; *Sed, quis vnquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Aliis enim ad mensuram gratia datur: hæc autem gratia plena dicitur. Considera modò, quantæ ante eam, quantæ posteà mulieres, & Virgines fuerunt. Hæc tamen sola Mater Domini fieri meruit. Magna enim, & ineffabilis gratia est, vt vna ex tantis milibus eligatur. Quæ, cùm gratia plena sit, priusquàm concipiat; post conceptionem, quanta Dei abundauit gratia, quis cogitare potest? Hæc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiquæ præuaricationis maledictione tenebantur.* Nonne hinc claret, etiam quoad innocentiam, Marianam gratiam protoparentum gratiæ anteponendam?

Maria fontē gratiæ inuenit.

Andr. Cret.

1554. Guerricus Abbas Serm. 1. eiusdem Festi, postquàm fusè de eboreo illo throno Salomonis: *Sicut Salomon in omnibus thesauris suis, & opibus tantis nihil habuit tam pretiosum, quod in opus illud, magnificum thronum illum gloriæ suæ, iudicaret ebori præferendum: sic Maria singularem præ omnibus electis Angelorum, & hominum, inuenit gratiam apud Deum, vt, videlicet, Deum conciperet, & pareret Filium: atque ex ebore corporis eius thronum sibi virtus Altissimi, sine manibus exsciuderet gloriosum.* At, quis negaret, nitidius, purius, & pretiosius fore ebur carnis nostræ, si ab originali labe, à næuo fœdo existeret alienum? Cur ergo diuinus noster Salomon, pretiosius hoc ebur non eligeret; vt ab hac præuia gratia Maria decentior veniret ad gratiam illam singularem Maternitatis, Angelis, hominibúsque cæteris negatam, promerendam? Benè Petrus Damianus Serm. in idem: *Archangelus ait: Aue, gratia plena, Dominus tecum: quia à Deo electam, & prælectam, totam eam rapturus erat sibi Spiritus Sanctus, & cælestibus insigniturus ornamentis. Iam consecranda erat in locum voluptatis, de quo fons ille debebat ascendere, qui vniuersam terræ superficiem irrigaret.* Dum audis prælectam; clarè, puto, intelligis præornatam: quid nisi Paradisum audis verè innocentem, à quo condignè fons gratiarum Christus promanaret? Denique Titus Bostrensis in exposit. Euang. Luc. 1. de visitante Deipara cognatam: *Elizabeth autem, propter infantem, quem intra viscera gestabat, Spiritu afflata, eiusmodi verba prophetica detonuit. Benedicta tu in mulieribus. Nulla enim mulier tantam vnquam consecuta est gratiam, neque consequetur vnquam, quantam Mater Domini.* Atqui decebat, vt non solùm non tantam gratiam, sed nec etiam meliorem, (qualis in ratione innocentiæ est originalis,) consequeretur Eua, quàm Mater Domini, vt omnibus, in omnibus præposita diceretur.

Maria thronus, & paradisus Dei.

Tit. Bostr.

Et quidem, ni fallor, hoc etiam est, cur Maria 1555.
antonomasticè benedicta appellatur: quia ea fuit illius gratia, vt nullibi protoparentum maledictionem participaret. Hinc benè D. Damascenus sono 2. sæpe citato:

Maria antonomasticè benedicta.

Damasc.

Tu certè superbenedicta es,
Virgo Dei Genitrix.
Qui enim ex te incarnatus est,
Infernum captiuum duxit,
Quin Adamum reuocauit,
Damnationem peremit.

Neque enim simpliciter benedicta, & *superbenedicta* ea futura erat, per quam reuocandus Adamus, & maledictionis damnatio, filio edito, perimenda. Tu tamen superbenedictam, Adami maledictionibus immergis? Facit huc Beda homil. in Festo Visit. vbi ita: *Non solùm benedicta inter mulieres; sed inter mulieres benedictas, maiori benedictione specialiter insignis.* Longissimè à benedictionibus Mariæ, Eua, etiam dum benedicta, abfuit: & credas, eandem in originis saltem benedictione longissimè Mariæ præcellentem? Imò & Mariam tunc verè maledictam: Non id noluit D. Andreas Cretens. Orat. citata, vbi ita: *Sola verè tu benedicta es, quam, montem magnum, Vir ille desiderabilis Daniel vidit: ac montem obumbrantem Habacuc ille admirabilis. Montem præterea Dei, & montem pinguem: montem quoque iucundum: montem, inquam, quem Deo inhabitare placuit: quod propater tuus, & Rex diuino afflatus Spiritu cecinit.* Sed penè frustrà, & penitùs liberè, sola verè benedicta diceretur, quæ cum aliis verissimè exoritur maledicta. Neque enim verè esset mons magnus, mós pinguis, Dominico incolatui designatus, nisi etiã Angelicos mõtes superaret: neque hos decẽter superasse diceretur, si quid caligantis culpæ participaret. Faustus venit huc Damascen.

Beda

Maria qualis mons.

Andr. Cret.

Orat. 1. de Natiuit. Virg. *Exultate, montes, hoc est, ratione prædita natura, quæ ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis: siquidem charissimus Dei mons editur; mons, inquam, ille, qui collem omnem, ac montem, id est, Angelorum, & hominum sublimitatem exsuperat. Mons Dei, mons pinguis; mons, in quo beneplacitū est Deo, habitare in eo: arx Sina sanctior, quam non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis contigit: sed Spiritus Sancti irradians splendor.* Quæ enim alia in Deipara, fugata dicitur caligo, quis exclusus fumus, quis prohibitus ignis, nisi ad culpam mysticè recurras? Sic gratiarum mons iste, soli Spiritui Sancto paret irradiandus.

1556. Nolo hinc abire, quin priùs Lectorem moneam, meritò iam caueri publicas contra Marianam Conceptionem disputationes; ne illam, quæ sic à principio, Patrum iudicio, tot gratiarum cumulis creditur benedicta; posteà linguarum saltem maledictionibus videatur impetita. Peccauit Cham contra patrem, nec tam ille, quàm eius filius benedicitur, Genes. 9. num. 25. Quid ita? Quia statim post diluuium, antequàm puer Chanaan nasceretur; Cham cum fratribus, & patre suo, à Deo fuerat benedictus: ibidem num. 1. indecorúmque putauit Noë, linguæ maledictione illum ferire, etiam post culpam, quem priùs à Deo sciebat benedictum: ne quid contrarium Deo loqui videretur. Gennadius ibi in Catena parua: *Verùm ipse Cham expers est execrationis: quoniam Deus semel iam illi benedixerat: neque ausus est Noë maledicere, cui iam Deus benedixerat.* Didicit à Theodoreto, qui quæst. 58. in Genes. ita: *Post sedatum diluuium, omnes pariter benedictionis diuinæ participes facti sunt. Temerarium igitur existimauit Noë, maledictionem illi inferre, qui benedictionem diuinam consecutus erat. Quamobrem eius filio maledictionem intulit.* Cauendum ergo nobis, ne fortè temerarij iudicemur, ne quam Patres sic à Deo præuentam, & superbenedictam vocant; ne quam Ecclesia ab origine iam celebrat benedictam, nos adhuc inter disputandum maledictionis iaculis impetere videamur. Sed redeo.

Disputationes publicæ contra Mariā cur prohibitæ.

Genes. 9.

Theodoret.

1557. D. Epiphanius Cyprius celebri Orat. de laudibus Mar. post multa: *Gabriel ait: Aue, gratia plena. Gratia sanctæ Virginis est immensa.* Nullis ergo terminis, nullis repagulis coërcetur Mariana gratia: quidni ergo ad eius vsque Conceptionem deriuetur? quidni in tanta immensitate nulla vacuitas præsumatur? Hinc etiam D. Hildephonsus Serm. 3. de Assumpt. Virginis, explicans illud Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi*, &c. ita post alia: *Benè in modum fumi virgula ex aromatibus: quia facta est tota in holocaustum Dei: quæ odoramenta virtutum spargebat de se vsque ad cælos, & non qualiacunque; sed vniuersi pulueris pigmentarij. Vnde, Fratres, admiratio illa angelica, non de virginitate sola, quæ fuit singularis in Maria; sed de immensitate gratiæ venit. Quia vniuersa virtutes in ea respergebant ex incendio diuini amoris, suauitatem odoris: ita vt in ea esset forma non solùm Virginum; verùm etiam omnium Ecclesiarum Dei*; id est, membra omnia Ecclesiæ in vna Maria dotium, prærogatiuarum, virtutúmque omnium, in singula diuisarum, formam intuebantur: (quod vno verbo dixit D. Thomas Valent. dum Mariam *Microcosmum* Ecclesiæ appellauit, de quo alibi.) Cur ergo protoparentes originalis iustitiæ suæ prærogatiuam, in Deipara non mirentur clariùs radiantem? Certè immensitas illa gratiæ hoc postulabat.

Epiph. Cyp. *Maria gratia immensa.*

Hildeph.

Thom. Val.

1558. Ita est. Maria, quoad gratiam, omni pura creatura excellentior apparuit. Hoc clamant ferè omnes Patres. Do vnum D. Damascenum sono 2. sæpè citato:

In Maria nihil vacuum à gratia.

> *Sublimior apparuisti*
> *Omni creatura, ô semper Virgo,*
> *Tam visibili, quàm minùs.*

Damasc.

Tam inuisibili, scilicet, quàm illa, quæ minùs videtur, siue inuisibili. Vnde ergo decentiùs Angelis sublimior appareret, quàm si perfectiùs innocentiam participaret? Tantæ enim sublimitati, cur aliquid defuisse præsumemus? Benè Bernardus homil. 2. super, *Missus est.* postquàm fusè de Mariæ excellentiis: *Alioqui, quomodo Angelus, in sequentibus gratia plenam pronunciat; si quidpiam, vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat?* Non contendit Bernardus probare, (vide contextum,) quidquid in Maria bonum est, licèt magnum, licèt parum boni sit, non à natura; sed à gratia Dei esse: hoc enim quanuis certissimum; tamen extra rem erat, & præter scopum, vt ibidem videre potes. Id ergo contendere visus, nihil in Virgine esse, quod gratia non esset: imò nihil parum boni; sed totum magnum; quia gratia plena celebratur: in plenitudine enim gratiæ, non parum boni, sed bonum plenum vndique reperitur. Hæc est, ni fallor, genuina mens Bernardi. Si ergo in Maria, etiam boni paruitas, indecens; quomodo mali magnitudo, id est, culpa originalis non indecentior?

Bernard.

1559. Sunt in hanc rem grauissima verba illa Petri Damiani Serm. 3. in Natiuitate Mariæ: *Et quid mirum, si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exsuperat, cùm & ipsam humani generis naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus* (lego, *præuidens*) *Prophetarum numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit; quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? Sic nanque, ab Angelo dum salutaretur, audiuit: Aue, gratia plena, Dominus tecum.* Hinc infero, in tanta plenitudine (sub qua nihil illi deesse dicitur,) gratiam originalem non defuisse: neque primæuæ culpæ, quæ verè animam, & carnem quodammodo inficeret, locum vacuum fuisse vnquam relictum. Imò id videtur inferre idem Sanctus Doctor statim: *Quid, rogo, vitiis in eius mente, vel corpore venaicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli, plenitudini totius Diuinitatis meruit esse sacrarium?*

Maria præstantia super omnes.

Damian.

1560. Hoc est, quod Augustinus (vel quisquis ille est) Orat. citata ex tom. 9. ait: *Et quia de eius corpore, & anima loquendum est, quod ipse præter naturalem vsum sanctificauit, & gratiam contulit, non*

August. *Eius gratia excedit omnem v[illegible]*

non aliena nos discere patiatur. Nam benè præter naturalem, id eſt, conſuetum vſum, ſanctificata dicitur Maria; quæ non, inſtar Ioannis, & Ieremiæ, in vtero ſolùm; ſed etiam in ipſa Conceptione ſanctificatur: vt nihil ſordidum, nihil ruinoſum eſſet in Maria, quam incarnandum Verbum ſic erat intimè ingreſſurum. Pulchrè Guerricus Abbas Serm. 1. de Aſſumpt. explicans, qualis hodie thronus Deo, ſit ipſa Virgo in cælis, ſic ſubiungit: *Fuiſti diuerſorium peregrinantis: eris palatium regnantis. Fuiſti tabernaculum pugnaturi in mundo: eris ſolium triumphantis in cælo. Fuiſti thalamus Sponſi incarnati: eris thronus Regis coronati. O Fili Dei, nihil tibi in tuo illo diſplicuit hoſpitio, quod tam libenter repetis, támque affluenter remunerat tua dignatio: nihil vtique in illo ſordidum offendiſti: quia nulla erat libido, ſed puriſſima caſtitas: nihil ruinoſum; quia nulla erat ſuperbia, ſed fundatiſſima humilitas: nihil obſcurum; quia excluſa erat infidelitas: nihil anguſtum; quia diffuſa erat charitas.* A ſuperbo, & rebellante patre contrahitur origo ſordida, & obſcura, & continuò ſuperbiens ac inflata: nihil enim magis à throno hoc Mariano debuerat abeſſe: certè enim quæuis culpa leuior actualis, longè minùs ab encomio Guerrici deuiaret.

Maria, palatiũ, & thronus Dei regnantis.

Guerric.

1561. D. Athanaſius Orat. de Annunc. Mar. ad finem: *Decet enim, te Matrem regeneratricem, dominam, & heram cognominari: eò quòd ex te prodiit Rex Dominus, ac Deus noſter: aſſiſtentem illi; nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnémque gratiam largienti. Qua de cauſa factum eſt, vt gratia plena appellata ſis, vtpote, quæ omni gratia abundans, idque per ſuperuentum in te Spiritus Sancti.* Vni Mariæ dicitur Deus dulcis, qui cæteris omnibus terribilis appellatur, idque ob gratiam, de cuius plenitudine commendatur. Quod nunquam exactè poteris explicare, niſi originalem ad gratiam recurras. Nullus enim iuſtorum, Deum non habuit terribilem, & inimicum, ſaltem in origine: ideò ſoli Mariæ dulcis ſemper: quia ſola originis inimicitias non contraxit. Si enim res aliter explicetur; nec Deus iuſtis terribilis; nec ſoli Mariæ dulcis dici poteſt. Sed, quid plura? Quid mirum, ſi nequeamus explicare gratiam Marianam, cùm vix ipſa valeat? Ideò D. Auguſt. Serm. 35. de Sanctis, (ſi ille eſt) expendens illud Mariæ Luc. 1. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* ſic habet: *Quæ tibi magna fecit, Domina, quæ, glorioſa Virgo, vt dici beata merearis?* Et poſt pauca: *Sed hæc, quæ de te ipſa narraſti, neque tu, vt dignitas tua meretur, dicere potuiſti. Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis perſoluet*, &c. Magna itaque ſibi facta ait: ſed, quæ illa magna, nec etiam Marianis verbis potuit explicari. Quidni nos balbutiamus?

Mariæ vni dicitur Deus dulcis.

Athanaſ.

Gratia ſua magnitudinè, nec ipſa Maria valet explicare.

Auguſt.

X.

Obiectio tertia diſſoluitur.

1562. SED totum pondus pro contraria ſententia, (quidquid negauerit vnus Caietanus,) inde ſumitur, quòd Apoſtolus, *omnes in Adamo* peccaſſe aſſeueret: vnde in omnibus Mariam includendam aſſeuerant. Neque fugies, ſi dixeris, Mariam ab vniuerſali hac lege debere excipi: nam Deipara verè à Filio redempta, neceſſariò priùs incurrit captiuitatem: redemptio autem præſeruatiua, quæ aſſertur, phantaſtica eſt, cùm in primo inſtanti, non poſſit ſimul Maria dici obnoxia, & liberata. Contra hoc tamen in toto Opere fuſiſſimus diſputaui; oſtendique, tantùm abeſſe, vt verbis Pauli comprehendatur Maria, vt eiſdemmet veniat abſoluenda, non tam exceptione legis, quam vi conſequentię: eſt enim, vt ibi oſtendi, hæc legitima: Omnes peccarunt: ergo Maria non peccauit. Imò iis, qui arcani è cælo ſermonis notitiam habuerunt, identicæ, & ſynonymæ videntur hæ propoſitiones: Omnes peccarunt. &, Maria non peccauit. Oſtendi deinde, quàm apud omnes, & profanos, & ſacros Scriptores redemptio præſeruatiua propria agnoſcatur: item (ſi fortè Maria in primo inſtanti debitum habebat) quàm facile obnoxietas, & libertas ſimul concilientur. In hoc autem loco breuiùs duo præſtabo, quæ nobis ſatis ſunt. Vnum, potuiſſe, & debuiſſe in communi hac lege de originali culpa, Mariæ dari diſpenſationem. Alterum, redemptionem præſeruatiuam, tanquam veram, imò & potiorem admittendam. De primo priùs: & in legibus aliis erga Mariam diſpenſatis immoremur.

Redemptio præſeruatiua vera.

1563. Lex prima indita eſt omni fœminæ, vt in dolore pariat corrupta Geneſ. 3. vnde & Maria annuncianti Angelo partum, perpetuam ſuam, nec vllo modo corrumpendam opponit virginitatem Luc. 1. Quid ergo? Pulchrè idem Angelus ex ore D. Baſilij Seleucienſ. Orat. ſæpè citata Annunc. *Conceptio hæc non abſoluetur, viri ſobolem præſeminantis, operâ: ſed Spiritus Sancti allapſus, virtutiſque Altiſſimi adumbratio illam conficient. Quorſum tu igitur, naturæ legem aduerſus eum allegas, qui naturæ legem poſuit?* Pulchrè: qui naturæ, ob protoparentum culpam, legem poſuit, vt fœmina in dolore pareret, ſcilicet, quæ libidinosè cóceperat corrupta; idem in hac lege iam diſpenſat, nec tenetur legibus naturæ inditis, Author naturæ. Imò, vt id obiter dicam, vix in hoc caſu intercedit diſpenſatio, vbi tota legis ratio abfuerat: ideò lege doloroſi partus tenetur omnis fœmina; quia voluptuosè cócipit: ſi verò Maria ſolito modo conciperet voluptuosè; & tamen ſine dolore pareret, diſpenſaretur. In noſtro verò caſu, potiùs immunis à lege, quàm diſpenſationem accipiens, prædicanda. Sic ergo in lege culpæ originalis, ſaltem diſpenſationem acceperit Maria; imò, quod alij mauolunt, & hinc infertur, immunitatem potiùs, quàm legis diſpenſationem ſortiatur: qui ſtante lege communi, talem ſe geſſit erga Mariam, vt alio modo conciperet, & pareret; potuit, ſtante alia lege, facere, vt diuerſo à nobis modo conciperetur, & pariretur.

Mariæ, leges diſpenſantur.

Baſil. Sel.

Author legis, lege non tenetur.

1564. Sunt in hanc rem pulchra verba illa Euſebij Gallicani, vel D. Eucherij Lugdun. Orat. de Annunciat. *Quid dicam de virga Aaron, quæ, cùm ſicca eſſet, ſub vna nocte, & frondes, & flores, & fructus germinauit? Virga ſicca nuces dare potuit, & virgo parere non potuit? Vbi vult Deus operatur, quidquid vult. & in Matre tantummodo amiſit poteſtatem?* Sic in re noſtra ferè omnes impoſitas à Deo leges (de quo fusè alibi)

Deus erga Matrè, plus quam erga cætera operatur.

Eucher.

videmus per miraculum saltem dispensatas: solummodo ergo in Matre amitteret potestatem, ne originis legem posset dispensare? Imò, quæ Virgo concipit, & parit incorrupta, Deo dante; pura concipi, & immaculata edi, potuit eiusdem auspiciis. Grauiter proinde Petrus Damian. Serm. 3. Annunc. *Egreditur; & cum nouitate: quia nunquam sic natus est homo, sicut ipse nascitur. Primus enim homo, primò de terra formatur: secundò, mulier ex eius latere fabricatur: tertiò, Cain consuetudinario ordine nascendi gignitur ab vtroque. Solus iste de sola Virgine nascitur; & Virginis vterum nouo, & singulari partu Diuinitas humanata sigillat. Vbi nunc Aristotelicæ subtilitatis facũda quidem, sed infœcunda loquacitas? si peperit, cum viro concubuit. Velit, nolit, vertitur in habitum priuatio: nec astringitur dialecticus terminis, omnium terminator: ad cuius imperium paret natura, desuescit consuetudo.* Frustrà contra Mariam innodantur argutiæ syllogisticæ: si redempta; ergo non dispensata: & similes. Soluet facilis, qui solutas à Deo leges nouerit intelligere: nulla natura non subiicitur Creatori: nulla consuetudo vigentis diu præcepti, nescit apud legislatorem, dum velit, desuescere.

In diuina dialectica arguere desicrant.

Damian.

1565. Transcribenda iam sunt plura ex Augustino, (vel illo alio prisco doctissimo,) tom. 9. hom. de Assumpt. Mariæ: *Contuenda, quæ etiam Eua dicta sunt, si cunctis fœminis sint generalia, etsi in aliquo excipiatur Maria. Scriptum quippe est: Mulieri quoque dixit Deus: Multiplicabo,* &c. *Genes.* 3. *Ærumnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransiuit: sed conceptus dolores non multiplicauit: nec sub viri, id est, mariti potestate deguit, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit, & virginitatis integritate manente Virgo permansit,* &c. *hoc enim potuit efficere de Matre; quia sic Deus elegit nasci de homine. Maria ergo etsi communicat ærumnis Euæ, non communicat parturiendo cum dolore: promeruit enim hoc singularis sanctitas eius, & singularis gratia, quæ susceptione singulariter æstimata est digna. Non immerito ergo excipitur à quibusdam generalibus vera æstimatione; quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua.* Hinc infert meritò Augustinus, potuisse etiam Mariam communis corruptionis in morte legem euitare. Et cur non inferat tu verissima tantæ dignitatis æstimatione, tantæque electionis; inter hæc generalia euitata, generalem etiam originis vitiatæ legem euitasse?

Multiplex dispensatio erga Mariã.

August.

1566. Addit ergo meritò idem Sanctus Doctor: *Quantùm enim Christi potestas possit, mundi ostendit vniuersitas: quantum gratia, Mariæ monstrat integritas: quæ sicut diuersa est à natura; ita diuersa est ab vsu. Quid ergo si in tanta diuersitate, eam dicimus humanæ mortis sortem obiisse; nec tamen eius vinculis retineri, per quam Deus voluit carnis substantiam communicare; nunquid impium erit? Scimus enim, Iesum omnia posse, qui de se ipso ait: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Si ergo voluit integram Matrem virginitatis seruare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore?* Quis autem neget fœdius, & indecentius, corrumpi Mariam per culpam, quàm si in sacro partu virginitatem amitteret: aut in sancta morte in puluerem verteretur? Quæ ergo in his obtinuit dispensationem, cur erga illud, simili priuilegio non gaudebit? Plura dixi suprà de decentia gloriosæ mortis Mariæ, & infra iterum pauca subiungam: nunc aliunde huc vnum, aut alterum afferamus exemplum.

Quanta possit Christi gratia in Maria, ostenditur.

August.

In deserto ad torrentem Carith à coruis alitur Elias 3. Reg. 17. num. 6. de quo aptè dubitat Theodoret. ibi quæst. 50. *Alimentum, quod afferebatur à coruis, quomodo comedebat, cùm esset sanctus, vt ex lege vitam ageret?* Erat enim coruus, vt ex lege constat, immundus, cuius tactus, & vsus, necessariò allatum cibum profanaret. Sed respondet aptissimè: *Ipse legislator ipsum ei afferebat per coruos: ipse eum iussit degere in torrente expectantem promissum: corui enim ei afferebant manè panes; vespere autem carnes. Per hæc autem nos docet legislator, quòd propter Iudæorum imbecillitatem eas leges tulerit, quas aliquando quidem iussit transgredi. Sabbatho enim septies Iericho circundare iussit Iesum Prophetam, & Eleazarum Pontificem, & qui cum eo erant Sacerdotes, & Leuitas, & vniuersum populum: & nunc magnum Eliam accipere alimentum, quod affertur per coruos.* Quis enim vnquam supremo legislatori id prudenter obiiciat, quòd suis legibus non parcat quandoque? Quis decenter potentiam illi adimat dispensandi? Nec profanatur cibus à coruo admissus Eliæ: nec natura ab Adamo Mariæ transmissa sordidatur: vtrobique potuit dispensatio interuenire. 1567.

3. Reg. 17.

Leges cõmunes à Deo dispensata.

Theodoret.

In idem recidit, quod de violato Sabbatho Ios. 6. habet Theodoretus, dum Arca euersura muros circunducitur: quod in Opere aliunde latiùs expendo, non solùm dispensationem legis, sed singularitatem Operis pro Maria commendans: vt enim triumphatricem Arcam circunferre, tanquàm opus rarum, & excellens, non poterat præsumi sub vetante lege interdictum: sic etiam excellentior Deipara sub lege communi originis fœdatæ indecenter putatur comprehensa, nedum non dispensata. Hîc tantùm do verba illa Christi: *Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hîc.* Matth. 12. num. 5. De quo grauiter D. Isidorus Pelus. lib. 5. epist. 72. *Quoniam, cùm opus omne, quod manè conficitur, die Sabbathi prohibitum sit, ipsi ligna cædunt, & ignem accendunt, & victimarum carnes distribuunt: quæ quidem vt communia opera die Sabbathi explere minimè permittuntur. Vt autem hinc sacrificium conficiant, minimè vetantur, imò etiam iubentur. Atque hac ratione Sabbathum quidem per operationem pollui contingit: Sacerdotes autem propter operationis diuersitatẽ extra culpam sunt.* Quasi dicat: Violatur lex illa, & Sabbathi priuilegium materialiter: idque in honorem sacrificij, & templi, cuius opera non poterant, vtpote diuersissima, instar aliorum communium intelligi prohibita: vnde & operantes Sacerdotes manebant inculpabiles. Frustrà ergo Christi opera in Sabbatho vt prohibita reprehenduntur: qui omni templo maior, legi imperabat potiùs, quàm subdebatur. Pende verò, an templo, & sacrificio maior sit Maria, in cuius gratiam lex originis veniat dispensanda: imò cuius conceptio, nunquam sub legis termino contenta intelligatur. Fauet dictis Ambrosius ad illud Luc. 4. n. 31. de Christo in Sabbathis docente & curante, vbi ita: *Sabbatho medicinæ Dominicæ opera cœpta significat, vt ibi noua creatura cœperit, vbi vetus antè* 1568.

Ios. 6.

Idem.

Matth. 12.

Isid. Pel.

Legislator supra legem est.

tè

tè desinit : nec sub lege esse Filium , sed supra legem , in ipso principio signaret : nec solum legem, sed adimpleri. An non decens , vt nec etiam Mater sub lege sit ; & ea lege , vnde in Filium aliquid dedecoris deriuatur ? Hæc satis, vt saltem dispensationem obtinens credatur Maria. *Ambros.*

1569. Venio ad aliam partem de redemptione præseruatiua : nescio enim, quo iure videatur aliquibùs illa minùs decens , cùm è contra gloriosior inde Christus appareat Redemptor. Est hoc illud Cant. 2. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* de quo D. Thomas Villanoua, ibi in Comment. *Duas in Sponso manus inuenio; scilicet, dexteram præseruantem, & læuam subleuantem. Dextra iustum præseruat , ne cadat : sinistra peccatorem subleuat, ne pereat. De manu dextra dicitur : A dextris est mihi, ne commouear. de sinistra autem dicitur : Si iustus ceciderit , non collidetur: Dominus enim supponit manum suam. Dextera est, de quà dicitur : Custodit Dominus diligentes se. de sinistra dicitur : Dominus erigit elisos. Dextera Paulum præseruauit, cùm dictum est ei : Sufficit tibi gratia mea. sinistra Petrum subleuauit , cum respexit Dominus illum , & fleuit amarè. Attende dexteram . Qui natus est ex Deo, non peccat : generatio enim cælestis seruat illum. attende sinistram: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Laua capiti supponitur , ne collidatur : dextera totum hominem amplexatur , ne vel leuiter moueatur. Optima dextera : bona sinistra.* Nolui intercipere verba grauissima. Qui igitur se erga nos bonum Redemptorem exhibuit , lapsos erigendo ; optimus exhiberetur, si ante lapsum Mariam præseruaret. Nec intellexi vnquam , cur ex hac parte derogari aliquid Christo existimetur.

Redemptio præseruatiua gloriosior. Cant. 2. *Thom Vill.*

1570. In eandem mentem D. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 314. *Qui non solum eos , quibus iniuria fit, vlciscitur : sed etiam illud prouidet , ne quis alium iniuria afficiat, hic non modò acris, ac fortis Principis : verùm etiam legislatoris sapientis, iustique nomen meretur : vtpote , alterum per imperij potentiam , alterum per animi prudentiam executus.* Potentissimum quidem Principem Christum agnouimus, dum nos ab iniurioso tyranno captiuante vlciscitur : sed tunc etiam sapientem , & iustum legislatorem agnoscemus , cùm prudentem dixerimus : ne iniuriosa aliqua labe Maria afficeretur. Erga nos potentiam imperij , erga Mariam clariùs simul Diuinitatis sapientiam manifestauit.

Idem. Isidor. Pel.

1571. Intendebat minas in populum Deus , subdens post alia per Oseam : *Ne fortè expoliem eam nudam , & statuam eam secundùm diem natiuitatis suæ : & ponam eam quasi solitudinem* , &c. *& interficiam eam siti.* cap. 2. num. 3. Ad quem locum Ruffinus (Pius ille iunior , de quo alibi ,) meritò notat, intentari minas Israëli per ordinem ad eas pœnas, quas olim in deserto fuerat expertus? hísque denuò similes subeundas. Quòd si opponas , olim Israëlitas in deserto siti non fuisse interfectos , respondet optimè : *Non, quòd eductus de Ægypto populus, atque penuria legatus* , (corrigebam olim , *aqua penuria ligatus* ; id est, à via retardatus,) *absumptus : sed, quoniam, vt Apostolus dicit : Bibebant de spiritali sequenti petra ; id est , potentia ductoris, non conditio regionis castris pocula ministrabat. Quæ si vtique defuisset , primo sitis periculo populus fuisset extinctus.* Itaque non opus fuit, vt periret populus, ad hoc, vt sibi omninò resuscitans, quodammodo, & verè vitalis aqua haberetur : satis ad hoc, quòd esset periturus , si aqua defuisset. Et plusquam satis, vt gratia viuificans Mariam , redimens appelletur , quanuis non ista captiua : quia , ni foret gratia , Deipara certè foret captiuanda. Sic suo modo , & quantùm satis est ad mysterium , lapsa Maria dicetur; non quòd talis ; sed quia absque Redemptoris gratia laberetur.

Idem. Osee 2. Ruffin.

Oppones fortasse illa D. Hildephonsi Serm. 8. Assumpt. vbi de Christo ita : *Latuit in homine Diuinitas, vt Diuinitati humanitas non periret : & sub velamento assumpta carnis absconditus , pretiosius redemit perditos , quàm si defenderet ab imminenti hoste captiuos.* Quorum similia plura dedêre Patres : sed nihil aliud voluêre , quàm mira quadam feruoris epitasi , bona nobis per Christum allata significare : vt sit quodammodo felix illa culpa , quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem. Si autem, quæ nobis Christus attulit post culpam , simul cum innocentiæ statu concederentur ; quis dubitet feliciores tunc fore præseruatos , & ab imminente hoste defensos, quàm à conculcante iam posteà liberatos ? Res plana. 1572.

Hildeph. *Patres , qui aliter loqui visi , quomodo explicandi.*

XI.

Vnde Mariæ tam nobile redemptionis genus conueniat.

INNVMERA sunt congruentiæ fundamenta , quibus prædictæ Marianæ redemptionis decentia fulcitur. Primum, quia suo modo Corredemptrix Deipara, optimas redemptionis primitias obtineret. Secundum, quia Filius id præstare potuit, vnde & fecisse putandum: decoraret enim Filius Matrem, cum qua communem honorem sortiebatur. Tertium, quia Maria Sponsa conregnatrix , quantùm fieri potest, ad Sponsi æqualitatem debebat accedere: neque decenter Reginæ denegatur , quod seruis concessum nouimus. Multa his inuoluuntur, quàm breuiter , & perspicuè potero digerenda. Iam de primo fundamento. 1573.

Corredemptrix humani generis fuit Maria, vtpote quæ præcipuum redemptioni nostræ præstitit ministerium : indecenter ergo nobiscum creditur concaptiua : quin potiùs alio redemptionis genere nobiliori , & primitiuo condecoranda. Guerricus Abbas Serm. 2. de Purific. *Mihi omninò celebris est iste conuentus ; mihi solennis ista processio, omniquefestiua gaudio, vbi hinc aduenit puer, & puerpera ; inde accurrit senex, & vidua, Simeon, & Anna: hinc Dominus, & Domina ; inde seruus, & ancilla : hinc Mediator , & Mediatrix; inde tā fideles, támque deuoti testes, & ministri.* An in eadem serie cum seruis Domina , cum Mediatrice, siue Redemptrice serui componendi ? Nemo crediderit. Mediatrix cum solo Mediatore, quantùm res patitur, venit comparanda. Benè D. Andreas Cretensis Orat. de Annunciat. *Salue, electa Deo, antequàm nata fueris : salue, diuina cum hominibus reconciliatio: salue, thesaure vitæ immarcescibilis.* 1574

Mariæ corredemptrix. Guerric. Andr. Cret.

cescibilis. Non ergo cum cæteris illa reconcilianda, per quam cæteri cum Deo reconciliantur: non mortua nobiscum, quæ in id electa, per quam omnes vitam immarcescibilem comparamus: longè alia est apud Deum, quàm nos sumus, quæ liberandis, libertatis pretium faustè contulit. D. Augustinus Serm. 35. de Sanctis: *Dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cælis: neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium.* Pende ergo, quàm aliter de cæteris nobis omnibus, tanquàm de redemptis, & liberatis loquatur; & quàm alia serie liberatricem, & Redemptricem ponere videatur. Meritò igitur Guerricus Abbas Serm. 2. Annunc. *Maledicta terra in opere præuaricationis, quæ etiam exercitata spinas, & tribulos germinat hæredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ remissionem peccatorum, fructúmque vitæ parturit vniuersis: & filius Adæ præiudicium originalis dissoluit maledicti. Prorsus benedicta illa terra, quæ omninò intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cæli Saluatorem germinat.* Vix clarius aliquid pro nobis poterat scribi. In alia serie terra redemptionis administra hæc ponitur, nec hæredibus maledictis, cohæres adnumeranda. Prorsus benedicta terra, & ab originis labe immunis, qua Mediatrice, fœdæ nobis originis absoluuntur maledicta.

August.

Maria, terra benedicta.

Guerric.

1575. Petrus Damianus Sermone de Annunc. de paradiso vteri Mariani: *Ex hoc egreditur*, &c. *quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit: & è Virgine virgam; de libro autem generationis, lineam faciens, Diuinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali: vt Draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini Numinis subsentiret.* Quis credat Draconis ipsius veneno infectam carnem Mariæ, quæ præcipuum redemptionis instrumentum, Draconem delusum, & suffocandum expiscatur? Quis credat, aliquando fractam illam virgam, quæ frangendum Draconem attractura? Sed de Diuinitatis hamo, & Marianæ carnis esca suo loco venustiùs disseruimus: neque pauciora de libro hoc diuinæ generationis purissimo, (cuius Maria charta singulariter purissima,) adnotauimus: nam, vt benè S. Titus Bostrensis, explicans illud Mariæ Luc. 1. *Ecce ancilla Domini*, &c. *Hæc*, inquit, *Sanctæ Virginis oratio huc tendit: En tabula sum, quamuis scripturam excipere idonea: scribat in me Scriba ille, quodcunque visum fuerit.* At non idonea tabula diuino Verbo scribendo, si priùs lituras miserè pateretur: nec apta redemptionis schedula caro illa, si priùs culpæ syngrapha haberetur. Imò ideò Maria Mediatrix, ideò redemptionis charta: quia culpæ chirographum nunquam tulit. Pulchrè propterea D. Ioannes Damascenus Orat. 1. Natiuit. Mariæ: *Hodie Verbum Dei quod omnia creauit, è corde Patris emissum, librum nouum condidit*, Isaiæ 29. *in quo lingua Dei, tanquàm calamo, spiritu, scilicet, scriberetur.* Vt nihil vetustatis in libro hoc nouo, & redemptionis instrumento reperiretur.

Damian.

Maria Virgo, piscatoris Christi virga.

Maria, charta purissima, & nouus liber.

Tit. Bostr.

Damasc.

1576. Hinc inferebam, Corredemptricem hanc nobiliori, & primitiuo redemptionis genere decorandam. Et meritò: cui enim, nisi Matri, Filius laborum suorum primitias consecraret? Ponderans Theodoretus ad lib. 1. Reg. qu. 5. quàm multa in Cantico suo Anna, Samuelis mater, prophetasset, sic scribit: *Admiratione quoque dignus est eius hymnus: neque solùm ob ea, quæ accepit, laudibus celebrauit donatorem: sed etiam hymnum temperauit prophetia; & filij gratia fuit particeps: nam, cùm concepisset Prophetam, prophetat post partum.* Propheticorum, videlicet, fructuum suorum primitias dicauit matri: ne quis priùs ab eo emolumenta delibaret. Idem de Baptista ponderat Metaphrastes in eius encomio: *Tuum ergo erat hoc, ô maxime Præcursor, & arcanæ tuæ ab initio potentiæ, vt Patri solueres linguæ vincula ex solo nomine; & matri naturales pedicas sterilitatis: sicut etiam multis posteà pœnitentiæ prædicatione soluisti vincula peccatorum.* A parentum itaque curatione incipit, & gratiæ tantæ primitias illis consecrat: faustè deinde cæteros curaturus. Et quantò magis arcana illa Verbi diuini potentia à Matre redemptionem inchoaret? Hinc Beda ad illud Luc. 1. vbi dicitur Mariæ: *Beata, quæ credidisti*, sic habet: *Et verè beata, quæ Sacerdote præstantior: cùm Sacerdos negasset, Virgo correxit errorem. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à Matre: vt, per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Quæ verba ex Ambrosio altiùs alibi ponderato, sunt desumpta. Inchoat igitur à Matre Christus redemptionem: quia illi primitias obtulit, id est, optimum redemptionis præseruatiuæ fructum illi consecrauit: vt inde ad alios felicibus auspiciis deueniret.

Primitias filij parentibus sacrare debent.

Theodoret.

Metaphr.

Beda.

Dices, priùs in tempore alios, nempe, Angelos, (vt suppono,) virtute Christi præseruatiuè, ne caderent, fuisse redemptos: vnde, quanuis demus, nobilius redemptionis genus obtigisse Mariæ, quàm cæteris filiis Adæ: (hi enim post, illa ante lapsum redimitur:) adhuc tamen primitiis fruitam, non posse prædicari: cùm priùs datas Angelis fateamur. Falleris: neque enim primitiæ, seu primitiui fructus illi sunt apud Deum, qui priores ab arbore decerpuntur, quales, quales sint: sed, quando sic priores sunt, vt etiam perfectissimi habeantur. Vnde, licèt priores fructus præseruationis à Christo, Angeli proferrent; cùm tamen Maria posteà ederet perfectiores, hi verè primitiui sunt appellandi, & Christo Redemptore digniores: qui, vt alibi probo, Angelis præseruandis, in ordine intentionis, exemplar Matrem suam destinarat. Nunc satis, si exemplis à Chrysostomo petitis rem clariùs exponamus. Ergo Sanctus Doctor tom. 6. Serm. 9. de Ascens. Christum ascendentem celebrans sic scribit: *Quemadmodum primitias naturæ nostræ assumpsit, sic restituit Domino. Et quod de campis accidit spicarum plenis, vbi quis ex paucis spicis collectis paruum manipulum conficiens, eúmque Deo offerens, paucitate illa toti aruo benedicitur: ita & Christus fecit, qui per vnam illam carnem, atque primitias, totum genus nostrum benedicendum curauit*, &c. *Atqui si primitiæ (dicet quispiam) essent; primum ipsum hominem procreatum offerri oportuit: primitiæ enim sunt, quæ primùm tolluntur, & primùm germinant. Non sunt primitiæ censendæ, charissime, si primum fructum obtulerimus exilem, & euanescentem: sed, si probum, atque perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideò non est oblatus, etiamsi primus esset: at hic,*

1577. *Primitiæ sunt, non quæ prius, sed quæ prius perfectæ nascuntur.*

Chrysost.

hic, qui à peccato liber erat; ideò oblatus est, licèt posterius existeret: hæ sunt enim primitiæ. Sic in re nostra: non ita puri, & perfecti Angeli initio creationis apparuerunt, vt Maria: ideò ista primitiua redemptionis fructus apparuit perfectior.

1578. Hinc illud Leuit.19.n.23. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera,* Idem. *auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem* Leuit.19. *anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino: quinto autē anno comedetis,* &c. Non poterant comedere, nisi quinto anno fructus, quia in quarto primitiæ erant Deo consecrandæ. Sed, cur trium priorum annorum poma, tanquàm primitias non acceptabat? Pergit respondens Chrysostomus: *Atqui si essent primitiæ, primus, qui producitur fructus, eum, qui primo anno nascebatur, offerri Domino oportebat: nunc verò ait: Tribus annis* Chrysost. *non tolles fructum eius: sed relinques illum: propterea quòd euanida adhuc, & imbecilla arbor est, & fructus præcoces, & immaturi. Quarto autem anno, inquit, fructus eius sanctus erit Domino.* Non ergo de temporis, sed etiam magis de perfectionis primatu, primitiæ computantur: ideò in Maria perfectiori, longo tempore post Angelos edita, maturæ, præseruatiuæ redemptionis primitiæ apparuerunt. Neque est abs re Conceptionis, id, quod addit Chrysostomus: *Et in hoc cerne sapientiam legislatoris, qui illo vesci non permisit: ne ante Deum quisquam fructum sumeret: neque offerri illum mandauit, ne crudus, & immaturus offeratur Domino. Sed dimitte, inquit; quia primus est: non offeras autem; quia indignus est honore acceptantis.* Id tantùm noto, voluisse Deum, vt de arbore sibi designata, & fructus perfectiores posteà oblatura, nullius manus fructus sibi priùs decerperet: vt intelligas, non permissurum, vt de Mariana arbore, vnde fructus benedictus, Iesus, scilicet, erat colligendus; Dæmon priores aliquos fructus delibaret: ne arbor tanta primos, licèt imperfectos, fructus Dæmoni offerret: quæ perfectiorem alium, tanquàm primitias, Deo destinabat. Benè itaque primitias redemptionis carpit Maria, quæ in Christo fructu suo primitias Deo obtulit sacratissimas.

XII.

Secunda ratio.

1579. PROBEMVS iam secundam illam rationem, quam attulimus, cur Mariæ tam nobile redemptionis præser- *Filius Matrem honorat.* uatiuæ genus conueniret: nimirum, quia Filius id præstare poterat, vnde & præstitisse credendum: decoraret piè enim Matrem filius, maximè cùm vtriusque honor inuicem sit communis. Ab exemplo seruatæ virginitatis res venerit manifestior. Mariæ ergo ante partum, in illo, & post illum, virginitatem postquàm tuetur Isidor.Pel. D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 54. sic subdit: *Quòd si sermonibus meis diffidis, ex eius, qui genitus est,* *Mariæ virginitas, probat illam purè conceptam.* *potentia, id veriùs intelliges: cæcis enim oculos largitus est, leprosos labe, ac vitio purgauit,* &c. *multos mortuos verbo solo ad vitam reuocauit.* Cur ergo Mariæ præseruationem ab originis labe concessam denegabimus, quam sub Filij potentia esse, manifestissimè alibi comprobamus? An non decorior Maria sine culpa, quàm cum virginitate? De flagellato Pharaone Genes. 12. n. 17. coniectant aliqui Saram constupratam, quos irridens, Theodoret. sic habet ibi, quæst. 61. *Quanta igitur curæ fuit Abraham Deo, si Deus vidit eius vxorem adulterio stupratam? Cur tanta, & tam formidanda minatus est Pharaoni, & vniuersæ domui eius, si noluit prohibere congressum illum iniquum?* Theodoret. Si ergo decenter creditur Deus præseruasse pudicitiam vxoris amici, longè decentiùs maternæ virginitatis creditur seruator. Tunc sic, si ea Dei cura, & potentia est in seruanda Matre virgine, quam posset absque culpa vsu matrimoniali destinatam eligere; cur nullam adhiberet curam, ne per culpam à Dæmone in spiritu constupraretur? Pulchrè idem Theodoret. expendens à Moyse fractas tabulas Exodi 32. sic habet quæst. 68. Theodoret. *Existimauit, populum esse indignum legislatione diuina: cùm enim tabulæ eiusmodi dotalium instrumentorum formam haberent: sponsa verò in ipso limine thalami nuptialis ad committendum adulterium declinauerit; iure profectò dotales literæ fregit.* Et Maria in Sponsam ab æterno electa, in ipso statim originis limine à Dæmone adulterata, condigna posteà mysterio deueniret? Meritò ergo, qui, quod potuit, labem virginei corporis cauisse dicitur; etiam, quod potuit, notam constuprati spiritus euitauit.

D. Hildephonsus Serm. 2. de Purif. Mariæ, vbi 1580. Deiparæ virginitas propugnatur, ita: *Fateor planè, quòd tanta materia disputandi valeat inue-* Idem *niri, cur signato sepulcro exierit, vel cur clausis ia-* *nuis introierit ad Discipulos; quanta, quòd de Ma-* Hildeph. *ria Virgine clauso exierit vtero; in illis siquidem declaratur diuina maiestas; in hac autem demonstratur diuina dignatio: & secundùm humanitatem debitus honor Matris, & reuerentia pudoris.* Non negat Sanctus Doctor, etiam maiestatis potentiam in seruanda integritate Matris apparuisse: sed addit, etiam alias causas decentiæ confluxisse: indecens quippe, vt, qui inuiolabiliter sepulcrum, & ostium penetrauit; Matris claustrum, spreto eiusdem honore, perrumpens violaret. Quod ergò maiestas potuit, impleuit dignatio. Quod pari passu, imò ad decentiam celeriori, ad mysterium nostrum recurrat, necesse est. Benè D. Augustinus homil. de Assumpt. tom. 9. *Integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit, & virginitatis integritate manente, virgo* August. *permansit. Quem sine peccati colluuione, & sine virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore genuit, & sine integritatis violatione, pudore virginitatis integra permansit. Hoc enim potuit efficere de Matre, quia sic Deus elegit nasci de homine.* In rebus itaque, quæ ad Mariæ pertinent honorem præter decentiam, de qua suprà, ad potentiam Filij recurre; quem, aut auarum (nefas) existima: aut Matri nullibi defuisse existimabis.

Simile argumentum format ibidem idem D. 1581. August. locutus de gloriosa Virginis Assumptio- *Assumptio gloriosa probat puram Conceptionem.* ne: *Consideratis igitur his vniuersis, vera ratione confitendum censeo, Mariam in Christo, & apud Christum esse: in Christo, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus: apud Christum gloriosè ad æternitatis gaudia assumptam: benignitate Christi* August. *honoratiùs susceptam cæteris, quam hic gratia hono-*

rarit

rauit præ cæteris: nec vsque ad communem humilitatem esse adductam post mortem putredinis, videlicet, & vermis, & pulueris, quæ suum, & omnium genuit Saluatorem. In cuius si potestate est Sanctorum de capite capillum non perire; est, vt illam anima, & corpore integram posset seruare. De cuius potestate, si nullus dubitat Ecclesiasticorum, quin possit Matrem sine corruptione in perpetuum seruare; cur dubitandum est noluisse, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam? Transfer hæc verba ad mysterium nostrum, & peracta est quæstio: cùm (quòd sæpe monui) longè fœdiùs Deipara culpæ in origine, quàm pulueri in morte traderetur.

1582. Nimirum, honor hic intercedit Matris: & quidni filius Matrem decoraret? Sunt pulchra verba illa Apollinarij in Catena Græca Corderij expendentis verba Christi ad Matrem in nuptiis Cana, Ioannis 2. vbi ita: *Nouerat Mater Dominum sibi, & Filium obedientem, νεῦσιντον, quin & ipsa responsio hoc innuebat: Quid mihi, & tibi, Mulier? Tanquàm enim exorandus hoc respondebat: vt etiam olim ad Moysem Dominus aiebat: Dimitte me, tanquàm, videlicet, qui flecti, atque exorari volebat. Sciens igitur, quàm fideliter illam filius obseruaret: atque etiam ex ipso responso cognoscens, fore, vt statim sibi annueret postulanti, ministris præcipit, vt faciant, quidquid iusserit.* Verti, quàm potui, fidelissimè. Itaque in ipsa, quam putares, asperitate, summa Matri Christus exhibuit blandimenta, in tantum decorans, vt beneficij conferendi vellet administram, vt vnica Mediatrix coleretur. Sic vbi illam negligere videtur, ibi ampliùs honorasse inuenitur. Facit apprime in hanc rem Guerricus Abbas Sermone 4. de Assumptione, explicans enim illud Lucæ 2. vbi Christus ad Matrem; *Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* grauissimè sic scribit; *Absit, vt Matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit: absit, inquam, vt in terra fastidierit Matrem, cuius è cælo concupiuit decorem.* Deinde, postquàm doctè probat, virtute magis, quàm carne, diuinam nos sortitos cognationem, ex illis Matthæi 12. vbi Christus aspernatus etiam visus Matrem, dum dixit: *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* n. 48. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei*, &c. num. 50. sic concludit: *Itaque Mariam, quæ secundùm carnem Mater erat, alia quoque ratione Matrem sibi Iesus probat: quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater: Vocaberis voluntas mea. Igitur, vbi eam filius negligere videtur, ibi ampliùs honorasse inuenitur: dura ei, scilicet, materni nominis honor duplicatur; pro eo, quod eundem Filium, quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.* Quid ergo non decoraret blandissimus, quando etiam visus asper decorabat? aut quomodo Maria, quæ, vt hinc infertur, & alibi latissimè probaui, decorior Maternitate spiritus, quàm corporis reluxit; in semper illæso corpore, non semper illæsum spiritum custodiret? Cur non vtrobique à Filio decoraretur?

Matrem honorat Christus, illi obediens.

Apollin.

Guerric.

1583. Vtranque & Apollinarij, & Guerrici prudentissimam gnomen edocuit longè antè, in ipsis, scilicet, Ecclesiæ incunabulis, D. Iustin. Mart. lib. q. & resp. q. 36. Transcribo, ne pulchra verba videar inuidere: *Istud: Quid mihi tecum est, Mulier? non ad Matris obiurgationem dictum est à Saluatore; sed ad illud ostendendum: Non nos, inquit, delecti sumus, quibus consumptum in nuptiis vinum, curæ esset: ex singulari tamen charitate, si vis, ne eos vinum deficiat, ministris dicito, vt, quæ dixero, faciant, & videbis, non defore illis vinum. Id quod & factum est. Non igitur verbis Matrem increpuit, quam operibus cohonestauit.* Certè non increpuit verbis: quin non solùm operibus, sed etiam ipsis verbis cohonestauit admonens sibi præcipuè, Matrique suo modo, salutis animarum curam præcipuam incumbere: temporalium verò id temporis, secundariam: quorum etiam, voluntati maternæ, exitum subiiciebat. Hæc est Iustini mens allatis verbis. Deinde pergit: *Aliis autem vocibus non Matrem honore debito priuat: sed cuiusmodi materni iuris honore Beatissima esset Virgo, declarat. Si enim qui audit verbum Dei, & custodit, is frater est Dei, & soror, & mater; & vtraque hæc Matri eius inerant; nempe, eiuscemodi materni iuris laude beatificatam oportuit Matrem eius. Nam & audire, & seruare verbum Dei, virtutis est, & animi puri, qui totus in Deo respiciendo sit intentus. Et quia non quamlibet è vulgo fœminam Deus delegit, quæ Genitrix Christi fieret; sed, quæ mulieres omnes virtute anteiret: non abs re eiusmodi virtutis nomine Matrem suam beatam deprecari voluit; per quam virtutem, honore eo digna habita est, vt Virgo, & Mater fieret.* Et benè non è vulgo Maria, quæ singulari modo, vt Euam cum cæteris fœminis superaret, innocentiæ particeps concipitur.

Idem.

Iustin. Mart.

Decorauit ergo in omnibus Matrem Filius: neque mirum, cùm alter alterius honore afficiatur. D. Basilius Seleucus Orat. sæpè citata: *Per quæ benefactorem laudamus; per eadem, eiusdémque Matrem laudamus.* In immensum ergo Deus laudabilis, immensam suo modo Matri laudem conciliat: sicut laudata Mater Filium commendat. D. Sophronius Orat. de laudibus Virg. déque eius Assumptione: *Ad cuius profectò exequias, quantum fas est credere, famulabantur Angeli, & vniuersa cælorum congratulabantur Curia. Nec mirum: quia honor maternus, eius est, qui natus est ex ea: quem omnis cælorum ordo veneratur, & adorat.* Sanctus Hildephonsus in eadem Festiu. Sermone 3. *Celebretur dignè cum laudibus festiuitas Matris Domini, & Saluatoris nostri, tanto honore dignissima, quantùm est veneranda ex gratia: quia eius honor, & gloria; laus, & gratiarum actio est Redemptoris.* Adde piissimum Guerricum Abbatem Sermone 2. in hoc Festo, qui Angelos, & Christum sic inducit colloquentes: *Eamus, ne ipsi Filio facere videamur iniuriam, si gloriam Matris differamus. Cùm ergo renet si nunciassent hæc Domino suo, quid putamus, Iesum, nisi tale aliquid, locutum? Ego sum, qui patrem, & matrem filiis honorandos commendaui. Ego, vt facerem, quod docui, & exemplo essem aliis, vt Patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus vt Matrem honorarem, in cælum reascendi, ascendi, & praeparaui ei locum*, &c. Claret igitur in re tanti ponderis, qualis erat Mariæ ab originis labe præseruatio, euigilaturum Deum, vt ipse è Matre innocente gloriosior refulgeret. Sed iam ad tertiam rationem, quam proposui, veniendum. 1584.

Christi, Matrisq; laudes communes.

Basil. Sel.

Maria Assumptio.

Sophron.

Guerric.

***

XIII.

Tertia ratio.

1585. *Maria Sponsa conregnatrix.*

TERTIA ratio, quam suprà inculcaui, cur ex congruentia mysterij redemptio præseruatiua Mariæ deberetur, illa erat: quia Deipara Sponsa conregnatrix, quantùm fas foret, ad æqualitatem proportionalem Sponsi Dei accedere debebat; indignúmque foret, si illi, quod seruis conceditur, negaretur. Scatent grauissima pietate in hanc rem verba Guerrici Abbatis in Festo vbi suprà Serm. 3. vbi ita de Virgine, imò sic ipsa Virgo: *Qui creauit me, creatus est ex me: requieuit in tabernaculo corporis mei: neg. re non poterit mihi requiem cæli sui. Qui enim gratiam vltrò cumulat aliis; par pari quomodo non referat Matri? Perge, Maria: perge, secura: in bonis Filij tui fiducialiter age, tanquam Regina, Mater Regis, & Sponsa. Requiem quæris: sed amplioris gloria est, quod tibi debetur regnum, & potestas. Indiuiduum habere tecum cupit imperium; cui tecum in carne tua, & vno spiritu indiuisum fuit pietatis, & vnitatis mysterium.* Habes, si rectè attendisti in Epilogo, omnia, quæ proposui: qui enim alios gratis cumulat, à fortiori Matrem, cui debet: Matrem, inquam, conregnantem, & ita similem, vt cum Filio indiuisum pietatis, & vnitatis mysterium conseruaret. Nunc singula membra prædicto mihi ordine percurrenda.

Guerric.

1586. *Et quodammodo Christi regnatrix.*

Non solùm ergo conregnat Maria Sponso Christo; sed etiam visa imperare Christo Filio. Sic piè meditatur Petrus Damianus Serm. 1. de Natiuit. Virg. *Nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis releuare: quomodo enim illa potestas, tua potentia poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, sed imperans; domina, non ancilla. Moueat te natura, potentia moneat: quia, quantò potentior, tantò misericordior esse debebis: potestati enim cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle, cùm possit.* Eadem verba vix mutata dederat Hugo Venerabilis cod. 2. Miscellan. lib. 3. tit. 44. *Quomodo illa potestas tua potentia poterit obsistere, quæ de carne tua, carnis suæ suscepit originem? Accedis ad illud reconciliationis altare non solùm rogans, sed & imperans. Moneat, ac moueat ergo te natura, moneat potentia*, &c. Et credas, fœminam in hanc electam dignitatem, aliquando ancillam Dæmonis fuisse? Non præseruaret Filius à Tartarea obedientia subeunda, cui cælestem erat obedientiam exhibiturus.

Damian.

Hugo.

1587. *Christum coronat.*

Neque mirum, de Matris authoritate videatur conregnans Maria Christo quodammodo piè imperare, quando ipsi quodammodo, si non regnum, saltem regni insignia videtur condonasse. Hoc est, quod ferè omnes explicant Cantic. 3. de diademate carnis, quo coronauit Christum Maria Mater. Do tantùm, vtpote minùs tritum, locum ex D. Thoma Valentino Archiep. Serm. 2. de Natiu. Dom. vbi ita: *Hunc ergo magnum Salomonem videte in diademate, quo coronauit eum Mater sua: Mater beata, Mater sancta, Mater virginea, Mater super omnes fœminas benedicta. Diademate, inquam, non aureo, non argenteo; sed carneo, ex visceribus suis, artifice Spiritu Sancto, fabricato: diademate decoro, florido, & vernante, omniúmque odorum varietate fragrante.* Non immoror expendens Sancti Doctoris verba, cùm in multis aliis locis suprà datis, expressissimus Conceptionis legatur propugnator.

Cant. 3.

Thom. Val.

Habes diadema Christi à Maria: vis & thronum? Attende paucis. Insigne præcipuum Principis, vnde regno auguratur, illud est, quando iurandus in throno Regis Patris collocatur. Vtriusque paginæ testimonia non pauca dabo in Promptuario meo, si Diuis placet. Nunc cape solum Chrysostomum tom. 6. Serm. 1. Ascens. vbi expendens, cur Elias in curru, Christus verò in nube ascendisset, sic scribit: *Quando seruus vocandus erat, currus demittebatur; quando verò Filius, regius thronus. Neque simpliciter thronus; verùm ipse Patris thronus. Audi enim Isaiam cap. 19. dicentem: Ecce Dominus sedet super nubem leuem. Ob id & Filio nubem demisit.* Prætereo ponderare innumeros Patres, qui nubem Isaiæ de Virgine explicarũt: vnde & suprà illius innocentiam probaui: nunc tantùm pende, ex throno, legitimum Christum hæredem designari, vt, cùm videas, nullum ipsi regaliorem in cælo thronum dari, quàm Mariam, quodammodo ab illa gloriosè regnare intelligatur. Audiendus ergo Guerric. Abbas Serm. 1. de Assumpt. vbi expendens ecclesiastica verba, à Christo Matri assumendæ dicta: *Veni, electa mea, & ponam in te thronum meum.* ita habet: *Non poterat signantiùs, aut elegantiùs describi prærogatiua gloriæ eius, quàm vt thronus Dei regnantis esse diceretur*, &c. *Veni, inquit, electa mea: & ponam in te thronum meum. Parum est, inquit, vt iudicanti consedeas: nisi & ipsa mihi sedes fias: vt maiestatem regnantis eò feliciùs, quò familiariùs in te contineas: & speciahùs præ cæteris incomprehensibilem comprehendas.* Et post multa concludit: *Sit igitur illud cæli palatium plenum sedibus, & thronis, sedeátque Deus in omnibus accommodans se, & aptans cuique pro meritis. Non immeritò tamen creditur sine iniuria, vel inuidia cæterarum sedium, quoddam esse speciale Regis solium excelsum, & eleuatum super gloriam omnium: Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur supra se Mater, nisi solum Filium: nihil miretur super se Regina, nisi Regem solum: nihil miretur supra se Mediatrix nostra, nisi Mediatorem solum.* Pendat nunc pius cuiusuis affectus, an thronus tantus, supremi Regis gloriæ ostentandæ designatus, decenter in principio, Inferno Tyranno conculcandus traderetur. Horret animus. Scilicet, iam olim in terra hunc sibi thronum ille designaret, de quo in cælis modò gloriatur. Idem Guerric. Serm. 1. de Annunc. *Vide autem, ne fortè ipsa sit sedes Dauid Patris eius, quam ei dandam promittit Angelus, non quòd Dauid in ea sederet, sed quòd ex semine Dauid assumpta, & fabricata sit. Et certè, si sedes Dauid non est, tamen sedes tua, Deus, in sæculum sæculi ipsa est.* Si solium Dauid non est, certè solium excelsum, & eleuatum super omnem creaturam, ipsa est. Neque mirum: genere terrena in cælis modò tanquam purissima terra regnantem tenet: eadem priùs gignendum sanctitate cælestis, tanquàm purissimum quoddam cælum tenuit. Clamant

1588. *Et thronum illi parat.*

Chrysost.

Guerric.

Damasc. mant ferè omnes Patres suprà delibati. Cape vnum Damascenum Orat. 1. de Natiuit. Virg. *Hodie de radice Iesse virga exoritur, ex qua mundo flos in Deitate subsistens ascendet. Hodie ex terrena natura, cælum in terra præparauit ille, qui olim ex aquis fixerat, atque in alto suspenderat firmamentum. Et sanè hoc, longè illo diuinius est: nam ex hoc ortus est Sol iustitiæ, qui in illo Solem effecerat.* Sed, ô indignè fabricatum cælum, si initio fœda originis labe obnubilatur!

1589. Habes diadema, habes thronum: audi regalem purpuram. Alcuinus lib. de Trinit. cap. 14. ait, Alcuin. descendisse in Mariam Spiritum Sanctum, *vt lana foret Diuinitate purpurata solummodò æterno* *Et purpuram regalem.* *Imperatori indui dignissima.* Et quæ ibi fusè, suo loco fusissimè declarata: ibi enim ostendi, quàm absque macula debeat esse lana illa, quæ regalem purpuræ tincturam possit ebibere. Ideò ab Epiphanio Orat. sæpè citata dicitur: *Ouis immaculata, quæ peperit Agnum Christum.* Agnum, scilicet, dominatorem terræ, non nisi immaculato vellere induendum. D. Damascenus citatus orat. 2. de Natiuit. Virg. vbi de Christo ita: *Vestem enim verè diuinitus contextam, hoc est, Carnem nostram induit, quam ex immaculatis, ac virgineis sanguinibus, tinctam in Spiritu regio, modò tanquam conchylium efformauit: ac velut regiam purpuram exhibens, massam nostram induit.* Illud *modo*, id est, in Cruce, de qua loquebatur. Ergo purpuram illam iam regio spiritu tinctam in Maria, dibapham in Cruce fecit Christus, vt nos Diuinitate indutos (dum Christum induimus ipsum) verè conregnatores designaret: re enim vera, è Maria prouenit purpura, qua decoramur, ne vsquam nobiscum sub captiuitatis soloce intelligatur, quæ nos extra captiuitatem reddidit purpuratos. Benè iterum Damascenus Orat. illa 1. *Exultet natura, editur enim agna, ex qua Pastor ouem induet, ac veteris mortalitatis tunicas lacerabit.* Quis ergo credat, sub tunicis illis Adami pelliceis, latuisse aliquando fœdissimè Mariam: per quam faustè infames tunicæ lacerantur? Certè Mariana pellis, siue lana, ab Adamo nondum turpiter pelliceo, sed innocentia purpurato, orta est: ideò miros hos effectus edere potuit. Nec video, quid aliud sibi velit Damascenus idem sono 1. metrico sæpè citato:

Epiph.

Damasc.

Maria Reges nos fecit.

Aue, ô veneranda pellis Adami:
Ex te Pastor exortus est,
Qui haud dubiè induit,
Vt superexaltatus,
Integrum me hominem.

Sed de his longè pulchriora dedi suo loco.

1590. Ab hoc ergo apparatu regio, Christus à Matre, quodammodo, vt dicebam, regnum sumit: quia, vt benè Guerricus Serm. 1. Annunc. *Regali ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem regiæ nobilior indoles: vt æterno Regi, filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem deferret; & venientem à regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali, Regina susciperet Matris.* Quasi vtrinque, ex patre, scilicet, & matre, decorè regalis Christi maiestas complectetur. Maius aliquid meditor. Ascendit Christus in cælum, & inde regalem verè, & Deum, Spiritum Sanctum hominibus emittit. Quæris causam? Obæratus ascenderat. Soluit ergo debitum regio dono, regalissimo Domino dato. At, inquis, quod tale potuit debitum contrahere, quod solummodò soluto Rege, diuino Spiritu liberaretur? Audi Chrysostomum tomo 6. Orat. 2. de Pentec. fusè, sed pulchre sic differentem: *Accepit Christus primitias naturæ nostræ, ac spiritus gratiam vobis retribuit. Et quemadmodum longo in bello fit, cum dirempta pugna, fuerit confecta pax: qui sibi inuicem infensi erant, pignora mutua sibi dant, & obsidis: sic inter Deum, & naturam euenit humanam. Pro pignoribus, & obsidibus hac primitias misit, quas in cælum tulit Christus: nobis ille Spiritum Sanctum pignoris, & obsidis loco remisit.* Tunc ad rem pulcherrimè: *Porrò nos pignora, & obsides habere hunc liquet: nam ex genere regio pignora, & obsides esse oportet: idcirco etiam Spiritus Sanctus ad nos missus est, vt qui maximè regia sit substantia: quemadmodum & qui à nobis sursum euectus est, ex genere fuit ortus regio, quippe qui Dauidis esset ex semine.* Nihil grandius poterat cogitari. Sic regalem Christo carnem præbuit Dauidica Maria, vt solo Spiritu Sancto Rege posset compensare. I nunc, & hanc ancillam Dæmonis cogitato.

Christus à Matre Rex.

Guerric.

Spiritus Sanctus cur nobis datus.

Chrysost.

Claudo hanc partem verbis Magni Gregorij 1591. homil. 13. in Ezechielem, vbi explicans illud Apocal. 19. de Christo: *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* n. 16. sic scribit: *Quid enim vestimentum eius est, nisi corpus, quod assumpsit ex Virgine? Neque tamen aliud eius vestimentum, atque aliud ipse: nam nostrum quoque vestimentum, caro dicitur: sed tamen ipsi nos sumus caro, qua vestimur, &c. Per femur propagatio carnis est: quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Matthæo, vel Luca narrantibus describuntur, in hunc mundum venit ex Virgine: & per incarnationis suæ mysterium, quia Rex esset, & Dominus cunctis gentibus indicauit: in vestimento, & femore scriptum habuit Rex Regum, & Dominus dominantium. Vnde enim in mundo innotuit, ibi de se lectionis scientiam infixit.* Nimirum, notus olim in sola Iudæa Deus, nunc iam media Regina nostra, vbique gentium Rex colitur, & prædicatur; credo, ne aliquibus ancilla Dæmonis haberetur. De aliis duobus membris, iam seorsim.

Idem.

Greg. Mag.

XIV.

In idem pergo.

INFEREBAM ex intima conuentione Sponsæ Reginæ cum Sponso tanto, 1592. necessariò inter vtrunque eam æqualitatem ponendam, quæ ibi maximè poterat intercedere. Cùm ergo Maria innocens propiùs Deo accedat, quàm si aliquando peccato subderetur, necessariò videtur innocens constituenda. Certè in humanis nuptiis æqualitas, & similitudo coniugum Deo est gratiosissima: cur ergo in diuinis, illam, quantùm res patitur, non affectaret? Simplici verbo cuncta Deus produxerat: solummodò mutat, & phrasim oris, & operis tenorem iam facturus hominem, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. n. 26. vt Princeps creatura cum consilio, & affectu decoriùs producta intelligeretur. Sed pende,

Coniugum æqualitas.

Genes. 1.

quid iterum in Euæ formatione: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes.2.n.18. quod argutè expendens D. Basilius Seleucus Orat.2. sic scribit: *Iterum deliberatio, iterum consilium. Illic dicebat: Faciamus hominem. hic quoque: Faciamus ei adiutorium, &c. vt quod formabatur, in honore esset: æquali cum dignitate efformemus hominem, ac figuremus: æqualem gloria, cum eo coniungemus, ne sit honore defectior mulier cula: néve genere notho dedecoret opera.* Cur ergo diuina nostra Eua, Antieua sacra, cælesti Adamo suo, de innocentiæ gloria, non responderet? Cur, vt protoparentes informatione similes, regeneratores sacri, in origine sibi non responderent? Quid verò est illud: *Ne genere notho dedecoret opera?* Vbi nunc scribo, careo Græco codice, vnde fortasse res alluceret: ergo, quantùm coniectare licet ex Latino, id voluit, ne, si vxor in nobilitate, à marito deuiaret, degeneres, & nothi filij oriri viderentur. Approximetur itaque Maria ad Deum, quantùm potest, ne Christus minùs generosus à Matre producatur.

Genes.2. — Basil. Seleuc.

1593. Et quidem ita est: coniugum enim de nobilitate, aut virtute æqualitas, præcipuè in filiorum decus ordinatur. Irrisit impiè frontosa Michol Dauidem piè humilem, Arcæ, saltatione sacrâ famulantem: & addit Textus: *Igitur Michol, filia Saül, non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* 2. Reg.6.n.23. de quo grauiter ibi Theodor. quæst.21. *Neque tamen propter eam causam mansit sterilis; sed, vt nullus regnaret ex eo semine.* Quasi dicat: Licèt culpa illa hanc pœnam mereretur; tamen etiam aliam causam habuit Deus: qui enim decreuerat, vt nullus ex sanguine Saül regnum teneret; puniuit hic Michol sterilitate, ne filius eius, id est, Saulis nepos, regnaret posteà. Sed, cur, inquis, regnaturus, si foret, præsumebatur filius Michol, cùm ex aliis vxoribus, tot natos alios procreaturus Dauid? Iam pro re nostra Theodoretus: *Est enim verisimile, populum fuisse prælaturum eum, qui vtrinque fulgeret claritate generis.* Nulla inter vxores Dauid marito Regi æqualior, quàm hæc, vtpote Regis filia: vnde prudenti populo illustrior, vtrinque nobilis filius haberetur. Et habetur de accidentali gloria, Angelis, & nobis Christus clarior: quia à Matre etiam innocentissima cognoscitur exortus.

Nobilitas generis, stimulus virtutis. — 2.Reg.6. — Theodoret. — *Illustrior proles, ab vtroque illustri parente.*

1594. Mutato Abrahæ nomine, nomen etiam Saræ commutatur, vt pro Saraï, Sara, id est, non vnius, & alterius; sed absolutè quasi omnium Princeps diceretur: additque Dominus: *Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum.* Genes. 16. n. item 16. Pende mihi hanc esse primam omnium fœminarum, quæ benedicta dicitur. Quid ita? Quia, cùm Isaac tot benedictionibus foret cumulandus, decebat, vt vtrinque benedictum parentem sortiretur. D. Cyrillus ibi in Cat. parua: *Non vocabis priuato quodam nomine Saraï, id est, domina mea: sed communiori, Sara, quod domina significat, princépsque absolutè. Hanc primam ex mulieribus inuenimus, cui Dominus benedixerit: neque id sine mysterio: vt legitimus filius benedicendus ex vtroque parente oriretur benedicto.* Mihi quidem monstri instar foret, vt, qui sic benedictionem Isaac ex vtroque parente complendam curauit Deus; in Iesu suo curando indormitaret, matrémque illi initio maledictam destinaret. Durum cogitatu, dictu durissimum. Planè non ita fuit: sed ex parentibus proportionaliter æqualibus Iesu nostri benedictio completur quodammodo.

Genes.16. — Cyrill. — *Idem, iure virtutis.*

Benedixerat Iacob filiis suis: & ad Ioseph accedens addit post multa: *Omnipotens benedicet tibi, &c. benedictionibus vberum, & vuluæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius.* Genes. 49. n. 25. Vnus tantùm Ioseph vtriusque parentis benedictionibus cumulatur: nec aptiorem inuenies causam, nisi, quia in Iosepho Iesum contemplabatur. Pulchrè Ruffinus ibi: *Hoc & quædam refertur in Euangelio proclamasse, absque dubio horum memor, & dixisse: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Propter benedictionem, inquit, Patris tui, & Matris tuæ: Patris cælestis, qui dedit benedictionem; & Matris Virginis, quæ suscepit.* Et nota mihi obiter, (ob multa, quæ de hac re suprà dedi) vtrobique non solùm ventrem, sed vbera etiam collaudari: quia cum Mariano lacte benedicto, ingenua, quantùm est ex se, indoles infundebatur, ne generosus à Patre, lac degener ab ancilla Dæmonis sugere videretur. Hinc est illud Isaiæ: *Et delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis.* c.11. n.8. Ac si quodammodo generositas Iesu infantis, quando non lacti materno tribuenda, saltem lacti ingenuo correspondens, sit celebrior. Fortasse id voluit D. Thomas Villan. Serm.3. de Nat. vbi ita de his verbis: *Nemo dubitat in Magorum vocatione fuisse completum, quos à faucibus draconis ab vberibus Virginis infans recès potenter eripuit.* Sed quidquid sit de hoc: sunt certè in hanc rem pulchra verba D. Hildephonsi Sermone 7. de Assumptione: *Lacta, Mater, Creatorem: lacta panem cæli: lacta pramium.* quæ iam alij ponderarunt: non ita quæ subdit: *Præbe lambenti mamillam, vt ille pro te præbeat percutienti maxillam. Tu illi, vt Mater, temporalem ministra substantiam: lacta eum, qui fecit te, qui talem fecit te, vt ipse fieret ex te.* Quasi non condignè lactatura, nisi talis esset, quæ Mater etiam fieri mereretur: vnde, vt suprà dixi, nunquam alterius fœminæ lac attigit Christus, (sed solius Matris liberæ, & Patri similis,) ne degeneri ab ancilla cibo nutriretur. Nimirum, sic decebat: quia, vt benè Petrus Damianus Sermone 2. in Natiuit. Virg. *Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris.* Lac ergo infectum culpa, hinc alienum. His paucis de lacte libandis impulit nos Ruffini explicatio: qui pulchrè æqualitatem parentum Christi proportionalem aucupatur, vt vtrinque benedictus habeatur. Pergo.

1595. — *Et in Christo.* — Genes.49. — Ruffin. — Isaiæ 11. — *Lac Mariæ ingenuum.* — Thom.Vill. — Hildeph. — Damian.

Missus Eliezer quæsiturus huic Isaaco vxorem, prætermissis omnibus aliis argumentis, quibus puella idonea veniret reputanda; vnicè hospitalitatem curat examinare: quod ex toto cap. 24. Genes. constat apertè. Et cur ita? Quia, cùm Isaac non solùm sanguine, sed etiam moribus patrem referret; necessariò hospitalissimi parentis hospitalitatem sectaretur. Prudentissimè igitur hospitalissimo marito vxorem inquirebat hospitalissimam, vt pulchra, & æquali similitudine sibi responderent. Chrysost. tom. 6. hom. Quales vxores ducendæ, ita: *Sic igitur, etsi non eisdem verbis, loquitur: Illam quæro virginem, quæ tam hospitalis sit, vt nullum, quantùm potest, recuset ministerium* 1596.

Coniuges indole, & moribus sibi debent respondere. — Chrysost.

ministerium; *idque non temerè fecit*; *sed*, *quia in eis fuerat educatus ædibus*, *in quibus maximè colebatur hospitalitas*: *proinde mores quærit herorum suorum moribus consimiles*, *ducturus sponsam in ædes patentes hospitibus*. Sic ergo cogitabat: *Ne qua rixa oriatur inter ipsos coniuges*, *dum maritus sua benignitate communicat*, *in hoc à Patre non degener*, *& hospites vltrò inuitans*; *hæc contrà præ nimia parcimonia id vetat*. *& non sustinet*. Longè ergo decentius, vt Sponso cælesti, & purissimo; purissima, & penè cælestis Sponsa pararetur: vt, quantùm fieri posset, sic sibi mutuò diuini Sponsi responderent, & proportionata æqualitate pro nuptiarum decore splenderent.

1597. *Imò & gratia.* Aucupabatur Christus piissimè Samaritanam: & post grata verba, cùm ad gratiora erat munera veniendum, petenti fœminæ (quæ ipso habitu, provt ætas illa ferebat, se maritatam simulabat) aquam salutarem; respondit ille: *Vade*, *& voca virum tuum*. Ioannis 4. num. 16. Non, quòd ignoraret, illam viro carere; sed, vt (dissimulata notitia) doceret, nihil sibi alterum coniugum quæsiturum, quod alteri non velit communicandum. Idem D. Chrysostomus homilia de Samaritana: *Voca virum tuum. Si consortem habes copulæ*, *fiat & consors fidei*, *ne spiritualium horum sola donorum gratiam accipias*. Meritò proinde in Maria ponimus innocentiam, ne possibili ea careat puritate, quæ summa in diuino consorte reperitur; ita vt æqualitate proportionali sibi correspondeant.

Ioan. 4.

Chrysost.

1598. *Coniuges pro vna, eademque re habentur.* Hinc factum est, vt vxores, & mariti pro vna, & eadem persona habeantur, in idem ob honoris æqualitatem, & morum similitudinem reducti. Somniat Ioseph, imò prophetice instituitur, fore, vt à patre, & matre (in Sole, & Luna repræsentatis) adoraretur. Genes. 37. num. 9. Sed, vbi fausti somni complementum? Nónne, priusquàm à patre, & stellatis fratribus in Ægypto coleretur, iam Luna mater per mortem euanuerat? Ita planè: satis tamen erat, si viueret Iacob: in eo enim etiam Rachel viuebat, cùm alter coniugum inuicem pro altero haberetur. Iterum D. Chrysostomus ibidem homilia de Ioseph: *Venit eius pater in Ægyptum*, *adorat eum & cum patre*, *mater*: *licèt enim in itinere mortem obierit*, *cùm veniret*: *at in viro tamen adorauit*: *vir enim*, *& vxor*, *vna sunt caro*. Si putauit Sanctus Doctor, in itinere tunc illo mortuam Rachel, ignoscendum ἁμαρτήματι μνημονικῷ. Sed potest de priori alio itinere, vbi iam dudum obierat, explicari. Ad rem. Tu, ni fortè putes, strictiorem esse copulam carnis, quàm vnionem spiritus, necessariò fateberis, vnum quid cum Deo Sponso, Mariam: túncque iam videris, an decenter in ea æqualitate, quæ vnionem parit, fœdata Sponsæ origo intercesserit. An stuprata à Dæmone decens veniret? Dubitaui aliquando, cur, cùm Sara apud Pharaonem rapta diuertisset, Genes. 12. non expresse diceretur intactam euasisse: vnde, vt suprà dixi, aliquibus, licèt falsò, venit in suspicionem. E contra verò in simili euentu apud Abimelech expresse additur: *Abimelech autem non tetigerat eam*. Genes. 20. num. 4. Quæ ergo in adhibenda cautela ratio discriminis? Prudenter Theodoretus quæst. 62. *Et qua de causa hoc loco Scriptura silentio prætermisisset*, *Saram illæsam esse seruatam*: *in historia verò Abimelech*, *hoc apertè declarauit*? *Sara tunc erat paritura Isaac*. *Ne igitur semen Abrahæ suspectum esset*, *illic manifestè declarauit Scriptura*, *quòd Abimelech illam non attigisset*. Nunquam sanè Dæmon electissimam hanc Sponsam Mariam attigit; ideò expresse in Cantico, absque macula: *Et macula non est in te*. celebratur: ne fortasse apud ignaros, & impios, Dei Filius suspectus haberetur, si à constuprata à Dæmone Matre proueniret.

Chrysost.

Suspicio fundata in re turpi, vitanda.

Genes. 20.

Theodoret.

1599. *Non negandum Mariæ priuilegium, quod aliis conceditur.* Restat adhuc tertium illud membrum, quo volebam indignè denegari tantæ Reginæ, & Sponsæ priuilegium illud, quod seruis iam concessum noscebamus: qui ergo fatemur, protoparentes in originali iustitia productos, Angelósque per Christum præseruatos; cur id Deiparæ Reginæ inuidebimus? Exemplis rem similibus ostendamus breuiter. Prohibitum olim iustis, ne ab infecto semine vxores sibi ducerent, ne fortè ab harum prauis moribus inficerentur. At ecce tibi Moyses Exodi 2. ducit Madianitidem; & multò antè Ioseph, Genes. cap. 41. Ægyptiam sibi copulat. O quid agitis, Viri sanctissimi? quid non timetis? Respondet aptè D. Iustinus Martyr quæst. 9. *Si Patriarchæ eo metu*, *ne filij eorum à vera degenerarent religione*, *illis non permiserunt*, *ex profanis gentibus ducere vxores*: *Moyses autem*, *& Ioseph longè extra metum talem constituti fuerunt*; *nihil illi per patrum suorum instituti transgressionem*, *fecisse videntur profanis sibi coniunctis vxoribus*. *Non enim tantùm ipsi ab vxoribus suis*, *à vera pietate abducti non sunt*: *sed illæ etiam ab eis ad religionem suam traductæ*. Erant fœminæ istæ è contaminato idololatrarum genere: & tamen in virorum suorum gratiam talis eisdem indoles conceditur, vt non solùm non contendant maritos deprauare, & fœdare, quin potiùs ab eisdem purificatæ, in veram religionem abducantur. Cur ergo Reginæ Mariæ (quæ solùm, vt alibi probo, in Deiparam producitur, in ipso statim initio desponsanda) non ea assignetur conditio: vt, licèt è parentibus infectis; ab Sponso tamen diuino puritatem statim mutuaretur? An, quod Ioseph, & Moyses decursu temporis; id Deus in primo instanti peragere non posset? Sed hoc exemplum probanda multa supponit. Seligo clariora.

Exodi 2.

Genes. 41.

Mariti vxores instituant.

Iustin. Mart.

1600. *Iustorum potentia erga Deum.* Accenditur Elias zelo, nec tam minarum scintillas mittit, quàm vibrat pœnarum fulmina, aquis denegatis. Mirare imperiosum os, verba iubentia: *Viuit Dominus Deus Israël*, *in cuius conspectu sto*, *si erit annis his ros*, *& pluuia*, *nisi iuxta oris mei verba*. 3. Reg. 17. n. 1. Non nunciat, sed exequitur: non tam orat, quàm imperat faciendum. Esto hoc ratum: eò enim vsque diuina gratia profecerat, vt nouis precibus ad Creatorem, imperandis creaturis egere non videretur. At venit Christus, & miris perpetrãdis orare cernitur, nunc eleuatis oculis in cælum, nunc etiam verbis additis precatur Patrem. O quò tendis? quid intendis, Princeps optime? Cur potiùs orare paras, quàm præcipere? Cur blasphematuris posteà exhibitæ impotentiæ ansam præbes? Cur te Elia minorem ostendere videaris? Imò in illa

3. Reg. 17.

Eliæ

Eliæ potentia, potestatis suæ Dominus titulos iam euexerat: ac proinde preces suas mysterij potiùs,& exempli,quàm indigentiæ fuisse declarabat. Nemo enim,nisi absurdus,& blasphemus, putaret negandum Domino, quod seruo iam concessum præuidebat. Grauiter Chrysost. tom. 6. homil. de Petro, & Elia: *Quid facis, Elia? quid pronuncias? Saltem ora Dominum, ac deinde sermonem adimple. Vbinam sunt Hæretici, qui dicunt,Filium Dei orare? Miser homo,& impudens,* Chrysost. *quid ais? Elias pronunciat, & Dei Filius orat? Seruus iubet, & Dominus obsecrat? Neque eum honorem Filio Dei tribuis,quem Eliæ? An non vis parem saltem dignitatem Domino concedere,& seruo?* Sic lubet exclamare: Vbi sunt, qui Deiparam fœdatæ originis accusant? Mi homo, quid ais? Angeli præseruantur, protoparentes purissimi eduntur, & Deipara concipitur fœdata? Serui sub gratia, & Domina cum peccato? Neque eum honorem, quem Euæ, tribuis Deiparæ? Annon vis saltem parem dignitatem Reginæ concedere, & ancillæ?

1601. Sed ab ipsius Deiparæ rebus aliis, exempla in rem istam desumamus. Blasphemant Hæretici, *Virginitas Deiparæ exēplis comprobatur.* perpetuam Deiparæ virginitatem minuere conati: quos contrà prudenter Guerricus Serm. 1. in Natiuit.Virg. *Nulli incredibile iam erit, virginem permansisse, quæ peperit, qui Deum agnouerit* Guerric. *esse,qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum iniuria materna nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consueuit: nec veritas assumpti corporis, potentiæ præiudicauit Creatoris, quominùs seruaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas,nempe, creaturas inuenies nasci sine corruptione gignentium: & quadam voce sua, Creatori super inuiolabili partu suo perhibere testimonium.* Impiè enim pariter, & absurdè denegetur Deiparæ parienti, quod aliis (de quibus alibi) conceditur. Vt certè minùs piè denegata pura origo Mariæ hinc agnoscatur, quam eius seruis concessam profitemur.

1602. Impugnant alij gloriosum Mariæ à morte triumphum:& in cineres redactum sacrosanctum *Maria morti incorrupto corpore.* illud corpus garriunt stultè contentiosi. Hos sic expugnat August. Orat. de Assumpt. Virg.tom. 9. *Si elegit diuina voluntas, sola gratia intercrepitantes vehementium ignium flammas, non solùm puerorum corpora seruare illæsa; verùm & ipsa vesti-* August. *menta seruare inusta. Dan. 3. Cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena?* Si inter tumultuantes cæli rebelliones, & impias, ac fucatas Luciferi suasiones, sanctorum Angelorum mentes à communi incendio eripit Christus, & ne caderent piissimè præseruat; cur abnuat in Matre coniunctissima, quod in seruis remotioribus elegit? Pergat Augustinus, vel quisquis alius est,certè doctissimus: *Ionam seruare in ventre ceti,præter naturalem vsum,voluit incorruptum. Mariam incorruptam, præter naturam non seruauit gratia? Seruatus est Daniel,ab intemperantissima fame, non seruanda est Maria tantis dotata meritis dignitatum?* Sic nullibi cum seruis venit Regina comparanda, quin meliori modo priuilegium illud sortiatur: ne puram illi originem inuideas, qua scis alios fruitos ab initio. Benè propterea D. Basilius Seleucus Orat. sæpè citata: *Quis ergo magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? Quis, quanto eos omnes internallo post se relinquat, quos Diuorum loco habemus,non miretur?* Basil.Seleuc. *Si enim Christus seruis tantam gratiam contulit,vt solo contactu; imò verò sola corporis vmbra agris præsidium afferre possent,* &c. *qualem vim aduersùs omne morborum genus, Virgini Matri collatam fuisse putandum est? Annon multò maiorem, quàm cæteris, Christi imperio subiectis? Omninò res clara est.* Hoc ergo ratio postulat: hoc exigit decentia; hoc si ad quæstionem veniret,(puto,) probarent prædicti, & cæteri omnes Patres: vt Maria originaliter pura existimetur, ne in hoc cedere seruis Regina videatur.



XV.

Prædicta proximè doctrina confirmatur.



SED parum est, quòd Maria in nullo priuilegio seruis cedere videatur. 1603. Omnes ita excedit, vt quia vna,non veniat cateruatim cum illis numeranda: sic eximiè à Deo facta, vt necessariò singulariter post Christum intelligatur. *Maria non prima, sed vna dicenda.* Ac proinde indignum foret, vt in tam mirifico opere, tótque diuinis impensis elaborato; initium fini adhibito non responderet. Hoc si probamus, præcedens doctrina optimè confirmabitur. Videamus singula. Non prima quidem, non cæteris omnibus maior dicitur Maria; sed in alia serie vna numeratur. *Vna est columba mea.* Cant. 6. n. 8. Cant.6. Quod enim primum, vel maius cæteris dicitur; iam, licèt dignius, cæteris tamen vilibus annumeratur. Grauissima est contra Hæreticos illa ratio Pelusiotæ lib. 3. epist. 142. qui in diuinis Filium creaturam dicebant, vt inde Patrem maiorem affirmarent: vbi ita Sanctissimus Doctor: *Non animaduertunt Hæretici, per ea ipsa, quæ astruunt, se irretiri: ac per ea ipsa perspicuè vinci,per quæ se vincere arbitrantur. Nam,si creatum quiddam est Filius; ne maius quidem,de eorum sententia stare potest: maius enim,ex comparatione* Isidor.Pel. *dicitur, non autem ex incomparabili præcellentia. Quam igitur comparationem, id, quod creatum est, cum Creatore habeat; sapientes, & eruditi homines, velim, exponant.* Meritò ergo Maria, non tam maior, quàm *vna* dicitur:quasi cum cæteris creaturis incomparabilis,etiam cum excellentia ventilatur. Quis ergo dicat in re culpæ, cum cæteris cateruatim adnumerari?

Hinc illud Deiparæ de se locutæ: *Dixit mihi Creator omnium: & qui creauit me, requieuit in* 1604. *tabernaculo meo.* Eccli. 24.n.12. Non satis fuit Eccli.24. appellasse Deum creatorem omnium,vt ibi creata Maria ipsa intelligatur: nunquam enim cum *Hic terminus, omnes,quomodo in Scriptura exponendus.* cæteris creaturis cateruatim venit numeranda, quæ tam diuerso modo ab aliis fuit creata. Et hanc putes in illo: *Omnes peccauerunt.* Pauli fore intelligendam? Dubitarunt olim nonnulli ad illud Act.10.n.12. de linteo misso in escam Petri: Act.10. *In quo erant omnia quadrupedia,& serpentia terræ, & volatilia cæli.* dubitarunt, inquam, cur Petrus tam intrepidè, immunda sibi non tangenda testaretur: cùm etiam ibi munda essent animalia, quæ in numeroso illo termino, *omnia*, comprehenduntur?

hendunturʔ Respondet tamen aptè D. Iustinus Martyr quæst. 89. *Ex responsione Petri intelligimus, quanam in sindone fuerint animantia; hoc est, immunda sola: ac necessariò non sequitur, vt verbum, omnia, etiam contineat munda: possunt enim omnia volatilia, & quadrupedia terræ dici etiam ea, quæ immunda sunt*, &c. *Et quemadmodum, cùm sacra Scriptura dicit: Omnis viri caput, Christus est. verbum, omnis, non comprehendit fidelem, & infidelem virum: fidelis nanque vir corpus est Christi: & Christus, fidelis viri dicitur caput: ita neque hoc loco verbum, omnia, complectitur munda, & immunda; sed immunda duntaxat.* Particula ergo ista, *omnis*, non temerè, sed pro subiecta materia, capienda. Nec apud Paulum, mundissima Maria, cum immundis capienda: quæ non ordinario modo cum cæteris respicit omnium Creatorem; sed se singularissimè creatam explicauit.

Iustin. Mart.

1605. Nimirum, quæ inter se copulantur, & annumerantur, eiusdem conditionis, & naturæ esse cognoscuntur. Propterea efficaciter D. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 109. sic Spiritus Sancti propugnat Diuinitatem: *Cùm Deus, & Saluator noster Spiritum Sanctum diuinam Trinitatem complere tradiderit: atque in sancti Baptismi inuocatione, vnà cum Patre, ac Filio, tanquàm à peccatis liberans numeretur; & in mystica mensa communem panem proprium Incarnationis ipsius corpus reddat: quid tu, ò vesane, atque attonite eum quiddam factitium, & creatum, aut seruilis naturæ: ac non herilis, & effectricis, ac regiæ essentiæ cognatum, & consubstantialem, Spiritum Sanctum esse doces? Nam, si seruus est, cum Domino minimè numeretur: si creatus est, cum Creatore minimè coniungatur.* Sic in re nostra è contra arguendum: Maria vna est: neque vel maior saltem dicitur, ne cum aliis copulari videatur, quæque singulariter creata, sub communi omnium creatione non venit intelligenda. Alterius ergo conditionis Regina est, nec aliquid seruile tulit aliquando. Hoc argumentum fusissimè in Opere discutiendum mihi fuit: inde repete.

Eiusdem conditionis sunt, quæ connumerantur.

Isidor. Pel.

1606. Videamus iam singularem hunc modum, quo Maria creatur; id est, quàm perfectum, quàmque numeris omnibus absolutum opus euaserit. Depingit pulchrè Petrus Damian. Serm. de Annunc. Angelorum lapsu, bonam cæli partem desertam: Adami culpa, terram maledictam: & pro vtriusque remedio paratam Incarnationem, eiúsque administram editam Mariam: quam deinde sic describit. Do locum, vt in recentiore editione correctior exhibetur: *Germinat igitur virga Iesse, de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudine erumpens, omnium ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit, infructuosa quæque non habet. Videt, & ardet ille vehemens amator, & totum epithalamium in laudibus eius decantat, vbi manifestè Sponsus inducitur spirans amorem syncerissimum, nec vltrà valens dissimulare, quod patitur. Euocatur statim cælestis ille Conuentus, &, iuxta Prophetam, init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis, de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renouatione: ac illis stupentibus, & mirantibus præ gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro Diuinitatis, Mariæ nomen euoluitur: & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa, totum hoc faciendum decernitur; vt sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur epistola Gabrieli*, &c. Sic recta, sic absque nodo (licèt è tortuoso genere) fieri debebat: quæ genus ipsum faustissimè refectura emittebatur. Sed pulcherrima ista venerabilis Doctoris verba, ponderatione non egent addititia.

Maria, salutis communis administra.

Damian.

Ad illud Genes. 3. vbi protoparentes tunicis à Deo pelliceis induuntur, quærit D. Iustinus Martyr quæst. 49. *Quomodo demonstrari potest binas tantum feras, & pecudes, masculum, & fœminam, in mundi creatione esse productas; quandoquidem hoc nonnulli piorum dixerunt, ad astruendum non è pellibus, rationalium, pelliceas tunicas primis hominibus Deo esse datas?* Quasi dicat: quandoquidem verum putatur, tunicas illas pelliceas denuò fuisse creatas, quia Deus ab initio duo tantùm animalia in quouis genere condidit, nec putandum est illis occisis pelles detractas, ne denuò alia duo creare cogeretur: videndum est, cur tam verũ putetur, duo tantùm animalia ex quouis genere, tantummodo fuisse creata? Tunc sic respondet: *Si in vnoquoque genere, quidam sunt generis principes; & generis principes, Dei opera sunt: quæ verò sub principibus eis sunt, satu, & generatione subsistentia: videlicet, generis cuiusque, præter par vnum maris, & fœminæ, Deus non condidit. Tunicas autem pelliceas Deus fecit, non humana arte, sed creantis modo.* Quasi minùs decens esset, vt alij, præterquàm illi, qui in quouis genere principes sunt, singularem, & illam dignam conditionem sortirentur, vt solius Dei opera possent appellari. Sic in re gratiæ, in genere reformationis, Principes Iesus, & Maria singularissimo modo à Deo producuntur. Cæteri hinc, sed longè alterius excellentiæ deriuamur. Vt enim longè perfectiores fuère sub quouis genere protoparentes illi, qui à Deo editi, quàm qui posteà ab his fuère generati, sic in re nostra. De Christo res nota. Audi, quid Petrus Damianus citatus de Maria: *Cùm enim fecerit Deus omnia opera sua valdè bona: hoc meliùs fecit consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola, se post tumultus Angelorum, & hominum, reclinaret, & requiem inueniret. Hoc est, quod natura miratur, reueretur Angelus, veretur homo, stupet cælum, extremit terra, Infernus exhorret.* 1607.

Iustin. Mart.

In vnoquoque genere Principibus aliquid singulare tribuendum.

Maria, Christi requies.

Damian.

D. Thomas Villanoua Conc. de Natiu. Dom. de stabulo, seu antro, vbi Christus natus, ita habet: *Est locus sub rupe caua, non hominum manibus sed Deo fabricante constructus, quem tanto mysterio ab initio natura formauerat: & ne vnquam sacra deficeret ædes, non ex lapidibus, non ex lateribus; sed ex fortissima, & durissima rupe, omnium Creator defixerat. Vnde & hodie omnium sacrarum illius temporis ædium sola permansit, cæteris, aut bello, aut vetustate consumptis.* Quantò dignior rupeo hoc specu Maria, tantò maiori cura crediderìs fabricatam, plúsque diuino artificio, quàm parentum industria generatam: non ex solito limoso latere, id est, carne sordibus infecta; sed ex viua rupe gratiæ quodammodo oriundam, cui nec vetusti Adami labes, damnosa vetustas: nec serpentis insidiantis bellum nocere potuit. Tanto mysterio enim excellentissimum opus destinabatur. Maria sanè est thronus ille Salomonis tam impensa cura, tam miro artificio fabricatus, de quo proinde meritò additur: *Non est* 1608.

Stabulum, vbi Christus ortus, quale.

Thom. Vill.

Maria, thronus Dei.

est tale opus in vniuersis regnis. 3. Reg. 10. num. 20. Quia, vt benè Petrus Damian. Serm. 1. de Natiuit. Mariæ: *Nam, etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi; nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei*, &c. Scilicet, neque Angelorum innocentia, neque protoparentum originalis gratia, cum Mariæ puriore conditione potest comparari. Lege, quæ ibi pulcherrima de hoc throno, siue Maria meditatur Author. Damian.

1609. Denique talis prodiit Maria, vt, quidquid non sit Deus, infra sit illam; solùmque videat Deum excellentiorem. Ideò idem S. Doctor ibidem, expendens illud: *Fecit etiam Rex Salomon thronum ex ebore grandem*. num. 18. vbi ita: *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis, infra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem: & videbis, quidquid maius est, minus Virgine; solùmque Opificem, opus istud supergredi*. Oportebat ergo, vt nemo nescit ex Anselmo, ea puritate nitere, qua nulla maior sub Deo possit intelligi: hinc enim erat, vt penè eandem reuerentiam sui excitaret Maria apud illuminatas mentes, quam Christus apud easdem commouebat. Id expendit D. Titus Bostrensis ad illud Elisabeth: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. 1. num. 43. vbi ita: *Cuiusmodi verba suo posteà tempore deprompturus erat Ioannes Matth. 3. eiusmodi ferè hoc loco depromit Mater illius Elisabeth: vt ille enim indignum se pronunciabat, qui Christo proximè assisteret: ita hæc quoque Deipara Virginis præsentia indignam se pronunciat*. Quasi tanta esset Mater Matri; quantus Filius Filio posteà aduenit: imò, quod alij Patres notârunt, hæc verba, licèt Matris ore, ab infantis tamen spiritu proferebantur: dicebat quippe iam Deiparæ, quod posteà incarnato Deo erat dicturus. Pari quodammodo reuerentia vtrunque prosecutus.

Maria solum Deũ respicit maiorem. Damian. *Et eius dem quodammodo cum illo reuerentia.* Tit. Bostr.

1610. An non igitur decentissimum fuit, vt opus istud pretiosum ea cura constructum, vt solummodo artifici suo cedere cognoscatur; non degeneri, & fœdato principio inchoaret? O turpem, & ruinosam basim, tantæ moli erigendæ! Certè non tantum foret opus Marianum, si ab originali culpa duceret initium: nec tam gloriosa corona, & coronis, infausto fundamento aptè responderet. Cùm Maria pariter, & Aaron, frater eius, Moysi detrectarent, illa solùm immisso lepræ spiculo punitur, Numer. 12. num. 10. Et cur Aaron immunis pœnæ, culpæ consors perseueret? Respondet D. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 152. ex cuiusdam sententia: *Quia sacerdotij principium erat: ideircò Deum sacerdotij prælūdio; ignominiæ notam inurere minimè noluisse, ne finis quoque probrosus existeret*. Respondet enim vtplurimùm finis principio: & indecenter gloriosa sacerdotij corona, leprosæ illi basi inniteretur. Cæcus iam viderit, an longè in re nostra id foret indecentius.

Sacerdotij dignitas. Isid. Pelus. *Finis principio respondet.*

XVI.

Maria originalem protoparentum iustitiam contestatur.

PRISCÆ, & lamentabiles fuerunt, humani generis apud Ethnicos querelæ; quòd sic à Diis praua sub indole homo formaretur: nimirum, primæ labis appetitum corrumpentis ignari, quod culpæ deberent, naturæ, & Deo factori refundebant. Fidelibus quidem aliunde iam clariùs res allucebat: quorum tamen solamini curauit Deus naturam denuò in Maria integram reformare: vt, dum hæc sub innocentiæ moribus vernabat; clariùs intelligerent, quid à Deo, & quid à culpa traheret natura. Attestatur ergo in se ipsa, & probat innocentes Maria protoparentes: vt iam deinceps non Creatori, sed culpæ ab Adamo promananti, indoles praua ista, sub qua orimur, tribuatur. In primo die creauerat Deus cælum; & ecce tibi in secundo, ex aquis nouum aliud cælum creat, id est, firmamentum, vbi erant stellæ collocandæ: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum*. Genes. 1. num. 6. Sed, cur, inquit, vtrunque cælum in primo illo die non producitur? Quia, cùm crearentur Angeli, postquàm illud primum cælum productum fuerat: vt ad oculum, quod aiunt, illis constaret de cæli primi conditione; voluit posteà illis cernentibus condere aliud cælum; vt cælestes Intelligentiæ planissimè cognoscerent, illum primi authorem fuisse, qui simile secundum producebat. Imò & propterea cum Angelis simul, homo rationis particeps, quod videbatur conueniens, non creatur: vt Angeli, cùm viderent è nihilo spiritum hominis produci, clarissimè se Deum habere authorem penetrarent. Gennadus in Cat. parua: *Cum Deus vna veluti expeditione vniuersam naturam perficere posset, nullo temporis interuallo, nullis intercedentibus diebus; sex tamen dierum interstitio, totam hanc mollem absoluit, singula singulis ferè diebus producens: quò magis à creatura participe agnosceretur. Cùm enim post primas illas naturas, naturam lucis de nihilo existere iussisset, affatim monuit eas, quæ nulla sunt, facere posse. Cùm verò docendæ etiam essent, licèt in creatione lucem præcederent, authorem suum fuisse Deum: id, quod erat secundùm illarum naturam, distulit, vsque ad hominis conformationem: quo tempore animum quoque de nihilo creauit; non dissimilem natura intelligentiis. Nunc autem ex aquis iam creatis fieri firmamentum iussit simile cælo, quòd priùs condiderat, admonens, se tam cæli, quàm aquarum Creatorem esse: illius quidem, vt qui fecisset alterum eiusdem naturæ: harum, quòd ex eis, suo iure faceret, quodcunque velit*. Probat ergo se nobis Deus tollendæ omni querelæ, Adami integri authorem olim, qui modò sub similis integritatis innocentia Mariam condidit.

1611. *Originalis Mariæ iustitia, protoparentum iustitiam probat.* Genes. 1. *Angelorum creatio qualis, & quo tempore.* Gennad.

1612. *Opera operibus quomodo connecteret creator.* Multa miracula inuitis Pharisæis operatus est Christus in Sabbatho: imò ex opinione D. Ambrosij in Lucam 4. n. 31. initium signis suis fecit in Sabbatho. Cuius rei causam ibidem subdit S. Doctor: *Sabbatho medicina dominica opera cœpta significat, vt ibi noua creatura cœperit, vbi vetus antè desiuit,*&c. *Et benè Sabbatho cœpit, vt ipsum se ostenderet Creatorem, qui opera operibus intexeret: & prosequeretur opus, quod ipse iam cœperat, vt si faber domum renouare disponat, non à fundamentis, sed à culminibus incipit soluere vetustatem.* Homo itaque olim, opus vltimum Dei, sexto die creatur: tunc in septimo, id est, in Sabbatho, requiescit Deus in communi rerum omnium generatione: ergo posteà in regeneratione in Sabbatho incipit, vt se vtrobique eundem probet Authorem, qui opera operibus coniungit, inde prosequens vbi desierat. Mens huc vsque aperta: illud, quo concludit, difficilius: *Vt si faber domũ renouare* &c. Nõ tamẽ inextricabile: vult enim Sanctus Doctor exemplo adducto ostendere finem priscę creationis die sexto, operum quodammodo culmen fuisse, quorum primis ante diebus iecerat fundaměta. Hinc ergo incipit noua regeneratio sicut in ædificiis, à tecto, non à fundamento renouationem solemus inchoare. Nunc ad rem: in homine desiit Deus, & illo integro, opera creationis: vnde ergo meliùs opera redemptionis inchoaret, quàm in eiusdem redemptionis administra, integra producenda? Quod opus operi aptius connecteretur, quàm integris parentibus, nata integra? Aut, vnde se meliùs ostenderet innocentium protoparentum authorem in creatione, quàm si in regeneratione ab innocentissima Maria inchoaret? Ambros.

1613. *Oculorum excellentia.* Imò propterea meritò dicimus, longè puriorem Mariam posteà editam, quàm olim protoparentes: vt in vna, sed maiori; vtriusque protoparentis; imò & multorum Angelorum, sed minorum, originalis gratia probaretur. Quærentibus discipulis, cur cæcus ille Ioan. 9. nasceretur, respondit n. 3. id factum: *Vt manifestentur opera Dei:* id est, vt dum illi oculos restitueret; probaret se authorem operum Dei, id est, Deum cum Patre, & singularissimi operis, id est, Adami plasmatorem. Sic plerique Patres maximè Græci. At vnde, inquis, ex oculis tantummodo productis tunc totius olim humani corporis plasmator credendus veniebat? Respondet Theodorus Mopsuestenus ibi in Cat. Corder. *Neque enim paruum erat, vt creaturæ opifex putaretur: maioris nanque fides, quod minus erat, etiam confirmabat: vniuersa siquidem creatura homo est præstantissimus: & inter membra nostra nobilissimus est oculus.* Certè, qui potuit oculum principem, faciliùs cætera membra potuit condere humana: probat se rerum omnium authorem minorum, qui hominem longè dignitate maiorem creare nouit. Producitur ergo Maria longè quàm protoparentes dignior, iustior, & innocentior: vt clarissimè illorum à Deo innocentia comprobetur. Ioan. 9. Theodor.

1614. *Maria prima vouet virginitatem, vt probet innocentiam.* Inter cætera verò, querebatur maximè olim mortale genus apud Ethnicos, veneream sibi voluptatem interdictam, quam tamen ab effræni appetitu, quasi sibi naturaliter insitam autumabant: nec ferebant turpe naturæ vocari, quod à natura progenitum præsumebant: (proh dolor! in hanc Ethnicorum amentiam, insana Hæreticorum libido, hodie prolabitur:) sicque etiam turpitudinis Deos excogitarunt, vt fierent ipsis delicta miseris religiosa. Vnde mihi dubium, cur apud fideles priscos, non crebriores virginitatis cultores haberet Deus; nec donum illud crebriùs effunderet, quò Ethnicorum blasphemias contunderet. Sed iam ad manum est solutio. Primum virginitatis votum, cultura religiosior, Mariæ seruabatur, vt, quæ innocentiam protoparentum erat probatura, indiuiduum innocentiæ comitem, id est, virginitatis amorem, virgo confirmaret. Chrysost. tom. 6. homil. de ieiun. & eleemos. *In Paradiso erat virginitas, & a Dracone corrupta est: propterea mediis temporibus non apparebat. Cum autem venit is, qui ex Virgine natus est, Iesus Christus Dei Filius, tunc rursus apparuit.* Certè virgines adhuc protoparentes delusi, cladem suam turpibus motibus publicarunt; ideò erubescunt Genes. 3. quasi præcipuè in virginitatem corrumpendam Draco desæuiret. Non ergo à natura, sed à Dracone insitam libidinem agnoscant homines; idque à Maria discant, quæ certè in protoparentibus à Dæmone non est corrupta, quæ prima latentem tandiu incorruptionem demonstrauit. Meritò proinde D. Hildephonsus Ser. 2. de Part. & Purif. Virg. innocentiam originalem Mariæ à virginitate putauit comprobandam: *Ergo, in qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla disruptio interuenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis: et, in qua vexilla virtutum micarunt; nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit. Fulserunt autem vexilla virtutum in illo sacro puerperio, quando Virgo concepit sine semine, Virgo peperit sine dolore, & gemitu, & permansit fœcunda prole.* Sic locum mecum intelligit Gerardus Mosanus Dominicanus tom. 4. Bib. Homil. qui ad marginem huius loci sic scribit: *Nullum peccatum primæ originis viguit in Maria.* Et iterum in Indice huiusce sententiæ: *Maria Virgo immunis originali peccato.* Et meritò; vt, quæ iustam indolem protoparentibus inditam probauit, probaret etiam illorum innocentiam. Chrysost. Hildeph. Hildeph. Gerard.

Faciunt huc verba Venerabilis Bedæ tom. 7. homil. Annunc. B. Virg. *Nec prætereundum, quod Beata Virgo, Dei Genitrix, meritis præcipuis, etiam nomine, testimonium reddidit: interpretatur enim stella maris: & ipsa quasi sydus eximium inter fluctus sæculi labentis, gratia priuilegij specialis refulsit. Ingressus autem Angelus ad eam dixit: Aue, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ salutatio, quantùm humana consuetudine inaudita; tantùm est beata Maria dignitati congrua. Verè etenim gratia plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas, gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret.* Plenitudo enim gratiæ, quæ vacuam conceptionem non permisit, primo hoc virginitatis oblatæ munere comprobatur: & vtrinque, quàm felices à Deo protoparentes olim ederentur, manifestatur. 1615. Idem. Beda.

XVII.

XVII.

Breuiter faciliores tricæ extricantur.

1616. HVCVSQVE grauiores contra mysterium nostrum attigimus difficultates: restant faciliores quædam delibandæ. Prima est, non videri Mariam innocentem, quæ originalis culpæ effectum passa, mortem, scilicet. Respondi in Opere fusissimè, Mariæque mortem innocentiæ condignam propalaui: neque enim in statu integro, homo natura erat; sed priuilegio immortalis: hoc autem priuilegium moriente Christo, non fas erat innocenti Mariæ concedetur. Moritur ergo illa, non tam ex delicto, quàm ob dilectum. Nunc pauca cape. Quærit D. Iustinus Martyr quæst. 32. *Si mortalem Deus condidit naturam nostram, quomodo dicis, Deum mortem non fecisse? Tunc sic respondet: Non si quid natura mortale, id omninò mortem obire necesse est: cùm mortales natura sint Enoch, & Elias, in immortalitate tamen adhuc perdurant, eo quòd dictum est: Terra es, & in terram reuerteris. Itaque verum est, & mortalem fecisse Deum naturam nostram; & mortem in mundum, inobedientia hominis. Si enim Deus, quemadmodum mortalem condidit naturam, ita quoque mortem condidisset, non per inobedientiam esset mors. Et si Deus inobedientiam non creauit, neque mortem profectò creauit.* Itaque mortalis natura integra producitur; sed à mortis commercio, ex priuilegio arcetur, quam gratiam inobedientia amisit. Pende, quàm prisca ab ipsis Ecclesiæ incunabulis vigeat hæc opinio. Impeditur autem non ex rebellione; sed ex multiplici mysterio hoc priuilegium Mariæ, vt ibi dixi: maximè quia in hoc rerum statu, præmortuo Filio, Mater commoritura. Vide multa apud D. Sophronium orat. de Assumpt. sæpè citata, & apud D. August. tom. 9. hom. in eodem Festo. Adde, nec in Christo, nec in Maria mortis vocabulum horridè vsurpari: vix enim mortis durities inuenitur, quam paulò pòst felicissima vita resumpta comitatur. Morituro iam iam Lazaro Ioann. 11. & tandem mortuo; dicebat nihilominùs Christus, infirmitatem non esse *ad mortem*. De quo benè Apollinarius ibi in Caten. Corderij: *Non est mirandum, si Lazaro iam animam agente, non ad mortem esse infirmitatem dicat: siquidem ipsi, qui eum paulo pòst suscitaturus esset, non erat censenda mors illa: quemadmodum mox palam declarauit, non tam mortem, sed somnum appellando.* Ergo vt Christus, & Maria in morte, somnum cepit, & requieuit breuissimo confinio, meliori vitæ comparandæ. Nimirum, debebatur hoc Mariæ, si omnes iusti ex vsu Eucharistiæ, resurrectionis ius acquirunt: quantò felicior, & ocyor resurrectio Deiparæ debeatur, quæ vitalis cibi huius conda, proma? Dedi suprà plenas, fortasse nec ineptas paginas de hac re: hîc tantùm libo Petrum Damianum Serm. 2. de Natiuit. Virg. *Impar est illi humana linguæ præconium, quæ de intemerata carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum; illum, videlicet, qui de semetipso perhibet dicens: Ego sum Panis viuus, qui de cælo descendi: si quis ex hoc Pane manducauerit, viuet in æternum. Per cibum nanque à Paradisi sumus amœnitate deiecti: per cibum quoque ad Paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij fame mulctauit: cibum Maria edidit, qui nobis cælestis conuiuij aditum patefecit.*

Mors Mariæ, non de culpa. — Iustin. Mart. — Sophron. August. — *Non est mors dicenda, quã statim melior vita subsequitur.* — Apollinar. — *Maria, Eucharistiæ proma, conda.* Damian.

Secundam obiectiunculam fouent aliqui ex verbis Mariæ, dum semetipsam Luc. 1. ancillam appellauit, id est, à captiuitate Dæmonis redemptam, & inde felicissimo Dei ancillatui mancipatam: Quasi verò non posset appellari ancilla Dei, nisi prius sub ancillatu Dæmonis fuisset. At Christus in Psalmos, se Patris seruum, & huius ancillæ filium commendauit: tu videris, quid ille dæmoniacæ seruitutis sustinuerit. Ostendi ergo suprà latissimè, in hac ipsa ingenua professione ancillatus, Mariam clarissimos innocentiæ suæ titulos erexisse: nihil seruile sustulit, quæ confidenter ancillam se vocauit: hæc humilitas, illius liberam semper gloriam patefecit. Benè D. Isidorus Pelusiota, postquam fusus ostendit lib. 3. epist. 335. quàm humiliter, & cur Christus Dominus de se loqueretur, concludit, *nulla re alia illum magis decorum apud nos, & amabilem extitisse.* Tu lege longa, sed pulchra verba. 1617.

Maria liberè, & ancillam se testatur. — Isid. Pel.

Tertia sumitur ex eo, quòd festum hoc Conceptionis olim in Ecclesia ignotum fuerit. Pulcherrimè, & dexterrimè hoc telum iam alij Mariæ propugnatores eneruarunt: tu vide, quæ illi, ego nihil, quod adderem, habui. Solummodo aduerto, etsi gratis daremus, ignotum olim hoc festum; non tantùm obesse mysterio primam ignorantiam, quantùm præsentem celebritatis ab Ecclesia indictæ, plausum illi prodesse. Exemplo rem declaro. Ignorabatur, maximè apud Græcos, dies legitimus, quo diuini natalis gloria celebranda. Innotuit res felicissimo D. Chrysostomi æuo: & dies vigesimoquinto Decembris recolenda assumitur auspicatissimè. Tunc S. Doctor tom. 6. hom. de hac celebritate, variis eruditissimis rationibus hunc diem esse legitimum latè comprobat: quas inter, hanc præsenti quæstioni nostræ optimam, adducit: *Habeo porrò ad probandum euidentes rationes, per quas omninò intelligemus, hoc ipsum esse tempus, quo Iesus Christus Dominus noster, ac Dei Verbum in lucem est editus: quarum hæc prima est, quòd tanta celebritate, quaqua versùs, Festum denunciatum sit, & ad tantum fastigium excreuerit, adeòque inclaruerit. Et quod Gamaliel de euangelica prædicatione dixit Act. 5. n. 38. Quoniam si est ex hominibus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non potestis dissoluere. hoc & ego fidenter de die hoc pronunciauerim: quoniam ex Deo est, idcircò non solùm non dissolutum esse: quin potiùs per annos singulos maius incrementum sumere, clarioremque euadere.* Nihil Festo nostro probando, tanquàm diuinitùs instituto, aut similius, aut efficacius afferri potuit; cur non sit nobis clarissima hæc ratio, quæ magno Chrysostomo euidens reputatur? 1618

Festum Conceptionis cur olim latuerit. — *Festum Natalis Christi.* — Chrysost.

* * *

XVIII.

Maria non solùm in gratia, sed etiam in gloria concipitur.

1619. PRobavimvs hucvsque parthenicæ Conceptionis gratiam: ad calcem gloriam comprobemus. Et quoniam de hac re plenissimam Anthologiam impendimus; hic vnum, aut alterum verbum, nec inde repetendum, delibabimus. Igitur Mariam aliquando, dum viueret, beatam raptim fuisse, nullus negabit, qui id Moysi, & Paulo, aliisque fortasse concessum cum priscis Patribus, & cum Doctore Angelico fateatur. Et videtur probare Eusebius Gallican. hom. de Assump. ad finem: *Ipsa eum non solum secundum humanitatem: verùm etiam secundum Diuinitatem, contemplari, & plus omnibus cognoscere meruit.* Si ergo alij clarè cognouerunt, plùs & ista. D. Anselm. homil. in eodem Festo: habetur hæc apud Alcuinum, & in Bibl. Homil. *Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, & in cuius vtero sibi corpus aptabat? Christus est, vt ait Apostolus, Dei virtus, & Dei sapientia: & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi: Christus autem in Maria. Ergo Dei virtus, & Dei sapientia, & omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ in Maria. Hæc non tantùm ad pedes; sed etiam ad caput Domini sedens, audiebat verbum ex ore eius, &c. Nemo vnquam, sicut ista, gustauit, quàm suauis est Dominus: inebriabatur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabatur. Nec mirum: quoniam apud eam, imò intra eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio vtriusque vitæ.* Petrus Damian. hom. 1. de Natiuit. Virgin. *Considera, quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis superuecta dulcedinem, in ipsius substantiam, lucidiores fixit obtutus.*

Maria in Concept. vidit Deum. — Euseb. Gall. — Anselm. — Damian.


1620. Hinc iam ad rem nostram, non imbelle apud pios habendum efformo argumentum. Mariæ maiora debentur priuilegia, quàm aliis, vt fatetur D. Thomas 3. p. q. 27. a. 1. sed aliis accelerata gloria transitiua priuilegium fuit: ergo Deipara maiorem hanc habuit accelerationem. Tunc sic: Sed Paulus paulò postquàm gignitur ad gratiam, gloria superfunditur: ergo Maria non paulò pòst; sed in ipso instanti, quo concipitur in gratia, beatur gloria. Quod de Apostolo dixi, probat D. Thomas Aquinas fusè & eruditè 2. Cor. 12. ad illud: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.* vbi sic concludit: *Si computemus annos à principio imperij Neronis, vsque ad quatuordecim annos, manifestè apparet, quòd Apostolus habuit has visiones in principio suæ conuersionis.* Tunc facta pulchrè computatione, subdit: *Et ideò quidam dicunt satis probabiliter, quòd Apostolus has visiones habuit in illo triduo, quo post prostrationem suam à Domino stetit, neque videns, neque manducans, neque bibens.* Deinde latè probat has visiones transeunter fuisse verè beatificas. Cùm igitur maiora Mariæ priuilegia, ob Maternitatem concedantur; & Matris dignitas, ex mente eiusdem Doctoris Angelici, quodammodo sit infinita; decenter inferimus infinitæ huic excellentiæ comprobandæ, si Paulo iam grato paulò pòst gloria conceditur, Mariæ in ipso instanti, quo grata fuit, concedendam. Sed iam satis.

Idem. — D. Thom. — 2. Cor. 12.

FINIS.



INDEX



INDEX RERVM, ET VERBORVM NOTABILIVM.

Solus numerus marginalis computatur.

Area.

D

Dæmon.

Deus.

G

H

Mariæ epitheta gloriosa.

Mariæ prædestinatio.

Mariæ redemptio.

Mariæ anima.

Mariæ gratia.

Mariæ contemplatio.

Mariæ caro.

Mariæ lac.

Mariæ vterus.

Mariæ virginitas.

Mariæ Maternitas.

Mariæ



Onis.

pastoris,



F I N I S.